




DEO REIPVBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS



Geo Duffield



DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS



taturus viderer, cum ab *Amplissimo Senatu Trajectino* ad id honorifice invitarer: eventus tamen illius rei, qui totus à Divino Consilio & arbitrio pependit, mihi clarissime demonstravit, velle Deum, ut Ecclesiæ suæ hic potius loci, ubi commode satis & honeste habeor, serviam quam alibi. cujus proin mandato & placito lubens & prompte obsequor, arcana sanctæ & sapientis Ejus voluntatis adorans magis, quam perspiciens. Libertatem autem mihi non vindico aliam, nec cupio etiam, quam quæ Legibus Ecclesiæ circumscripta ac definita est. Persisto in Fundamento Fidei, illudque pro virili mea parte adstruo, inculco, & defendo. De cætero, quotidiano labore & industria me exerceo ad solidum in Sapientia & Eruditione salutari profectum, tam docendo pro officii mei ratione, quam discendo. Disco autem sive ex aliis, sive per me ipsum. Ex aliis quidem, ubi scripta Doctorum & Prudentium Virorum, quæ in publicum efferuntur, variæ notæ ac pretii, evolvo & perlustro, bene & ad rem dicta ex iis in usus meos colligens, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἐκβαλών: per me ipsum vero, ubi tam ipsum Dei Verbum quam antiquæ ætatis monumenta sacra & profana, ad illud pro variis suis partibus illustrandum facientia, sedulo lego versoque pro otii mei ratione; omni modo meliore adlaborans ex iis quædam eruderare, quæ cum fundamento Fidei collata, & ei exornando aptata, ignem sustinere poterunt diei Domini. In his vero exercitationibus omnibus libertatem aliquam jure quodam meo usurpo, sed modestam: non *effundens omnem libidinem curiositatis, si quid mihi videatur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari*, quam omnibus Christianis, *forma fidei in ordine suo manente*, concedit Tertullianus, rigidissimus cæteroquin hæresium suæ ætatis censor; sed qualem res & tempora ferunt: id potissimum agens ut pretium rebus statuam pro earum merito secundum conscientiam meæ mentis absque respectu ullius

aucto-

auctoritatis humanæ, quam factiones in Ecclesiam cum magno studiorum meliorum detrimento inferre solent; multum deferens aliorum exercitatorum hominum judicio, sed aliquid etiam tribuens meo. Velim enim, & id sane vel maxime sector, ut in tractanda disciplina nostra mei in omnibus mihi constet ratio judicii: quod arrogantiæ non est sed prudentiæ, quam natura omnibus liberioris ingenii hominibus instinxit. Tu cape, si placet, Vir Amplissime, laboris & conatuum meorum novum specimen ex hoc ipso Libro, quem Nomini tuo reverenter inscribo. Videbis, nisi fallor, ab aliorum majorum & doctiorum Virorum opinionibus nunquam me discessionem facere proterve, sed sententiæ meæ, ubi id fit, prætendere rationes graves, quas Lectori candide & modeste expono, ejusque committo arbitrio. Cæteroquin enim præ me fero, quod res est, longe mihi gratius & jucundius accidere, ut partes sequar quam faciam, & planam probatamque viam calcem, quam per ignota & obscura ipse mihi semitam faciam. Et vero si forte etiam usu venerit, ut Tu pro tuo candore calculum non addas meis qualibuscunque meditationibus: satis tamen scio, nec genus studii mei, quod potissimum in Libris Sacris, qui tuæ sunt deliciæ, recte solideque interpretandis versatur, Tibi displiciturum; nec modum quoque, quo Divinas has literas tracto, reverentem, ut spero, & modestum, Te improbaturum esse. Quod si pro meo desiderio & voto feceris: sperare etiam licet, Vir Amplissime, Te non gravate admissurum esse officium honoris, & observantiæ, quod Tibi nunc exhibeo. Dudum censui, me illud Tibi debere, sive decoris meritorumque tuorum haberem rationem, sive etiam respicerem singularem illum affectum, quem mihi variis iisque notabilibus casibus demonstrasti: atque adeo non simulate gavisus sum, commodam mihi nunc tandem obvenisse occasionem illud explendi. Decora autem & merita etiam-

si Te circumstent & ornent varia & præclara: nulla ego nunc alia commemorare velim, quam quæ è nostris petere possum literis studiisque & commodis Ecclesiæ. Obtigerunt Tibi equidem Conspicui in tua Gente Natales & larga naturæ munera, illorum dignitatem sustinentia, ex quibus mortalium æstimari solet felicitas. dispensavit Tibi præterea Divina Providentia splendidum in Republica munus, è Majoribus quoque tractum, in quo summa cum fide & prudentia administrando longum satis exegisti vitæ humanæ spatium. beavit Te insuper Deus divite prole, eaque omnibus naturæ ornamentis commendabili, quæ honestissimas Civitatis Vestræ Domus instruxit & locupletavit. Hæc & quæ hic recenseri alia à me possent Divinæ Prospicientiæ beneficia, magna haud dubie sunt & eximia; quibus si acquiesceres, ut fere solent tuæ conditionis & dignitatis homines plerique, non deessent Tibi vel honores, quibus Vir prudens majores non expetit, vel laudes hominum virtutes meritaque tua in Rempublicam, & sortis quoque tuæ inter homines felicitatem, celebrantium. Tu tamen hic quiescere noluisti, Vir Spectatissime, sed respexisti majora. Applicuisti Te, inter graves multasque Muneris Publici occupationes & quotidianas Familiæ curas, ad Divinas Literas, dedistique inprimis operam diligentissimam, ut solidam & minime tralatitiam Tibi earum notitiam comparares: non sane ex rivulis & lacunis, sed ex ipsis fontibus Hebræis Græcisque, è quibus purior hauritur. Hos Sacros & Divinos Libros, omnium cimeliorum pretiosissimum, tantopere amas ut semper Tibi & ubique locorum ad manus sint. Illos Hebræa & Graja dialecto, ubi otium est à labore publico, adsiduo legis, teris, volvis, meditaris, iterum iterumque relegis & revolvis, ut arcana Divinæ Sapientiæ, in illis recondita, sed hactenus abscondita, retegas, & ne minima etiam eorum, quæ vel ex contextu orationis vel dictionis ἐνεργείᾳ erui posse viden-

videntur, Te prætereant. In his ubi verſaris, tum demum vivis: neglectis ſpretiſque deliciis & voluptatibus, quibus de mundo homines ineſcantur. Quid quod ipſi Familiæ tuæ Exercitationibus Sacris (neque enim id hic à me reticeri debet, quia publici & egregii exempli eſt:) ſtatis ac ſolennibus præeas; ſive Sacrarum literarum ſenſus ei exponas; ſive eam acuas ad virtutem? Inde in ſermonibus & colloquiis Doctorum Virorum ſolenne Tibi quæſita, ex Divinis Scripturis prompta, in medium conjicere, & aliorum de iis explorare judicia: quod nemini grave & moleſtum niſi ſuperbis vel indoctis pigriſque ordinis noſtri Viris, quorum illis ægre eſt à doctioribus diſcere, his moleſtum ignorantiam & ignaviam ſuam aliis exponi: cæteri vero boni & veri amantes homines impenſe laudant probantque. Me certe tantum abeſt ut pudeat à Te ſubinde didiciſſe quæ ignorabam, quando mihi licuit Tecum de Divinis rebus diſſertare, ut id ſæpe & lubens prædicem: nihil magis in votis habiturus, quam ut plures in Republica eminentes Viri eo literarum noſtrarum inflammarentur amore, ut de progreſſibus noſtris ſolide judicare, &, ſicubi hæreremus, ignorantiam noſtram inſtruere poſſent. Non enim vileſceret eo, ſed creſceret ſane ſtudiorum noſtrorum exiſtimatio. Probe adhuc memini, etſi jam aliquot anni interſunt: id aliquando nobis ſtudiiſque noſtris admodum decorum & honorificum accidiſſe, ut Tu forte hic loci inter amicos agens afficereris deſiderio me publice in circulo Juventutis Academicæ de Cathedra theſibus defendendis Præſidentem exercendi. quod cum pro dignitate, & dexteritate tua graviter fieret, magnam utique in animis Juvenum Deo conſecratorum pariebat ἀναθεώρησιν, & nobis non vulgare afferebat decus. Sed quid ego de his pluribus, cum omnium manibus verſentur Commentarii à Te in *Epiſtolam Pauli ad Galatas*, docte adeo & θεοσοφωτάτως elaborati, ut peritia & acumen tuum, atque ſingu-

ſingularis quædam ἀγχίνοια in phraſibus Spiritus S. apte & κατὰ δύναμιν earum exponendis, (quod procul omni mollitie animi & aſſentandi ſtudio dictum ſit:) ſinceris rerum Divinarum arbitris admirationi, & omnibus ædificationi, eſſe debeant. Hæc vero quis non exiſtimet incorruptæ mentis homo inter omnia alia, quæ in Te celebrari merentur, laudem Tibi parere maximam? Scio eſſe qui natalibus & honoribus ſplendent, qui hæc infra ſe poſita eſſe putant, & omnino ſibi cavere videntur, ne nimis fiant vel habeantur docti, aut certe Theologi. Sed, bone Deus! quam hic turpiter & craſſe errant miſeri mortales judicio! Cum ſemel nobis tantum in mundo datum ſit vivere; vera autem vita noſtra conſtet exercitatione rationali: quid naturæ noſtræ congruentius, quam ut nos in vita, quam utique ut rem caram & pretioſam habere oportet, applicemus ad illud ſtudii genus, quod ratio docet, & omnium temporum homines extulerunt, ut omnium præſtantiſſimum? Id vero quid eſt quam in Divinis certi & ſolidi quid ſcire & ſapere? Olim vere homines hac de re multo rectius arbitrabantur. Rerumpublicarum Principes, & Imperatores etiam, ad ſummam, quæ in humanis rebus datur, evecti dignitatem; quos hinc deliciæ & inde curæ regiminis tot populorum & gentium diſtrahebant; maximo tamen paſſim ſibi honori ducebant, aliquid præſtare poſſe in literis, & commentari de quocunque argumento, quod Doctorum Virorum calculos mereretur. Inde illi verſus pangere, hiſtorias rerum geſtarum contexere, in argumentis quibuſdam illuſtrandis elaborare, Declamationes tam componere quam recitare, Eruditis Viris ad eas audiendas ſolenniter pro more illorum temporum invitatis; & denique Literatos ad ſe benigne admittere & familiare cum illis colere commercium: quod noſtro ævo, etſi exempla aliqua non deſint, longe rarius, & inſolentius. Cum itaque ſtudia Tu noſtra præ aliis publice honoraveris, &

de

de Ecclesia, omni commoda occasione, optime mereri volueris; alienum nemo & abs re putet, Te vicissim à Divinæ Sapientiæ studiosis honorari: suffecissetque mihi ex hac re sola rationem petere, cur in Proœmio hujus Libri publice Te compellem, si beneficiis quoque, affectu, & amicitia Tua, me Tibi insuper obstringere noluisses. Quicquid certe id etiam fuerit quod in me amasti à quo Tibi innotescere cœpi: (candorem, ut puto, & non malam mentem:) habere me voluisti, & habes etiamnum, in amicis tuis, &, quotiens occasio nos conjunxit (quod equidem per vitam rarius factum ob illam, qua divisi sumus, locorum intercapedinem:) multa & neutiquam dubia mihi dedisti animi in me optime affecti documenta; peperitque ille mihi simul affectum atque amicitiam Præstantium tuorum utriusque sexus Liberorum, & Generorum, qua dignitate, qua etiam prudentia & pietate excellentium, quibus Familia tua floret. Et quodnam tandem illius producere hic possem certius argumentum quam quod Filium Tuum ADRIANUM, nobili indole & solerti præditum ingenio, quo nullum poteras habere pignus carius, in Athenæo hoc nostro humanis divinisque literis ex tuo consilio imbuendum, meæ ad tempus curæ & convictui commiseris, ut ad præclaram spem in usum Reipublicæ rite institueretur. cui Ille sua diligentia & optima, quam ex tuis præceptis & exemplo hauserat vitæ ratione, (minimum enim est quod mihi hic vindicare possim:) Deo favente, usque eo satisfecit, ut jam aliquot annis Muneris Dignitatisque Tuæ consors, & illius curas molestiores in se transferens, provectiori tuæ ætati laxamentum aliquod conciliarit; simul publicæ rei magno cum decore ac dexteritate, ut expectes à Viro præclaris scientiis egregie imbuto atque exculto, ad tuum exemplum inserviat. Tui jam erit, Vir Amplissime, hoc meum institutum in meliorem partem interpretari, & acceptam habere tabu-

lam, quæ Virtuti tuæ, & memoriæ Tui in me affectus, quem plurimi facio, à me suspenditur. quod si intellexerim, voluptatem dabit. Deus & Pater Domini nostri Christi Jesu sua Te gratia porro omni meliore modo perficiat; omnia in humanis rebus, quantum id Tuæ & Tuorum saluti conducit, cum Florentissima Domo Tua prospere & ex voto evenire sinat; & sero Te transcribat æternæ illi felicitati, quam meditationibus & spe tua dudum anticipasti. Vale.

Franekeræ CIↃ IↃ CC. x Kal. Feb.





C. VITRINGA OBSERVATIONUM SACRARUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Studiose & cum cura inquiritur, unde desumpta sit species augusti illius Visi, quod objectum est Ezechieli *Prophetæ*, QUATUOR *novæ & admirandæ formæ* ANIMANTIUM, *totidem* ROTIS *junctarum*, *Divinæ Majestatis Thronum* sustinentium, & vehentium. *Commendantur autem hic, cæteris excussis & neglectis, duæ sententiæ Doctissimorum Theologorum Hispanorum*, Hectoris Pinti, & Hieronymi Pradi, *quarum Altera speciem hujus imaginis petit ex* Basibus *Luterum Templi Salomonici*, *structuræ elegantissimæ, quæ* Animantes Cherubum, Rotis *junctas & subjectas, habuerunt: Altera eam refert ad* Arcam, *sedem Divinæ Majestatis, quam* Rotis *suffultam fuisse, supponit, & demonstrare nititur.*



Ui sibi & aliis viam sternere laborat ad intelligendam præclaram illam Visionem, quæ Ezechieli olim exhibita est de ANIMANTIBUS & ROTIS, *Divinum sustinentibus Thronum:* nihil ille proficiet, nisi totum σχῆμα eorum, quæ Propheta vidisse dicitur, prius clare perceperit, & veris ac minime fictis imaginibus expressum ipse sibi

Præparatio ad recte intelligendum Visum Ezechielis de Animantibus & Rotis.

Schema Visi recte intelligendum est.

sibi repræsentaverit atque aliis quasi in tabella descripserit. Quis enim non videt, frustra & inepte quæri, quid res aliqua significaverit, quę ipsa distincte non cognoscitur & mente concepta non habetur? Idem est ac si quis nucem esse vellet salvo cortice. Itaque igitur hoc in argumento prius industriam nostram exerceamus oportet, quam in mysterium, quod rebus ab Ezechiele visis involutum est, inquiramus. Utrumque autem cum successu aliquo præstitisse magnum operæ pretium fuerit, quandoquidem omnium Judæorum & Christianorum Interpretum consensu, inter emblemata Prophetica hoc ipso nullum illustrius & nobilius; sed & nullum intellectu difficilius est, ac magis abstrusos recondit sensus. Apud Hebræos Theologos in diverbium abiit [a]: רבר גרול מעשה מרכבה : RES MAGNA EST OPUS QUADRIGÆ: i.e. Visio de Quadriga apud Ezechielem.

Obscuritas & difficultas hujus Pericopæ.

Summa eorum, quæ Propheta se vidisse narrat.

II. Imago rerum, quę menti Prophetæ à Deo objectæ sunt, à nobis, Deo ducente, declarandarum, ab ipso Propheta Ezechiele data opera describitur in *Capitibus* Vaticiniorum ipsius *primo* & *decimo*. Præterquam quod, ubi est in describendo Templo sub finem Libri [b], ejusdem Visionis memoriam obiter repetat. Summa huc redit: Ezechielem, gravissimo muneri Prophetico initiandum, per ἔκστασιν vidisse *Procellosum ventum* suscitatum *è Septentrionibus*; vento junctum *fulgentissimi ignis splendorem* [c], *Nube circumdatum*; ex igne vero prodiens *candens aliquod & eximie coruscans ad instar electri*, unde formatæ sunt, Propheta vidente, species *quatuor Animantium*, junctarum totidem *Rotis*, alis suis sustinentium celsum quendam Thronum, cui *Deus*, humana forma, veluti Rex quidam aut Imperator, insidebat. Animantes illæ compositæ erant ex quatuor præcellentium animalium, *Hominis*, *Aquilæ*, *Bovis* & *Leonis* speciebus: *quadruplicem*, quatuor nempe horum animalium, ad quatuor latera *præferentes faciem*; positura ceteroquin corporis ad *humanam* accedente; *pedibus*, quoad infimam eorum partem, *vitulinis*; *alis instructæ quatuor*; binis manus, pedes, & partes corporis minus conspicuas tegentibus; binis aliis sursum elatis & junctim sustinentibus solium Divinæ Majestatis. Animantibus

a Apud Maimon. de Fundam. Leg. Cap. IV. §. XXI. b Cap. XLIII. 2, 3. c Vers. 4. חשמל.

bus aderant *Quatuor Rotæ*, ſpectatæ altitudinis, totidem Rotas ex transverſo eas ſecantes complexæ; apſidibus inſtructæ; & præterea oculis humanis, in iiſdem apparentibus, conſpicuæ. Simul autem tam Rotæ quam Animantes acutiſſimo fulgore ad inſtar *æris candentis*, *chryſolithi*, aut *carbonum ignis*, *coruſcabant*, eædemque ſimul *rapidiſſimo agitabantur* motu, horſum, vorſum, ſurſum, deorſum: uno eodemque Spiritu, qui Animantes movebat, ipſas quoque agente Rotas. Movebantur autem recta, ita ut movendo ſe nunquam ad aliam cœli plagam converterent, aut ſitum ſuum mutarent, idque *tanto* cum *ſtrepitu*, quantum *aquarum concitatarum fluctus*, vehementiora *tonitrua*, aut majores *exercitus* ad prœlium inſtructi, edere ſolent. Hæc præcipua ſunt, quę viſa ab Ezechiele binis diſtinctis temporibus narrantur: quæ quam ſint admiranda, & omni attentione digna, quiſque, me non monente, facile videt.

III. Conſtat autem, ut ex brevi hac *σκιαγραφίᾳ* liquet, hæc Viſio multis iiſque diverſi generis partibus. Quod ipſum cum præter inſolentiam rerum viſarum difficultatem aliquam pariat in genuinis rerum illarum ſpeciebus, ut à Propheta viſæ ſunt, concipiendis: tum accedit, quod ipſe Ezechiel quaſdam rerum viſarum circumſtantias non tam clare & explicate videatur deſcripſiſſe, ut non multa de vero orationis ipſius ſenſu ab Interprete variis in locis moveri poſſint dubia. An *Animalia illa*, quę Ezechiel vidit Divinum Thronum expanſis alis ſuſtinere, alio loco *Cherubim* dicta, *ſingula*, an *ſimul*, ad quatuor eorum latera, *quadruplicem* oſtentarint *faciem* [a]? An corpora geſſerint *figura erecta* ad inſtar *humanorum*, num potius *figura depreſſa*, & ſecundum potiſſimam Corporum ſuorum partem retulerint *Boves*? Num *una* ſolummodo à Propheta viſa ſit *Rota*, aliam *Rotam* complexa, an *quatuor* ejuſdem generis *Rotæ* diſtinctæ? Quid commercii fuerit *Animantibus* cum *Rotis*, & quo modo hæ illis commode concipi debeant junctæ fuiſſe? Hæc & hujus generis alia plura diſputari hic poſſunt & diſputantur ab Interpretibus: in quę ſi volupe nobis eſſet exſpatiari, magna nobis ſubnaſceretur ſcribenni materia. **Difficultates, quæ in hac Narratione inſunt.**

IV. Sed, ut verum fatear, pleraque horum à Doctis & **Pleraque à Doctis Viris**

a Cap. x. 1. 15.

expeditæ: cujus rei ratio redditur.

exercitati ingenii Viris, qui Ezechielem Commentariis ſuis illuſtrarunt, Caſtalione, Prado, A Lapide, Pinto, Grotio, Coccejo, jam ſatis ſunt diſcuſſa & expedita, licet ſententiis non parum diſſideant; inſuper ante paucos annos diſputationibus Clarorum Virorum, Spenceri & Witzii, novis curis ventilata, quorum Libri ſunt in omnium manibus. Nobis autem in hac noſtra Diſſertatione, ob magnam dicendorum copiam, ſtatutum eſt non neceſſaria omnia præcidere. Monebimus itaque hic ſimpliciter abſque ullis ambagibus, illorum nos probare ſententiam, qui ſtatuunt, *ſingulis quatuor Cherubinorum fuiſſe quatuor Animantium Vultus*; *Cherubinos illos*, ſive *Animantia*, *fuiſſe figuræ corporis erectæ*, *accedentis ad figuram Corporis Humani*; *Rotas adfuiſſe Animantibus non unam*, *ſed quatuor*: neque adeo de his hypotheſibus ullam nos hoc tempore movebimus litem. Placet nobis Figura illa *Cherubinorum*, quam Coccejus noſter Commentariis ſuis in Jeremiam & Ezechielem præmiſit: quam Lectori noſtro inſpiciendam commendamus, tum ut qualemcunque imaginem hujus viſionis, quę ad Ezechielem intelligendum non parum confert, in cerebro ſuo deſcribat; tum ut quæ in ſequentibus de hac ipſa re à nobis diſputabuntur, facilius percipiat.

Dubium aliud, quodnam commercii ſit *Animantibus* cum Rotis.

V. Non nego tamen, eſſe aliud circa quod maximopere laboravi; etſi multi inter Commentatores de eo minus ſoliciti videantur. Nimirum quotiens cum attentione & judicio hanc Ezechielis Viſionem perlegi, totiens anxie circumſpexi, an non aliunde poſſem cognoſcere ἀναλογίαν partium, ſive corporum majorum, ex quibus hæc Viſio conſtitit. *Rotas* vidiſſe dicitur Ezechiel, junctas *Animantibus Figuræ Humanæ*. Quid hoc ſibi vult? Quid commercii Cherubinis cum Rotis? quid viciſſim Rotis cum Cherubinis? Utique cum Deus nihil agat niſi quod ſumma ſapientia ab ipſo deliberatum eſt; & ſapientiæ cum ſit partes in qualicumque Schemate repræſentando ſibi mutuo conformes exhibere, eaſque inter ſe concinne aptare & diſponere: quis non ſummopere miretur, Animantes Humanæ Figuræ jungi Rotis; Rotas jungi Animantibus, abſque quo perſpiciat inter eas minimam intercedere ἀναλογίαν ſive convenientiam? Inſpice, obſecro te, tabulam, in qua Cl. Coccejus imaginem hujus

hujus Visionis delineari curavit, & vide, an inter partes has majores, ut easdem in illa tabula dispositas & sibi junctas vides, ullam deprehendere possis proportionem.

VI. Excipi equidem potest, fateor, ἱερόγλυφα esse, quæ Ezechieli in hac visione objecta fuerunt, ac proin de ἀναλογίᾳ partium hujus schematis minus laborandum esse. In Hieroglyphicis enim sæpe accidit, ut res diversissimi generis & naturæ inter se conjungantur & componantur ad plures proprietates unius rei, ad quam figurandam adhibentur, designandas. Sic est: neque ego id sæpe usu venire inficior in Hieroglyphicis, ut unum aliquod simulacrum ex plurium rerum, longe diversissimarum, formis componatur, ut v. g. apud Ægyptios factum in imagine *Sphyngis*, Templorum Ægyptiorum foribus insculpta. In plurium tamen ejusmodi ἱερογλύφων repræsentamine sive potius Schemate, quod pluribus distinctisque partibus constat, id locum habuisse, ut inter illas partes nulla esset proportio, nulla unius ad aliam observari posset σχέσις: id quidem quemadmodum præfracte non nego, sic non memini exemplis in contrariam partem allatis hactenus probatum videre. **Exceptio adversus hanc difficultatem producitur.**

VII. Sed utcunque etiam hæc se in Hieroglyphis sive in simulacris mystici sensus aliquando habuerint: de omnibus enim respondere difficile est: ego quidem persuasissimum habeo, à Divina Sapientia nullum edi potuisse cujuscunque rei simulacrum sive repræsentamen, quod non sit perfectum, absolutum, & sibi in omnibus suis partibus non egregie constet: ac proin præsumo, inter partes quoque hujus imaginis majores aliquam & quidem compositissimam ac Divina Sapientia dignissimam esse ἀναλογίαν, etiamsi forte illa à me hactenus non perspiciatur. Inquirendum idcirco hanc in rem autumo studiosius, & ingenium atque industriam in consilium vocanda esse, antequam habeatur pro desperata. Quod si non succedat, præstat nostro stupori quam Divinæ Sapientiæ hoc vitium impingamus. Videbimus itaque hoc ducti consilio *primo* quid alii ad hanc difficultatem observaverint: *dein* nostrum interponemus judicium. **Sed removetur, doceturque, in Hieroglyphis servandam esse ἀναλογίαν partium.**

VIII. Qui inter Doctores Religionis Judaicæ ad hunc **Judæorum**

communes de ſcena hujus Viſi hypotheſes.

Ezechielis textum olim commentati ſunt, ipſi quoque nobiſcum ſuppoſuerunt, Viſionem hanc eum in modum eſſe concipiendam, ut partes illius majores ſibi conveniente ſtructura & diſpoſitione reſponderint. Cujuſmodi analogia cum non deprehendatur in *Amantibus* & *Rotis*, ſibi mutuo junctis: putarunt illi, *Rotarum* nomine hic intelligendum eſſe מרכבה *Currum*, ad eundem fere modum his quatuor *Animantibus* (ſive illæ jam humana, ſive, quod reliquis partibus magis tum analogum foret, bovina figura viſæ eſſent:) junctum, ut Principum & Magnatum *Carpenta*, vel privatorum Carrucæ, Equis aut Bovibus jungi ſolent. Vidit itaque, ſecundum ipſos, Ezechiel Dominum ad inſtar Regis, ſumma præditum majeſtate, curru magnifice vectum, à quatuor Cherubinis tracto. Intelligere id licet ex Abarbanele, in *Altera parte* Prologi in Ezechielem, cujus hæc verba ſunt: המראה אשר ראה יחזקאל עליו השלום בתחלת נבואתו ושנשנה אליו פעמים וגם בסוף נבואתו נזכרה נקראת בדברי רבותינו הקדושים מרכבה לפי שראתה בדמות המרכבה שילכו בה המלכים כדרך שנוהגין אותה ארבע חיות או בהמות והיא מתגלגלת על האופנים תמיד ומרוקע עליהם מושב אחר ועליו הכסא אשר ישב עליו המלך *Viſio, qua Ezechieli, qui in pace quieſcat! obtigiſſe dicitur in initio Vaticiniorum ipſius, & quæ eadem illi bis repetita eſt, & in fine quoque vaticiniorum ipſius commemoratur: in Scriptis Magiſtrorum noſtrorum Sanctorum paſſim vocatur* Quadriga, *ſive* Currus, *quia ipſi exhibita eſt in imagine Quadrigæ, ad eundem prorſus modum, quo Reges vehi ſolent Curru, à quatuor animantium ſive jumentorum jugo tracto; voluto ſuper Rotis; expanſo quodam, quod Regiam ſedem ſuſtineat, obducto, in quo Thronus, cui Rex inſidet, collocatur.* Pergit Abarbanel: *Sic vidit Propheta quatuor Animantes, ducentes Currum & Rotas, ſuper quibus ſcilicet Currus volvebatur: & στερέωμα aliquod, ſuper Animantibus extenſum: illique στερεώματι impoſitum Thronum, cui quis humana ſpecie Rex inſidebat.*

An Ezechiel viderit currum, à Cherubibus tractum?

Abarbanelis verba.

Ἐπίκρισις ad hanc ſententiam.

IX. Negari certe nequit, eſſe quid in hac ſententia quod illi conciliet ſpeciem. *Rota* enim cum proprie ad *currum* pertineant: quis alienum putet à ratione, illas cum vehiculo aliquo, illis impoſito, ab Ezechiele viſas eſſe? *Quatuor* quoque *Animantes*, quę ſecundum præſtantiſſimos Interpretes ſub imagine *Boum* conſpectæ ſunt à Propheta, non inepte utique veluti quædem

Jumen-

Jumentorum Quadriga huic Currui statuuntur junctæ fuisse. Ad quę accedit, quod alibi [a] in Sacris literis Deo מרכבות Currus, sive Carrucæ adscribantur, quibus ipse in expeditione adversus hostes veluti *Vehiculis* feratur.

X. Nec repudiarem ego quoque hanc sententiam, in qua vere aliquid πιθανὸν inest, nisi clarissimis argumentis, ex ipsa Ezechielis narratione depromptis, eo adducerer. Etenim 1. Apud Ezechielem ipsum, hanc Visionem describentem, nulla prorsus mentio est מרכבה *Currus* sive *Vehiculi*. *Rotas* se vidisse solummodo commemorat Vates: de *Curru* nihil apud ipsum legitur. Nec patet ratio, cur Propheta, si *currum* ipse vidisset integrum, id in depingenda Visionis specie prætermisisset. 2. Firmamentum Divini Throni non incubuit *Vehiculo* alicui aut *Carrucæ*, ab Animantibus tractæ: quod hæc sententia supponit: sed, quod hic apprime observandum est; *Thronus Dei* incubuit ipsis illis *Animantibus*, quibus *Rotæ* dicuntur junctæ fuisse. Sic habent verba [b]: *Et super Capitibus Animantum veluti* Firmamentum *aliquod crystallinum: extensum super Capitibus eorum supra ipsos. Et sub expanso illo alæ illorum in rectum protensæ, una alteri junctæ, &c.* Animantia itaque illa ipsa suis Alis sustinuerunt Thronum Divinæ Majestatis: non Currus, non Carruca aliqua, ab iis distincta. 3. Quare etiam *Rotæ* dicuntur passim fuisse אצל החיות *apud Animantes* [c]: tanquam quæ Animantibus eum in modum junctæ fuerint, quemadmodum *Vehiculi* pars superior jungi solet *Rotis*; non ut *Vehiculum* ipsum jungi solet Jumentis.

Narratio Ezechielis de Viso hoc & partibus ejus, adversatur huic hypothesi.

XI. Ipsa itaque Animalia hæc, ipsi hi Cherubini, repræsentati fuerunt Ezechieli tanquam Currus & Vehiculum Divinæ Majestatis, quæ passim in iisdem hisce Literis Sacris *Cherubinis insidere*, & *super iis vehi* dicitur [d]: quod non animadversum ab Abarbanele fecit ut Currum aliquem in hac Visione à Cherubinis distinctum conceperit. Ipsi hi Cherubini, inquam, alis suis sustinentes Basin Divini Throni, hic repræsentati fuerunt Ezechieli instar *Curru* quatuor *Rotis* suffulti: quę Rotæ itaque concipiendæ sunt Cherubinis eum in modum junctæ fuisse ut simul

Cherubini ipsi hic spectandi exhibiti sunt ut currus Dei.

a Jes. LXVI. 15. Hab. III. 8. b Ezech. I. 22, 23. c Vers. 16. d Ps. XCIX. I. Ps. XVIII. II.

simul eosdem ab inferiore parte fulciverint, quemadmodum Rotæ Currum fulcire solent. Observatum id jam à Spencero est in docta ipsius de Cherubinis Dissertatione. *Instituti sunt Cherubini*, inquit [a], *ut loco* Vehiculi *essent aut Currus militaris, quo Deus, veluti Imperator & Dominus Exercituum, per Hebræorum Castra veheretur.* Et post alia quædam interjecta: *Cherubini, in Visione Prophetica Ezechieli apparentes, Rotis instructi erant, & currus aut vehiculi similitudinem referebant: unde & Visio illa à secretioris Theologiæ Magistris* מרכבה Currus *signanter appellatur.* Nec alia certe mens Hieronymi fuit, in Commentationibus suis in Hoseam scribentis [b], *Ezechielem Dominum vidisse in aurigæ modum sedentem super Cherubim.* Neque enim Hieronymus in his verbis *Currus* meminit, à Cherubinis distincti, ut forte quis orationem ipsius accipere posset: sed recte notat ipsos *Cherubinos* illud fuisse *Vehiculum*, cui innixa fuerit Basis Throni Divinæ Majestatis.

Spenceri verba.

Restat tamen difficultas in vero conceptu hujus Visi.

XII. Quæ etiamsi eatenus nunc expedita sint, ut intelligamus, vidisse Ezechielem Prophetam *Rotas*, ipsis Animantibus veluti *Vehiculo* junctas: non tamen id satis explicitum & illustratum est, quod in principio nostræ tractationis tanquam insolens & *ἀπροσδόκητόν τι* in hac Visione notavimus, quod nimirum & qua ratione *Animantes concipi possint juncta fuisse Rotis?* Cum enim inter hæc Corpora nulla videatur esse analogia, vere hoc novum quid videtur & inexspectatum.

Præjudicium: explicandum esse χῆμα ex aliquo Instrumento Templi, ad cujus imitationem hoc Visum compositum fuerit.

XIII. Ego vero ut nunquam dubitavi quin vere inter has partes aliqua esset proportio, licet nobis forte incognita: sic non dissimulabo, dudum me de tota hac Visione hoc anticipasse judicium, quod analogia illa omnino quæri debeat in aliquo instrumento Religionis Judaicæ in Vetere Templo, quod ex duabus hisce rebus, *Cherubinis* nimirum & *Rotis*, compositum fuerit: ad quod Deus, Ezechieli hanc exhibendo imaginem, respexerit. Observaveram enim, familiare Deo esse, emblemata rerum, Prophetis in Visione ostendendarum, desumere & quasi mutuari a Templo ejusque Instrumentis: quippe quod ex ipso nostro Propheta, nec non ex Zacharia, & Apocalypsi Joan-

a De Leg. Heb. Lib. III. Cap. IV. Dissert. V. b Com. in Cap. XII. p. 56.

Joannis inprimis, argumentis clarissimis & omni majoribus exceptione tam liquido constat, ut nemo id in dubium vocare possit. Faciebat autem ut id hac quoque in Visione evenisse crederem, quod clare viderem, in prima & potissima illius parte, quę *Thronum exhibet Divinum*, *Cherubinorum Alis suffultum*, allusum esse ad *Thronum Dei inter Israëlitas*, *incumbentem Alis Cherubum super Arca* in *Sancto Sanctorum*. In Sacratissimo, inquam, Templi Hierosolymitani Adyto, ut vulgo notum est, Deus dicebatur *habitare*, instar Regis, *inter Cherubinos*, qui alis suis sursum elatis Thronum Dei, super ipsis quasi recumbentem, sustinuerunt. Hæc ipsa species à Deo ad exemplum hujus emblematis expressa est apud Jesaiam [a], qui Dominum & Imperatorem Judaici Populi celso insidentem vidit solio in Sancto Sanctorum, fimbriis Vestium ipsius anteriorem Templi partem replentibus. Hæc ipsa species, exigua cum variatione, ostensa est Joanni [b], quemadmodum liquet ex ipsius Apocalypsi: & utraque illa Visio convenit cum hac nostra Ezechielis.

Aliquid ejus fuit in Arca.

XIV. Nihil itaque, si rem recte reputemus, in hac Visione Ezechielis novi adeo, nihil insoliti, nisi quod *Animantibus*, sive *Cherubinis* illis, sive *Seraphinis*, ut apud Jesaiam dicuntur, adfuerint *Rotæ*: quarum *Rotarum* neque apud Jesaiam, neque apud Joannem mentio est. Præterquam quod non liqueat, in mystico sive typico Dei Throno in Templi Adyto super Arca ullum *Rotarum* usum fuisse.

Sed in Arca defuerunt Rotæ.

XV. Quod ubi cogitationibus meis frequentius versabam, diu satis fuit, quod nihil quicquam occurrerit, in quo pedes meos mihi commode figere posse videbar; donec tandem adjutus laboribus duorum Doctissimorum Hispanorum, Hectoris Pinti, & Hieronymi Pradi, materiam novæ & ulterioris meditationis mihi comparaverim: quæ an lucem aliquam adferre possit huic Visioni, licebit experiri.

Pintus & Pradus laudati.

XVI. Pintus [c], de mystica *Rotarum* significatione disserens, mihi subobscure subjecit, *Animantibus* & *Rotis*, quæ in hac Visione *Basin Divini Throni* faciunt, forte allusum esse ad *Bases* illorum *Luterum*, qui in Atrio Templi inservierunt καθαρισμοῖς ἱερατικοῖς *lustrationibus Sacerdotum* & *Levitarum*: quæ *Bases* summa

Pinti meditatio de analogia partium hujus Visi.

Ttttt arte

a Jes. VI. 1. b Cap. IV. 1, 2. c In Cap. I. Ezech. p. 19.

arte confectæ, *Cherubinis* & *Rotis* innixæ fuerunt. Verba equidem Pinti in rem noſtram cuperemus eſſe clariora [a]; grata tamen hactenus, quod occaſionem inde acceperimus meditationes noſtras de hoc argumento promovendi. Videamus itaque de re tota paulo diſtinctius & explicatius.

Luteres Atrii & eorum Baſes deſcribuntur.

XVIII. Præter Labrum Maris Æneï, duodecim innixum Bobus, *Decem Labra* minora, (quinque nimirum ab Atrii parte Auſtrali, & totidem à Boreali:) ex præſcripto & juſſu Divino per Salomonem Regem collocata ſunt: quorum *Luterum* ſive *Labrorum* Bases tanta arte & tam ingenioſa ſtructura confectæ fuerunt, ut Auctor primi Libri Regum inter omnia pretioſa & artificioſa Veteris Templi Inſtrumenta nullum quidem eorum tam prolixe & accurate deſcripſerit, quam Bases *Decem* illorum Luterum, quos modo memoravi. non ipſos, inquam, illos *Luteres*, ipſa illa *Labra*: (nam illorum figuram *unico* tantum *commate* depinxit:) ſed *Luterum* illorum *Baſes*, quippe quarum elegantiſſimæ & artificioſiſſimæ conſtructioni ad exactiſſimos numeros deſignandæ integra dedit *commata undecim* [b].

Quam artificioſiſſime conſtructæ fuerunt.

Quod argumento eſt, inter Inſtrumenta antiquæ Religionis, quæ in Templo Salomonis ſua arte & ornatu ſplenduerunt, hoc ipſum Inſtrumentum præcipuam mereri animadverſionem. unde itaque mirum videri non poſſit, Deum *Baſin* quandam Solii ſui in emblemate exhibiturum, ad artificioſam ſtructuram harum *Baſium*, quarum ideam ipſe Davidi dederat, alluſiſſe, modo cætera reſpondeant: quod operæ pretium eſt explorare.

Quod diſtinctius enarratur.

XVIII. Bases hæ, in textu Sacro מכונות dictæ, factæ erant ex *Ære*, & compoſitæ ex duabus partibus majoribus, ipſa nempe illa Basi, quæ cum humeris ſuis eminentibus Concham ſive Labrum Æneum ſuſtinebat; & Rotis Quatuor, quibus ipſa hæc Baſis ad modum *Plauſtri*, ut optime à Sanctio obſervatum eſt [c], innitebatur & ſuffulciebatur. *Baſis* ipſa, induſtrie deſcripta ab Auctore primi Libri Regum [d], conſtabat ex שלבים Limbis ſive Columellis eminentioribus, & מסגרות Abacis ſive *Tabulis*, quæ eminentium & aliquo ſpatio ab invicem diſtinctarum

a Ad liter. c. b Verſ. 27, 28. c Com. in h. l. ad verſ. 33. d 1 Reg. VII. 28, 29.

rum Columellarum intervalla vacua implebant atque ita totum opus quasi *concludebant* & compaginabant. Terminabantur autem illæ *Tabulæ* cum suis *Limbis* ab inferiore parte in *Ornamento* quodam, quod speciem habuit *Graduum in declive descendentium*, (ליות מעשה מורד) vel fasciarum in stragulis aut liciis fimbriatarum; à superiore vero parte habuerunt suum כן *firmamentum* [a]; cui ad quatuor Basium angulos aptati fuerunt totidem כתפות *Humeri*, qui circulum describentes apertura rotunda ipsam illam *Concham Æneam*, cujus caussa tota hæc Basis constructa est, ferre debuerunt. Sed quod nunc præcipue nostræ considerationis est: *Columellis* & *Abacis* sive *Tabulis* illis, quæ longe solidissimam partem harum Basium conficiebant, insculpti fuerit Cherubini, Leones, & Boves, opere, ut Docti Viri volunt, interrasili: qui *Cherubini*, *Leones*, & *Boves*, sive quæ Tabulæ has Aminantum species opere interrasili exhibentes, ab inferiore parte subnixæ fuerunt Quatuor Rotis, Curruum Rotas ad omnia referentibus, quæ his Basibus ad eundem modum junctæ fuerunt, quo Rotæ Plaustris jungi eademque ferre & sustinere solent. In quibus, licet, quanta à nobis fieri potuit, perspicuitate verborum descriptis, si quis adhuc hæreat; subjiciat oculis suis imagines harum Basium, ut depictæ sunt à Castellione [b], & majore arte atque elegantia à Villalpando [c]: consulat præterea quæ tum Coccejus noster [d], tum Sanctius [e], Doctissimus inter Jesuitas Librorum Regum Commentator, de iis monuerunt.

XIX. Nemo certe mihi jam negabit, inter *Bases* hasce *Luterum*, quas nunc descripsi, & *Basin* illam *Divini Throni*, quam secundum ductum Ezechielis in initio hujus Dissertationis delineavi, magnam intercedere convenientiam. Utrobique habemus *Cherubinos* junctos *Rotis*; *Rotis* inferiorem, *Cherubinis* superiorem locum occupantibus. *Rota* enim Ezechielis dicuntur fuisse בארץ *in terra*, ut intelligeremus, *Cherubinos* supra *Rotas* eminuisse. Utrobique *Cherubinos* cum *Rotis* concurrentes ad quid aliud tanquam illius Basin sustinendum. Utrobique Rotas Che- **Convenientia inter eas, & figuram Ezechielis, ostenditur.**

Ttttt 2 rubinis

a Vers 29. b Annotat. in 1 Reg. p. 359. c In Ezech. Tom. II. Pars II. Lib. V. Disp. III. Cap. XXXIX. d In Lex. ad Voc. מכונה. e Com. in 1 Reg. VII. 27.

rubinis eum in modum junctas, ut unum corpus absque alio moveri & agitari non potuerit. Porro tam *Rota* Ezechielis quam *Basium* illarum similes fuerunt *Rotis Plaustri*, & utroque in loco uno eodemque nomine אופנים veniunt. In Basibus habemus *Rotas quatuor*, Basi alicui *quadrata figura* aptatas, quę ad *quatuor* sua latera *Cherubinos* exhibuit: quod ipsum simili ratione se habuit in *Rotis* Ezechielis, quę cum Cherubinis *quatuor numero* solium Divinæ Majestatis sustinuerunt. Et, quod mirandum est, in ipso *colore* inter utrumque hoc Instrumentum tam est amicus consensus, ut vix possit magis. Quemadmodum enim *Rota* illæ *Basium* Templi confectæ fuerunt ex *ære*, sic Rotæ Ezechielis fuerunt כעין תרשיש h. e. colore similes *Chrysolitho*. *Tarsis* enim, ut à Doctissimo quodam Viro solide probatum est [a], est *Chrysolithus*: lapis instar purissimi auri fulgens. Inter quem lapidem & *Æs* quanta similitudo fuerit, intelligere licet ex clarissimo loco Danielis, qui rem totam egregie illustrat. *Vidi*, inquit Daniel [b], *cum oculos meos sustulissem Virum aliquem lineis indutum vestibus. Lumbi ejus succincti fuerunt insigni auro* Uphaz; *Corpus ipsius erat* כתרשיש *ut* Tarsis; *vultus instar fulguris*; *oculi ipsius referebant faces ardentes: Brachia autem & pedes ejus* כעין נחשת קלל *colore similes* Æri terso. Vident, quotquot huc debitam attentionem adferunt, Virum illum, quem Daniel sibi in Visione objectum habuit, totum fuisse *coloris ignei*. qui color igneus modo cum claritate auri fulgentis, modo cum facibus ardentibus, mox iterum cum *Tarsi*, hoc est *Chrysolitho*; & tandem cum *ære terso* comparatur. Omnia fere eodem modo se habent apud Ezechielem. omnia in hac Visione fuerunt *ignea*: &, inprimis quidem, ad quæ nos nunc potissimum respicimus, Animantes & Rotæ. Animantium species confertur cum *carbonibus ignis* & *facibus ardentibus* [c]: & *Rotarum* illa cum *Chrysolitho* [d], cujus color ad æs tersum proxime accedit.

Tarsis apud Ezechielem est Chrysolithus.

Difficultas objecta removetur.

XX. Nec video itaque quicquam esse, quod in hac hypothesi alicui displicere possit, quam quod forte hæc nostra comparatio non videatur convenire majestati augustarum illarum Rerum, quæ visæ sunt ab Ezechiele. Vidit Ezechiel Deum glo-

a Braun. de Vest. Sac. Heb. Lib. II. Cap. XVII. b Dan. X. 5, 6. c Ezech. I. 13. d Vers. 16.

gloriose insidentem throno, Basi Cherubum & Rotarum suffulto. Cujus rei majestati multum videtur decedere, si admirandam hanc speciem comparemus cum Basibus *Luterum*, sive *Concharum Ænearum*, quæ inservierunt lustrandis Sacerdotibus aut abluendæ carni victimarum in Atrio. Quid *Throno Divino* cum *Luteribus Atrii*? Neque ego sane nego esse hic aliquid quod meditantem de hoc argumento possit interpellare & offendere, si major lux huic nebulæ dispellendæ non adferatur. Quam igitur in rem sequentia observari velim.

XXI. 1. Etiamsi *Bases* illæ, quas cum Basi Divini Throni apud Ezechielem conferre sustinuimus, suppositæ fuerint *Luteribus*: tanta tamen arte, tanta industria, tanta addam *magnificentia*, constructæ fuerunt, ut elegans & pulchra harum Basium structura satis prodat, Spiritum Sanctum in earum fabrica pro summa sua sapientia singulari modo lusisse easque tanquam rerum longe nobiliorum & præstantiorum figuras in usum Religionis ordinasse. Si enim Dominus per has *Bases* nihil præclari & eximii figurare & docere voluerit Ecclesiam: quid opus fuit tam *insigni sculptura* eas ornare, & tantam iis dare *pulchritudinem* & MAGNIFICENTIAM, quantam Architectonices peritissimus Villalpandus [a] in iis agnoscit maximam? Quin imo quid opus fuisset, ut Scriptores Divini illarum Basium figuram tam accurate & graphice in minimis suis partibus depinxissent, eamque suam ichnographiam tanquam rem valde notabilem Ecclesiæ omnium temporum commendassent? Deus certe, ut Sapientissimus est, nihil *frustra* agit. Frustra autem quid egisset, si per rem pulcherrimam & ornatissimam rem aliam vilem atque ignobilem figurasset. Quod si jam per *Bases* Luterum vere quid excellens & præclarum figuratum sit: quare quid aliud & quid minus designatum esset, quam quod figuratum & significatum est per Basim Divini Throni, Ezechieli in Visione exhibitam?

Artificium in Basibus Luterum commendatur.

XXII. 2. Licet res distinctissimæ non tantum sed etiam diversissimæ videantur *Thronus Dei*, & *Labrum* aliquod *Atrii*: non est tamen difficile demonstratu ex analogia rerum spiritualium, *Basim* Divini Throni non posse esse aliam à *Basi* illius, quod per *Lute-*

Basis Divini Throni mystice eadem ac quæ Basis *Luterum*.

a d. l. p. 493.

Luteres sive *Labra Templi* figuratum est; ac proin hæc duo non tam esse diversa quam ad primam speciem videtur. Quis mihi Christianorum hominum, qui recte sentiunt de mysteriis nostræ Religionis, negaverit, Thronum Gratiæ, quem Deus in Christo Jesu Filio suo erexit sub OEconomia Nova, figuratum per magnificum illum Thronum Dei apud Ezechielem, ut ex sequentibus liquebit: quis mihi negaverit, inquam, Thronum illum Gratiæ sub OEconomia Nova esse fundatum super *Obedientia* illa, quam Christus Jesus Patri suo in acerbissimis angoribus & doloribus demonstravit; quę ipsa *obedientia*, quę *passiones Christi*, ut sermone Evangelii exponuntur, figuratæ fuerunt per *aquam illam*, quę in Atrio Templi in Luteribus est exposita. Per illam enim Christi Obedientiam, Passiones, & Mortem nobis peccatoribus impetratum est excellens illud Beneficium Gratiæ, quod Scriptura vocat *ἁγιασμὸν Sanctificationem*, & *Ablutionem à Peccatis*. Per quam eandem obedientiam & passiones cum Christus Dominus sibi paraverit *Regnum illud*, cujus typus Ezechieli in Visione est exhibitus; quis nunc amplius miretur, utrique illi typo eandem dari basim? Imo quod plus est: Administratio Regni illius Divini & Cœlestis, quod Ezechieli in typo ostensum est, maximam partem consistit in dispensatione illius Gratiæ, quę per Aquam Maris Ænei & Luterum in Atrio significata fuit. Regnat enim præcipue Christus inter homines per Spiritum suum, illorum affectus virtute obedientiæ & mortis ipsius emendantem & purgantem. Id ipsum vero per Luteres Atrii figuratum est. Unde nemo non facile videt, easdem *Bases* commode supponi potuisse *Throno Dei*, in typo repræsentando, quæ cum respectu ad idem mysterium figurate suppositæ fuerunt *Luteribus Sacerdotalibus*.

Scrupulus, qui assensum hic prohibere posset, eximitur.

XXIII. Quibus nunc tandem adjicio, non posse nos errare in hac comparatione instituenda, quia, quomodocunque etiam res accipiatur, semper certum & extra dubitationem positum erit, *Cherubinos* & *Rotas* tam fuisse *Bases Luterum*, quam *Throni Dei*, in typo repræsentati. Idem enim Verbum Dei, quod nos docet, *Cherubinos* & *Rotas* fuisse *Basim Regni Dei* apud Ezechielem: nos docet, *Cherubinos* & *Rotas* fuisse *Basim Luterum*. Quodsi jam *Luteres* & *Regnum Dei* res adeo essent diversæ & sibi nequa-

nequaquam cognatæ, ut ad primam speciem videri posset: quis credat, Deum illis mystice easdem daturum esse *Bases*? Quid? Nonne *Luteres* in Atrio idem figurarunt quod *Mare æneum*? Mari æneo vero nonne subjecti fuerunt *Duodecim Boves*? *Duodecim* illi *Boves* an non idem significarunt quod *Cherubini*, suppositi Throno Dei, qui nimirum Cherubini à sua cum Bobus similitudine כרובים *Boves* dicuntur? Quid itaque absurdi in eo inest, si, Spiritu Sancto ipso ducente & præeunte, iisdem rebus easdem aptemus figuras, & sibi cognata & similia esse dicamus, quę ipse Spiritus, optimus veritatis Doctor, sibi similia esse, luculenter docet? Totum Templum cum omnibus Antiquæ Religionis Instrumentis figuravit Regnum Christi & Beneficia, quę subditis illius Regni per communionem, quam habent cum Rege suo, obtingunt. Ne miremur itaque amplius, Throno Dei typico easdem dari *Bases*, quę aptatæ fuerunt Vasis Templi, cum in utraque illa re fuerit quoddam repræsentamen *Regni Christi*.

XXIV. Est tamen aliud quid, quod Pradus, fœcundi ingenii & præclaræ eruditionis Interpres, huc adduxit; quod si tam certa niteretur hypothesi, quam majestati rerum ab Ezechiele visarum bene congruit, absque omni dubitatione priori huic nostræ meditationi præferri deberet. Supponit Pradus[a], Ezechielem Prophetam *vidisse carrucam, quatuor rotis instructam, in qua Dominus vehebatur; similem per omnia carrucis aut curribus, quibus equitare solebant Reges Ægypti & Syriæ.* quod posterius tamen, secundum ipsum quoque Pradum, sano sensu accipiendum est, ut ex sequentibus liquebit. Certum quoque habet, hac Visione ad instrumentum aliquod sive ἱερόγλυφον antiquæ Religionis in Templo allusum esse. Allusum autem esse putat ad *Thronum Dei*, qui in Adyto Templi incubuit *Cherubinis Arca*. cujusmodi Cherubini in Adyto Templi fuerunt *quatuor*, duobus nimirum totum Sanctuarium alis suis inumbrantibus; quod opus fuit Salomonis Regis: præter duos illos alios, qui super Propitiatorio Arcæ recubuerunt. Habet itaque Pradus hic *quatuor Cherubinos*, qui expansis alis cum Arca quasi conficiunt Basim Divini Throni. Quod si *Rota* nunc adessent, omnia sibi egre-

Pradi propior meditatio, Visum hoc explicantis ex figura Arcæ, & cognatis Adyti.

a Com. de prima Vis. Ezech. Part. 1, Sect. 1.

Supponit Arcæ ſubfuiſſe Rotas.

egregie viderentur conſtare. Hanc itaque in rem ſcite à Prado obſervatum eſt, *Arca*, & proin ipſis quoque *Cherubinis*, ſuper Arca recumbentibus, à Salomone ornatus cauſſa ſubjectum fuiſſe quoddam veluti *Plauſtrum*, *Rotis quatuor* inſtructum, ex auro confectum, cui *Arca*, honoris cauſſa, impoſita fuerit. *Obſervandum eſt*, inquit[a], ARCAM TESTIMONII *à Moſe non aliter fuiſſe conſtructam*, *quam* LECTICAM TECTAM CUM SELLA. *nam Cherubini aurei à lateribus Arca ſtantes manibus ſuſtinebant Propitiatorium*, *quod erat quaſi ſcabellum Dei.* ALIS VERO BINIS INVICEM PROTENSIS ET CONTEXTIS QUASI SOLIUM FORMABANT SUPRA IPSUM PROPITIATORIUM, *in quo Deus reſidere dignatus eſt & reſponſa dare.* De *Vehiculo* vero ſive *Plauſtro Arca* in hunc modum in ſequentibus: *Habebat itaque* ARCA FOEDERIS (ut erat in Tabernaculo:) *tabulam ſub ſe*, *cui incruſtata erant quaterna vola*, *vel quaterni pedes*, *quibus à terra elevata erat. ejus itaque menſa loco Salomo* VEHICULUM *videtur feciſſe ex auro inſtructum*, *vel pedibus vel* ROTIS, *cui Arcam imponeret cum dignitate.*

Sed quæ hypotheſis ægre probatur.

XXV. Eleganter hæc à Prado cogitata quis negat? Omnia ſane & integre ſe haberent, ſi Pradus hypotheſin de *Plauſtro* ſive *Vehiculo Arca* idoneis argumentis poſſet adſtruere. Nihil de eo legitur apud Moſen; nihil in Libris Regum & Chronicorum; nihil, quantum mihi conſtat, apud Joſephum[b]; eo ſaltem loco, ubi Arcam deſcribit. Probabile tamen facere nititur Pradus, quod certis teſtimoniis evincere non poteſt, conjecturis. *Indecens erat*, inquit, *ut Gloria Dei humi reperet*, *cum cætera Utenſilia*, *Candelabrum ſcilicet*, *Menſa Panum*, *& Altare utrumque pedes ſub ſe haberent aut Baſes*, *ne pavimentum tangerent.* Imo vero & aliis Doctiſſimis Viris veriſimile videtur, *Arcam*, Sacratiſſimum antiquæ Religionis inſtrumentum, ſcabello aut tabulæ alicui, non autem nude fuiſſe impoſitam humo. Vehementer tamen dubito, an Pradus id ex analogia reliquorum Tabernaculi Inſtrumentorum probare poſſit. Etſi enim quædam inter illa ſuos habuerint *Pedes*, ſive *Baſes:* non fuerunt tamen illæ *Baſes* ab ipſis illis Inſtrumentis diſtinctæ, ſed eorum conſtituerunt partem. quod tamen, ſecundum ipſum quoque Pradum, niſi fallor, ſecus ſe habuiſſet in ipſo *Plauſtro*, ſive *Vehiculo*

a Com. de prima Viſ. Sect. IV. b Antiq. Jud Lib. III. Cap. VI.

culo Arcæ. Quærit equidem præterea Pradus præsidium pro sua sententia ex ipso textu Mosis in Libro Exodi, ubi Arcæ adscribuntur פעמת: quam vocem licet Interpretes vulgo per *Angulos* reddant, ipse commodius transponi putat *per pedes* sive *Bases*. Verba habent [a]: *Et fundes ei quatuor annulos aureos*, ויצקת לו ארבע טבעת זהב ונתתה על ארבע פעמתיו *& pones* (secundum:) *super* QUATUOR PEDIBUS EJUS. Dubium tamen vel maxime, an vox פעמת hic non potius vertenda sit per *Angulos*, sive *extremas partes laterum Arcæ*, ut vulgo fit ab Interpretibus. congruentius enim multo videtur, *Annulos*, quibus inserendi sint vectes, Arcæ aptare ad *Latera*, quam ad *Basin*. Observat equidem Pradus, פעם in Scriptis Sacris aliquando *Pedem* significare [b]: sed illa vox alias quoque admittit significationes; & eadem saltem non est cum פעמת. Utique, cum tota Arcæ forma in omnibus suis partibus quam accuratissime à Mose sit descripta, mirandum videtur, hanc Tabulam cum Pedibus, illi subjectis, apud Mosen prorsus non memorari. Præterquam, quod si Pedes aut Bases aliquæ Arcæ subjectæ his verbis notentur: hactenus tamen non appareant *Rotæ* illæ, quas Pradus in Visione Ezechielis ad hoc exemplar expressas fuisse supponit. An Mosis Rotarum, etiam meminerit? Vox פעמים apud Mosem.

XXVI. Pro *Plaustro* autem sive *Vehiculo*, quod majoris ornatus caussa à Salomone in usum Arcæ confectum eidemque suppositum esset: etsi nequaquam sit improbabilis sententia: nihil tamen quicquam aliud à Prado producitur ex Sacris Literis præter locum, qui extat in *priore Libro Chronicorum*. Dicitur ibi, Davidem Salomoni appendisse aurum, quo opus haberet ad conficienda omnia Templi ab ipso ædificandi Instrumenta: inter alia autem [c], ולתבנית המרכבה הכרבים זהב לפרשים וסככים על ארון ברית יהוה *ad formam* CURRUS CHERUBINORUM AUREORUM, *qui expansis alis quasi incubarent Arcæ Fœderis Domini*. Ubi *Currus* est, inquit Pradus; concipiendæ sunt *Rotæ*, quæ Currum, sive Vehiculum, sustineant. *Currus* enim supponit *Rotas*. Nec tamen tanta in hoc argumento inest vis, quanta species. מרכבה sane apud Hebræos notat *omne Instrumentum*, *quo quis vehitur*, *qualecumque illud sit*. Quandoquidem vero Deus *vehi* dicitur *Cherubinis*, An in Templo Salomonis suppositum fuerit Arcæ plaustrum cum Rotis? Locus 1 Chron. xxviii. 18. Sed qui aliam patitur interpretationem.

a Exod. xxv. 12. b Jud. v. 28. 2 Reg. xix. 24. c 1 Chron. xxviii. 18.

rubinis, & inter Cherubinos habitare: hinc ipsi *Cherubini*, soli etiam & absque Rotis, dici possunt מרכבה Vehiculum Dei. nec dici tantum possunt, sed vere ita dici putem in hoc ipso loco. Ipsi, inquam, illi duo Cherubini, quos Salomo eleganti artificio & magno pretio parari jussit in Adyto Templi, hic dicuntur מרכבה / tanquam qui solium Divinæ Majestatis, super illos recubituræ, sustinerent. Habet tamen hypothesis Pradi majorem qua se commendet probabilitatem, quam ut illam cum fiducia ausim repellere. Ergo potius id certum habeamus cum Prado, quod in hac Visione Ezechielis ad ἱερόγλυφον aliquod antiquæ Religionis in Templo allusum sit: sed an magis ad Basin Divini Throni in Sancto, quam ad Bases Luterum in Atrio, respectum sit, quia obscurius est, in incerto relinquamus. Ad alterutrum saltem horum allusum esse, nequaquam dubito.

Quo modo intelligendum, quod Propheta *rotam* viderit in *medio Rotæ*?

XXVII. Hactenus itaque omnia satis recte se videntur habere, & quę nos in principio morabantur difficultates, non incommode sublatæ: nisi tamen quod unum adhuc sit in hac Visione, quod vel non satis adhuc expeditum est, vel cujus ἀντίστοιχον saltem à nobis in Templo demonstrari non potest. *Rotas* vidit Ezechiel, *Basi* alicui junctas & immissas, ut Rotæ Plaustrorum Tabulis jungi solent. Super Basi illa vidit *Cherubinos*, Rotis arcte adjunctos, ipsum illum *Currum* conficientes, qui Rotis suffultus & subnixus est. Nihil in eo nunc non clarum satis & perspicuum. Sed singulare illud prorsus est quod Propheta *Rotam* vidisse dicatur *in medio Rotæ*. *Opus*, inquit Propheta [a], *earum* כאשר יהיה האופן בתוך האופן *tanquam* si esset Rota in medio Rotæ. Quod idem in altera hujus Visionis descriptione repetitur.

Simplex sensus verborum.

Verba hæc, simpliciter accepta, hunc dant sensum, quod *Rotæ*, Cherubinis suppositæ, non fuerint *unius circuli*: ut solent esse ordinariæ Curruum Rotæ: sed quod duplicatæ fuerint, & duos, altera alteri inserta eamque decussatim ad rectas lineas secante, descripserint circulos. Sic Castalio, sic pariter ὁ πάνυ Coccejus has Rotas depinxerunt.

Pradi meditatio.

Pradus tamen, qui nihil in hac Visione se deprehendere debere putavit, cujus protomodulum non posset ostendere in Templo, longe aliter hic instituit. Per *Rotam*, quę est *in medio Rotæ*, intelligi autumat *medio-*

a Ezech. x. 10.

diolum, in quem *radii*, inde ad *canthos* quaquavorſum tendentes, veluti in centrum ſuum concurrunt. quando certe in his Rotis nihil novum & ſingulare eſſet. ROTAM, inquit, DESCRIBIT CURRUS, *in qua eſt modiolus in medio radiorum, qui ab ipſo procedunt ad canthos*; ROTAMQUE VOCAT IN MEDIO ROTÆ IPSUM MODIOLUM, *qui eſt in medio radiorum & canthorum*. Verum ut ut hic ingenium Pradi quemadmodum in ceteris laudo: non probo tamen judicium. Primo enim *Modiolus Radiorum* non eſt *Rota*; nec proin veriſimile eſt, Prophetam eadem notione *Modiolum* deſignare voluiſſe, qua *Rotam*: Dein, Propheta, Rotas haſce deſcribens, non obſcure ſignificat, novum quid & inexſpectatum eſſe, quod in his Rotis deprehendit: fuiſſe nimirum illas eum in modum factas acſi Rota una alteri implicita fuerit eamque decuſſatim quaſi ad lineas rectas ſecuerit. In *Modiolis* vero Rotarum nihil novum & inauditum eſt. Accedit, quod præcipuum mihi adverſus hanc ſententiam argumentum eſt, quod *ſequentia contextus verba* cum expoſitione illa Pradi nequaquam conciliari poſſint. Prædicatur in illis, *Rotas iviſſe* ſuper *quatuor extremas ſuas partes*, & *eundo ſe non convertiſſe*. quod certe de *Rotis* intelligi vel prædicari nequit, niſi *quatuor* concipiantur *habuiſſe latera*, ſive potius *terga* aut *extremitates*, quę reſpexerint ad *quatuor plagas cœli*. Verba ſunt [a]: על ארבעת רבעיהם בלכתם ילכו Quæ οἱ LXX omnium forte Interpretum cum Belgis noſtris optime tranſpoſuerunt: ἐπὶ τὰ τέσσαρα μέρη αὐτῶν ἐπορεύοντο. Als ſy gingen/ ſy gingen op hare vier zijden. *Cum incederent incedebant quatuor ſuis lateribus*, ſive *tergis exterioribus*. Hieronymus: *Per quatuor partes earum euntes ibant.* Caſtalio: *Euntes in quatuor ſui quadrimpartes tendebant.* Junius: *Ita ut in quatuor partes ſuas euntibus illis irent.* Coccejus: *Ad quatuor regiones ſuas cum irent, ibant.* Certum habeo, dicere voluiſſe Prophetam, Rotas ita fuiſſe compoſitas, ut moveri potuerint ad *quatuor plagas cœli*, abſque quo *currus*, qui *quadratus* erat, neceſſe habuerit circumagi & converti ad illam cœli plagam, in quam moveretur. quod utique de hoc *Curru* omnino concipi non poteſt niſi *Rotas* quatuor habuerit *duplices*. Noſtra enim Plauſtra, quę *ſimplices* habent Rotas, ad duas quidem cœli plagas, quibus Rotæ oppoſitæ

Quæ improbatur ob varias rationes.

Verba verſ. 17. ei obſtant.

Senſus Prophetæ.

VVVVV 2 ſunt,

a Verſ. 17.

sunt, moveri possunt absque quo opus habeant converti & circumagi; sed *ad duas alias regiones cœli*, quas sibi ab utroque latere habent, æque moveri non possunt nisi circumagantur & ad illas convertantur. Pradus quidem, qui vix unquam ab ingenio suo destituitur, verba hæc secundum hypothesin suam sic interpretatus est, acsi iis significaretur, *Rotas in quatuor vehiculi lateribus motu velocissimo motas & agitatas esse:* & sequentia verba; *Non convertebantur cum irent:* sic intelligi posse putat, quod Rotæ cum ad aliquam cœli plagam cum curru converterentur, non *retrocesserint*; vel, quod Rotæ *non voluta*, *circinata*, aut *in orbem acta sint*, *sed instar animalium recta processerint.* Sed posterius hoc non placet, quia incurrit in usum Rotarum; & prius illud, quod Pradus sibi finxit, nihil habet μυςηριῶδες: cum tamen in his verbis singulare quid & ἱερόγλυφον tradi, clarum sit. Non cogitavit Pradus, magnum in hac Visione mysterium esse, quod *Animantes* & *Rota* sic visæ sint ab Ezechiele, ut quatuor singulæ habuerint latera, opposita quatuor cœli regionibus, & simul ad illas quatuor cœli regiones potuerint moveri, absque quo necesse haberent se convertere & circumagere, ut homines & plaustra communia solent, quando cum ad unam cœli plagam moti fuerint, se convertunt ad aliam vel oppositam. Hanc ob caussam Animantes & Rotæ sibi ad quatuor latera illa sua in omnibus fuerunt similes; & Animantes habuerunt *Plantam Pedem Vitulinorum*, quippe quę rotunda & sibi ab omni parte similis est: cum pes humanus in longum porrectus & certæ semper regioni cœli sit oppositus, à qua si homo se convertere velit, necesse habet pede suo circumagi. Hoc mysterium singulare est & animadversione dignissimum: quod Rotas non simplices sed duplices, quales Coccejus & Castalio pinxerunt, supponit.

Pradi novum effugium.

Sed quod refellitur.

Rotæ fuerunt non simplices, sed duplices.

Caput II.

Ipsum indagatur mysterium, *quod Deus sub emblemate* Animantium & Rotarum *apud Ezechielem intellectum voluit: quæ cum in hac Visione occurrant ut* Instrumenta, *Throno Dei supposita, eumque fulcientia & quaquavorsum circumferentia, colligitur, per* Animantes & Rotas *præcipue hic designari* Ministros *tam* Extraordinarios *quam* Ordinarios, *quorum opera Deus utitur in* Regno Gratiæ *stabiliendo & promovendo sub OEconomia Novi Fœderis. Sententia illa adstruitur, atque illustratur; simul Celebriorum Doctorum Judæorum & Christianorum mysticæ Interpretationes hujus emblematis discutiuntur atque examinantur.*

Singula autem, quę hactenus ad Literam, quę dicitur, hujus Visionis illustrandam attulimus, ducent nos in cognitionem Mysterii, quod sub litera hac reconditum esse, omnium temporum & Gentium Interpretes viderunt & agnoverunt, etiamsi sententiis discrepent ut qui maxime.

Investigandum sumitur mysterium hujus Visi.

II. Abarbanel in *Prolegomenis Commentariorum suorum in hunc Prophetam* observat, tres diversas apud Doctores suæ Gentis iniri vias, quibus hoc mysterium exponant. Primam ait esse per *Traditionem*, (קבלה) à priscis Sapientibus acceptam, quę statuit, שהחיות הם משל למלאכים רוחניים העומדים בבית השם שכלים נבדלים מכל גשמות משרתיו עושי רצונו והאופנים הם ג״כ שכלים נבדלים אבל הם כפי דעת אחר למעלה במדרגה מחיות הקדש וכפי דעת אחרת הם במדרגה למטה מהחיות כמו שאמר כי רוח החיה באופנים ואמר בלכתם ילכו כי הנה היו השכלים הנבדלים רבים וממדרגות מתחלפות כמו שאמר דניאל וכו׳ *Per* Animantia *significari Angelos spirituales, stantes in Domo Dei, intelligentias puras ab omni corporea materia separatas, Ministros Dei & jussa ipsius facientes. per* Rotas *vero etiam notari Intelligentias à materia corporea separatas; sed quæ secundum quorundam sententiam gradu (excellentiæ) Animantibus illis Sanctis superiores sunt,*

Abarbanel tres diversas recenset Doctorum suæ Gentis sententias.

Prima est Veteris Scholæ, quæ hic intelligit *Angelos & Intelligentias separatas.*

ſed ſecundum alios gradu inferiores Animantibus Sanctis, quemadmodum dicitur: Spiritus animalium erat in Rotis. *Nec non:* Quando ipſa ibant, ibant pariter & Rotæ. *Sunt enim Intelligentiæ à corporea materia ſeparatæ multæ, & quidem differentium graduum excellentiæ; quemadmodum apud Danielem dicitur* [a]. Millena millia ſerviunt ipſi, &c. Quam ſententiam Abarbanel eruit tum ex antiquiſſimis Precibus Synagogæ, tum etiam ex Capitulis Eliezeris. Eliezer vero, cujus inter priſcos Synagogæ Doctores non exigua auctoritas eſt, omnes Angelos diſpeſcit in *quatuor claſſes*, quæ ſingulæ ſuum habeant Principem ad exemplum Exercitus Populi Judaici in Deſerto. Primæ Claſſi præfectum eſſe vult Michaelem, Secundæ Gabrielem, Tertiæ Urielem, Quartæ Raphaelem. quas itaque quatuor Claſſes cum ſuis illis Principibus per Quatuor haſce Animantes veluti in typo propoſitas eſſe, Eliezerem arbitrari Abarbanel auctor eſt, & quæ ſuperſunt hujus Doctoris ἀποφθέγματα [b] fidem faciunt.

Angeli omnes ſtatuebantur à Vett. Doctoribus ſubeſſe *Quatuor Archangelis.*

III. Secundum locum dat Abarbanel Maimonidi, qui, principiis Philoſophiæ Peripateticæ imbutus, lucem huic Viſioni ex illa ipſa Philoſophia conciliare ſategit: etſi in *ſeptem Capitibus tertii Libri More Nevochim*, in quibus data opera hanc materiam tractat, tam implicite & obſcure de myſtico ſenſu hujus noſtræ Viſionis loquatur, ut nullibi mentem ſuam, quantum vidi, clare ediſſeruerit. Quodſi tamen cum iis comparentur quæ diſputaverat in *Libro Secundo* de *Cæleſtibus Orbibus Animantis* & *Materia prima*, videbimus facile quo tendat. Abarbanel: והדרך השני חדשו הרב המורה מחכמתו והתפלספתו וכתב שהנביא ראה שלוש השגות חלוקות ושלכן אמר במראה שלש פעמים ואראה ואומר הרב שהיו הארבע חיות משל לגרמים השמימיים ולהיותם חיים משכילים אמר בהם דמות אדם להנה והשנית וכו'
Secundus autem modus hujus Viſionis exponendæ auctorem habet Maimonidem, qui illum petiit ex Philoſophia ſua. Obſervavit itaque ille, Prophetam in hac Viſione habuiſſe tres diverſas Apprehenſiones, & propterea ter in hac Viſione repeti illud: Et vidi. *Prima Apprehenſio verſatur* circa Animantes, *ſecundum id quod dicitur:* Et ecce tempeſtas ex Septentrione, &c. & ex medio illius ſpecies quatuor Animalium. *Statuit Maimonides, quatuor Animalia ſymbola eſſe*

Altera eſt ſententia Maimonidis, quæ hoc Viſum refert ad phyſicam Mundi OEconomiam.

a Dan. VII. X. b In Pirke Cap. IV.

esse quatuor Corporum Cœlestium; quæ Corpora Sphærarum cœlestium cum vere sint Animantes, ratione prædita, dicitur in textu, quod formam habuerint hominis. Secunda est Apprehensio Rotarum, *de qua in textu dicitur:* Et videbam Animantes, & ecce Rota quædam erat in terra, &c. *Existimat vero excellens Doctor noster, Rotam illam unam, quæ primo memoratur, designare materiam primam: & quatuor Rotas esse symbolum quatuor Elementorum simplicium, quibus materia prima conjuncta est. Apprehensio autem tertia versatur circa* Chasmal, *quemadmodum dicitur:* Et vidi tanquam colorem Chasmal. *Putavit autem ὁ Μέγας, dictum hoc esse de existentia Intelligentiarum à materia omni separatarum,* hoc est, Angelorum. Docet nimirum Maimonides in *Libro Secundo*, qui *Doctor Perplexorum* dicitur [a], quatuor esse Orbes stellatos intellectu præditos: illis respondere quatuor Elementa: Orbes illos quatuor distinctis Virtutibus in Elementa illa influere: His vero Elementis & Sphæris Cœlestibus superiores esse Intelligentias separatas, apud Ezechielem per Chasmalem notatas. Deus influit in Intelligentias separatas; Illæ in Sphæras Cœlestes; hæ vicissim in Elementa quatuor per quatuor Virtutes distinctas. En magnum illud arcanum, quod Maimonides hac Visione reconditum esse credidit! Deus nimirum Populum Judaicum jam tum docere voluit principia Physices Aristotelicæ, magnam partem absurda & vero contraria! Quanti est sapere! Ex ipso Maimonide illustrata.

IV. Tertia sententia, quam Abarbanel recenset, Visionem hanc exponit de *Quatuor* quę dicuntur *Monarchiis*, sive *Majoribus Imperiis*, quæ in Mundo oritura & sibi successura essent, Babylonico, Persico, Græco, & Romano: & quidem per *Rotas* intelligit ipsa hæc *quatuor Imperia Majora*, & per *Animantes* horum Imperiorum *Præfectos*, ut ipse vocat, *Superiores*, hoc est, Spiritus Cœlestes, influxu suo in Regna illa & eorum Reges sive Imperatores, clavum illorum Regnorum tenentes. לרמוז ארבעה שרים , inquit / הארבע חיות וראה עליונים שיהיו מושלים ומשפיעים על ארבעה מלכיות שיהיו בעולם מושלים בכפה שהם שר מלכות בבל ושר מלכות פרס ושר כלכות יון ושר מלכות רומי שיהיו כלם שרים לישראל וכו' *Vidit autem* Quatuor Animantes *symbolicas figuras* Quatuor Principum Superiorum, *qui influxu suo in Quatuor illa Regna majo-*

Tertia sententia Visum hoc exponit prophetice de *Quatuor Monarchiis*, sibi in Oeconomia Mundi successuris: quæ exponitur.

a Cap. x. xi.

majora, quæ ſucceſſive in mundo extitura eſſent, imperium in iis obtinerent: Principis nimirum Imperii BABYLONICI, PERSICI, GRÆCI, *&* ROMANI, *quibus omnibus ſubfuerunt Iſraëlitæ.* Etiamſi vero attributa harum *Animantium* apud Ezechielem in ſequentibus transferantur ad ipſos illos *Principes* ſive Imperatores, qui his Imperiis vere præfuerunt, Nebucadnezarem, puta, Reges Perſiæ, Alexandrum, & Imperatores Romanos: ipſi tamen hi Reges & Imperatores proprie per Animantes non intelliguntur ex hac hypotheſi, ſed *Spiritus cœleſtes*, qui in hos Principes influunt; & per ipſos clavum horum Imperiorum moderantur. Sic enim ipſe clarius & expreſſius in ſequentibus: וכל זה שזכר הנביא בחיות היה משל לשרים העליונים שימשלו על ארבעה המלכיות ברקיע כי יש לכל אומה ואומה שר ומזל מיוחד בשמים וכו׳ *Omne autem illud quod Propheta habet de Animantibus ſymbolice accipiendum eſt de Principibus ſuperioribus, qui in Expanſo Cælorum ſummum in quatuor Regna Majora exercent Dominium. Habet enim quiſque populus ſuum Principem & ſidus in cœlis, ut Aſtrologi conſentiunt, & Lex ipſa Divina confirmat, &c.* De ROTIS vero in ſequentibus in hunc modum: אחר כך ראה הנביא ארבעה אופנים בארץ שהם משל ורמז לארבע המלכיות שיהיו על פני האדמה מושפעות מאותם השרים *Poſt hæc vidit Propheta* QUATUOR ROTAS *in terra, quæ ſymbolice figurant quatuor Regna majora, extitura in terris, influxum horum Principum recipientia.* Sententia eſt Kimchii: unde illam quoque adoptavit Liranus. Tantum de Judæis †.

Chriſtianorum Int. ſententiæ.

V. Chriſtiani vero Interpretes longe adhuc majora hic faciunt ſententiarum divortia, quarum præcipuas in compendium relatas videre licet apud Hieronymum [a], Calvinum, & Pradum [b]. Pleræque ejus ſunt generis ut commemorari non mereantur. Illas itaque paucas tantum recenſebimus, quæ probabilitatis aliquam ſpeciem præferunt.

VI. Pru-

a Com. in h. l. b Com. de Prima Viſ. Part. 11. Sect. 1.

† Abarbanel hanc ſententiam ſtudioſe & prolixe adeo recenſet, ut ſuam facere videatur; fecerantque longi ejus logi, cum alias *trium* tantum *ſententiarum* de hoc Viſo faciat mentionem, eaſque ordine recenſeat, ut hic in lectione ſubſtiterim, ſuperioribus non abſque quodam faſtidii ſenſu percenſitis, &, quantum ad rem meam faciebat, excer-

VI. Prudentiores inter Christianos consentiunt, designari hac Visione Providentiam Dei in hisce inferioribus administrandis. *Regnum* enim Dei, quod Propheta in typo vidit, necessario explicandum erit per Providentiam, qua Deus ut Rector Mundi inferiora omnia pro Numine & nutu suo gubernat. Quod Regnum cum duplex sit, Naturæ nimirum vel Gratiæ: Alii in genere hanc Visionem referunt ad Providentiam, qua Deus res omnes Mundanas administrat, Alii ad curam, qua versatur circa Ecclesiam.

Communis sententia, mystice hic describi Regnum Divinæ Providentiæ.

VII. Priorem sententiam inter Veteres amplexi sunt Apollinaris[a], Polychronius, & Scholiastes quidam Anonymus: inter Recentiores Calvinus, A Lapide, Junius, Belgæ Interpretes, Diodati, Launæus, Bochartus, aliique[b]. Qui fere omnes in eo inter se consentiunt, quod per *quatuor Animantes* symbolice figurentur *Exercitus Spirituum Cœlestium*, quorum ministerio Deus in Decretis suis inter homines exequendis utitur: per *Rotas* vero *Revolutiones* majores Rerum Mundi & Ecclesiæ, quæ per hos Dei Ministros secundum statuta & jussa Divinæ Voluntatis accidunt. nisi quod Launæus, quem Bochartus sequitur, per *quatuor* hæc *Animalia* potius intellectos velit *quatuor Archangelos*, qui *ceteris Angelis præfecti sint & eorum unicuique pensum suum assignent*. Quæ sententia proxime ad illam accedit antiquorum Judæorum, quam modo ex Abarbanele referebamus.

Quorum alii hoc Visum referunt ad *Regnum Naturæ*.

Xxxxx VIII.

a Apud Præd. d. l. b Apud Bochart. de Anim. Sacr. Lib. III. Cap. VI.

excerptis. Et verum tamen est, illum sententiam deinceps suam ab his exponere distinctam, (Fol. 155. col. 3.) nempe per *Rotas* intelligi הגרמים השמימיים *Corpora cœlestia*, seu cum Genebrardo, *Caussas cœlestes* malis, quæ sunt in perpetuo motu instar *Rotarum*, ubi currus à jumentis trahitur; & per *Animalia* שכלים הנבדלים מניעי הגרמים השמימיים *Intelligentias separatas* à materia, *Caussas hasce cœlestes moventes* & agitantes. Observatum id, quod ad hanc Abarbenelis sententiam, distinctius, post meam hanc editam Commentationem, à Docto modestique ingenii Viro, Joh. Henrico Hottingero, Henr. ex Henr. Nepote, in *Discursu Gemarico* de *Opere Currus*, p. 47. cui meritam laudem hic absit negem aut invideam; quin fructum fœtumque bonæ mentis probo, si quisquam, laudoque, cum voto benedictionis Divinæ.

Alii ad Regnum Gratiæ.

VIII. Sed sunt etiam egregii Viri, qui hanc Visionem potissimum referendam esse arbitrantur ad *Regnum illud Gratiæ, quod Deus habet in Ecclesia*. Quorum catalogo adscribendi sunt Veteres Ecclesiæ Christianæ Doctores omnes, qui *quatuor Animantes* interpretati sunt de *quatuor Evangelistis*, ut fecerunt Irenæus, Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, aliique, Prado laudati: & Recentiores, Lutherus, Osiander, Pintus, Pradus, Coccejus: qui tamen in singularum partium expositione rursus variant. Dantur enim ex iis, qui per ANIMANTES intelligunt *Evangelistas* aut *Apostolos*, aut etiam *Attributa ipsius Redemptoris nostri Christi Jesu*, & per *Rotas* ipsam *Ecclesiam:* ut Pintus. Sunt, qui per Animantes designari putant QUATUOR ANGELOS TUTELARES *Populi Dei*, *Michaelem*, *Gabrielem*, *Raphaelem*, *Urielem*, sive *quatuor Dei Legatos*, *per quos Deus Ecclesiam suam illuminare*, *dirigere*, *atque excitare solet:* per *Rotas* vero *Ecclesiam* cum *ejus Præfectis*, quorum Paulus quatuor genera recenset, *Apostolos*, *Prophetas*, *Evangelistas*, & *Pastores:* quæ est Pradi sententia. Sunt denique qui per *Animantia* in genere intelligunt ipsam ECCLESIAM N. T. *à Deo vivificatam*, & per *Rotas* SANCTOS ANGELOS, Ecclesiæ ministeria sua exhibentes, *in quibus idem sit Spiritus*, *qui in Ecclesia*. quomodo meditationes suas de hoc argumento digessit Cl. Coccejus.

Variationes illorum in applicanda hypothesi.

Judicium de his Interpretationibus.

IX. Sunt certe inter has variantes Doctorum sententias aliquæ dignæ quæ expendantur. inprimis Pradi & Cocceji illæ, à quibus non admodum longe distamus. Nec patitur tamen instituti præsentis ratio singulas examinare. Ut itaque operas meas compendifaciam; simul certam præclaræ hujus Visionis exponendæ rationem demonstrem, *primo* dicam, quibus hypothesibus Doctorum Virorum jam commemoratis veram hujus Mysterii interpretationem superstruendam esse judicem: *Deinde* quid ex illis hypothesibus ad Visionem hanc secundum veram Sancti Spiritus mentem exponendam mihi colligendum videatur. quę meæ collectiones si forte discrepent à ratiociniis aliorum Doctorum Virorum, qui eadem ceteroquin principia mecum communia habent; lectoris erit arbitrari, quis ductum rationis in hoc negotio pressius sequutus sit.

Visum hoc

X. *Primo* itaque, cum sciri nequeat, quænam sint *Bases Regni*,

gni, nisi ipsum *Regnum* cognoscatur: illorum probo & laudo sententiam, qui Visionem hanc exposuerunt de *Providentia*, qua Deus versatur circa *Ecclesiam suam*, & speciatim de REGNO GRATIÆ, quod *Deus in Christo Jesu* erexit in OEconomia Nova, *typice* figurato per *Regnum*, quod Deus habuit inter Israëlitas sub OEconomia Vetere.

referendum videtur ad *Regnum Gratiæ*.

XI. Per *Thronum* igitur, cui Ezechiel vidit insidentem quendam humana specie Regem; cui supposita fuit hæc Basis Cherubum & Rotarum, primo intelligo *Regnum Gratiæ*, quod Deus habuit inter Israëlitas, tanquam typum *Regni* illius spiritualis & cœlestis, quod *Deus* aliquando erigeret in Christo Filio suo, sub OEconomia Nova: *Secundo* ipsum illud *Regnum OEconomiæ Novæ spirituale & cœleste*, quod *Pater per Filium suum* summa cum gloria & majestate administrat, Filio *sedente* in *Throno Patris sui*. Quod Regnum cum sit ἀντίτυπον prioris, ac proinde eo multo illustrius & excellentius: haud dubie præcipue hic à Spiritu Sancto intentum est. quod tamen ita intelligi velim, ut *Regnum typicum*, quod Deus habuit in Israële sub OEconomia Vetere, hic nequaquam excludam, ob clarissima argumenta in ipso Ezechielis textu. Duo illa Regna vere sunt ἀλλήλοις σύστοιχα. Alterum altero continetur. Prius figuram gessit posterioris. Posterius est complementum prioris.

Thronus Ezechieli visus quid figuraverit?

XII. Exhiberi hac Visione *Regnum Gratiæ*, quod fundatum est in sanguine Meditatoris Christi, hoc modo facile conficimus. 1. Negari non potest ab æquis & studiosis Divini Verbi Ruspatoribus, Thronum Dei, quem Ezechiel hoc loco vidit quatuor subnixum Cherubinis, eundem esse cum *Throno Dei*, quem vidit *Joannes* cum *quatuor Animantibus* ejusdem speciei ac fuerunt *Animantes Ezechielis*[a]. Si qui tamen inter Commentatores ingenio suo abutantur, ut hos Thronos sibi simillimos dissimiles facere studeant; nihil illi proficiunt. Res nimis est clara quam ut figmentis ingenii obscurari possit. Eadem utrobique est species rerum; eædem imagines. Eadem autem species rerum non potest diversa repræsentare. Quod si igitur nemo dubitet, quin per Thronum Dei apud Joannem symbolice figuratum sit *Regnum Gratiæ*, quod est *Regnum Patris in Filio per Spiritum* sub

Sententia illa variis rationibus adstruitur.

Thronus Dei apud Ezechielem, eadem res quæ apud Joannem.

Xxxxx 2 OEco-

a Apoc. IV. 1, 2, 3, 4.

OEconomia Nova: quid tergiverſamur idem illud *Regnum Chriſti Jeſu* agnoſcere in *Throno Dei* apud Ezechielem? 2. Non minus clarum eſt, *Thronum Dei*, qui Jeſaiæ conſpiciendus datus eſt [a], huic ipſi *Throno Ezechielis*, de quo nos diſputamus, reſpondere. Eadem rurſus eſt ſpecies, eadem imago. quod Veteres Synagogæ Doctores jam agnoviſſe, auctor eſt Maimonides [b]. Atqui Jeſaias vidit τὴν δόξαν τȣ̃ Χριςȣ̃ GLORIAM CHRISTI REGIS, teſte Joanne Apoſtolo [c]. 3. Quis mihi inficietur, *Thronum* illum, quo Deus apparuit ſuper Arca, figuram geſſiſſe τȣ̃ Θρόνȣ τῆς χάριτος, quem Paulus in OEconomia Nova inſideri ait [d] à Chriſto Rege & Pontifice? Atqui ſpecies Viſionis illa, qua Thronus conſpiciendus datus eſt Ezechieli, deſumpta eſt ab imagine *Throni* Dei in Templo: ut in ſuperioribus evictum. Ubi vero eadem ſunt rerum ſymbola, eædem imagines: quin res quoque ibi eædem figuratæ ſint, ambigendum non eſt.

Ut & apud Jeſaiam.

Thronus Dei ſupra Arcam ſymbolum fuit Throni Gratiæ.

XIII. Excludendum tamen hic non eſſe dixi *Regnum* illud, quod Deus habuit inter Iſraëlitas ſub OEconomia Vetere. & quidem ob has rationes. 1. Quia ad *Regnum* illud Dei, quod Ezechieli in Viſione exhibitum eſt, peculiari ratione refertur *ſubverſio Hieroſolymorum per Chaldæos* [e], quę abſque dubitatione effectus fuit Dei *Regis* Sancti & ſeveri Judicis Populi ſui Iſraëlis. *Ignis*, quo deſtructa ſunt Hieroſolyma, deſumptus eſt *ex medio Cherubum* & *Rotarum* [f], quibus Ezechiel ſuffultum vidit Thronum Domini. quod non ſatis intelligo niſi mihi liceat ſupponere, id quod per *Thronum*, *Cherubes*, & *Rotas* ſignificatum eſt, jam tum vere, licet in typo, extitiſſe. Quo & facit quod tota hujus Viſionis ſpecies nata ſit ex *tempeſtate*, in *Septentrionibus orta* [g]: quod omnino referendum videtur ad judicium Dei in Judæos, à Chaldæis ex Septentrione in ipſos devolvendum. Quod itaque judicium Dei in Judæos cum ſupponat cauſſam illo jam tempore extantem, quę cauſſa ponitur *Regnum Dei ſanctiſſimi*, quale in hac Viſione depingitur: neceſſe eſt illud *Regnum* jam tum extitiſſe. 2. Quia *Regnum* illud Dei, cujus imaginem Ezechiel vidit, manifeſto refertur ad illud Regnum, cujus typum

Et primo quidem loco hic ſpectatur Regnum Gratiæ typicum, quod Deus habuit ſub OEcon. Vetere.

Quæ hypotheſis ex Ezechiele adſtruitur.

a Jeſ. VI. 1, 2. b In More Part. III. Cap. VI. c Cap. XII. 41. d Heb. IV. 16. e Vide Cap. XLIII. 3. f Cap. X. 2. g Cap. I. 1.

pum Deus exhibuit in *Throno* illo suo, qui incubuit Arcæ. Thronum autem Dei, qui Arcæ incubuit, nemo exercitatior facile negabit primo considerandum esse tanquam symbolum *Regni* illius quod Deus habuit inter Israëlitas, solos electos in Populum Dei, præteritis aliis omnibus Gentibus per universum orbem terrarum. Ipsi erant in typo *Regnum Sacerdotale*. Deus illorum *Rex*; qui inter ipsos *Thronum suum* habuit, unde tanquam Rex & Judex Rempublicam ipsorum sancte administravit. Hoc idem Regnum vidit Ezechiel; vere quidem tum temporis extans; typum tamen melioris & Præstantioris.

XIV. Primæ huic hypothesi, meo judicio rite demonstratæ, adjungo *Alteram*: Per *Animantia & Rotas* intelligenda esse *Instrumenta*, quibus Regnum Dei innititur, & per quę Regnum Dei promovetur. *Animantia* enim & *Rota* duplicem hanc habuerunt σχέσιν ad Basin Throni Divini, cui supposita fuerunt. Fulserunt Divinum illum Thronum, & simul illi subservierunt ut Instrumenta, per quę Thronus ille loco moveri atque adeo Regnum illud Dei promoveri potuit. *Currus* utique, cujus speciem Ezechiel hic vidit, est instrumentum, quo Rex cum gloria & majestate nititur, & per quod, sive in Bello sive extra Bellum, majestatem suam pluribus Gentibus conspiciendam præbet, ut ne Romanorum quidem potentioribus insolens fuit *aureis* vehi *carrucis* [a]. *Mystica significatio Animantium & Rotarum.* *Sunt Instrumenta Divinæ Providentiæ, Ministri Regni.*

XV. Et quidem (quę *tertia* sit hypothesis nostra:) Per *Animantia* & *Rotas* intelligenda esse *Instrumenta Divini Regni promovendi, prædita ratione*. De *Animantibus* certe nullum potest esse dubium. De *Rotis* idem clare constat ex Ezechiele [b], 1. Quia *Spiritus Animantium* dicitur fuisse in *Rotis*: quod utique non convenit aliis suppositis quam Intelligentibus. 2. Quia ipsæ dicuntur *oculos habuiße* [c]: quod nihil minus significare potest, quam perspicaciam intelligendi in iis subjectis, quæ per Rotas symbolice figurata sunt. Ne dicam, quę apud Ezechielem prædicantur de Rotarum illarum *terribili aspectu* & *motu*, nos ducere ad cogitandum de ζώοις λογικοῖς. *Et quidem Instrumenta Rationalia.* *Quod adstruitur.*

XVI. Quæ hypotheses si certæ sint & solide demonstratæ, ut arbitror; nihil superesse videtur, quam ut *Animantes* & *Rotas* *Consequens ex his hypothesibus educ.*

Xxxxx 3 tran-

a Apud Martial. Epig. LXI. Lib. III. b Ezech. I. 21. c Vers. 18.

ctum, intelligi *Ministros* per quos Deus Regnum suum inter homines promovet.

transferamus ad illa *subjecta*, quæ tam ex fidei nostræ analogia quam ex experientia constat Deo tanquam Instrumenta subservire in *Regno ipsius promovendo*, & quibus proin hac ipsa de caussa *Regnum Dei* dici potest inniti. Quæ Instrumenta cum constet esse *Ministros*, quos Deus in Vetere & Nova OEconomia adhibet ad Regnum suum inter homines conservandum, promovendum, & propagandum; qui itaque tam sunt illius Regni Fulcimenta quam Vehicula: simplicissimum & facillimum videtur, *hos* ipsos Dei *Ministros* tanquam Bases, Fulcimenta, & Vehicula Regni Dei sub spirituali symbolo *Animantium* & *Rotarum* intelligere.

Unde evincitur, per *Animantes* non intelligi totam Ecclesiam electorum. Sententia Cocceji, & aliorum plurimum, sed quæ improbatur, ob varias rationes, ex Visis Ezech. & Joan. desumptas.

XVII. Unde jam, antequam latius declarem, cujus generis illi sint *Ministri Dei*, qui per *Cherubes* & *Rotas* hic designentur, hoc mihi ἐν παρόδῳ videor ducere posse consectarium; per *Animantia* sive *Cherubes* in hac Visione intelligendam non esse *totam Ecclesiam electorum*. quæ est sententia Cocceji, Hofmanni, & aliorum plurium. Ponderentur sequentes rationes. 1. De omnibus quotquot sunt *electis credentibus* in Christo dici minime potest, illos Deo singularem operam præstare in *Regno* ipsius *promovendo*. 2. Excellentes illæ Virtutes claræ scientiæ viarum Dei, sapientiæ, perspicacitatis, mansuetudinis, clementiæ, puritatis, sanctimoniæ, constantiæ, & adsiduitatis in opere bono, generositatis in mundo contemnendo, fortitudinis in mundo oppugnando & debellando, quæ symbolo harum *Animantium* figuratæ sunt, in omnibus Credentibus non insunt: imo vero insunt in paucissimis. Principia & radices harum Virtutum, fateor, in vere Regenitis omnibus reperiri debent: sed *Animantia* manifesto designant subjecta, in quibus hæ Virtutes insunt in eminentissimo gradu. 3. *Thronus Dei* cum suis *Basibus* & *Fulcimentis* distinguendus est à *Populo*, in quem Deus, Throno illi insidens, Regnum & Imperium habet. 4. *Animantes* in Apocalypsi dicuntur *Joannem* docuisse [a], quid mysteria illi in Visione exhibita significarent. Ubi cum Joannes in se repræsentaverit totam Ecclesiam docendam & erudiendam: necesse est *Animantes* quid significasse, quod certa σχέσει concipi potest ab Ecclesia esse distinctum. 5. Necesse est ut Auctores, qui per *Animan-*

a Apoc. VI. 1. &c.

nimantes intelligunt *Ecclesiam*, admodum hæreant in exponendis *Rotis*. *Animantes* enim & *Rotæ* eum in modum ad se mutuo relatæ fuerunt, ut *Rotæ* acceperint *influxum Spiritus* ab *Animantibus*: cujusmodi subjectum nullum novi extra Ecclesiam Ecclesiæ subordinatum. De *Angelis* enim, quos Cl. Coccejus per *Rotas* designari putat, id, meo judicio, commode prædicari non potest. Spiritus Sapientiæ, Sanctitatis, & Promptitudinis in præstanda Dei Voluntate ab Ecclesia ad Angelos non transit. De alio itaque hic cogitandum videtur subjecto; & quidem de *Ministris Dei* in Regno ejus promovendo: ut modo anticipabam.

XVIII. Verum plures habet Deus Ministros, per quos ipse suam perficit voluntatem. Sunt Ministri Dei in Cœlis, sunt in Terra: & in Terra quidem quosdam Deus extra ordinem vocat & instruit ad Imperium suum in Mundo statuminandum & promovendum, alii vero id agunt ordinaria tantum & communi Vocatione, quæ in Ecclesia recepta est, ad id designati. Qui itaque & quales horum Ministrorum hoc hieroplypho repræsentantur?

Quales Ministri Dei hic intelligantur. *Cælestes an terrestres?*

XIX. Sunt nimirum, ut ex superioribus intelleximus, qui de *Cælestibus Dei Ministris* hic tantum cogitant; per *Cherubes* & *Rotas* intelligentes diversos illorum Ministrorum ordines: Sunt, qui tam Cœlestes quam Terrestres; Animantia de *Angelis*, Rotas de *Ministris Evangelii*, Apostolis & Pastoribus, exponentes: Sunt denique, qui hic tantum cogitandum putant de *Ministris*, quibus Deus in his terris in Regno suo promovendo utitur.

Divortium sententiarum.

XX. Ego vero non nego, magnam inesse in illa sententia speciem, quę *Angelos* hic non excludit. Animantes enim hæ fuerunt *Cherubim*, ut ex ipso Ezechiele liquet. Atqui Angeli apud Mosen exerte veniunt nomine *Cherubim* [a]. Ipsi præterea hi *Cherubim*, sive hæ *Animantes Ezechielis* conveniunt cum *Seraphinis* Jesaiæ, qui vulgo putantur esse *Angeli*. Imo certe hæc ad primam speciem lectori abblandiuntur; nec miror itaque, exercitatissimis & recti judicii Viris hanc interpretationem placere potuisse. Habeo tamen mecum graves rationes, quæ me relu-

Ἐπίκρισις ad sententiam quæ hic *Angelos* intelligit.

a Ezech. I. I. 9. Gen. III. 24.

reluctantem quoque coëgerunt in alias ire partes, quas æquo animo expendi velim.

Dubia quæ illi sententia obstant.

Animantia hic proxime junguntur *Rotis*.

XXI. 1. *Spiritus* apud Ezechielem ab *Animantibus* & per *Animantes* dicitur transiisse ad *Rotas*, easque agitasse & vivificasse. Id vero non putem de *Angelis* commodo sensu posse prædicari, si per *Rotas* intelligatur *Ecclesia* aut ejus Ministri. Concedam nunc, (etsi de eo quoque subtilius disputari posset:) eundem Spiritum agitare *Angelos*, qui *Ecclesiam*. Spiritus tamen Sanctus *per Angelos* non transit ad Ecclesiam, sive cum Ecclesia communicatur.

Et in Apocalypsi ab *Angelis* distinguuntur.

2. *Animantia* in Apocalypsi Joannis[a] exerte ab *Angelis* distinguuntur. En verba clarissima: *Et* OMNES ANGELI *stabant circumcirca Thronum & Presbyteros:* & QUATUOR ANIMALIA, &c. Si *Quatuor illa Animantia* quoque fuerint *Angeli*, quare *omnes Angeli* ab iis distinguuntur?

Exceptio Launæi & Bocharti, & ad eam ἐπίκρισις.

Dicent Launæus & Bochartus, *Quatuor* illa *Animantia* tanquam *Angelos excellentiores* discerni ab ab aliis *Gregariis*. Verum α. Si vel maxime cæteris essent excellentiores: *Angeli* tamen essent juxta illorum hypothesin, nec deberent proinde in genere ab *Angelis* discerni. β. Hypothesis de *Quatuor Angelis* singularibus, majoris potentiæ & eminentiorum qualitatum, conficta omnino est extra Scripturam, & neutiquam convenit indoli Visionum Symbolicarum, qualis hæc fuit Ezechielis. Numerus *quaternarius* in Symbolis est numerus *mysticus*, Numerus nimirum Universitatis; desumptus à *quatuor* Cœli *plagis*, in quibus est Ecclesia: perinde prorsus ac *duodenarius*, *quaternarius vicenarius*, aliique similes. Quatuor Cardines Cœli *quatuor* Angelis subesse Majoribus, vere redolet fabulam. Si omnino per Animantia *Angeli* sint intelligendi: *omnes Angeli* intelligantur oportet. Est enim numerus *Universitatis*. Sed vero *omnes* intelligi nequeunt per quatuor hæc Animantia, quia *omnes Angeli* ab iis distinguuntur.

Animantes sacræ Joannis, redemptæ sanguine Christi.

3. *Quatuor Animantes* Joannis, quæ eædem sunt cum Animantibus Ezechielis, in *Eulogia*, qua Deum celebrarunt, juncti *viginti-quatuor Presbyteris*, gratias Deo agunt pro beneficio[b], quod *empta sint sanguine Agni ex omni tribu*, *gente*, *natione*, & *populo*: & *quod facta sint Deo* Reges & Sacerdotes *per totam terram*. Quæ utique non conveniunt *Angelis*, sed hominibus. Ad quod

a Apoc. VII. 11. b Cap. V. 9, 10.

quod clarissimum testimonium quando Eruditi Viri excipiunt, non opus esse ut omnes partes hujus Eulogiæ referantur ad utrumque Subjectum, quibus Eulogia illa adscribitur, *Presbyteros* nimirum & *Animantia*, adductis pro hac hypothesi similibus ex Scriptura exemplis: non satisfaciunt. Etenim 1. Etiamsi non negem, id aliquando accidere in phrasi Scripturæ Sacræ [a], ut orationis de duabus *rebus* aut *Personis* pars solummodo ad *utrumque Subjectum* referatur, non tota oratio: hic tamen id obtinere non videtur, quia illa *Gratiarum Actio*, cujus argumentum modo referebamus, præcipuam efficit *materiam* hujus Eulogiæ: quæ proinde utrique Subjecto debet posse applicari. 2. Cœtus ille Cœlestis, qui Deo Regi coram Throno ipsius has Eulogias accinuit, apud Joannem manifeste fertur divisus fuisse in *duos choros*. Alter chorus erat *Presbyterorum* & *Animantium*, Alter *Angelorum*. Quisque Chorus suum habuit *Canticum*. Presbyteri & Animantes acclamarunt ad *Eulogiam Angelorum*, cujus materia illis conveniebat: sed *Angeli* non acclamarunt ad *Eulogiam* Animantium & Presbyterorum, cujus materia ipsis non conveniebat. Si itaque Animantes vere fuissent *Angeli*: quare non fuissent adscripti Choro *Angelorum*? quare non cum *Angelis* potius nominantur & recensentur quam cum *Presbyteris*? 4. *Animantia* sunt præcipuæ *Bases* illius *Throni*, quem demonstravimus fuisse *Thronum Gratiæ Dei* in Ecclesia, quibus *Thronus Dei* innititur, & per quos Regnum ipsius promovetur. Id vero an de *Angelis* prædicari potest? An non *Regnum Dei*, si illius Instrumenta respiciamus, præcipue nititur *Ministris* Dei in his terris? Nonne Deus per *Ministros* in his *terris* plus promovet *Regnum Gratiæ* quam per *Angelos*? Novæ Hierosolymæ Fundamentis an inscripta fuerunt nomina *Angelorum*, an *Apostolorum Agni*? 5. Ne dicam, esse inter *Virtutes*, Hieroglypho hoc *Cherubum* designatas, quæ multo commodius referantur ad *Homines* quam ad Angelos: quales maxime sunt quæ in Cherubinis symbolo *Hominis* & *Bovis* expressæ sunt.

Effugium, cui occurritur.

An Angeli dici queant præcipue Bases Throni Dei in Gratia?

XXII. Stent itaque nunc sententiæ. 1. Per *Animantia* & *Rotas* intelligendos esse *Ministros*, qui Deo inserviunt in *Regno ipsius*, quod in Christo Jesu erexit, promovendo. 2. Per *Animan-*

Collecta ex superioribus.

Yyyyy

a Neh. XII. 1, 2. Jer. XXI. 7. b Vers. 9. 13.

mantia & *Rotas* intelligendos esse *Ministros*, tam arcte inter se conjunctos, ut Spiritus AB *his* ad *alios*, & PER *hos* ad *alios* dici possit transiisse. 3. Per *Animantia* & *Rotas* intelligendos esse Ministros Dei in Ecclesia, qui Deo in Regno ipsius promovendo subserviunt in *his terris*, distinctos ab *Angelis* in cœlis.

Designantur Ministri Dei *Extraordinarii* & *Ordinarii* quibus utitur in Ecclesia.

XXIII. Quos Ministros, his lineis descriptos, quis jam non facile indicet? Dicam itaque nunc absque ullo verborum circuitu, *Symbolo Animantium* & *Rotarum*, meo judicio, designatos esse MINISTROS tam EXTRAORDINARIOS quam ORDINARIOS, quorum opera Deus in Regno suo in his terris tam stabiliendo, quam promovendo, utitur.

Ministri Dei *Extraordinarii* sub OEcon. Vet.

XXIV. In *Regno*, quod Deus habuit inter Israëlitas sub OEconomia Vetere, tam fundando quam promovendo, adhibuit MINISTROS EXTRAORDINARIOS, Viros, & Fœminas quandoque, donis & copia Spiritus excellentes, ut fuerunt Moses, Josua, Debora, Gideon, Samuel, Elias, Elisa, Jeremias, Ezechiel, Haggai, &c. & ORDINARIOS: quales fuerunt SACERDOTES & LEVITÆ, à Deo electi ut Populum docerent, Sacra administrarent, Judiciis præessent, & Regnum Dei in Populo tam conservarent quam propagarent.

Ut & sub OEcon. Nova.

XXVI. In REGNO GRATIÆ, quod Deus per Filium suum erexit sub OEconomia Nova, per typicum hoc Regnum Israëlitarum figurato, tam fundando quam promovendo, adhibuit Deus operam Virorum, quos Scriptura S. *plenos Spiritu* fuisse prædicat, tam EXTRA ORDINEM ad id vocatorum & instructorum, quales fuerunt APOSTOLI, EVANGELISTÆ, PROPHETÆ, & DOCTORES in Christianismi initiis; quam ORDINARIORUM, cujusmodi sunt PASTORES, PRESBYTERI, & DIACONI Ecclesiæ Christianæ, qui officio suo fideliter funguntur, per omnia tempora Novæ OEconomiæ. Priores, me judice, designati sunt symbolo ANIMANTIUM: Posteriores ROTARUM. Et quidem ob has rationes.

In hisce demonstrari possunt omnia attributa *Animantium*.

XXVI. 1. Illis subjectis omnia *attributa*, quę de illis hieroglyphice prædicantur in symbolo *Cherubum* & *Rotarum*, accurate conveniunt. Non licet id nunc demonstrare. Videat modo Lector meus, quę Viri Docti de his *attributis* commentati sunt, eaque ad hæc ipsa subjecta transferat. Nullis aliis ea melius videbit convenire.

XXVII.

XXVII. 2. Tria præcipua illa attributa, quæ in aliis subjectis, de quibus alii hanc Visionem interpretantur, desideravimus, in illis digito demonstrari possunt. α. *Apostoli &c.* & *Presbyteri* Ecclesiæ Ordinarii, utrique tanquam Ministri Deo in Regno ipsius promovendo subserviunt. β. Inter se arctissime conjuncti. γ. Gratia Spiritus S. per *Illos* & Illorum Doctrinam & Scripta ad *Hos* transiit. Eadem ratione id obtinuit sub OEconomia Vetere.

Et quidem tria singularia attributa, ad quæ hic præcipue attendendum erat.

XXVIII. 3. Quod apud Ezechielem sunt Animantes & Rotæ, apud Joannem sunt Animantes & Presbyteri. Joannes enim, qui *Rotarum* non meminit, meminit *Presbyterorum*. Per Presbyteros autem apud Joannem omnino intelligendi sunt *Ordinarii Ministri* totius Ecclesiæ Christianæ per omnia tempora relate ad *viginti-quatuor ordines Sacerdotum*, qui fuerant Ordinarii Ministri Ecclesiæ Veteris Testamenti: ergo idem per Rotas apud Ezechielem. *Ordinarii* autem Ecclesiæ Ministri cum contradistinguantur *Extraordinariis:* liquet, per *Animantes* designari *Extraordinarios.*

In Viso Joannis sunt Animantes & Presbyteri.

XXIX. 4. *Bases primæ* & *Præcipuæ* Throni Dei sub OEconomia Nova (loquimur de Instrumentalibus:) non possunt esse aliæ, quam *Fundamenta Novæ Hierosolymæ*, quę typus fuit ejusdem hujus Regni Dei. Atqui Fundamentis Novæ Hierosolymæ inscripta fuerunt Nomina *Duodecim Apostolorum Agni*, testante Joanne ipso Apostolo[a]: quemadmodum *Ecclesia OEconomiæ Veteris fundata* fuit super Prophetis.

Adstruitur hypothesis ex comparato, Apoc. xxi. 14.

XXX. 5. *Duodecim Boves*, qui tanquam Bases portarunt Mare *Æneum* in Templi Atrio, clarissimum fuerunt symbolum *Duodecim Apostolorum*. Idem vero necesse est esse Basim Throni Dei, quæ est Maris Ænei, figurate exhibentis illam Christi Domini obedientiam, super qua Regnum ejus fundandum esset. *Animantes* itaque, quæ Throno Dei, figura quoque inter alias Bovina, fuerunt suppositæ, omnino significare debebunt *Apostolos* aliosque excellentes Dei Ministros, qui Spiritu pleni & gratia Regno Dei in Mundo stabiliendo & promovendo singularem operam dederunt. Quæ cum omnia tam amice inter se conspirent: nulli dubitamus quin id quod verum est hic assecuti simus.

Ut & ex typo Boum in Sacris Templi, portantium Mare Æneum.

a Apoc. xxi. 14. Ephes. ii. 20.

Reſpondetur ad Objectum de *Cherubinis*, ut qui ſint Symbola Angelorum.

XXXI. Nec obſtat, quod *Cherubini* alio in loco occurrant ut Symbolicæ Angelorum Figuræ. Poſſunt enim Cherubes eſſe, & vere ſunt, Symbola *omnium Dei Miniſtrorum*, qui ſumma cum promptitudine, ſinceritate, & ſtudio Divinæ Gloriæ Dei juſſa exequuntur. Tales Miniſtros habet Deus in Cœlis, qui ſunt *Angeli*. Tales *Miniſtros* habet Dominus in his terris: qui maxime ſunt illi Miniſtri, quos ipſe tam in Vetere quam in Nova OEconomia inſtruxit ſuo Spiritu, ut ſe totos Gloriæ ipſius devoverent. Illi in terris proxime accedunt ad Angelos in Cœlis. *Fit* enim *Voluntas Dei in Cœlis*, *ut in terra*: quemadmodum ipſe Dominus Jeſus nos docet. Unde *Sacerdotes* & *Prophetæ* V. T. dicuntur [a] מלאכי יהוה ANGELI JEHOVÆ. Imo in his Miniſtris quædam dari poſſunt Virtutes, excellentes etiam illæ, quæ in Angelos non cadunt. Quare cum Animantes illæ, quas *Cherubinos* & *Seraphinos* Scriptura vocat, tam ſignificare poſſint Miniſtros Dei in terris quam in Cœlis: ex circumſtantiis locorum definiendum eſt, utra harum interpretationum, num potius utraque ſimul, huic vel illi loco applicari debeat. Hoc vero in caſu ſignificationem ad Miniſtros Dei in terris reſtringendam eſſe, ex claris & evidentibus rationibus evicimus.

a Mal. II. 7. III. I.

Caput III.

Phrasis usitatissima in Scriptis N. T. ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, *exponenda suscipitur, indicata tum differentia, quæ est in usu hujus dictionis apud Scriptores Sacros & Profanos; tum genuina ejus significatione, quæ supponit, Deum, quod ad Justitiam ejus Vindicantem, ad homines quoque habere* σχέσιν Creditoris, *& non solum* Principis: *qua de re adversus* Grotium *plenius & fusius disputatur.*

ETiamsi aliquot abhinc annis non absque acrimonia & partium studio inter Ecclesiarum Belgii nostri Doctores disputatum sit de *Beneficiis Gratiæ*, quæ dicuntur Πάρεσις & Ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν: nemo tamen expectet, me hac Dissertatione, quæ posteriori harum phrasium illustrandæ destinata est, novas saturum esse lites, vel quę sepultæ fere sunt, suscitaturum. Si enim, quod verum est, dicere liceat, hactenus videre non potui, τὸν μακάριον Coccejum in explicando discrimine *Condonationis Delictorum*, quemadmodum olim obtinuit sub Vetere & nunc obtinet sub Nova OEconomia, minimum divortium fecisse, vel etiam facere voluisse, à communi fide totius Ecclesiæ, neque adeo in *ipsa illa re*, de qua controvertebatur, ab iis ipsis diversum sensisse & docuisse, quibus ὀρθοδοξία ipsius, hac parte, suspecta erat. Investigatur phrasis, ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας. Scopus Dissertationis cum respectu ad dissidia de hac re in Belgio.

II. Tota itaque illa disputatio commode revocari potest ad hæc duo Problemata Textualia. 1. An Beneficium Gratiæ, quod in Sacris literis venit nomine Ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, quibusdam in locis, præsertim in Epistolis Paulinis, non sit exponendum per *Remissionem Delictorum, quemadmodum secundum promissa antiqui temporis Credentibus præstatur sub OEconomia Nova, absque illa* ἀναμνήσει τῶν ἁμαρτιῶν, *qua omnium consensu obtinuit in Cultu Divino secundum Legem Mosaicam sub OEconomia Vetere?* 2. An Πάρεσις, in loco Pauli ad Rom. III. 25. intelligi debeat de *illo modo condonandorum delictorum*, *qui*, (nemine negante:) *locum habuit* Disputatio illa revocatur ad duo capita.

ſub OEconomia Vetere, quo Deus peccata credentium, adhuc extantia, propter Sponſionem Filii ſui, diſſimulavit, & prætermiſit; debitores quidem de debitis nondum expunctis commonefaciens, nec tamen eorum ab iis exigens rationem, ſed electos, fidem habentes Divinis promiſſis, propter Sponſionem Chriſti ad gloriam & ſalutem æternam admittens? Prius non puto quenquam, in phraſi Scriptorum Sacrorum mediocriter exercitum, quantumvis tenaciſſime præjudicatis opinionibus adhæreat, facile negaturum. De poſteriore Problemate inter amicos Scripturæ & Rationis eum in modum diſceptari poſſe arbitror, ut, etiamſi alius hic ab alio diverſum ſentiat, ſumma tamen inter ipſos conſtare poſſit animorum concordia. Cum enim qui eandem in Chriſtianiſmo ſectam ſequuntur homines infinitis per Scripturam locis aliis à ſe mutuo diſſentiant in eligendis diverſis ſingularium illorum locorum ſenſibus, aut vocabulorum, quę in iis occurrunt, ſignificatibus, ſalva pace: non video ſane quid vitii aut culpæ committatur à Doctore Eccleſiæ, qui eandem ſibi ſumit libertatem in interpretanda phraſi πάρέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, in loco Apoſtoli ad Romanos, etiamſi forte in ipſo illo loco interpretando à vero aberraret? Ne dicam, quod ſæpe alias à Patronis illius interpretationis monitum eſt, Bezam & Cloppenburgium, (imo & Grotium [a],) hanc expoſitionem Coccejo hoc loco præiviſſe. Quod ſi autem fuerint, qui ſuam illam interpretationem non abſque aliorum contemptu ſæpe immoderatius inculcarunt & urſerunt, quam rei momentum videbatur exigere: qua parte fieri poteſt ut à quibuſdam peccatum ſit, ut ſolet in contentionibus litigioſis: illos nos hac diſſertatione noſtra nec accuſamus, nec defendimus, qui nobis non arrogamus judicium de Perſonis, ſed contenti ſumus ſententiam noſtram de Rebus ipſis, favente occaſione, modeſte proferre.

Certum eſt, vocem ἀφέσις ſubinde in S. Scriptura conphatice ſumi pro Beneficio Eccleſiæ N.T.

An πάρεσις quoque quid diverſum notet ab ἀφέσει?

Momentum hujus controverſiæ, & de eo judicium.

Scopus hujus diſſertationis.

III. Miſſa itaque invidioſa hac Diſputatione, quæ Eccleſias Patriæ noſtræ præter meritum & ſupra modum ſatis diu conturbavit, animus mihi eſt expromere, quæ pauca mecum habeo ad poſteriorem partem hujus Beneficii Gratiæ, quę in Scriptis Novi Fœderis paſſim venit nomine Ἀφέσεως Ἀμαρτιῶν, illuſtrandam, tam quoad *Phraſin*, quam quoad *Rem* ipſam,

a Defenſion. Fidei Cathol. de *Satiſf. Chr.* Cap. 1. p. m. 27.

ipsam, illa phrasi expressam: spicilegium quasi facturo post messem.

IV. Suppono itaque hic, tanquam quod certum & græce doctis ex lectione Librorum Novi Fœderis notum est, Beneficium illud, quo Deus hominibus, qui Legem ipsius transgressi sunt, delicta sua condonat ex mera gratia & clementia cum respectu ad mortem hilasticam Christi Meditatoris, in ipsis illis Scriptis Novi Fœderis sæpius vocari Ἄφεσιν ἁμαρτιῶν REMISSIONEM PECCATORUM: Actum autem illum, quo Deus id beneficium homini præstat aut confert, dici Ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας *Remittere peccata*, *condonare delicta*, quod Cicero ad Atticum simili phrasi dixit, *Sceleris*, sive Delictorum, *pœnam prætermittere*. non exigere per animadversionem pœnæ criminum commissorum rationem. Sic habemus apud Matthæum, Christum Dominum dixisse Paralytico [a]: Ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. Ad eundem modum in Oratione Domini ad Pharisæos [b]: Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις. Alia loca ejusdem generis, ubivis obvia, nemini, ea quærenti, latent [c]. Inprimis tamen, quod modo anticipabam, negari nequit, τὴν Ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν restrictiore & emphatico significatu quandoque sumi in iisdem illis Libris N. T. pro Beneficio illo Gratiæ *Condonationis delictorum*, quemadmodum id dispensatur Fœderatis Dei sub Nova OEconomia: quo Deus declarat Justitiæ suæ pro Delictis electorum per Christum Fidejussorem plene esse satisfactum; simul itaque Electos Credentes liberat ab omni jugo, quod Ecclesiæ caussa extantium peccatorum erat impositum, eosque de debitis ipsorum expunctis & *æterna illa justitia adducta* certos facit per argumenta irrefragabilia, quę absque omni dubitatione vel exceptione de summa Dei gratia & sufficiente peccatorum expiatione testantur, inter quę argumenta secundum Pauli Apostoli doctrinam præcipuum est Πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης & Υἱοθεσίας. Sic Dominus ipse apud Matthæum [d]: *Hic enim est sanguis Novi Fœderis*, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Zacharias in Cantico [e]: *Ut det notitiam salutis populo suo* ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Alia mitto [f].

Beneficium, quo Deus hominibus peccata condonat, dicitur ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν.

Phrasis adducta & illustrata.

Sumitur speciali sensu pro Beneficio Remissionis Peccatorum sub OEcon. Nova.

V. Etiamsi

a Matth. IX. 2. b Matth. XII. 31. c Johan. XX. 23. Act. VIII. 22. Jac. V. 15. 1 Joh. I. 9. d Matth. XXVI. 28. e Luc. I. 77. f Act. XIII. 38. Ephes. I. 7. Heb. X. 18. Ioh. I. 29.

Phrasis hæc ipsa *verbalis* non extat in Sciptis V. T.

V. Etiamsi autem phrasis illa; Ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας DIMITTERE, sive REMITTERE DELICTA, nihil videatur admodum habere insolens, quod in ea magnopere miremur: certum tamen est, in communi usu Hebrææ Linguæ, quatenus illam intelligimus ex Libris Veteris Testamenti, illius αὐτόπτοι non extare.

Phrases aliæ æquivalentes.

Quod nos nunc vulgo dicimus, *Remittere peccata*, Hebræi expresserunt per כלח *propitium esse*, נשא עון *ferre*, sive potius, *auferre peccatum:* (αἴρειν τὰς ἁμαρτίας:) כסות חטאה *tegere peccatum*, præter alias non paucas, quas hic adhibuerunt, loquutiones metaphoricas, quibus hanc rem circumscripserunt, nihil nunc ad nos facientes. Id autem, quod Græci Ἄφεσιν dicunt, Hebræis, alio prorsus dictionis genere, est כליחה. Non habent itaque Scriptores Librorum Novi Fœderis hanc phrasin ab Antiquis Hebræis. An itaque à Græcis?

Usus vocis ἀφιέναι apud Græcos, cum respectu ad voces *peccata, delicta.*

VI. Voluissem certe, ut Budæus & Stephanus, optimi Linguæ Græcæ Magistri, de eo paulo planius & disertius scripsissent. Videamus tamen, quid nobis adferant suppetiarum. Budæus [a]: Ἄφεσις & Διάλυσις *est cum acceptilatum est aut decisum, hoc est*, ὅταν ὁ ἐγκαλῶν ἀπολύῃ καὶ ἀφῇ τὸν φεύγοντα τῶν ἐγκλημάτων, ὧν ἐνεκάλει αὐτῷ. Bene quidem id hactenus; nisi quod loca nulla pro probanda hac significatione vocis Ἄφεσις à Budæo heic adscribantur, & quod phrasis ipsa quodammodo differat ab ea Scriptorum Sacrorum. Aliud enim est quoad constructionem ἀφιέναι τινὰ τῶν ἐγκλημάτων, aliud ἀφιέναι τινὶ τὰ ἐγκλήματα. de quo modo latius ad Observationes Stephani.

Observata Doctorum Virorum. Budæi.

Alio loco hæc habet Budæus [b]: Ἀφίημι *aliquando acceptum fero significat & debitorem per acceptilationem libero: de quo ante, ut opinor, diximus.* Ἀφίεμαι *vero* ἀττικῶς *idem quod* ἀφίημι *activum significat, sed voce passiva cum genitivo construitur.* Ἀφεῖσθαι itaque τῶν ἐγκλημάτων, Attica & elegantiore ῥήσει, est *absolvi à criminibus*, liberari ab actione, quæ propter crimina alicui intentari potest: ut ex exemplis apud Budæum ex Isocrate aliisque Auctoribus congestis liquet. Nec tamen Scriptores Sacri hanc elegantiam imitantur. Vocem illi ἀφεῖσθαι cum ea ἐγκλημάτων nunquam construunt, nisi fallor; & ipsam illam vocem ἀφίεμαι in *passivo* nunquam construunt cum *genitivo*. Non legi-

a Com. Ling Gr. p. m. 32. b p. 145.

legitur Dominus dixisse Paralytico apud Matthæum: ἀφέθητι τῶν ἁμαρτιῶν σου, sed ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

VII. Stephanus vero postquam observasset[a], vocem ἀφιέναι quandoque usurpari de *Dimissione* sive *Remissione Personarum*, quę in pœnam incurrerant, hæc sequentia subjicit, quę ad nos spectant: *Sed & verbo* ABSOLVO *redditur interdum* Ἀφίημι. ut ἀφεῖναί τινα τοῦ ἐγκλήματος, vel τῆς αἰτίας, *apud Plutarchum*, Absolvere crimine. *Et pass. quoque* ἀφεὶς τῶν ἐγκλημάτων. *Dicitur item* ἀφίημί σε τοῦ χρέους *à Phal.* Libero te debito, *ut Bud. vertit: sed potius dicitur mutata constructione*, Condono tibi debitum, *vel* Remitto tibi debitum. *Quibus certe verbis uti & in altero illo loco possumus, vertendo* ἀφιέναι τῆς αἰτίας *Condonare crimen* vel *Remittere Crimen*. Neglexit tamen & hic Stephanus loca notare, quibus phrasin illustret. Magis forte è re nostra est, quod in sequentibus observet, τὸ χρέος ἀφιέναι Græcis esse *debitum remittere*, ut τὸ δάνειον ἀφιέναι apud Matthæum. Addit Stephanus: *Dicitur tamen potius altera constructione, de qua supra, videlicet,* ἀφιέναι τοῦ χρέους. *Sic Gall. Je te quitte la debte.* Item: *Je te quitte de la debte.* Colligendum itaque ex Stephano, phrasin ἀφιέναι ἐπὶ τὸ χρέος, δάνειον, ὀφείλημα, Græcis esse insolentiorem. præterquam quod hactenus apud Stephanum non occurrerit, τὸ ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, Scriptoribus Sacris usitatissimum. Stephani.

VIII. Cui collectioni licet forte verum aliquod subsit: non tamen id ita accipiendum, acsi Græci has ipsas phrases eodem modo & sensu non usurpaverint, quo Scriptores Sacri. Observabunt enim hujus Linguæ studiosi in Græcorum Libris similis constructionis exempla. Utique Dionysius Halicarnassensis non raro idem hoc loquutionis genus adhibet in describendo dissidio Patriciorum & Plebejorum in Romana Republica, caussa debitorum, quę Plebeji Patriciis nexi sibi remitti volebant. Ἀφεῖναι τὰ χρέα τοῖς πένησι eadem constructionis ratione, qua Sacri Scriptores utuntur, apud ipsum idem est quod τὰ χρέα τοῖς συμβαλοῦσι διαλῦσαι[b]. Alibi[c]: τοὺς τόκους ἀφιέναι. Est quoque apud illum in usu χρεῶν ἄφεσις pro eo quod dicitur χρεῶν ἀποκοπή[d], vel una voce, χρεωκοπία: & absolute quoque ipsa vox ἄφεσις[e]. Id vero forte animadver-

Temperamentum superioris positionis.

Loca ex Dionys. Halicarn. ex quibus monstratur similis phraseos usus.

Zzzzz

a In Thezauro ad h. v. In Antonio. b Antiq. Rom. Lib. v. p. 328. c Lib. vi. p. 358. d Lib. v. p. 329. 333. e Lib. vi. p. 404.

madversionem aliquam meretur, quod phrasis, ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας, & quidem eodem illo constructionis genere, quod solenne est Scriptoribus Sacris & à Stephano tanquam insolentius notatum est, apnd eundem Dionysium reperiatur. Verba sunt [a]: *At Sp. Cassius diruenda eorum oppida consuluit*, θαυμάζειν λέγων ἐπὶ ταῖς εὐηθείαις τῶν παραινούντων ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας αὐτοῖς ἀζημίους· *mirari se dicens simplicitatem eorum, qui* PECCATA *iis impune* REMITTENDA *esse suadeant, &c.*

Scriptores N. T. hic imitati sunt τοὺς ό.

IX. Quæ ut ut ita habeant, non puto tamen, Scriptores Librorum Novi Fœderis in hac loquutione imitatos esse Græcos elegantiores, in quorum stylo & phrasi minus fuerunt exercitati, sed potius Lxx Interpretes, in quorum *Versione* tam ipsa illa phrasis, quam illius constructio, quam Stephanus veluti minus receptam notavit, frequens occurrit. Sic nimirum Illi transposuerunt vocem כפר in verbis Jesaiæ [b]: אם יכפר העון הזה לכם עד תמותון; Οὐκ ἀφεθήσεται ὑμῖν αὕτη ἡ ἁμαρτία· *Non remittetur vobis hoc peccatum.* Hebræis: *Non expiabitur vobis hæc iniquitas.* Pariter in Genesi [c]: Ἄφες αὐτοῖς τὴν ἀδικίαν καὶ τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν: pro eo quod in Hebræo textu est; שא נא פשע אחיך וחטאתם. Ad idem exemplum pro eadem voce נשא in Exodo [d]: Καὶ νῦν εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες. Hebræa: אם תשא חטאתם. Alia loca mitto. Addam solummodo, ipsum quoque vocabulum סלח *propitium esse*, in eandem hanc phrasin transfusum esse ἀπὸ τῶν ό. Hebræa in Levitico [e]: וכפר עליהם הכהן ונסלח להם Oi Lxx: Καὶ ἐξιλάσεται περὶ αὐτῶν ὁ ἱερεύς, καὶ ἀφεθήσεται αὐτοῖς ἡ ἁμαρτία. Alio loco [f]: Ὅτι ἐπὶ πολὺ ἀφήσει τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν. Pro Hebræis: כי ירבה לסלוח. Quibus in exemplis id præcipue observandum, quod vocabulum ἀφεῖσθαι in Passivo in illis non cum *Genitivo*, ut solenne est Auctoribus profanis, sed cum *Nominandi Casu* construatur: quam structuram cum iis communem habent Novi Testamenti Scriptores, qui hanc ipsam ob caussam jure dicuntur illos in usu hujus phrasiologiæ imitati esse.

Exempla ex Versione Græca.

Quare Scriptores N. T. hac usi sint phrasi potius quam alia?

X. Sed quę caussa illis Interpretibus, qui orationem Librorum Testamenti Veteris ex Hebræa Græcam fecerunt, quod, neglectis aliis phrasibus Græcis, quarum aliquæ etiam ad Hebræas

a Lib. vi. p. 356. b Cap. xxii. 14. c Gen. l. 17. d Exod. xxxii. 31. e Lev. iv. 20. f Jes. lv. 7.

bræas propius accedunt, uti voluerint dictione; ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας? Mihi quidem vera & certa videtur sententia, mutuatos illos esse hunc loquendi modum à Syris, apud quos receptissimus fuit. Auctores enim hujus Versionis fuerunt Judæi, qui, ceu à Doctis fere omnibus conceditur, illam ad loquutiones Hebraicas & Syriacas accommodarunt. Apud Syros, inquam, vocabulum שבק in frequentissimo usu est significatu *Condonandi*, & *Remittendi Delicta*. Est autem שבק Syris idem prorsus quod Græcis, ἀφεῖναι, *Relinquere*, *Deserere*, *Dimittere*, *Missum facere*; & construitur Syris eodem prorsus modo, quo construi solet Septuaginta Interpretibus aut Scriptoribus Novi Testamenti, sive ad *ipsas voces* attendamus, structuram illius phrasiologiæ componentes; sive ad *Canones Grammatica*, in structura illa observatos.

Vox שבק apud Syros recepta hac significatione.

XI. Quod ad *prius*: Scriptores Sacri Librorum Novi Fœderis τὸ ἀφεῖναι hoc significatu, de quo agimus, construere solent cum voce ὀφείλημα *Debitum*, ut nimirum ἀφιέναι τὰ ὀφειλήματα *Remittere Debita* idem sit quod ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας *Remittere peccata*. Clarissimum illius est exemplum in Oratione Dominica, in qua Dominus nos secundum Matthæum precari docuit[a]: Ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν· REMITTE *nobis* DEBITA NOSTRA. quod ἀφιέναι τὰ ὀφειλήματα apud eundem Matthæum mox exponitur per ἀφιέναι τὰ παραπτώματα[b]; & apud Lucam[c], eandem Precationem recensentem, per ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας. Atqui ἀφιέναι τὰ ὀφειλήματα idem est quod Syri familiari sermonis usu, eodem sensu & notatione dicunt, שבק לחובין. Inter Doctos nescio an quis id observaverit ante Angelum Caninium[d], Hebrææ & Græcæ Linguæ peritissimum Virum, qui hanc phrasiologiam exemplis quibusdam illustravit; quibus tamen, Caninio haud dubie non viso, plura multo & luculentiora adjecit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, Petrus Keuchenius, Vir eruditus, & longiore vita dignissimus[e]. *Dimittere*, vel, *ut quidam Latinius loquuntur* (inquit Caninius:) Remittere debita *Syriaca loquutione dictum est*, *quod est*, Delicta condonare. *Ut* Debitores *pro peccantibus dicuntur. Quis enim non videt, nec Græcos nec Latinos hoc modo loqui?* Imo vero certum

Apud Syros respectum habet ad debita.

Angeli Caninii observatio.

 est,

a Evang. Cap. VI. 12. b Vers. 15. c Luc. XI. 4. d De Locis Script. Heb. Cap. XII. e Annot. in N. T. in h. l.

est, Chaldæos *Peccata* in vulgari sermone vocasse חובין *Debita*, & quod nos dicimus *veniam facere delictis* שבק להובין REMITTERE DEBITA. Sic quod apud Mosen fratres Josephi ad fratrem [a]: שא נא פשע אחיך *Tolle, obsecro, transgressionem fratrum tuorum*, Paraphrastes reddidit; שבוק כען לחובי אחך ולחטאיהון REMITTE, *quæso*, DEBITA *fratrum tuorum*, & PECCATA *ipsorum*. Quod David in Oratione sua [b]; שא לכל חטאתי *Tolle omnia peccata mea*, Paraphrastes: שביק לכולהון חובי *Et* REMITTE *omnia* DEBITA *mea*. Quod apud Jesaiam [c]: *Ego, ego sum ille*, מחה פשעיך *Delens transgressiones tuas*, Chaldæus; שבק לחבך REMITTENS DEBITA TUA. Ut autem Chaldæi vocabulum שבק / quod idem est Græcorum ἀφιέναι, construxerunt cum voce חובא *Debitum*, sic pariter cum aliis vocibus, quę tantundem valent ac Græcorum ἁμαρτία, cujusmodi sunt עוותא / מרדא / חטאה. Exempla petantur ex Buxtorfio [d].

Exempla ex Paraphrasi Chaldæa.

Altera constructio passivi, ἀφίεμαι, pariter recepta Syris.

Exempla ejus generis.

XII. Quod ad *Alterum*: Cum Græci, ut ex Budæo & Stephano intelleximus, non facile construant passivum ἀφίεμαι cum *Nominandi Casu*, quod tamen agunt passim LXX Interpretes cum Scriptoribus Sacris Novi Fœderis: eandem hanc structuram orationis observare licet apud Chaldæos. En exemplum ex Psalmis [e]: *Beatus homo*, נְשׂוּי פֶּשַׁע *sublatus peccati*: h. e. cujus est sublatum peccatum. Chaldæus: טובי דמן דשבקין ליה מרודי. Addo aliud notabile ex Jesaia [f]. Textus Hebræus habet: אם יכופר העון הזה לכם *Si vobis hæc expietur iniquitas!* Chaldæus: אם ישתבק הובא הדין לכון *Si vobis hoc debitum remittatur!* Οἱ LXX. Οὐκ ἀφεθήσεται ὑμῖν αὕτη ἡ ἁμαρτία. Unde itaque dubitandum non videtur, quin LXX Interpretes in hac loquutione se ad dialectum Chaldæorum & Syrorum, quæ ipsis familiaris fuit, accommodaverint. Nec video, quid adversus hanc observationem inferri queat, nisi forte quod Chaldæi, שבק construentes cum nomine חובא / illi præfigant literam ל / notam casus *Dativi*, cum contra Græci Evangelistæ ἀφιέναι construant cum *Accusativo*; quod Chaldæi dicunt שבק לחובין exprimentes, ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας. Quę tamen difficultas prorsus evanescit, si quis consideret, 1. Syros litera ל frequenter uti tanquam nota Casus *Accusativi*, ut

a Cap. L. 17. b Ps. XXV. 18. c Jes. XLIII. 25. d Lex. ad voc שבק. e Ps. XXXII. 2. f Jes. XXII. 14.

ut vel Schindlerus & Coccejus in Lexicis suis monuerunt. 2. Ipsos etiam Chaldæos Paraphrastas vocabulum שבק aliquando construere absque litera ל nomini addito præposita. Ex. gr. in Psalmis[a]: את שבקתא עוית חובי.

XIII. Quod si nunc stent quæ huc usque de origine hujus phrasis in Sacris à nobis disputata sunt: simul certum erit, veram & germanam illius exponendæ rationem petendam esse ex metaphora Creditorum & Debitorum, atque adeo per eam in OEconomia Gratiæ hoc significari Beneficium, quo Deus, qui in hac metaphora cum *Creditore* comparatur, hominibus miseris *pœnam*, quam propter delicta sua ipsius justitiæ *debebant*, clementer *remittit*. Nec possumus hic facile errare, cum Dominus Jesus ipse ad hanc ipsam materiam *Condonationis Delictorum* illustrandam similitudinem *Crediti* & *Debiti* adduxerit, & explicatam dederit, apud Matthæum[b]: qua parabola genuina hujus phrasis notatio, & simul res ipsa, egregie declaratur.

Patet inde, in phrasi *Remissionis peccatorum* alludi ad *Creditores* & *Debitores*.

XIV. Deus nimirum, omnium rerum summus Dominus, homini legem præscribens, quam ab ipso observari voluit, in eum, ut fas & æquum postulabant, contulit facultates animi & corporis, quæ ad officia illa præstanda requirebantur. Qua in re Deus quidem *Creditoris*, Homo vero *Debitoris* Personam sustinet, quippe Deo per rationem obstrictus ad exactum obsequium secundum vires & facultates, in ipsum à Deo collatas. Quod suum *debitum* si homo identidem expungat *officiis*, ad Legis amussim exactis, dicitur δοῦλος ἀχρεῖος *servus inutilis*, quia nihil *fecit quod non* DEBEBAT *facere*[c]: nihil præstitit præter officium, ad quod obligatus erat. Sed vero si Legis limites prætergressus officium Divino jussu circumscriptum forte negligit: illos *actus*, in quibus deficit, pergit *Deo debere*. Quandoquidem autem id quod factum est infectum reddi non potest: nihil restat nisi ut per *pœnam* pensetur, quod Legum Divinarum Transgressor deliquit. Quod *jus pœnæ exigendæ* cum Deo ex hominis maleficio relate ad ipsius justitiam vindicantem subnascatur: eadem nunc Dei ad hominem peccatorem σχέσις est in exigenda pœna, quæ modo erat in exigendo ab ipso officio; eadem vicissim hominis ad Deum relatio in solvenda pœna, quæ modo erat in præstan-

Quæ metaphora ut in Divinis obtinet, exponitur. Deus creditor, homo debitor.

a Ps. XXXII. 5. b Matth. XVIII. 24, 25. c Luc. XVII. 10.

do officio, Deo secundum Legem *debito*. Homo itaque Deo est *debitor pœnæ*. Deus ad exigendam illam ab homine pœnam idem jus habet quod *Creditor* ad exigendum, quod jure ipsi debetur: quia nihil aliud præter *pœnam* illius locum & vices implere potest, quod Deus homini *credidit*, & homo Deo jure ut sibi creditum *debebat*. Quod *debitum*, hoc est, *quam pœnam*, ubi homini ex gratia remittit, passim dicitur homini *remittere peccata*, *ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας*.

Grotii diversa sententia in iis quæ disputavit adversus Socinum. Negat, Deum hic habere σχέσιν Creditoris.

XV. Quæ cum plana & facilia sint, nulla caussa fuit idonea, quare Illustris Grotius, in Erudito Tractatu de *Satisfactione Christi* pro *Defensione Fidei Catholicæ* adversus *Socini* Sectam scripto, passim negaverit Socino, tum, Deum pro justitia sua ab homine exigentem pœnam Delictorum habere ad ipsum *σχέσιν* Creditoris, hominem vero Debitoris; tum etiam, veram interpretationem vocis *ἀφιέναι* ex hac metaphora potissimum petendam esse. En Grotii verba pro priore thesi[a]: *Altera hæc sit assertio: Naturaliter pars offensa qua talis nullum jus habet in pœna. Hoc plus aliquanto est, quam quod prima assertio collegerat. Ibi enim negavimus, actum ipsum puniendi competere parti offensæ; hic negamus, jus aliquod ipsi competere non modo ad actum per se exercendum, sed etiam ad obligandum alterum, ut exerceat: hoc est,* PARTEM OFFENSAM NON ESSE IN POENA VERE CREDITOREM: *quod tamen putat Socinus, & tanquam certissimum sæpe supponit.* Pro posteriore thesi hæc ipsius clara verba faciunt[b]: *Sequitur alia dubitatio, quæ vis sit ejus vocis cum Rector aliquis dicitur peccata, aut, quod idem est, pœnam ἀφιέναι, aut χαρίσασθαι. Hac enim voce decepti multi existimarunt, Dominium hic aliquod aut creditum antecedere, in quo multum falluntur. Nam vox Græca ἀφιέναι proprie significat à se amovere, atque ita sumitur Matth.* IV. 20. *& alibi sæpe. Unde sumpta metaphora significat & deserere, & dimittere & permittere, frequentissime autem, rationem alicujus rei non habere. . . . . Itaque & ἁμαρτήματα ἀφιέναι est peccata missa facere.* Et post pauca interjecta: *Quare sicut in illis vocibus non recordari, tegere, delere, retinere nolle, non est Dominici juris, aut* CREDITI *significatio, ita nec in voce ἀφιέναι.*

Adversus quem immodeste disputatur.

XVI. Molestum mihi est, Grotium in gravissima re cum

Ad-

a Cap. 2. pag. mihi 45. b Pag. 52.

Adversariis satis acutis & ad rem attentis disputare adversus Scripturam; mihi vero disputandum esse cum Grotio de materia, in qua ipse Juris & Civilis Sapientiæ Consultissimus me censeri debet longe fuisse peritior. Non tantum phrasis ipsa ἀφιέναι, ut jam clarissime à nobis commonstratum est, nos hic ducit ad cogitandum de metaphora *Crediti* & *Debiti*: sed ipse Christus Dominus hanc comparationem affert & explicat in Parabola apud Matth. XVIII. 35. Ad quod argumentum ubi Grotius excipit, *comparationem non exigere ut res genere proximo conveniant, sed illam quavis similitudine contentam esse*: nimis id leve & frivolum est quam ut hoc in casu admitti à nobis debeat. Nec enim Scriptura tam frequenter loquutionibus à materia *Crediti* & *Debiti* desumptis uteretur, si qualiscunque tantum hic obtineret *similitudo*, & non quædam exactior convenientia inter ipsas illas res, quæ à Domino secum comparantur. Mihi omnino videtur Grotius in tota hac Disputatione nimis anxie & scrupulose ab invicem distinguere, quæ inter se optime possunt componi. Urget, Deum condonantem Delicta hominum sustinere Personam *Principis*. Quis negat? Imo vero ne ipse quidem id negat Socinus, Grotio fatente, sed id in multis locis docet ipse & supponit. Inde vero an sequitur, Deum non sustinere in eodem illo actu, metaphorice spectato, Personam *Creditoris*? Sic nimirum vellet Grotius, argumentis pro hac sua sententia desumptis ex *Jure*, quod *Privatus* habet in alium qui ipsum *læsit*. *Natura*, ait Grotius, *ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem potest quam æqualitas secundum rem, hoc est, ut quantum mihi per te abest, tantundem reddatur: quod uno verbo vocare licet* indemnitatem *aut* restitutionem. *Sicut enim reddere teneris mutuum aut depositum, ita & rem furto sublatam. Et hactenus* (addit) *naturaliter ex delicto creditores fieri possumus.*

XVII. Ad quæ observandum, 1. Si vel huic inhæreamus comparationi, quam Grotius à jure *Creditoris privati*, qua talis, desumpsit: facile demonstrari posse, Deo hic competere respectum *Creditoris*. Homo per peccatum honorem Dei læsit. Debet itaque Deo *naturaliter* illius honoris læsi restitutionem. *Illi* vero *debito* quomodo satisfaciet? An per alios actus bonos, laudabiles, Divinæ Legi conformes; quibus Deo honorem, ipsi

Occurritur ejus Objectioni, quæ desumpta est ex privato *Jure* Creditorum & Debitorum.

ipsi debitum, tribuit? Neutiquam sane, quia ipsos quoque illos actus tanquam debitum aut officium Deo naturaliter debebat. Solvendo autem, quod debitum erat, non potest aliud debitum expungere. Nihil itaque restat, nisi ut *pœnam* luat, per quam pensetur injuria, quam Divinæ Majestati, adversus Leges ipsius committendo, intulit. Quod vel ex ipso illo exemplo, quod Grotius huc adduxit, liquere potest. Qui enim bona mihi mea per furtum abstulit, *debet* mihi naturaliter, quod Grotius recte dicit, *illorum Bonorum restitutionem.* Sed si pauper ipse & inops illa mea bona dilapidaverit: *debet* utique mihi etiam privato *restitutionem* cujuscunque generis aliam, qua jactura, quam in illis meis bonis feci, quodammodo pensari possit; cujusmodi sunt pœnæ servitutis, carceris, aut plagarum, quibus ipse in mei gratiam afficitur. Qui enim ob *debitum*, apud privatum contractum, conjicitur in *carcerem* aut *vincula*, illam *pœnam* fert ad arbitrium *privati:* non ut *publico*, vel *Principi*, qui publicum jus tuetur, sed ut *privato* illi suo *Creditori*, cui debet, satisfaciat. Quo modo si jus Dei hic tantum æstimatemus ex jure *Privati:* homo *Deo* nihilominus naturaliter *deberet* pœnam tanquam *Creditori*, quia *id debet*, quod nulla re alia quam per pœnam pensari potest, & quod tamen Deo *naturaliter* tenetur solvere.

Qui peccat in Privatum, duplex sibi contrahit debitum.

XVIII. Nec tamen heic subsisto, sed 2. notari velim, etiamsi *privato*, *læso*, ex læsione, quam ab alio accepit, nihil *naturaliter* debeatur quam *restitutio* illius, cujus detrimentum fecit; non itaque *pœna*, à restitutione illa distincta: non tamen inde sequi, *pœnam*, à reparatione illa distinctam, vere non *deberi*, & quidem non *deberi* alicui alii tanquam *Creditori*, licet non debeatur illi *Privato*, qui à me læsus est. Qui enim crimen committit adversus Leges, *duplex* censetur contrahere *debitum*, respectu duplicis *Creditoris*, quibus officium debebat, ratione *duplicis respectus*, quibus est alios. Omnis nempe homo, quocunque loco & statu est in mundo, *debet* aliquid Privatis, *debet* Publico. *Privatis* debet officia amoris & reverentiæ; *Publico* debet *Exemplum bonum & Conservationem ordinis in Mundo & Politia.* Duos igitur habet Creditores. Qui officium itaque suum negligit: si factum illud tale sit, ut quid vitii habeat & in mundo

Quæ sententia adstruitur & illustratur.

malo

malo possit esse exemplo ad confusionem ordinis, qui ad communem salutem omnium in mundo observandus est, duplex sibi contrahit *debitum*. Privato, quem læsit, debet *restitutionem* honoris aut *bonorum*; quam si præstare non possit, pœnam. *Publico*, quod læsit, debet restitutionem illius, quod Publico debitum negavit. Debebat autem *Exemplum*. Quod quia non præstitit, *Publicum* ab ipso tanquam *Debitum* exigit animadversionem, aut *pœnam*, quæ gravitati Delicti ad Exemplum Publici & Conservationem Ordinis in Mundo respondeat. Quam *pœnam* quisque exigere potest, cui Publicum hoc munus *debiti* sui *exigendi* secundum justitiam demandat, ut sunt *Civitatis Principes*; qui idcirco erga eos, qui in Publicum peccarunt, accipiunt σχέσιν *Creditorum*. Quæ si transferamus ad illud quæsitum, de quo cum Grotio agimus, videbimus, *Deo* deberi pœnam ab eo, qui officium Lege præscriptum negligit, tam *qua* DOMINO, sive *Creditori*, (liceat ita loqui:) *privato*, quam *qua* PRINCIPI, sive *Creditori Publico*, qui jus Publici tanquam summus universi Rector tuetur. Qua *Domino*, & tanquam *Creditori Privato* Deo à peccatore debetur *pœna*, quia absque ullo respectu ad ordinem & conservationem hujus Universi homo Deo debet restitutionem *honoris Dei* ab ipso læsi, quem honorem suum Deus respicit tanquam *bonum suum*, quod ipse vindicare potest & debet absque ullo etiam respectu ad ordinem hujus Universi. Sic utique si supponamus unicum tantum in orbe terrarum hominem existere, qui nemini in *exemplum* peccare posset: nihilominus tamen ille *pœnam* deberet Deo propter *privam*, quæ est inter Deum & ipsum, σχέσιν; quia naturaliter Deo debet restitutionem honoris, Deo per peccatum ablati, violatis Legibus, ipsi à Deo præscriptis, in quo inest abnegatio Dominii Dei. Sed quia idem ille Deus *Princeps* & Rector est hujus Universi, cui itaque tanquam Rectori supremo competit *ordinem* hujus Universi *conservare*, & quæ committuntur adversus *Exemplum*, quod quisque Publico & Deo Juris illius Vindici debet, per *pœnam* corrigere: hinc fit ut adversus Deum non tantum peccetur tanquam adversus *Dominum*, & *Creditorem privatum*, si sic loqui fas sit, sed & adversus *Principem* & *Creditorem* Publicum, cujus est jus Publici tueri & vindicare.

Deus hic Geminam sustinet personam.

Deus qua Princeps humani generis spectari potest ut Creditor.

XIX. Quin imo si Deus, hominibus pœnam infligens propter delicta, tantum hic sustineret Personam *Principis*, quod Grotius contendit: nihilominus tamen hic posset spectari ut *Creditor* respectu eorum qui ipsi *debent* pœnam tanquam Principi. Sunt enim *Creditores* hic, secundum ipsam Grotii definitionem [a], *quibus ex qualibet caussa debetur*. Atqui *Principibus* tanquam Vindicibus Publici Juris *debetur Pœna* caussa violatarum Legum, cui crimini pœna illis ipsis Legibus statuta est. Quod autem Grotius objicit, in Publicis Criminibus *deberi* quidem aliquid, veruntamen nullum certum notari posse *Creditorem*, cui *debeatur:* mirandum est tanti ingenii & judicii Virum, suis se ipsum implicantem meditationibus, quia falsam hypothesin assumpserat, eo venire potuisse id ut diceret. *Sæpe enim*, inquit [b], debeo *hoc facere*, *nihil aliud est quam convenit hoc à me fieri*, *sine respectu ad Personam alteram*. *Ita* debeo *pœnam*, *id est*, *dignus sum pœna*, *& pati eam teneor*, *absolute: non autem relate ad hunc vel illum*. Obstat illis, quæ Vir Illustris hic disputat, sana & clara ratio. Nemo quid *debet*, qualecunque id sit quod debeat & cujuscunque generis, nisi cum respectu ad *alium*, sive *aliud quid*, quod hic vicem implet *Creditoris*, qui illud officium tanquam *debitum* caussa relationis, quæ intercedit inter duo aut plura, exigit. Ipse Grotius, postquam in hac Disputatione aliquantum progressus erat, sensit, se hic in lubrico stare. Quare aliis verbis frustra fusis, hoc tandem subjecit ἐπανόρθωμα [c]: *Si quis tamen cupiat in pœna aliquid sibi dari quod sit Creditori ἀνάλογον, non inepte forte dicetur*, *Ordinem rerum Bonumque publicum fungi vice Creditoris*, *cujus ordinis bonique dispensatio Rectori permissa est*. Ergo Princeps est *Creditor* eorum respectu qui committunt adversus Leges, & inde sibi contrahunt *debitum pœnæ:* quod id ipsum est, quod nos demonstrandum susceperamus.

Exceptio Grotii diluitur.

Ipsius ἐπανόρθωμα.

Consequens, quod Socinus inde elicit, non admittitur.

XX. Cave tamen credas, Lector, me Socino concedentem, quod illi negavit Grotius, ipsius caussæ ideo magis favere, aut in re tanti momenti prævaricari. Negandum est Socino, & negari potest optima & certissima ratione, Deum, tametsi in *condonandis Delictis* sustineat Personam *Creditoris* aut *Domini*, (quam tamen personam non sustinet *solam:*) de jure punien-

a Pag. 45. b Pag. 50. c Pag. 91.

puniendorum Delictorum posse remittere, absque interveniente Satisfactione. Negandum quoque est Socino, modum illum condonandorum Delictorum per *acceptilationem*, quem ille Deo adscribit, absque interveniente Satisfactione, ex hac phrasi aut metaphora probari posse. Quod carum nobis est & vehementiore amore prosequimur; ut sunt honor, liberi, bona majoris pretii; si lædatur aut nobis auferatur, per ipsam naturam nos sentimus obligari ad id vindicandum & petendam ab eo, qui nos læsit, restitutionem. Quod idem in Deo obtinere (de quo tamen reverenter hic cogitandum & loquendum est:) Scriptura toties nos docet, quoties illum infert *zeloten gloria* & *majestatis sua*, quam tanquam rem sibi carissimam ab homine impune lædi non permittit, sed quovis modo, (&, cum aliter non possit:) per *pœnam* prosequi & vindicare vult. Etsi itaque summum Dei jus à mortalibus non temere definiendum est, & nobis magis investigandum sit, quid Deus *velit*, quam quid *possit*: tantum tamen lucis Scriptura & Ratio nobis hic videntur subministrare, ut dicere debeamus, Deum, vel maxime hic ut Creditorem spectatum, non posse salvo naturali amore, quo majestatem suam prosequitur, quibusvis hominum Delictis veniam facere absque interveniente Satisfactione: quemadmodum certum est ex eventu, Deum non fecisse, qui nimirum nulla hominum *Delicta condonat* nisi διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ[a]. Adversus quæ si quis inferat, sic itaque Deum tanquam *Creditorem* dici non posse *debitum* hominibus *remittere*, cum *solutionem* pro debitis accipiat secundum nostram hypothesin à Sponsore: illum scire oportet, Scripturam phrasi & metaphora *Remissionis Debitorum*, quæ peccatori à Deo obtingit, nos non voluisse docere totum negotium *Justificationis* hominis Peccatoris coram *Tribunali Dei*, sed illam tantum voluisse illustrare *Justificationis* partem, quæ ad homines spectat, *quatenus* δωρεὰν GRATIS[b], τῇ αὐτοῦ χάριτι per *solam* Dei *gratiam* & clementiam, absque quo illi *per se* Divinæ justitiæ vel minimum persolvant quadrantem, magnum hoc beneficium *Remissionis peccatorum* consequuntur. Sponsor enim Christus, Filius Dei, non est ex hominibus sed *ex Deo*, hominibus à Deo ex li-

Cujus rei exponitur ratio.

Ad objectionem Socini respondetur.

a Col. I. 14. b Rom. III. 24.

ex liberalitate & gratia donatus. Est ille ἡ δωρεὰ τοῦ Θεοῦ Donum Dei[a]. *Hominum* itaque respectu τὸ δάνειον *mutuum* dicitur remissum esse[b], quippe cujus *solutionem* non ipsi Deo, sed *Deus* ex *gratia* ipsis procuravit. Conferantur itaque Scripturæ, & nulla hic supererit difficultas.

Caput IV.

Cum hactenus in genere disputatum sit de vi & genuina significatione phrasis, Ἀφέσεως ἁμαρτιῶν; speciatim *nunc differitur de* Remissione Peccatorum, *ut obtinet sub Oeconomia Nova, quæ in Scriptis N. T. singulari quadam ratione appellari solet* Ἄφεσις ἁμαρτιῶν, *illustraturque id Beneficium Gratiæ secundum Rem & Phrasin ex More* שמיטה Remissionis Debitorum, *qui secundum Mosaicam Disciplinam solenniter observabatur* Anno *quolibet* Septimo, Lxx *Interpretibus* ΑΦΕΣΙΣ *dicto*.

Modus, quo Deus peccata remittit sub Oecon. N. illustrandus sumitur.

HÆc cum in genere monenda habuerim de *Phrasi* & *Re* ipsa, quæ Ἄφεσις ἁμαρτιῶν dicitur: aliud adhuc superest, quod facit ad illustrandum *Beneficium Gratiæ*, quod hoc nomine venit, si sumatur restrictiore & magis emphatico sensu pro illo *Modo condonandorum Delictorum*, qui obtinet sub OEconomia Nova, post λύτρον, Divinæ Justitiæ pro electorum peccatis Debitum, à Christo Sponsore vice & loco electorum solutum: quam dictionis hujus significationem in superioribus jam notavi. Qui *Modus condonandorum Delictorum* à *Modo illo*, quo remissa sunt peccata sub OEconomia Vetere, eo differt, docente Paulo, quod Deus peccata sic remittat, ut *eorum non amplius recordetur*[c]. *Recordari* autem dicitur Deus *peccatorum* in ipsa Ecclesia & apud ipsum suum Populum, *latiore* quidem *sensu*, quando Ecclesiam suam eum in modum regit, ut ex illo Dei regimine erga Ecclesiam clare perspici possit, Divinæ justitiæ pro peccatis electorum nondum esse satisfactum; non concedendo nimirum Ecclesiæ *illa bona*, quæ Ecclesiæ negare non

Quæ hic obtineat differentia inter utramque Oeconomiam.

a Joh. IV. 10. b Matth. XVIII. 27. c Heb. X. 3. 17. 18.

non posset ullo jure, si satisfactio à Christo Sponsore Justitiæ ipsius præstita esset. quę Bona juxta Doctrinam Pauli sunt omnia illa Beneficia, quę τελείωσιν Credentium sub Nova OEconomia faciunt; ut sunt *Spiritus Cognitionis Viarum Dei*, *Sanctificationis*, & Υἱοθεσίας *Adoptionis Fliorum*. In illo enim *Spiritu*, quemadmodum datur sub OEconomia Nova, Credentes tantum habent certum argumentum *Dei* per כפר λύτρον Filii sui *placati*, & *Peccatorum* ita *expiatorum*, ut nihil nunc amplius obstet, quominus Deus omnes divitias gratiæ & amoris sui Ecclesiæ suæ explicet. Quo modo Deus dici potest *Peccatorum recordatus* esse toto illo Intervallo temporis, quod nos vocamus *Promissionis*, ab Adamo usque ad Christum: quo electi, Credentes Divinis Promissis, hæc Beneficia à Deo acceperunt longe minore gradu & mensura, quam sub OEconomia Nova.

Quo modo Deus olim, *recordatus* fuerit *peccatorum* senfulatiore.

Strictiore tamen *sensu* dicitur Deus *Peccatorum* in ipsa Ecclesia sua *recordari*, quando petulantiam Populi sui *eum in modum* castigat, ut apud Populum Dei in ipso Religionis exercitio *publicum* extare velit *testimonium* de Reatu nondum sublato, vel ut Scripturæ phrasi utar, de *Peccatis* Electorum adhuc *extantibus*. cujusmodi testimonium de Reatu nondum sublato Populus Dei sub Vetere OEconomia habuit, tum in sua separatione à Gentibus, quæ sanctis haud dubie molestissima fuit; tum præcipue in tota Lege Mosaica, & omnibus Cærimoniis, quę secundum illam Legem in Religionem fuerunt invectæ, cum dirissimis, quibus Lex illa sancita fuit, Execrationibus. Quomodo cum Deus Populum suum tractaret, ipse eum censetur de Debitis nondum à Mediatore expunctis *commonefecisse*; Populus vero Dei, Religionem suam secundum præscriptum illius Legis in SERVITUTE cum METU exercens[a], *scripsisse chirographum*, *sibi* ὑπεναντίον *contrarium*: hoc est, Publicam edidisse Confessionem tam de *Debitis* apud Deum petulantia sua ob defectum sanctificationis contractis, quam de iisdem illis *Debitis*, *nondum expunctis*. Certe talis Cultus obtinere nequit in Ecclesia, quæ pervenit ad τελείωσιν. Τελείωσις enim Ecclesiæ infert *gratiam* absque *ira*. Ubi est gratia absque ira, ibi obtinere debent LIBERTAS & FIDUCIA. Quare quę φερωνύμως sic dicitur Ἄφεσις ἁμαρ-

Et *strictiore*.

a Col. II. 14.

Consequentia Remissionis peccatorum sub OEcon. Nova.

λῶν, promissa Ecclesiæ sub OEconomia Vetere, & eidem præstita sub Nova per sanguinem Christi, secum ferre debet Beneficia; 1. *Clarioris cognitionis Dei & majoris gradus sanctificationis*, quam ante adventum Christi in mundum in Ecclesia obtinuit. (*Peccatum* enim vere *dominatum est ab Adamo ad Mosen* [a] æque ac *à Mose ad Christum:* sed cum Christo desinere debebat imperium suum exercere.) 2. *Sublati Jugi totius Legis Mosaicæ*, Ecclesiæ occasione & caussa Peccati adhuc extantis impositi per Mosen. 3. Ac proin *Liberationis* Ecclesiæ à Servitute & Metu, quę Jugum illud comitabantur; quibus succedere debebant *Libertas* & *Fiducia*. 4. *Hæreditatis Mundi*, dissoluto pariete intergerino, qui per Mosen inter Judæos & Gentes exstructus erat. Quę omnia hoc uno Pauli apopthegmate continentur: Ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. *Ubi est* HORUM (Peccatorum:) REMISSIO, *ibi non amplius locum habet* SACRIFICIUM PRO PECCATO. Si enim cum *Remissione*, in emphasi sumpta, non consistat Sacrificium pro peccato: nulla quoque Lex, nulla execratio; nulla proin servitus, nullus metus; nulla differentia inter Judæos & Gentes.

Vox ἄφεσις illustrari potest ex voce שמיטה *Remissione debitorum*, quæ fiebat anno quolibet *septimo* secundum legem.

II. Quo sensu restrictiore ubi vidi Scriptores Sacros N. T. subinde sumere vocem Ἄφεσις: in mentem mihi venit, an non forte hoc peculiari usu vocis alluserint tum ad Hebræam Vocem שמטה / quam LXX Interpretes passim transponere solent per Ἄφεσιν, tum ad ipsam illam *Rem*, quę per vocabulum שמטה apud Judæos designatur: h. ę. REMISSIONEM DEBITORUM, quam Judæi *Creditores* præstare debebant suis Debitoribus *Anno* quoque *Septimo*, qui ipsis *Sabbathicus* erat. Utique certum, hanc ipsam *Remissionem Peccatorum*, quæ Credentibus à Deo dispensatur sub OEconomia Nova, per illam *Remissionem Debitorum*, quæ locum habebat apud Judæos Anno quolibet Sabbathico, figuratam esse. Quod si itaque forte erremus in phrasibus illis inter se conferendis: errare non poterimus in ipsis illis rebus, quæ per Divinam Sapientiam ad se mutuo ordinatæ sunt, inter se componendis, & explicandis. Agamus itaque de eo paucis.

Lex Mosaica de *Anno Septi-*

III. Septimo quolibet Anno, ut vulgo ex Legibus Mosaicis sa-

a Rom. v. 13. 14.

cis satis notum est, abstinendum erat Judæis omni cultura Agrorum, & *terra* quædam veluti *quies* erat concedenda[a]. Quæ Lex cum omnium primo Israëlitis à Deo daretur, hæc insuper duo hoc Anno Sabbathico observari voluit Legislator, 1. Ut fructus, quos terra Anno Septimo sponte sua ederet, communis essent usus, & omnium in eos commune jus. 2. Ut Servi aut Ancillæ Hebrææ originis à Dominis suis in libertatem mitterentur[b]. Quibus tandem Legislator adjecit, ut *debita* omnia, ab Israëlitis sex præcedentium annorum spatio contracta, nec tamen soluta ante *annum Septimum*, *Debitoribus* liberaliter *remitterentur*. Verba Legis in Deuteronomio sic habent[c]: *A fine septem annorum facies* שמטה REMISSIONEM; *cum qua Remissione res ita se habebit*, *ut omnis Creditor manum suam remittat*; *qui mutuum dederit* לא יגש NON EXIGAT *id à proximo suo & à fratre suo*, *quia indicta fuerit* REMISSIO JEHOVÆ.

...mo, & illius prærogativis.

IV. Non constat autem satis inter Interpretes hujus Legis, an per illam *Remissionem Debitorum*, quę Septimi Anni prærogativa erat, intelligenda sit absoluta *Debitorum Remissio*, qua Debita deinceps pro expunctis habentur, eorumque exigendorum jus Creditoribus perit; num potius *intermissio exigendæ solutionis Debitorum hujus tantum anni*, manente interim Creditori jure eorundem illorum Debitorum per solutionem exigendi annis sequentibus. Christiani quidem Doctores passim favent posteriori huic sententiæ, ut inter novissimos Cl. Altingius: sed Hebræi Doctores per hanc *Remissionem* absolutam intelligunt *Remissionem Debitorum* sex annis præcedentibus contractorum, nec tamen hactenus solutorum. Sic nimirum Maimonides Doctrinam Talmudicam explicuit in Tractatu de *Anno Septimo* & *Jubilæo*, & passim Doctores & Commentatores Hebræorum alii. Maimonides[d]: התובע חוב שעברה עליו שביעית עבר על לא תעשה *Qui* EXIGIT DEBITUM *post Annum Sabbathicum*, *qui intervenerit*, *transgreditur Præceptum Negans*. Temperamenta, quibus Doctores Veteres hoc Præceptum restrinxerunt & fere inutile reddiderunt, ut solent; nunc nihil curamus. Imo res eo tandem venit, ut cum recusarent passim homines, fidem non habentes Divinis

An remissio debitorum *anno septimo* fieret *ἁπλῶς absolute*, an restricte, quod non exigerentur?

Prius statuunt Judæi.

Maimonidis locus.

Constitutio Hillelis.

a Lev. xxv. 2. 3. 4. 5. b Exod. xxi. 1. 2. 3. c Cap. xv. 1. d Tractat. Schemitha, &c. Cap. x. § 1.

nis promissis, fratribus egenis per mutuum succurrere anno septimo instante, Hillel Senex, magnæ apud Gentem Auctoritatis, Legem hanc totam resciderit, & conscribi permiserit *Tabulas Debiti*, certa quadam Verborum forma conceptas, quibus, qui mutuum dabant, huic privilegio Pauperum solenniter contradicebant, &, debitores non obstante Divina Lege, mutuum post annum septimum lapsum se persoluturos, recipiebant. Tabula ejusmodi apud Judæos dicebatur פרוזבול/ non à προβυλὴ *Prævisio*, *praconsultatio*, aut προσβολὴ sensu *Adjectionis ad Legem Dei*, ut Buxtorfius: sed à προσβολὴ, ut de Lara notavit, alio significatu quo notat *vim*, *appulsum*; quia, nisi fallor, qui mutuum dabant per ejusmodi Instrumentum sive Tabulam egenis, mutuum accepturis, quasi *vim faciebant*.

Quid Hebræis פרוזבול?

Sententia Magistrorum probabiliter adstruitur.

V. Nescio autem, an Judæos Interpretes hic destituat ratio, quando *Remissionem* illam *Debitorum*, quę juxta hanc Legem concedenda erat Pauperibus Anno Septimo, de *absoluta Debitorum Remissione* interpretantur. Utique sunt mihi aliquæ rationes, quę hanc sententiam valde probabilem faciunt; 1. Certum est, Servos Hebræos, Hebræis Dominis quacunque demum ex caussa & jure venditos, ita fuisse restitutos libertati Annis Sabbathicis, si voluerint, ut deinceps semper in illo Libertatis statu permanserint. Domini itaque, quibus ad hoc usque tempus in illos tanquam *rem* & *bonum* quoddam *suum* jus fuerat, eos ita cogebantur dimittere Anno Septimo, ut simul omne jus in eos tanquam *Rem* & *Bonum suum* amitterent. Quid si itaque res eadem ratione se habuerit cum *Debitis*? 2. Videtur omnino inter Annum Sabbathicum & Jubilæum aliqua fuisse analogia. Constat autem, Jubilæis Annis Agros & Fundos terrestres *immobiles* quacunque de caussa alienatos, ad proprios rediisse Dominos & Possessores. Quid si itaque id Annis Septimis *analogice* factum sit in *Debitis Pecuniariis:* ut, cum Domini *Agros* ipsos & *Fundos immobiles* tenerentur remittere Jubilæis; *Debita* pecuniaria remiserint Annis Septimis? Ad quę argumenta si quę forte superesset exceptio, ut non nego superesse aliquam: videtur tamen 3. ipse textus aliam nobis adhuc suppeditare rationem, quæ hoc in casu negligenda non sit. Dominus nimirum in ipsa illa oratione, qua hanc Legem commendat, serio monet Israëlitas, ut sibi caveant,

caveant à profanis cogitationibus[a]: ***dicendo, appropinquat Annus Septimus, Annus Remissionis, & ut immisericors inde sit oculus eorum erga fratres suos pauperes, ut mutuum, quod petant, ob eam caussam ipsis negent.*** Certe cum Judæi qui fratribus mutuum dederant, alias etiam usuram non acciperent; an tanti videri poterat, mutuum illis relinquere per unum annum, absque quo id repeterent? An hæc idonea satis videri posset caussa immisericordiæ erga fratres? Nonne multo certior & clarior hujus admonitionis perspicitur ratio, quando statuimus cum Judæis Doctoribus, ***Debita*** absolute ***Remittenda***, & pro ***Remissis habenda*** esse, Anno quolibet Septimo? Nihil tamen tam certi hic definio in re dubia, ut quæ huc usque disputavi cum solidioribus rationibus, si quæ forte pro adversa sententia prolatæ fuerint, commutare nolim.

VI. Quod vero in rem nostram nunc observandum erat; Græci Interpretes Librorum Mosaicorum, vocem שמט / qua Moses veluti propria in Legibus hisce secundum Dei mentem exprimendis utitur, vertere solent per Græcum ΑΦΙΕΝΑΙ, & שמטה / ***Annum Sabbathicum*** inde sic denominatum, ΑΦΕΣΙΣ. En verba Legis, supra ex Hebræo textu descripta, ut apud Græcos leguntur: Δι' ἑπτὰ ἐτῶν ποιήσεις [b] ΑΦΕΣΙΝ. καὶ οὕτω τὸ πρόσταγμα τῆς ΑΦΕΣΕΩΣ. ἀφήσεις πᾶν χρέος ἴδιον, ὃ ὀφείλει σοι ὁ πλησίον, καὶ τὸν ἀδελφόν σου οὐκ ἀπαιτήσεις, ἐπικέκληται γὰρ ἄφεσις Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου. Sic pariter in sequente contextu, & alibi, שנת השמטה ἔτος τῆς Ἀφέσεως. Quin imo iidem quoque Interpretes Græci יובל ***Jubilæum***, quo plenissima obtinebat libertas, omnibus bonis per totam Canaanæam ad suos redeuntibus possessores, & omnibus simul remissis debitis, vocare solent ἄφεσιν [c]. Sic quod Hebraice in Levitico [d]: לא יצא ביובל οἱ Ο: οὐκ ἐξελεύσεται ἐν τῇ ἀφέσει. Alio loco [e]: אם משנת היובל יקדיש. LXX: Ἐὰν δὲ ἀπὸ τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς ἀφέσεως ἁγιάσῃ. Non, ut autumo, quod οἱ LXX intellexerint genuinam significationem vocis יובל / quę nuper à Doctissimo quodam Viro è tenebris est producta: sed quod hanc vocem optime censuerint convenire ipsius hujus Anni Naturæ & Usui. Proclamabatur enim hoc Anno דרור ***Libertas***[f], quam, cum respectu ad hunc ipsum

Vox שמט, cujus usus est in his Legibus, Græcis Intt. dicitur ἀφιέναι.

Loca huc spectantia.

Bbbbbb Annum

a Vers. 9. b שמטה. c Deut. XXXI. 10. d Lev. XXV. 28. e Cap. XXVII. 17. f Jes. LXI. 1, 2.

Ἄφεσις propria *Anno Jubilæo.*

Annum Jubilæum, tam LXX Interpretes, quam Lucas Evangelista, vertunt per Ἄφεσιν [a]. Imo Josephus quoque, ubi est in recensenda Lege Mosaica de Jubilæo, hanc vocem, tanquam ad hanc rem designandam aptissimam, usurpat. Josephus [b]: Καλεῖται δὲ ὑπὸ Ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος· ἐν ᾧ οἵ τε χρεῶσται τῶν δανείων ἀπολύονται, καὶ οἱ δουλεύοντες ἐλεύθεροι ἀφίενται. *Vocaturque ab Hebrais Annus hic quinquagesimus Jubilæus, in quo & Debitores credito relaxantur, & servi* LIBERI DIMITTUNTUR. Refertur autem vocabulum שמט sensu τῆς ἀφέσεως in textu Hebræo tam ad *manum exigentem debitum*, ut in verbis [c]; שמוט כל בעל משה ידו *Ut omnis Dominus mutui* MANUM SUAM REMITTAT, nimirum ab exigendo: quam ad ipsum *mutuum* sive *creditum*, ad ipsum, inquam, τὸ χρέος, quod exigitur, quem vocis sensum nos potissimum nunc commendamus, ut in verbis; ואשר יהיה לך את אחיך תשמט ידך & QUOD FUERIT TIBI *apud fratrem tuum*, REMITTET MANUS TUA. LXX. τοῦ δὲ ἀδελφοῦ σου ἄφεσιν ποιήσεις τῆς χειρός σου. Quam eandem Versionem probavit ὁ πάνυ Coccejus, & nuper quoque Doctissimus Clericus.

Vox שמט respicit tam exactorem *mutui*, quam ipsum *mutuum.*

Annus Septimus & Jubilæus in typo exhibent *Remissionem* peccatorum, ut obtinet sub OEcon. N.

VII. Quod si jam à *phrasi* rursus ad ipsam *Rem* transeamus: facile videbimus, Deum Israëlitis in Anno Septimo & Jubilæo dedisse illustrem typum illius REMISSIONIS PECCATORUM, quæ obtinet sub Nova OEconomia, ac proin non absurde cogitari, Scriptores Sacros hanc vocem strictiore hoc significatu accipientes, ad hunc ipsum usum vocum ἀφέσεως & ἀφιέναι, quem ex LXX Interpretibus notavimus, respexisse. Fuisse enim ipsos in eorum stylo valde exercitatos, nemo est Doctorum, nisi fallor, qui dubitet. In quo tamen si forte fallamur: in ipsis tamen illis rebus inter se conferendis nos non falli certum est. *Jubilæum* enim, ac proin quoque *Sabbathicum*, typum fuisse *libertatis*, ad quam Credentes sub Nova OEconomia vocantur, ipse nos docet Deus apud Jesaiam [d]. Qui sensus habent in mysteriis Religionis nostræ exercitos, litem nobis ea de re non movebunt. Quare absque ambagibus, rem ipsam paucis expediemus.

Sabbathi Anni Septimi significatio mystica.

VIII. *Sabbathum terræ* Anni cujusque *Septimi* apud Hebræos figuravit *Sabbathum verum* & *spirituale*, quod Ecclesiæ per Christum,

a Luc. IV. 18. b Antiq. Lib. III. Cap. XII. c Deut. XV. 2. d Jes. LXI. 1, 2, 3.

ſtum, Filium Dei, impetratum agimus & celebramus ſub hac ipſa OEconomia Gratiæ. *Sabbathum* enim *terra* idem nobis hic ſignificat, quod hebdomadale *Sabbathum hominis*, quatenus *terra* in ſpiritualibus eſt emblema *hominum* [a]. Verum autem Sabbathum, ſive *Quies* hominis, eſt *hominis ſanctificatio*. Per *ſanctificationem* enim homo *deſinit peccare*, hoc eſt, ceſſat ab *operibus*, quę ipſi laborem malæ conſcientiæ faciunt, ac proin *moleſta* ſunt. Quandoquidem vero *Lex cærimonialis peccato*, certo quodam & ſano ſenſu, *ſubſerviebat* [b]: & quæ juxta illius Legis præſcriptum edebantur Opera de peccato adhuc extante teſtabantur, ac proinde ipſa quoque certo ſenſu *malam conſcientiam*, phraſi Apoſtoli, excitabant in Operariis illius Legis: neceſſum eſt ut typica illa *quies* hominum aut Agrorum ſimul figuraverit *quietem* ab *Operibus Legis*. *Cultura* itaque Terræ, Opus moleſtum & laborioſum, Symbolum fuit omnis illius *Operis*, quod peccatori *moleſtiam* creabat, & per quod Deus Iſraëlitas *exercebat* quaſi adverſus ingenium & indolem eorum, ſub OEconomia Vetere. Opus enim, quo terra colitur, cum in terra fiat quaſi adverſus indolem & ingenium ejus (terra enim per hoc opus privatur libertate agendi, ſive producendi, quod juxta indolem ſuam cuperet:) figurare poteſt omne *Opus moleſtum*, per quod quis quaſi *in ſervitutem* redigitur, ac proin omne ἔργον *Opus*, quod ſecundum illam Legem, quę peccati cauſſa data eſt, peragebatur. Quo tamen *opere ſervitutis*, ad quod Deus Iſraëlitas obligavit per Legem, Deus intendit ex Iſraëlitarum animis eradere ſemina vitiorum & veræ virtutis frugem ex iis educere, haud ſecus ac Agricola arva ſua arans, ſecans, & ſemine conſpergens. Cum nihilominus ingenium Judæi Populi, tot cultum beneficiis & Legibus, tot exercitum operibus laborioſis & moleſtis, tot ſubactum pœnis & caſtigationibus, hactenus non mutaretur, ſed ſi quos proferrent *fructus*, illos quaſi *per vim* proferrent *coacti* adverſus veram ſuam indolem, ut *terra* noſtra ſolet: pollicitus eſt Deus Eccleſiæ ſuæ tempus, quo per efficacem operam Spiritus Sancti animi hominum ita diſponerentur, ut abſque ullo *opere moleſto* & *laborioſo*, quale fuit *Opus Legis* & *Diſciplinarum*, Legi junctarum, *ſumma cum libertate* fructus pro-

Figuravit beneficium *Sanctificationis* ſub OEcon. N.

Quod oſtenditur.

Bbbbbb 2 duce-

a Matth. XIII. 1, 2, 3. b Gal. II. 17.

ducerent bonorum operum ad gloriam Dei & commodum proximi cum bona conscientia & sincera animi lætitia: quę est *vera* illa *quies*, ἥτις ἀπολείπεται τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ [a].

Cl. Altingii meditatio de significatione mystica Sabbathi & Jubilæi.

IX. Differunt equidem hæc ab iis, quæ pie in hunc locum meditatus est Cl. Altingius. Putat ille, Judæos in typo Anni Sabbathici & Jubilæi habuisse expectationem illius boni, quo terra tota, inhabitanda à piis & vere credentibus & liberata à maledictione, cui propter peccatum est subjecta, sponte editura sit fructus uberrimos in usum jumentorum & hominum absque ulla cultura, quemadmodum fecisset, si primi homines, & cum iis tota natura, in statu integritatis perstitissent. Qua de re, non tanquam dubia, sed certa, Vir Doctissimus pluribus disputat. Mihi volupe non est meditationes Viri, cujus memoriam tanquam de Ecclesia optume meriti veneror, data opera refellere, nec tamen integrum est ob plures rationes, quę pro contraria pugnant, in ipsius sententiam concedere. Annus Sabbathicus & Jubilæus mihi videntur significare debere Beneficium, quod pertinet ad totum tempus Novæ OEconomiæ. Videtur præterea mihi significare debere Beneficium *spirituale*, non *corporale*, sive externum & temporale. In typicis enim & Propheticis externa respondent internis, Corporalia spiritualibus. Terra itaque, quæ res corporalis est, non debet significare *terram*, sed quid aliud, quod πνευματικῶς *terra* vocari potest. Si enim quod hic literaliter *terra* dicitur, *terram* aliam ejusdem generis figuraret: reliqua quoque quæ in his Annis locum habuerunt, *liberaliter* deberent exponi. Ut v. gr. quod *Debita* eo Anno remitterentur, & Servi in libertatem restituerentur: significare deberet, eo tempore Ecclesiæ nulla contrahenda esse Debita pecuniaria, nec homines ullos redigendos in statum *servitutis* corporalis. Id vero mihi inconvenientius dici videtur, quia alia dantur longe nobiliora *Beneficia spiritualia*, quæ per has prærogativas externas cum ratione dicuntur designata esse.

Ad eam ἐπίκρισις.

Hypothesis superior confirmatur & illustratur.

X. Secundum hypothesin itaque nostram, qua corporalia per spiritualia interpretamur, *Accidentia Anni Sabbathici* nobis significabunt *Accidentia Status quietis spiritualis*, qua Credentes gaudent sub OEconomia Novi Fœderis, quæ sane quam accura-

a Heb. IV. 9.

curatissime inter se conveniunt. *Primum* Accidens Anni Sabbathici fuit, quod fructus terræ omnibus promiscue Israëlitis absque ulla distinctione cesserint in usum. Per quod significatum, fore ut sublata distinctione, quæ sub Vetere OEconomia obtinuerat inter Judæos & Gentes, imo inter Judæos & Judæos, & inter Gentes ac Gentes, omnes nunc *unum* sint per *fidem in Christum*, iisdemque in Christo fruantur prærogativis spiritualibus ad mutuum incrementum & ædificationem. *Secundum* fuit, quod *Servi & Servæ Hebrææ dimitterentur in libertatem:* quo prænotatum est, ruptis vinculis *servitutis*, qua constricti erant Credentes sub Lege durante OEconomia Vetere, Ecclesiam vindicandam esse in *veram libertatem Filiorum Dei*, quam Paulus explicuit in Epistola ad Galatas. Tertium *Accidens* illius Anni fuit *Remissio Debitorum*, ut in præcedentibus vidimus. Quo figuratum est, Credentes sub Novo Testamento *talem* habituros esse *ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν in sanguine Christi*, ut ab ipsis illo statu temporis EXIGI (נגש) non possit *Chirographum*, neque illi de *Debitis*, tanquam adhuc extantibus, compellari. Quæ omnia Accidentia arguunt Beneficium consummatæ LIBERTATIS, quæ cum QUIETE constitueret magnas illas prærogativas, quibus qui sub Nova vivunt OEconomia supra eos excellunt, qui sub antiqua OEconomia Deum coluerunt.

XI. Nec obstat, quod *Debita* non à *Deo* remitterentur immediate, sed à *fratribus*. Quod enim frater fratri apud Judæos debebat, simul *debebat* Deo, qui erat tanquam *Proprius Dominus* terræ Canaan, cui reliqui Agricolæ veluti Coloni illius Agri & Usuarii obnoxii erant. Quod itaque Israëlita Debebat Israëlitæ, id simul Debebat Deo. Quare *Debita* fratribus jussu Dei remissa ab ipso Deo censebantur remitti. Unde itaque patet, *ἄφεσιν illorum Debitorum* optume figurare potuisse *Remissionem* illorum *Debitorum*, quæ Credentibus à Deo obtingit sub Nova OEconomia cum *Libertate* & *Sanctificatione* per *sanguinem Christi* ex gratia. Nisi tempori & chartæ pepercissemus, plura addidissemus. Reddat nos Deus tantorum Bonorum participes!

Objectio aliqua, adversus eam mota, removetur.

Caput V.

Demonstrandum suscipitur ad veram intelligentiam Oraculi Jacobæi Gen. XLIX. 10. Sceptrum tempore nati Christi nondum à Juda ablatum, *sed omnino adhuc superstes fuisse in* Herode Magno, *Judæorum Rege, refelliturque quæ adversus hanc sententiam* prima *inferri solet ratio ex statu Regni Judaici sub* Herode Magno *Romanis obnoxii. Quæ tamen demonstratio cum supponat, tum Judæ Tribui in Oraculo illo Jacobæo promitti* Sceptrum *usque ad Adventum τȢ Schilo; tum* Schilo *illum esse Christum: necessaria, quæ ad has hypotheses fulciendas faciunt, ipsi illi Demonstrationi præmittuntur.*

Quæritur ad loc. Gen. XLIX. 10. an *Sceptrum* adhuc superfuerit inter Judæos, nato Christo?

Etiamsi inter omnes Christianos constet, tempore nati inter homines *Christi Jesu* Judæo Populo præfuisse Herodem Magnum Titulo & dignitate Regia: paucissimi tamen Interpretes illustris Oraculi Jacobæi, Gen. XLIX. 10. quo *Juda Sceptrum* & *Legislator* promittuntur usque ad adventum τȢ Schilo, hoc est, Messiæ, confidenter audent asserere, *Sceptrum*, hoc est, *Regiam Dignitatem* in Tribu Juda etiamnum superfuisse, quando Jesus Dominus, in quo nos tanquam vero Christo & Tranquillatore Jacobæi vaticinii implementum quærendum scimus, in hunc mundum editus est. Imo Quidam inter Doctos iique magni nominis Viri contendunt, Sceptrum jam à Juda fuisse ablatum, quando Tsedekias, ultimus stirpis Davidicæ Rex, de solio deturbatus est per Nebucadnezarem, autumantque Jacobæo Vaticinio omnino satisfieri, modo dicamus, solum *Legislatorem* in Juda superfuisse tempore nati Domini. Alii *Sceptrum* explicant per *Rempublicam*, quam Judæis salvam fuisse concedunt usque ad ortum Christum, de *Regimine* sive *Sceptro* Herodis nihil speciatim definientes. Alii contra Jacobi verba in alium deflectunt sensum, Hebræam vocem

Communis sententia, *Sceptrum jam fuisse ablatum*, quomodo cum fide hujus prophetiæ concilietur?

שבט

שבט non per *Sceptrum* sed per *Tribum* interpretantes, quam docte & ingeniose conficiunt instar singularis privilegii apud Judæ posteros usque ad tempus nati Christi superfuisse, eo quod *Genealogia tribus Juda* & aliarum Tribuum, beneficio tribus Judæ, usque ad id tempus conservatæ sint. Patres vero tantum abest ut in Sceptro Herodis superstes Sceptrum Judæ agnoverint, ut passim statuant, Judam Sceptro gavisum esse *usque ad Regnum Herodis*, sed cum *Regno Herodis Sceptrum à Juda ablatum esse*. Quæ quidem omnes sententiæ in hanc conspirant communem hypothesin, in *Sceptro Herodiano* implementum Vaticinii Jacobæi de *Superstite Sceptro in Juda circa tempus orituri Messiæ* quærendum non esse.

Sunt qui per שבט intelligunt *tribum*.

II. Digna tamen nobis visa est materia disputandi, an hæc hypothesis tam sit certa & indubiæ veritatis, quam est communiter recepta probataque. Quodsi enim cum ratione dici possit, *Sceptrum Judæ* circa tempus orti Domini vere superstes fuisse in *Sceptro Herodiano:* facillima evadet hujus Vaticini explicatio, nec necesse habebimus in eo exponendo tot facere circuitus, quot vulgo solent hujus Oraculi Interpretes.

Disputatio hujus argumenti utilis.

III. Ubi itaque Communis hujus Hypothesis indagavi rationes, has repperi duas, præ ceteris memorandas; 1. Quod Herodes Magnus Populo Judæo Rex datus sit à Romanis, & in Exercitio Potestatis Regiæ ab iis dependerit. 2. Quod idem ille Rex Herodes Gente non fuerit *Judæus* sed ἀλλόφυλος *alienigena*; Idumæus nempe, &, quod superstitionibus Gentilium addictior esset, Judæo populo exosus.

Fundamenta communis sententiæ, *Sceptrum non superfuisse in Herode.*

IV. Quarum antequam examinem momentum & valorem, *duo* mihi concedi postulo ab æquo & candido Lectore, absque quibus universa hæc Dissertatio videri posset frustranea prorsus & otiosa. 1. Oraculo Jacobæo, absque præjudiciis, ex historia natis, expenso, Judæ Tribui promitti non minus *Sceptrum* quam *Legislatorem usque ad adventum Messiæ*. 2. Et quidem promitti *Sceptrum* & *Legislatorem*, non jam à Juda ablata, quando Messias in mundum veniret, sed apud tribum Judam etiamnum superfutura, adeo ut *Schilo* sub illo *Sceptro* & *Legislatore* nasceretur. Quod enim ad alias quasdam Doctorum Virorum hypotheses attinet, ut v. g. שבט *Sceptrum* hic explicandum esse

Hypotheses, in hac disputatione præmittendæ.

per

per *Tribum*, aut *Rempublicam*; *&c.* iis refutandis non incumbemus, quia nemini obſcurum eſt, Auctores ad illas propterea deflexiſſe, quod veram & genuinam Oraculi ſententiam cum Hiſtoria minus commode conciliari poſſe arbitrarentur. Certe enim ſi ex hiſtoria probari poſſit, *Sceptrum* vere apud Judam ſuperfuiſſe, quo tempore Dominus in mundo natus eſt, nemo amplius dubitabit, quin שבט in Oraculo Jacobæo commodiſſime per *Regiam Dignitatem* explicetur.

Prior, in prophetia Jacobæa promitti *Sceptrum* ſuperſtes uſque ad adventum Meſſiæ.

V. Primo itaque ſic ſtatuo, Apopthegmate Jacobæo ſimplici mente lecto abſque præjudiciis, aſſumptis ab eventu rerum geſtarum, Judæ tam *Sceptrum* quam *Legiſlatorem* promitti uſque ad adventum Meſſiæ; Jacobum prænunciare, inquam, non *Sceptrum* minus quam *Legiſlatorem* apud Judam ſuperfuturum, quando Meſſias naſceretur. Verba Oraculi ſic ſe habent:

Verba prophetiæ.

Sceptrum non recedet a Juda, et Legislator de medio pedum ejus, usque quo veniat Schilo. Quibus utique duplex manifeſta continetur ſententia; 1. *Non receſſurum Sceptrum à Juda*; 2. *Non eſſe receſſurum Legiſlatorem à Juda*, & quidem; usque quo veniat Schilo. Verba inquam, Jacobi; *Sceptrum non recedet à Juda & Legiſlator è medio Pedum ejus, uſque quo veniat Schilo*, in duas has ſententias reſolvenda ſunt; *Sceptrum non recedet à Juda, uſque quo veniat Schilo*; *& Legiſlator non recedet a Juda, uſque quo veniat Schilo*, quia beneficium *Non receſſuri Sceptri* æque conjungitur cum tempore Adventus Meſſiæ, ac prærogativa *Non receſſuri Legiſlatoris*. Imo verba; לא יסור שבט מיהודה *Non recedet Sceptrum à Juda*, ſenſum abſolvunt integrum cum verbis; עד כי יבא שילה *Uſque quo veniat Schilo*, non minus ac verba; ומחקק מבין רגליו *& Legiſlator è medio pedum ejus*, connexa ſunt cum iiſdem illis verbis; *Uſque quo veniat Schilo*.

Demonſtratio hypotheſis, ex iis inſtituta.

VI. Sic inſtituimus paucis. Vel verba; *Non recedet Sceptrum à Juda*, referenda ſunt ad ſequentem termini circumſcriptionem; *Uſque quo veniat Schilo*: vel per ſe ſubſiſtunt, & ſeorſim ab illa temporis definitione intelligenda erunt. Si poſterius, tum ſtatuendum erit verba hunc fundere ſenſum abſolutum; *Sceptrum non recedet à Juda*, hoc eſt; Tribus Juda beneficio Regiæ dignitatis gaudebit in æternum. Qui ſenſus primæ hu-

jus

jus partis Oraculi etſi nuper poſt aliorum ſententias exploſas propoſitus adſtructuſque ſit ab Eruditiſſimo Viro, Petro Daniele Huetio; nobis placere non potuit. Si enim verba; *Sceptrum non recedet à Juda*, Judæ ſpondeant æternam Regiæ dignitatis poſſeſſionem: utique exponenda erant de *perennitate Regni Meſſia*, & ſic nomine *Legiſlatoris* deſignabuntur tam *Reges* quam *Principes*, qui ortum ſuum ex Juda ducentes Iſraëlitis dominati ſunt; *caducus*, inquit Huetius, & *temporarius Judæ Principatus*. Sed quam prorſus coacte, & contra omnem ſimplicitatem & elegantiam loquendi? Cum enim in his Oraculis prænuncientur ſingularium tribuum caſus & prærogativæ, atque tum ex hiſtoria conſtet, inter prærogativas tribus Judæ non minimam fuiſſe, quod Regia dignitas in ea per ſæcula aliquot continuata ſit; tum etiam vocabulum שבט *Sceptrum* nos ſponte ducat ad cogitandum de hac prærogativa ſingulari tribus Judæ: ſecundum Doctiſſimum illum Virum tamen nihil tale hoc loco per eam vocem intelligendum erit; contra, cum vocabulum מחקק nos ſponte non ducat ad cogitandum de *Sceptro* Poteſtateque *Regia*, ſed potius de *Poteſtate Judiciaria in Sacris*, ſive de *Inſtitutione Sacerdotali* aut *Scholaſtica*, cum auctoritate conjuncta, qualis obtinuit in Judaiſmo ſecundum illius Leges Reipublicæ: ſecundum hanc ſententiam tamen illa ſub notione tam intelligendi erunt Reges, qui de Juda oriundi hoc nomine & titulo inter Iſraëlitas dominium obtinuerunt, quam Principes Duceſque inferioris conditionis, quales poſt Babylonicam Captivitatem Rempublicam adminiſtrarunt. Quis non videt, (quod pace Viri Præſtantiſſimi dictum ſit:) id violentum coactumque eſſe? Præterea cum ſtatutum fuerit Patriarchæ in fine hujus oraculi notare tempus *adventus τȢ Schilo*; quare, quæ de æternitate Regni Judæ dicenda habuit, non rejecit ad calcem hujus oraculi, quando quæ dicenda habuiſſet de *æternitate Regni Meſſia* multo clarius & facilius in hunc aut alium aliquem modum enunciaſſet; מחקק לא יסור כבין רגלי יהודה עד כי יבא שילה ולו שבט עולם ויקהת עמים Saltem ſecundum Eruditi Viri mentem verba; לא יסור *Non recedet*, neceſſario debuiſſent repetita eſſe in altera parte hujus pericopæ, quę agit de *Legiſlatore*, hoc modo; *Non recedet Sceptrum à Juda, & Legiſlator non recedet &c. Uſque &c.* Quod

An verba promittant Judæ *Sceptrum æternum?* Cl. Huetii ſententia.

A qua modeſte diſceditur.

jam

jam si factum fuisset à Jacobo Patriarcha: quid tandem sibi voluisset copula *Et*, quę duas sententias de *Sceptro* & *Legislatore* conjungit, & utramque tempori adventus Messiæ annectit? Secundum Huetium enim illa duo; *Sceptrum non recedet à Juda*, & *Legislator è medio pedum ejus:* nihil inter se habebunt commune; quippe altera de *æterno*, altera sententia de *caduco* & *temporario Principatu* aget. Dixisset igitur Jacobus ex mente Eruditi Viri: *Sceptrum non recedet à Juda. Legislator non recedet, &c.* sublata copula, Et. Quare nihil restat, nisi ut colligamus, *priorem* Oraculi *partem*, qua *Juda* spondetur *possessio Sceptri*, æque referendam esse ad definitum tempus *Schilo* nascituri, ac illam, qua Judæ promittitur *Legislator*, in illud usque tempus superstes. Quod à nobis evincendum demonstrandumque erat.

Et Sententia eorum, qui hic promitti putant tribui Judæ, alterutrum, vel *Sceptrum*, vel *Legislatorem*, super futurum ad adventum Schilo.

VII. Non agnoscent tamen, scio, vim hujus nostræ collectionis Docti Viri qui putant, Verba Jacobæi Oraculi; *Non recedet Sceptrum à Juda, & Legislator &c.* hunc admittere posse sensum, Sceptrum & Legislatorem *utrumque simul recessura non esse à Juda usque ad adventum Schilo.* Sed vehementer dubito, an hanc suam interpretationem ullo simili exemplo illustrare possint. Inquirenti enim nulla hactenus obvenerunt. Copulans Litera ו aliquando quidem obtinet significationem *Disjunctionis*, & vertitur per *aut:* sed illa significatio huic casui non quadrat. Sic enim in incerto reliquisset Jacob, utrum *Sceptrum* perseveraret apud Judam, utrum *Legislator*, usque ad adventum *Tranquillatoris Messiæ.* quod alienum à ratione.

Ε'πίκρισις ad interpretationem Docti cujusdam Viri.

VIII. Imo cum Prophetarum Oracula passim amplissimum complectantur sensum, & secundum maximam δύναμιν τῆς φωνῆς exponenda sint: est quod mirer, Eruditum Interpretem *temeritatis* accusare, qui ampliorem ex verbis hujus Oraculi sensum colligunt quam quem ipse *minimum* fatetur. Verba ejus: Non recedet Sceptrum a Juda et Legislator e medio pedum ejus. *Sensus minimus est; Non, si recedet Sceptrum, Legislator recedet, qui sit ex medio pedum Juda, sive de semine ejus.* Donec veniat Schilo. *Non simul recedet, & Legislator & Sceptrum. Quum autem Verba hæc in tali restrictione accipi possint,* temerarium *fuerit dicere, significari hic, quod Sceptrum omnino non sit recessurum à Juda, sed mansurum sit æque atque Legislator, usque ad adventum Christi.*

Christi. Hoc enim esset addere ad dicta. Hanc sententiam non probo; imo prorsus contrarium sentio. nec deprecor culpam temeritatis, si vaticinio Jacobæo majorem aliquem ampliioremque sensum dederim; neque alium tamen sensum, quam Verba Jacobi absque præjudicio historiæ lecta cuique attento lectori produnt. Præjudicium Historiæ fecit, nisi fallor, ut Docti Viri circumspexerint, an non Jacobi Verbis minorem aptare possent sensum, quam præ se ferunt. Quod si commode sublatum fuerit, cætera se bene habebunt.

Altera hypothesis: Sceptrum promitti adhuc superstes quo tempore Schilo nasceretur: quæ demonstratur.

IX. *Alterum*, quod mihi ut concedatur postulavi, erat, Oraculo Jacobi hanc contineri promissionem, quod *Juda Tribus Sceptrum & Legislatorem adhucdum possideret, quando Messias vivere inciperet.* Manifestissimum illud est attendendi ad ipsa Jacobi Verba. Promittit Judæ *Sceptrum* & *Legislatorem* עד כי USQUE QUO *veniat Schilo.* Atqui vero illud עד USQUE connexum cum verbis; כי יבא שילה *Cum venerit Schilo*, clare infert possessionem *Sceptri* & *Legislatoris* usque ad Adventum Messiæ duraturam, sic ut possessio Sceptri illum Adventum τȣ̃ Schilo attingeret & per illum *Adventum* quasi *terminaretur.* Hebræum עד tempus notat indefinitum non minus ac Latinorum *Usque.* Quod *usque* cum per nullum terminum subjectum limitetur & definiatur, significat *æternitatem*: verum si per subjectam orationem circumscribatur & finiatur, ad minimum significat conjunctionem durationis, quæ per *usque* exprimitur, & termini adjecti, per quem illi durationi modus ponitur. Qui terminus adjectus cum in Jacobi Verbis sit *Adventus τȣ̃ Schilo*: sequitur, *Possessionem Sceptri & Legislatoris* in Juda usque ad illud tempus duraturam.

Veterum præjudicium in contrarium.

X. Facilis hæc videtur & est observatio, sed magni usus in rem præsentem, & quę neglecta non obscuros hujus Oraculi Interpretes sæpe in errores duxit. Utique Veteris Ecclesiæ Doctores, paucis exceptis, hoc posito fundamento, Sceptrum cum Imperio Herodis Alienigenæ à Juda ablatum esse: satisfieri Oraculo arbitrati sunt, si ostendatur, *Sceptrum* à Juda Tribu possessum esse, non quidem *usque* ad Adventum τȣ̃ Schilo, sed usque ad tempus Adventui Messiæ proximum. Sceptrum secundum illos non necessario permanere debuit apud Judam usque ad ipsum Messiam inter homines natum, sed ante illud tempus jam

auferri potuit à Juda, modo illud intervallum non admodum longe distaret ab ipso tempore Nativitatis Messiæ. Videatur omnium instar Eusebius [a]. Sed fallitur Eusebius, & falluntur quotquot ex hac hypothesi Vaticinium Jacobæum sibi explicandum sumunt. Potestas verborum absque ulla admittenda restrictione exigit, ut possessio Sceptri & Legislatoris Judæ pertingat usque ad terminum Nati Schilo. Promissum illum Schilo sub Sceptro & Legislatore Judæ nasci oportebat.

Quod refellitur.

XI. Quod si igitur Jacobi Verba Judæ tribui *Sceptrum* spondeant usque ad adventum Messiæ, & Sceptrum quidem non jam ablatum paulo ante id præcisum tempus nasciturі Messiæ, sed eodem adhuc tempore superstes; videndum erit, an non circa tempus nati Jesu Christi, quem nos ex animo credimus per *τὸν Schilo* intelligendum esse, *Sceptrum* penes Judam superfuerit. Si enim verba Oraculi id inferant: dubitandum non est, quin Deus, non minus fidelis in præstando quam liberalis in promittendo, res ita disposuerit sua Providentia, ut certo simus inventuri in eventu & implemento, quod nos per promissiones & prædictiones quærere jussit.

Quæritur, an hac parte Oraculo satisfactum sit?

XII. Narrant autem Historiæ Evangelicæ, Christum Jesum in lucem hujus mundi editum esse sub *Herode*, Rege Judæorum florentissimo, & rebus gestis tam in quam extra Patriam clarissimo. Quod cum factum non sit absque singulari cura Divinæ Providentiæ: graves illas esse oportet & ponderosas rationes, quæ prohibeant, quo minus in *Herodiano* hoc Regno vel *Sceptro* agnoscamus Oraculi Jacobæi implementum. Nec graviores tamen ullæ, quantum scio, producuntur, quam quas §. III. recensuimus. Excutiamus illas cum bono Deo, videamusque quanti valeant.

Simplex fides historiæ de Herode, *Rege Judæorum*, tempore nati Christi.
Quare in eo Docti Viri non agnoscant *superstes sceptrum*?

XIII. Primo itaque Docti Viri adversus *Herodianum Sceptrum* inferre solent, Herodem Regem Sceptrum suum recepisse à Romanis, Judæa jam aliquot annis ante illud tempus Romanis obnoxia. Audiamus Eusebium, de eo in hunc modum disserentem [b], etsi potior illi ratio desumatur ab Herodis genere: *Reversi demum è Babylonia* (Valesii versionem sequimur:) *Optimatum Imperio & Paucorum Dominatu deinceps uti cæpere. Rerum enim summa penes Pontifices erat*, DONEC POMPEJUS PROCONSUL

Prima ratio, quod obnoxius fuerit Romanis.
Verba Eusebii hac de re.

a Hist. Eccl. Lib. I. Cap. VI. b H. E. Lib. I. Cap. VI.

sul Populi Romani eo adveniens, Hierosolymam quidem armis expugnavit, *& ad intimum usque Sacrarium Templum polluit: Aristobulum vero, qui per avitam Successionem ad id usque tempus Rex simul & Sacerdos permanserat, vinctum cum liberis Romam misit, & Hyrcano quidem ejus fratri Sacerdotium tradidit:* τὸ δὲ πᾶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐξ ἐκείνου Ῥωμαίοις ὑπόφορον κατεστήσατο· Universam autem Judæorum Gentem exinde Romanis Tributariam fecit. *Haud multo post Hyrcano, in quem ultimum Sacerdotum progenies erat devoluta, à Parthis intercepto, primus, ut dixi,* ἀλλόφυλος Ἡρώδης Herodes ex alienigenis *à Senatu & Augusto Judææ Regnum accepit.*

XIV. Eadem chorda oberrat Eusebius in tota hac & satis prolixa dissertatione. Potissima illi ratio, quod in Sceptro Herodiano Sceptrum Judæ superstes non agnoscat, desumitur ab Herodis Genere & Gente. Quę tamen ut magis stringat, subjicit, Judæum Populum, postquam à Pompejo devictus & subactus est, Romanis redditum fuisse ὑπόφορον *tributarium:* Sceptrum igitur tunc perdidisse, nec deinceps unquam recuperasse. Quo modo hanc disputationem exequatur.

XV. Et hic quidem, si disputandum nobis cum solo Eusebio esset, facilem nobis promitteremus victoriam. Eusebius enim cum aliis antiquorum temporum Doctoribus non negat, Judæos Sceptrum possedisse & retinuisse, quando Respublica, sive à Principibus sive à Pontificibus gubernata, subdita fuit Persis, Ægyptiis, & Syris. Quę caussa igitur Sceptrum Judæ negandi, quando Judæa Gens, à Principe ejusdem generis & ordinis recta, obnoxia fuit Romanis? Cur, Hyrcano clavum Regiminis Romanorum beneficio tenente, Judæus Populus magis censeri debeat *Sceptro* privatus, quam Onia, ejusdem Gentis Principe & Pontifice, beneficio Ptolemæi Euergetis? Agnoscit Eusebius eo etiam tempore continuatam Sceptri διαδοχὴν *Successionem*; nec habet igitur rationem eandem illam Successionem in Hyrcano non agnoscendi. Sed res nobis hic cum solo Eusebio non est. Quare disputemus liberius, videamusque, tum quatenus Herodes Rex Romanis obnoxius fuerit; tum vero præcipue, quę pars magna est nostræ controversiæ, an propter illam ὑποταγὴν Herodis sub Romanis Sceptrum à Juda Tribu dici debeat ablatum esse. Qui ex ipsius principiis refutari potest.

Liberiori disputationi hac de re instituendæ præmittitur notitia Herodis.

XVI. Herodem Regem, Filium Antipatri, cognomine Magnum, Antonio & Augusto, Principibus Romanis, hoc debuisse beneficium, quod *Sceptrum* gesserit, hoc est, quod Regia fulserit Dignitate Majestateque, Josephus prodit Historiographus, gravis Auctor, neque ullus negat Veterum. Hyrcanus & Aristobulus fratres, de Gente Assamonæorum, suis effecerant contentionibus, ut opportuna submistrata fuerit occasio tum Pompejo se miscendi cum rebus Judæorum, & Judæam, florentissimum illo cum maxime tempore Regnum, opprimendi subjugandique; tum Antipatro nobili & diviti Idumæo, Hyrcani patrono, sua in rem Romanam studia variis casibus potentissimis Imperatoribus Pompejo & Cæsari majorem in modum commendandi, & his artibus domum suam ad summam in terris provehendi dignitatem. Antipater enim, jam ante sub Hyrcano summa cura res Judæorum administrans (ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐπιμελητής[a],) à Julio Cæsare factus est ἐπίτροπος καὶ στρατήγης τῆς Ἰουδαίας *Procurator* & *Præses Judææ*[b], Hyrcano tamen Ethnarchæ obnoxius: Filiosque suos majores natu, Phasaëlum & Herodem, ante obitum suum Hierosolymirani Agri & Galilæę *Duces* (στρατηγοὺς) vidit. Filius dein ejus Herodes, majoris animi homo, post molestam luctam cum Antigono, contra spem atque opinionem Judæorum, à Senatu Romano, operam dante Antonio, Rex Judæę declaratus est[c], & post Antigonum devictum summa gloria tam sua quam Gentis Judæum Populum rexit. Augustus vero Cæsar post debellatum Antonium de novo; in gratiam suam recepto Regnum confirmavit[d]. Unde liquet, & quis negęt? Herodem Regem beneficium Regni Romanis in solidum debuisse.

In administrando Regno Romanis obnoxius fuit.

XVII. Herodes autem ut Regnum à Romanis recepit, sic in administratione Regni adeo se obnoxium & subditum gessit Romanis, ut nullam rem majoris momenti, Augusto aut ejus in Syria Præsidibus inconsultis, egerit. Exemplum sit, quod in Arabiam, quod Regnum pariter ac Judæa Romanorum arbitrio stetit, nihil ne quidem ad jus suum persequendum tentare ausus sit, nisi venia impetrata à Præsidibus Syriæ Saturnino

a Jos. Ant. L. XIV. C. XIV. b J. L. XIV. C. XV. XVI. c Jos. Ant. L. XIV. Cap. XXVI. d L. XV. C. X.

nino & Volumnio: & Cæsar tamen id ipsum factum, ad ipsum cum calumniis à Syllæo delatum, in sequiorem partem interpretatus est[a]. Testamentum illi de successione in Regnum condere non licuit absque præcedaneo Augusti Imperatoris consensu[b]. Quin in ipsis quoque litibus domesticis Arbitrum Judicemque elegit Augustum, adeo totus Augusto obnoxius & devinctus videri volens, ut præter illius consilium & sententiam in publicis rebus nihil molitus sit.

XVIII. Nego tamen, propter illam Herodis ab Antonio & Augusto dependentiam *Sceptrum* à Juda vel Judæis dici debere ablatum esse. Quod ut cum ratione negare videar, in antecessum videndum erit, quid sit *Sceptrum habere* vel *possidere*, de integro prædicatum populo.

Negatur tamen, propterea Sceptrum à Juda fuisse ablatum.

XIX. Quilibet Populus *Sceptrum* mihi *habere* dicitur, simplici & non longe quæsito sensu, cui præest *Rex*, qui *nomine* ipsius illius *Populi* Regnum administrat, & quidem secundum *illas Leges*, secundum quas Populus ille in Societatem coiit. Qui Populus *Regem* habet, potestatem Populi *ejusdem illius Populi nomine* exercentem, is *Sceptrum* habet. Hoc qui caret privilegio Populus, ab eo Sceptrum ablatum est. Sic Macedones, Syri, Arabes, Ægyptii, meo sensu, *Sceptrum* habuisse dicuntur, quandiu Populi illi subfuerunt Regibus, qui *nomine Macedonum*, *Syrorum*, *Arabum*, *Ægyptiorum*, Regnum administrarunt secundum communes illarum Rerum publicarum Leges. Tum vero *Sceptro* privati sunt, quando desierunt habere *Reges*, qui Gentes illas ipsarum *nomine* rexerunt; quod factum, ubi Regiones illæ à Romanis in Provincias redactæ sunt.

Quo sensu, & quatenus Populus dicatur habere Sceptrum?

XX. Cum enim *Sceptrum* habere sit habere *Regem*, Sceptrum gestantem, ut *suum Regem*; Regis autem, Sceptro fulgentis, sit tam imperia dare Populo ad Reipublicæ utilitatem, quam jus dicere Populo, aut Juri dicundo præesse, (quę duo per insigne *Sceptri* declarantur:) mea quidem sententia *Sceptrum* habere dicendus est Populus, qui à *Rege*, ut suo REGE, hoc est, Regnum illud administrante ipsius illius Populi nomine, *regitur judicaturque*; quippe ad quæ potissimum officia Rex à Populo constitutus est, & quæ ipsa, ut dixi, officia *Sceptri* cum-

Quod uberius declaratur & exponitur.

a Jos. Ant. L. XVI. C. XV. b Ant. L. XVI. C. VI.

emblemate illustrantur. Quod si vero Populus in Principis alicujus potestatem veniat, qui illum Populum Regno suo adjicit, eumque instituit gubernare *illius* nomine *Gentis*, cujus ipse Rex est & appellatur: tum demum manifestum est, *Sceptrum* à Populo illo auferri. Quandiu, Exempli gratia, Italiam rexerunt Imperatores, qui sive à Senatu sive à Militibus lecti, imperium *titulo* & *nomine* Populi Romani tenuerunt, tamdiu Romani censendi sunt *Sceptrum* possedisse; quod equidem factum usque ad Momyllum, sive Augustulum; sed quam primum sive Turcilingi & Heruli, sive Ostrogothi, subacta Italia, Populo Romano ut *Herulorum* aut *Ostrogothorum* Reges præfuerunt, remque omnem publicam non *nomine Populi Romani*, ut hactenus factum, sed nomine *Populi Turcilingici* aut *Ostrogothici* administrarunt, quod fecerunt Odoacer & Theodoricus: tum demum *Sceptrum* à Romanis recessit.

Exceptiones, quæ adversus hanc hypothesin produci possunt.

XXI. Si quis autem existimet, hæc, quibus nos *possessionem Sceptri* circumscripsimus, non sufficere ad hujus *Privilegii definitionem*, sed plura beneficia illo Privilegio comprehendi, & quidem hæc præterea duo *α*. Ut Populi Rex sive Imperator nulli alii Principi aut Populo potentiori ullo modo obnoxius sit. Atque adeo *β*. ut *alterius Populi* non sit ὑπόφορος *Tributarius*, (etsi Herodes, ut dein dicemus, *Romanorum tributarius* non fuerit:) illum arbitror sibi absque ulla necessitate nodos nectere, non facile solvendos.

Refelluntur ex exemplis aliarum Gentium, ut Philippi & Antiochi M. Macedoniæ & Asiæ Regum.

XXII. Quæso enim te, quando Philippus, Rex Macedonum, Antiochus Magnus Asiæ, aliique similes à Romanis bello victi, illorum beneficio & secundum illorum arbitrium post illud tempus regnarunt: an dicenda sunt potentissima Macedoniæ & Asiæ Regna privata esse beneficio *Sceptri*? Dicemusne, *Sceptrum illo tempore* à Syris, inquam, & Macedonibus *ablatum* fuisse? Certe Populi illi eorundem illorum *Regum* imperio absque ulla, quod ad ipsos, mutatione deinceps subfuerunt, & ex vetere more atque instituto secundum easdem Leges, manente eadem Reipublicæ forma, recti sunt. Gavisi sunt Regibus suis, *tanquam suis*, qui nulla ipsis præscripserunt jussa *nomine Populi Romani*, sed omnia in Republica egerunt nomine *Populi Macedonici* aut *Asiani*, apud quos rerum potieban-

bantur. Macedones igitur & Syri, post Reges illorum Philippum & Antiochum à Romanis debellatos, *Sceptro* privati non sunt. Et hi tamen ipsi Reges ad illas angustias à Romanis redacti sunt, ut Leges pacis à Populo Victore obsequiose receperint, Sceptraque & Diademata sua post illud tempus *Romanorum beneficio* gestaverint; quin etiam per aliquot annos illis non contemnendam pecuniæ summam pendere coacti sint, auctore Livio [a].

XXIII. Imo videtur mihi hæc res tota egregie illustrari posse ex quadruplici conditione *Populi Macedonici*, quas colligere licet ex eodem Livio [b], non incerto utique Auctore. Gens Macedonum, dudum assueta potentium Regum imperio, post alios subfuit Philippo, Demetrii Filio, qui illam aliquandiu αὐτοκρατορικῶς, nullo externo Principi minimum obnoxius, rexit. Postmodum bello victus à Romanis Regno quidem ab iis exutus non est, sed eo tamen redactus, ut quamlibet conditionem pacis, quam Romani ipsi præscribebant, accipere teneretur. Regnum igitur, ceu beneficium, ab hoc tempore debuit Romanis, eorumque *arbitrio* tam ipse quam Filius ejus Perseus regnarunt. Nempe *Tria*, ut alibi Livius ait [c], verbis Menippi, *genera sunt Fœderum, quibus inter se paciscuntur amicitias Civitates Regesque. Unum quum Bello victis dicuntur Leges. Ubi enim omnia ei, qui armis plus potest, debita sunt, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum, quum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam veniunt. Tertium esse genus, quum qui hostes nunquam fuerunt, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coëunt. eos neque dicere neque accipere Leges; id enim Victoris & Victi esse.* Videmus inde, quę conditio fuerit Philippi Regis, postquam à T. Quintio, Imperatore, prœlio victus est. Dictæ illi sunt *Leges Pacis* à Decem Legatis, *ut victo*, duræ quidem illæ, nec tamen, nisi male mulctari voluisset, recusandæ. Inter has fuerunt, *ne extra Macedoniæ fines, injussu Senatus, bellum gereret; ut mille talentum daret populo Romano; dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum.* Successionis quoque in Regnum Senatui Romano constare debuisse

Quadruplex conditio Populi Macedonum, enotata ex Livio.

Dddddd

a Hist. Lib. XXXIII. Cap. XXX. b Lib. XXXVIII. Cap. XXXVIII.
c Lib. XXXIV. Cap. LVII.

buisse rationem, inde liquet, quod Perseus Philippi filius, quam primum Regno potitus erat, *Legatos Romam* miserit *ad amicitiam paternam renovandam, petendumque*, UT REX AB SENATU APPELLARETUR. Mentio illius fit apud eundem Livium non uno loco [a]. Suberat itaque hactenus Populus Macedonicus Regibus suis, qui Regnum illud tanquam quod Macedonum esset, neque ullo alio nomine aut titulo, administrarunt, etiamsi obnoxii fuerint Romano Populo. Sed mutata denuo est Populi hujus conditio post Persea Regem, Philippi Filium, à Paulo Æmilio armis superatum. Sublata tum quidem est dominatio Regia, nec tamen redacta est Macedonia in formam Provinciæ. Placuit Senatui, ut *Macedones*, ab imperio Regum vindicati, LIBERI ESSENT, *habentes urbes easdem agrosque*, UTENTES LEGIBUS SUIS, *annuos creantes Magistratus*. Dein ut *in quatuor Regiones divideretur Macedonia*, QUARUM QUÆQUE suum CONCILIUM HABERET in Principe cujusque Regionis Urbe, *ubi & magistratus creandi erant*. . . . De cætero *dimidium tributi, quam quod Regibus ferre soliti erant, populo Romano penderent; &c* [b]. Denique Macedonia *facta est Provincia* L. Marcio & M. Manilio Coss. postquam Q. Metellus illam Andrisco cuidam obscuræ sortis homini, qui Persis Filium mentitus fuerat & hoc nomine Macedoniam occupaverat, eripuit, ut videre licet apud Florum [c].

Perseo victo, Populus Macedonici conditio.

XXIV. De quadruplici hoc statu, quo Macedones variis egerunt temporibus, certum est & extra omnem controversiam positum, *Sceptrum* tum à Macedonibus *ablatum esse* quando *Macedonia* Romanorum facta est *Provincia*. Quę enim in Provincias redactæ sunt Regiones à Romanis, *jus* omne suum *libertatemque* perdiderunt. Domesticæ Leges cum Legibus Victoris Romani sunt commutatæ. Prætor Romanus *nomine Populi Romani*, ab Urbe missus, in iis jus dixit, & in sontes Romano more virgis & securi animadvertit; apud eundem Prætorem summum fuit belli gerendi imperium, summa de obviis quibuscunque rebus disponendi potestas. Quæstor etiam nomine Romani Populi vectigalia collegit, arbitrio Romani Populi imposita.

In vario hoc statu Pop. Macedonem, quando dici debeat habuisse Sceptrum, vel Sceptro privatus fuisse?

Status Populi à Romanis redacti in formam Provinciæ.

a Lib. XL. Cap. LVIII. Lib. XLI. Cap. XXIV. Lib. XLV. Cap. IX.
b Videatur Livius Lib. XLV. Cap. XXVIII. & XXIX. c Lib. II. Cap. XIV.

sita. *Respicite*, inquit Critognatus apud Cæsarem [a], *finitimam Galliam, quæ* IN PROVINCIAM REDACTA, *jure & Legibus commutatis, securibus subjecta* PERPETUA PREMITUR SERVITUTE. Quare ubi *Judæa*, Archelao, Herodis F., Viennam relegato, *redacta* est *in Provinciam*; quis neget, *Sceptrum* tum temporis à Judæis esse *ablatum*, etsi dein ad *breve tempus* restituendum? Sed ab hoc *statu servitutis* Populi Macedonici, ubi Macedonia facta est Provincia, illæ ejusdem Gentis conditiones tres multum differunt, quas, ab ultima hac distinctas, modo recensebam. Sceptrum suum habuit Gens Macedonum, antequam Philippo bellum fuit cum Romanis. Nemo negat, nullus dubitat. Sed neque de eo ulla justa dubitandi ratio est, an post devictum à Romanis Philippum eadem Gens Sceptrum suum adhuc possederit. Etsi enim Philippus post id tempus Romanis quodammodo obnoxius fuerit, & potestas Philippi per Romanos quibusdam partibus restricta sit: *Rex* tamen mansit Philippus, hoc est, summus Populi Macedonici Rector & Judex, Regnumque Macedonum non *nomine Romanorum*, sed *nomine Populi Macedonum* administravit; Romanique Populi, non subditus sane, sed *amicus* & *socius* dictus est. Livius [b]: *Perseus potitus Regno --- Legatos Romam misit ad* AMICITIAM PATERNAM *renovandam.*

XXV. Imo non ausim dicere, Gentem Macedonicam, quando post Persea devictum ex præscripto Romanorum per Libera Concilia suæ Gentis recta est, *Sceptrum* suum perdidisse. *Sceptrum* equidem amisit, fateor, si vocem illam strictè capias pro *Potestate Regia*, quo sensu non nego in Verbis Jacobi capiendam esse. Quod si tamen vocem latius accipias pro *summa* cujusque Gentis *judicandi imperandique potestate*, à quocunque illa Potestas exerceatur: *Sceptrum* retinuit suum. Status enim ille Macedonum tantum distulit à statu quo fuit Provincia Romana, quam status *libertatis* à *servitute*. Florus [c]: *Macedoniam* SERVITUTE *multavit*. Prædicat id de Metello, quando Macedoniam *Provinciam* fecit. Libera igitur erat Macedonia, quando à Conciliis suæ Gentis recta est. Livius de eodem statu [d]: *Omnium*

An Pop. Macedon. per libera Concilia suæ Gentis rectus, dici debeat *privatus fuisse, sceptro?*

 pri-

a Lib. VII. de Bello Gall. b Lib. XL. Cap. LVIII. c Lib. II. Cap. XIV. d Lib. XLV. Cap. XVIII.

primum LIBEROS ESSE *placere Macedonas atque Illyrios, ut omnibus Gentibus appareret, arma Populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre.* Liberalius equidem hic usurpant Romani speciosum *Libertatis* nomen, quia certe Macedonum Libertas eo tempore non parum restricta concisaque est, tum quod Romanorum facti sint *tributarii*, tum etiam in aliis; de quibus Livius. Quis neget tamen, hunc ipsum statum Gentis plurimum differe ab eo, quo Macedonia in Provinciam conversa est? Conciliis enim Liberis suæ Gentis regi, quantum differt ab eo, ut Populus, demptis Legibus, dempto omni jure suo, alieno pareat Magistratui? Quare propter immensum hoc utriusque hujus status discrimen omnino existimem, *Sceptrum* tum demum à Populo *auferri*, quando privatur *exercitio potestatis imperandi judicandique.* Qui hujus gaudet potestatis exercitio Populus, illi salva hactenus est Respublica; qui eo destituitur, & alieno subjectus imperio ab alieno Magistratu secundum Leges Populi Victoris & Potentioris regitur judicaturque, libertatem perdidit, & (si ante Regibus subfuit:) *Sceptrum* perdidit.

Status ille libertati quam Servituti proximior.

XXVI. Quę si nunc à nobis recte disputata sunt: clarissime liquebit, Judæum Populum Sceptrum suum adhuc possedisse, quando Herodes Rex summa illi auctoritate potestateque præfuit. Judæi enim Populi sub Herode non fuit deterior conditio quam Macedonici sub Philippo, à Romanis victo; nec Herodis alia ratio, alius respectus est ac Philippi. Si enim Herodes Regnum à Romanis precario obtinuerit: Philippus certe, à Romanis superatus, ita se totum illorum dedit arbitrio ut Regnum iis beneficii instar debuerit. Sicuti tamen Philippus Regnum suum deinceps non administravit nomine Romani Populi, sed Macedonici, secundum antiquas Reipublicæ Leges: sic Herodes non veluti quidam Legatus aut Vicarius Magistratus Romani Judææ tenuit Sceptrum, sed *nomine Judæi Populi*, cujus ipse ut fuit Rector sic *tanquam illius Rector*, salva Republica, per totum Regiminis sui tempus habitus spectatusque fuit. Imo, quod caput rei est, Herodes hoc quoque cum Philippo commune habuit, ut non tanquam *subditus*, sed tanquam *socius* & *amicus Romani Populi* Rempublicam Judæorum

Exemplum applicatur ad statum Pop. Jud. & ex eo evincitur, Populum illum non caruisse Sceptro sub Herode.

Philippi & Herodis comparatio.

rum administraverit, ut patet ex disertissimo Josephi loco, quo tradit, Augustum Herodi ob excursiones in Arabas offensum scripsisse [a]; Ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται· *quod hactenus illum habuisset tanquam amicum, sed posthac haberet* UT SUBDITUM. Nec habuit tamen illum Augustus unquam pro *subdito*, quia Herodes per Legatos objectis à Syllæo criminibus dilutis Augusti amicitiam integram sibi servavit ad usque mortem. Inter *Socias* vero Gentes & *subditas* tantum fere discrimen fuit quantum inter *Fœderatas*, quç dicebantur, Civitates, & *Præfecturas*, hoc est, longe maximum. Videatur ea de re Panuinius [b], & Suetonius quoque in Vita *Cæsaris* [c]. Quandiu itaque Herodes Rex Judæç præfuit, Judæa Sceptro suo gavisa est.

XXVII. Sed quid cessamus ipsum illud, quod nunc præcipue in controversiam venit, illustrare ex *Historia Sacra*? Quo tempore Achaz & Hiskias Regno Judæç præfuerunt, *habuitne* Juda *Sceptrum* nec ne? Omnes utique Scriptores illi, quibuscum disputamus, Sceptrum Judæ superfuisse statuunt usque ad tempus deportati Populi in Captivitatem Babylonicam. Habuit igitur Judæa *Sceptrum* sub Achazo & Hiskia Regibus. Sed iidem illi Reges Achaz & Hiskias per aliquod Regni sui tempus obnoxii fuerunt Regibus Assyriæ, iisque *tributa penderunt*, referente Historia Sacra [d]. Hiskiæ quoque Filius Manasse, Josiæ Filius Joiakim, & Zedekias, ultimus Rex stirpis Davidicæ, tam Assyriæ quam Ægypti Regibus, tanquam *eorum tributarii*, subjecti fuerunt [e]. Nescio tamen, quis neget aut negaverit unquam, *Sceptrum* sub Achazo, Hiskia, Manasse, Joiakimo, & Zedekia ante ejus defectionem à Babyloniis, *jam à Juda recessisse*? Quandiu Judæç præfuit Rex ex familia Davidica oriundus cum summa in Gentem Judæam auctoritate, salva republica, tandiu fatentur Auctores, quotquot inspexi, omnes, *Sceptrum* penes *Judam* fuisse, neque adeo *Sceptrum* à Juda sublatum esse prædicant, quam ubi Zedekias Regno exutus & Sceptro privatus est à Nebucadnezare. Nec ignorant tamen,

Illustratur assumptio ex statu Regni Judæ sub Achazo & Hiskia, ante Exilium Babylonicum.

Ddddd 3 men,

a Antiq. Lib. XVI. Cap. XV. b Descript. Imp. Rom. Lib. III. p. 329. c In Cæs. Cap. XXV. d 2 Reg. XVI. 7. 2 Reg. XVIII. 14. e 2 Chron. XXXIII. 13. 2 Reg. XXIII. 24. XXIV. 20.

men, inter hos Reges de Davidica ortos ſtirpe aliquos fuiſſe Potentiorum Regum tributarios, quemadmodum vere in Oriente nihil accidebat frequentius & familiarius, quam ut Reges & Principes minorum Gentium Potentiam Majorem vicinam per *annua munera* agnoſcerent & venerarentur[a].

Comparatio inter utrumque Statum inſtituta.

XXVIII. Quodſi jam conditionem Herodis Magni cum conditione horum Regum comparemus: minorem longe videbimus eſſe rationem, cur *Sceptrum* à Juda dicatur *ablatum* fuiſſe ſub Herode, quam ſub Achazo, Hiskia, Joiakimo, *tributariis* Regum Aſſyriæ & Ægypti? Etſi enim Herodes id cum illis commune habuerit, quod ut hi Regibus Aſſyriæ & Ægypti, ſic ille Romanis obnoxius fuerit, ſuumque diadema illorum beneficio geſtaverit: *tributarius* tamen Romanorum fuiſſe non videtur. Nullum certe illius argumentum mihi in Hiſtoria Flaviana occurrere memini.

Herodes an fuerit tributarius Romanorum?

De Pompejo equidem habet Joſephus[b], eum *ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρυ Ῥωμαίοις πεποιηκέναι* *Hieroſolymam Populo Romano ſtipendiariam feciſſe*; & certum ſatis ex eodem Joſepho[c], Hieroſolymam hoc ſtatu relictam eſſe à *Julio Cæſare* ſub Principatu Hyrcani. De cætero tamen Julius Cæſar Hyrcanum *Ethnarcham* tanquam *σύμμαχον Socium* & *φίλον Amicum* Romani Populi *Principem* ab vicinis Gentibus coli, & ab *hybernis* militi præbendis & *exactionibus pecuniarium* liberum eſſe voluit. Verba Tabulæ Fœderalis apud Joſephum[d]: *Παραχειμασίαν δ' ἢ χρήματα πράσσεσθαι ὐ δοκιμάζω.* Certe quando Caſſius poſt interfectum Cæſarem pecuniam ſibi in uſus belli quavis ratione comparaturus inter alia grave tributum Judææ imperaverat, indignatus poſt victum Caſſium Antonius improbavit factum, ut ex ejus literis ad Tyrios liquet[e].

Herodes Auguſto in plurimis eſt adulatus præter neceſſitatem.

XXIX. Et quis præterea Flavianæ Hiſtoriæ Lector dubitet, quin Herodes Rex Auguſto Imperatori in multis præter neceſſitatem & officium adulatus ſit ad majorem illius emerendum favorem: ex quibus de vero Regni illius ſtatu judicium formari non debet. Hujus generis eſt, quod diſſidiorum domeſticorum Judicem & Arbitrum conſtituerit Auguſtum, quæ ipſe

a Vide 2 Reg. III. 4. b Ant. Lib. XIV. Cap. VIII. c Ant. Lib. XIV. Cap. XVII. d Lib. XIV. Cap. XVII. e Ant Lib. XIV. Cap. XXII.

ipse tam pro *Patria* quam pro *Regia* potestate potuisset dirimere, ipso Alexandro Filio *coram Augusto* hoc Parentis sui jus explicante[a]. Sed didicerat Herodes à Parente Antipatro insignem artem potentioribus assentandi; quibus nempe plus videri voluit debere, sive potius; plus præstitit officii quam debuit, ut illorum amicitiam sibi fortius obstringeret. Bene alibi ipse coram Hierosolymitanis de Regni sui statu verba faciens[b], *omnes* ait *ipsum oportere respicere*, καὶ βασιλέα καὶ δεσπότην ἁπάντων δοκεῖν· *&* REGEM *ac* DOMINUM OMNIUM CENSERE. Quid magis *absolute* de Regno suo prædicare potuit? Ergo cum apud Herodem Regem vere summum fuerit *imperium* in Hebræam Gentem; summa in civilibus & criminalibus *judicandi* potestas; (quæ duo per insigne *Sceptri* figurantur:) cum illam potestatem non nomine *Populi Romani*, sed nomine *Populi Judaici*, tanquam *Rex Judææ*, exercuerit, & Judæum Populum rexerit secundum antiquas illius Reipublicæ Leges, (quæ duo *Sceptrum Judæ* conficiunt:) sequitur, Judam *Sceptro* suo nondum fuisse privatum, quo tempore Herodes *Rex* rerum apud Judæos potitus est.

Ingenium Herodis Regis.

XXX. Quod autem Josephus, de statu Judææ, postquam à Pompejo subacta est, scribit[c]: Τήν τε ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν· *Libertatem amisimus, &* SUBJECTI SUMUS ROMANIS; dextre accipiendum & interpretandum est. Sub Principibus Assamonæis, fateor, Judæi aliquandiu ea vixerunt *libertate*, ut nulli Vicino Potentiori obnoxii fuerint. Post Hierosolymam vero à Pompejo expugnatam & *stipendiariam* factam, hoc statu *plenæ libertatis* exciderunt. Cave tamen, credas, Judæam per *Pompejum* magis ὑπήκοον *subjectam* redditam esse Romanis quam Regnum Judææ ante Captivitatem Babylonicam aliquando fuit ὑπήκοον Regibus Assyriæ & Ægypti; & post reditum de Captivitate eadem Respublica subjecta fuit primum Persis, dein Alexandri in Syria & Ægypto Successoribus, Seleucidis & Lagidis. Res Judæorum semper fere tenui fuerunt loco; nec mirandum igitur, libertatem illorum à Vicinis Regibus potentioribus ut plurimum accisam fuisse, & Judæam modo

Verba Josephi de Statu Judææ postquam victa est à Pompejo.

Quæ explicantur.

a Ant. Lib. XVI. Cap. VIII. b Ant. Lib. XV. Cap. VIII. c Ant. Lib. XIV. Cap. VIII.

modo huic, modo illi Regno Majori contermino obnoxiam. Sic habiti fuerant à Syriæ & Ægypti Regibus, idemque denuo experti sunt fatum post restitutum à Pompejo Hyrcanum. Ab hoc jam tempore respicere debuerunt Romanos ut *potentiores*, & ut potentioribus aliquandiu *tributa pendere* coacti sunt: sed hæc non obstiterunt, quo minus Respublica hactenus salva & integra permanserit, ut fuerat sub Regibus Syriæ & Ægypti. Reliquerunt enim iis Romani *suos Magistratus*, qui illos pro more secundum Reipublicæ Leges summa potestate & auctoritate regerent; quod hic præcipue respiciendum esse, jam sæpius monuimus. Imo vocarunt illos non *ὑπηκόȣς subditos*, sed *φίλος amicos* & *συμμάχȣς socios*, & ut tales ab aliis Gentibus haberi & coli voluerunt. Ἐλευθερίας & ὑπακοῆς vocabula vel in latiore vel restrictiore significatu sumi possunt, & hic sane loci laxius interpretanda sunt.

Caput VI.

Ad Alteram *respondetur Objectionem, quæ moveri solet adversus sententiam de* Sceptro Judæ *superstite in* Regno Herodiano, *petitam ex* Genere *&* Gente Herodis, *evinciturque, ortum & natales* Herodis *non obstare quominus in ipsius Regno quæri possit* Regnum Tribus Judæ, *modo ille, quod res ipsa tulit, Regnum suum teneret atque administraret* nomine Judæorum.

Ratio altera, cur multi non agnoscant Sceptrum Judæorum in Herode superstes, desumitur ex ejus *Genere & Gente*.

Verba Eusebii.

Alteram rationem, propter quam in Sceptro Herodiano Sceptrum Judæ non agnoscitur, desumunt Auctores ab illius Genere & Gente. Herodes, secundum ipsos, fuit *alienigena*; saltem fuit *Idumæus*; cum tamen *Sceptrum* promittatur tribui *Juda*. hoc est, alicui de stirpe Juda oriundo. Audiamus Eusebium[a]: Τηνικαῦτα δὲ καὶ τȣ̃ Ἰȣδαίων ἔθνȣς Ἡρώδȣ πρώτȣ τὸ γένος ἀλλοφύλȣ, διαληφότος τὴν βασιλείαν ἡ διὰ Μωϋσέως προγεγραφὴ ἐλάμβανε προφητεία; κτλ. τὰ ἑξῆς· *Per idem tempus cum Herodes primus*

EX A-

a H. E. Lib. I. Cap. VI.

ex alienigenis *Judaicæ Gentis Regnum obtineret*, *completa esse videbatur Mosis prædictio*, *quæ sic habet*; *Non deficiet Princeps ex Juda &c.* Idem dein sæpius per illud *Caput* repetit, ut & in præcedentibus monui. Videamus nunc, quanti hæc sint ponderis.

II. Herodem Magnum *ἀλλόφυλον alienigenam* fuisse, quomodo ab Eusebio aliisque antiquis Ecclesiæ Doctoribus vocari solet, primus, nisi fallor, negavit Scaliger *Animadversionibus* in *Chronicon Eusebianum*; qui, reclamante Serario, assensum impetravit Doctissimorum Virorum Casauboni & Valesii, quorum Ille *Exercitationibus* in *Baronium*[a], hoc argumentum erudite prosequitur. Quæ sententia ubi jam magnas vires acquisiverat, Seldenus, summæ Vir peritiæ, illam sub novum examen revocavit, vindicandamque sibi sumpsit receptam illam opinionem & loquutionem Patrum in præclaro Opere de *Jure Naturæ* & *Gentium*[b]. In qua disputatione etsi Seldenus omne acumen, industriam, & eruditionem suam in partes vocaverit: meo tamen judicio, nihil magnopere profecit. In promptu habeo, quæ Seldeno ad varias illius dissertationis hypotheses, precario assumptas, opponerem, si in latissimum hunc campum nunc liceret exspatiari.

An Herodes M. fuerit ἀλλόφυλος? Sententia Scaligeri, aliorumque.

Dissentiens Seldeni. Ἐπίκρισις.

III. Rationes nobis plusquam probabiles sunt credendi, Antipatrum, Herodis Patrem, *Proselytum* fuisse, & Proselyti Filium, siquidem satis constat, Gentem Idumæam sub Joanne Hyrcano transiisse in Religionem & mores Judæorum; ne Josephi verba de ipso memorem Antipatro[c]. Imo quicquid renitatur Seldenus, probabile censeo cum Scaligero; Cypron, Herodis matrem, Arabissam, ac proin origine Gentilem, *Proselytam factam*, quando Antipatro juncta fuit. Hoc enim an difficilius creditu, quam quod Salome, Herodis Soror, Syllæo Arabi Gentili negata sit, quia nimirum ille Proselytismum suscipere renuebat? Et accidisse tamen id memorat Josephus[d]. Sed fuerit Antipater ipse *Gentilis*; fuerit item *Gentilis* Arabissa Cypros, Herodis Mater: quis negare sustineat, ipsum Herodem fuisse *Proselytum*? Nec negat tandem illud post multos cir-

Antipater, Herod. M. Pater fuit *Proselytus*.

Et Mater ejus *Cypros* Proselyta.

Eeeeee cui-

a Cap. I. p. m. 24. b Lib. V. Cap. XIX. XX. XXI. c Antiq. Lib. XIV. Cap. XIV. XIX. d Ant. Lib. XVI. Cap. XI.

Herodes ipse absque omni dubitatione Judæus Proselytus.

cuitus Seldenus. Sed cum Proselyti duplicis essent generis, alii גמורים *perfecti*, qui è Gentilibus liberæ conditionis transibant in ritus Judaicos, aut *servi*, qui *baptizabantur* לשם בני חורין *ad statum liberum*; alii *imperfecti*, qui cum *servilis essent conditionis* baptizabantur לשם עבדות *ad servitutem*: disputat Seldenus, an non posterius de Antipatro & Herode affirmari possit, tum quia Josephus Herodem alibi vocat Ἡμιιουδαῖον *Semi Judæum*[a]; tum quia Judæi *Antipatrum* & *Herodem* passim jactant fuisse עבדי בית חשמונאי *Servos Aßamonæorum*. Sed admiranda hæc est Seldeni tergiversatio in re clara. Etiamsi enim Idumæi, ubi ab Hyrcano coacti sunt Religionem & Ritus Judæorum admittere, bello victi, fere instar Servorum habiti tractatique sint: longe tamen illorum distulit conditio à statu servili. Suo permanserunt in solo, suisque gavisi sunt opibus & natalium prærogativis, ut ut Judæis obnoxii. Antipater, *Vir in Gente Idumæa potens*, & *nobili Arabissa* Cypro matrimonio *junctus*[b], fuitne *servus* aut *mancipium*? Josephus sane ubique supponit, Herodem fuisse *Proselytum perfectum*, hoc est, *Judæum*; (*Proselyti* enim *perfecti* erant *Judæi*, secundum doctrinam Seldeni[c]:) & in Gente genereque ejus nihil carpit, quam quod fuerit ἀνὴρ δημοτικὸς *conditionis vulgaris*, sive *plebeja*[d]; ἰδιώτης *privatus*[e]; γένους ἰδιωτικοῦ καὶ ὑπακούοντος τοῖς βασιλεῦσι· *natus plebejo genere, & quod Regibus obnoxium fuerit*[f]: quales nempe omnes erant Idumæi. Quo quoque respicit, quod Josephus illum vocet *Semi-Judæum*; Judæum nempe *Religione*, sed non *Gente*. Ubi Josephus illum vocat δοῦλον? Ubi populus illi exprobrat δουλείαν?

Conditio Idumæorum postquam victi fuerint ab Hyrcano.

Josephus supponit, Herodem fuisse *Proselytum perfectum*.

Unde sequitur, illum non recte dici ἀλλόφυλον.

IV. Quodsi jam Herodes Rex vere *Proselytus* fuerit *perfectus*, cujusmodi omnes erant, qui non *baptizabantur ut servi & mancipia*: an Herodes dicendus est ἀλλόφυλος *alienigena*? Qua specie supponere potuit Seldenus, Hebræum גר *Proselytus* vertendum esse per ἀλλόφυλον? Imo certe גר & ἀλλόφυλος sibi sunt opposita. נכרי enim, τῷ גר oppositum, à LXX vertitur per ἀλλότριος, ἀλλογενὴς, ἀλλόφυλος. Sed ut omnem exceptionis occasionem dehinc rescindam: probabo diserto Josephi testimonio, Anti-

Voces גר, ἀλλόφυλος, ἀλλογενὴς, & earum significatio.

a Ant. Lib. XIV. Cap. XXVII. b Ant. Lib. XIV. Cap. XV. c De Jur. Nat. & Gent, Lib. II. Cap. IV. d Ant. Lib. XIV. Cap. VIII. e Cap. XXVII. f Cap. XXVIII.

Antipatrum fuisse ὁμόφυλον Judæorum, quod τῷ ἀλλοφύλῳ recta oppositum est. Sic Josephus de Judæis Ægyptiis ab Antipatro Cæsari morigeris factis[a]: πείθει δὲ καὶ τούτους τὰ αὐτοῦ φρονῆσαι κατὰ τὸ ὁμόφυλον Ἀντίπατρος· *Hos Antipater* UT CONTRIBULES *in partes suas traduxit, &c.* Antipater itaque & Herodes *Judæi* fuerunt Religione & Iudæorum ὁμόφυλοι.

Herodes ὁμόφυλοι.

V. Hisce prælibatis, videamus propius de re ipsa. Non agnoscunt Auctores *Sceptrum Judæ* in *Sceptro Herodiano*, quia Herodes, etiamsi forte fuerit ὁμόφυλος, tamen fuit *Idumæus*, cum contra Oraculum Jacobi inferre videatur, *Sceptrum gestandum esse* à *Judæo* aliquo, qui ex ipsa tribu Juda vere oriundus fuerit. Sceptrum enim promittitur *Judæ*, ajunt. *Judæum* itaque & quidem *ex Juda tribu* ortum esse oportet, in quo implementum hujus vaticinii quærendum sit.

Exceptio ipsa hac distinctius proposita.

VI. Ego vero hoc ipsum, quod à multis tanta cum fiducia & asseveratione prædicatur, nego Oraculo Jacobæo contineri. Jacobus pollicetur *Judæ Tribui Sceptrum* USQUE AD *Messiæ ortum*. Id *Sceptrum*, mea sententia, habere potuit *Iuda tribus*, etiamsi *Sceptrum* illud ab alio gestaretur quam *Iudæo*; modo qui *Sceptrum* illud gereret & administraret, illud administraret *nomine Populi illius*, qui *Tribum Iudam* constitueret. Explicem mentem meam paucis.

Negatur hypothesis, Sceptrum necessario gestandum fuisse à Judæo.

VII. *Sceptrum* notat *Potestatem Imperandi*, *Iudicandique*, ut jam aliquotiens in præcedentibus monui. Illa potestas *originaliter* residet apud *Populum*, qui Civitatem constituit. Populus illius potestatis exercitium vel sibi reservare potest, vel in unum aut plures transferre. In quemcunque jam illa *potestas populi* transferatur, habendum est, illum in Exercitio illius Potestatis repræsentare Populum, qui hanc illi potestatem detulit, ejusque sustinere Personam. Quam enim Potestatem omnem Populus ipse exercere potuisset, hujus exercitium in statu Monarchico vel absolute vel restricte in *Unum* transfert *hominem*, tanquam Caput Corporis Civilis, cui Populus nunc id omne committit, quod ipse alias per se agere potuisset. Rex igitur quædam quasi Populi imago est, qui Diademate & Sceptro totius Populi Majestatem Potestatemque in sua ostentat

Sceptrum quo vero sensu apud Populum esse dicatur?

a Ant. Lib. XIV. Cap. XIV.

Potest exercitium potestatis suæ committere quibus vult.

Persona. Quare jam putandum non est, Populum Imperandi Judicandique Potestatem transferentem in Regem, facere ut *Potestas* sua aboleatur. Etiamsi enim Potestatem suam vere in Regem aliquem transtulerit, per translationem tamen illam non tam se abdicat Potestate, quam suam voluntatem cum voluntate Unius ad conservationem & defensionem Societatis unit; adeo ut quod Unus ille vult, omnes velle, quod Unus ille agit, omnes agere, quod Unus ille judicat, omnes judicare censeantur, ac proin potestas non tam sit Unius illius, quam plurium in illo Uno conjunctorum. Regis nulla est Potestas nisi Populi voluntas cum Voluntate Regis consentiat. Egregio hæc exemplo è sacris illustrari possunt. Christi Jesu Regnum aliquod est in mundo, cujus subditi sunt omnes electi Credentes. Hi proin *Regnum Christi* dicuntur. Sed iidem illi in Sanctis Literis dicuntur *Reges*, & cum Christo Rege suo *regnare*. Non alia quidem de caussa, quam quod per fidem & amorem tam arcte cum Christo voluntatibus suis conjuncti sint, ut quod Christus agit Dominus, ipsi agere; quę Christo Jesu ex Regni administratione nascitur gloria, ipsorum gloria; quam Christus exercet potestatem, eandem ipsi in & cum Christo exercere censeantur. Atque inde in absolutis ceteroquin Imperiis, in quibus Populus Potestatem suam in Unum transtulit, *Regnum* à *Populo* denominatur, non à *Rege*. Quando Trajanus Hispanus, Severus (Septimius) Afer, Maximinus Gothus, Decius & dein Jovianus, Pannonii, Diocletianus Dalmata, Maximianus (Galerius) Dacus, Imperio præfuerunt Romano; Imperium tamen, cujus illi clavum tenuerunt, non dictum est Hispanicum, Africum, Gothicum, &c. sed constanter appellatum est & vere fuit *Romanum*. A Romano enim Populo aut Exercitu conferebatur; à consensu Voluntatis Romani Populi cum Voluntate Imperatoris omnis Imperatori potestas & auctoritas; in Romano Populo omnis consistebat Imperii vis; in Romanum Populum solum, sublato Imperatore, eadem potestas refundebatur. Populus enim nisi esset Romanus, penes quem originitus residebat imperandi judicandique potestas: non esset utique ut Imperatores illam potestatem exercerent. Romanus, inquam, Populus facit, ut sint Imperatores Romani.

Regnum in consensu Voluntatis Populi cum Rege.

Exemplum ex Regno Christi Jesu.

Rectores diversæ Gentis non faciunt ut Populus dicatur privatus Sceptro.

Exemplum ex Imp. Rom.

VIII.

VIII. Applicemus nunc, quę sic in genere dicta sunt, ad præsentem casum. Meo itaque judicio, major ratio non est statuendi, *Sceptrum* recessisse à posteris Judæ ob collatam potestatem Judæi Populi in *Herodem* Regem, Gente *Idumæum*, quam Romano Populo Sceptrum negandi, quando summa rerum fuit penes Decium, *Pannonium*, aut Diocletianum, *Dalmatam*. Nec tamen inventus forte est hactenus inter Doctos, qui Sceptrum à Romano Populo ablatum fuisse prædicarit, quando Imperium administratum est ab Imperatoribus externæ originis. Quę caussa igitur, quod Sceptrum Judæ non agnoscatur in Herode Idumæo? Ipsa enim illa potestas, quam Herodes exercuit, non tantum originitus fuit potestas Populi Judæi, sed & Herode regnante, sano & ab omnibus Gentibus recepto sensu, perseveravit esse *potestas* ejusdem *Populi*, quia Herodes illam Potestatem exercere non potuit nisi ex consensu Voluntatis Populi Judæi, quippe in quo omnis Potestatis & Auctoritatis ejus vis sita erat. Tolle mihi Populum Judæum, & tolles mihi *Sceptrum Herodianum*. Pone mihi Populum Judæum, cum consensu Potestatem suam transferendi in *Herodem*: & pones mihi *Sceptrum Herodianum*. Rex Herodes Judæorum esse non potuit absque Populo Judæo; Populus esse & subsistere potuit, absque Rege Herode. Quare etiamsi cum Celeberrimis *Juris Publici* Doctoribus statuam, Populum *in Civilibus* potestatem suam in Regem ita transferre posse, ut summa potestas non amplius sit apud *Populum*, seorsim à Rege spectatum; omnino tamen, & summa, ut autumo, cum ratione pertendo, per *Sceptrum Herodianum* Sceptrum Judæ abolitum non esse, quia Potestas ipsius Populi Judæi in Sceptro Herodiano tanquam in imagine quadam repræsentata est, & quia illam Potestatem absque Judæo Populo & ejus consensu Herodes non exercuit, nec exercere potuit.

Comparatio hujus Exempli cum statu Pop. Jud. sub Herode.

Quæ amplius urgetur.

IX. Et mirandum sane est, Eusebium aliosque inter antiquos Doctores, qui in Ducatu & Regno Assamonæorum *Sceptrum Judæ* agnoverunt, à Sceptro Herodiano adeo animis aversos fuisse. Utique enim non potuerunt *Sceptrum Judæ* agnoscere in *Sceptro Assamonæorum*, nisi hoc posito principio, Judam Sceptrum habere posse, etiamsi *ὁ σκηπτοῦχος qui Sceptrum illud gestat* ex

Etiam ex Statu Regni sub Assamonæis.

stat ex Juda non sit oriundus. Cui eidem principio in hac disputatione nos quoque insistimus. Quod enim Assamonæos vocet Eusebius *Principes οἰκείους Domesticos* opposite ad Herodem ἀλλόφυλον *Alienigenam*, quanti faciendum sit, jam discussimus.

Emphasis in voce, מיהודה *Ex Juda.*

X. Quin imo nescio, an non Iacobus Patriarcha prævidens *Juda Sceptrum* non semper gestandum esse ab iis, qui ex Iuda creti essent, singulari ductu Spiritus id subobscure indicaverit, ubi dixit; *Non recedet Sceptrum* מיהודה EX *Juda*. Nempe *in Juda* esset *Sceptrum*, quo tempore Dominus nasceretur, licet forte *Judæus* Sceptrum non teneret: nec tamen *ex Juda* removendum erat *Sceptrum illud*, antequam Tranquillator adesset. In mentem mihi venit hæc observatio ex meditatione paralleli loci, apud *Zachariam* [a]: ושבט מצרים יסור *Et* SCEPTRUM ÆGYPTI RECEDET. Generalius dictum videtur; *Sceptrum non recedet* EX *Juda*. Quod enim addit Patriarcha; *Nec Legislator* DE MEDIO *Pedum ejus*; per id ipsum quoque significare voluit, necesse non esse, ut *Legislator* ex ipso Iuda oriundus sit, modo inter Iudæos tum reperiretur.

Locus Zach. x. 11.

Differentia status Judææ ut fuit sub Herode, & redacta est in formam Provinciæ.

XI. Et, quæso, an non maxima fuit differentia inter Iudæam, quo tempore subfuit Herodi Regi, hoc titulo superbienti, quod *Rex* esset *Judæorum*, & eandem illam Iudæam, quo tempore redacta est in *Provinciam*, quod factum paucis annis post natum Christum? Nonne luculentissimus testis est Iosephus, quam ægerrime Iudæi posteriorem hunc statum Regiminis tulerint? quantopere deploraverint amissam libertatem? quot quantave mala ab eo tempore (excepto dilucido intervallo Herodis Agrippæ:) à Romanis sustinuerint, terminanda in ultimo Excidio? Videbant nunc Prudentiores actum esse de rebus suis, & animum debuerunt advertere ad *Sceptrum ablatum*. Quibus enim semel hæc sors à Romanis obtigerat, eorum conditio rarissime mutabatur. Quę sane secus & alio prorsus modo habuerunt in Sceptro Herodiano. Imo, si fatum Babylonicæ Captivitatis exceperis; non putem eo unquam statu fuisse Iudæos in Canaane, à quo tempore Respublica eorum ibi per Iosuam stabilita fuit, quo egerunt sub *Præsidibus Romanis*, Iudæa redacta in Provinciam. Illa *servitus Gentis* adeo fuit insignis & inge-

a Zach. x. 11.

ingenuæ indolis Iudæis intolerabilis, ut cum alia nulla, nisi fallor, ne quidem sub Iudicibus, comparari possit. Tum vere *ablatum* fuit *Sceptrum* à *Juda*; inprimis post mortem Herodis Agrippæ. Et hoc ipsum quoque indicaverat Patriarcha dicens; *Sceptrum non recedet à Juda* Usque quo *veniat Schilo*; quippe quibus innuit, *Sceptrum* quidem superstes futurum in Iuda *usque ad adventum Messiæ*, veruntamen *brevi post illum adventum auferendum*. Vide illam vim voculæ עד *Usque* strictè & in emphasi sumptæ 1 Cor. xv. 15.

XII. His jam adde, *Herodem*, licet origine *Idumæum*, tamen fuisse προσήλυτον. Atqui omnes *Proselyti* erant *Judæi*, quia Proselyti Genti & Religioni suæ renunciando accensebantur *Judæis*, iisque *inserebantur*, secundum phrasin Apostoli. Quare *Proselytum fieri* post Captivitatem Babylonicam dicitur התיהד Judæum fieri [a]. Herodes igitur per Proselytismum erat *Judæus*; *ipsi tribui Judæ* insertus; ac proin *Sceptrum Judæ* in Herode, non jam *Idumæo* amplius sed *Judæo*, agnosci debet. Cordatiores enim facile dabunt, quę in Talmudis Constitutionibus habentur de Proselytis ad Regimen non admittendis, in Divinis Legibus non fundari. Contra, in illis passim idem prædicatur esse jus τῷ גר *Proselyto* quam τῷ אזרח *Indigenæ*. — *Proselyti Justitiæ omnes erant Judæi.*

XIII. Verum etiamsi vel maxime evincatur, inquies, Sceptrum Judæ in Herodiano Sceptro agnosci potuisse: nihil tamen hactenus actum, quia Patriarcha Jacobus Judæ pollicetur *continuatam* & non interrumpendam *Sceptri possessionem*, quam constat continuatam seriem Regum de tribu Juda abruptam esse in Zedekia. Ego autem, tametsi cum quibusdam magni Nominis Viris hic *Sceptri* vocem laxius interpretari possem de *Summa Populi potestate*, quocunque *nomine* & *titulo* exerceatur, sive *Regis*, sive *Ducis*, & *Ethnarchæ*: eo nunc non veniam, sed negabo, Jacobum Patriarcham Tribui Judæ hic promittere continuam & non interrumpendam *Sceptri* possessionem usque ad adventum Christi. Pollicetur *possessionem*, non *penitus* abrumpendam: & id sibi vult electa phrasis; לא יסור *Non recedet*, hoc est, *non recedet penitus*. Verum me scribere, liquet ex adjecto signo non *Recessuri Legislatoris* & *Legis Doctoris cum auctoritate*, *usque ad adven-* — *Difficultas objecta de Sceptro Judæ non continuo, sed ablato tempore Exilii Babylonici.* — *Quæ tollitur ex verbis rite expositio.*

a Esther. viii. 17.

ventum Schilo. Docti Viri id saltem admittunt, *Legislatorem superesse debuisse usque ad adventum Messiæ.* An itaque verba Jacobi de *non Recessuro Legislatore* spondent Judæ tribui *continuatam possessionem τȣ* מחקק *Legislatoris?* Utique *Legislator*, quomodo Tribui Judæ in Jacobæo Oraculo promittitur, *à Juda recessit* tum in *Captivitate Babylonica*[a], tum quo tempore Religio Gentis Judææ oppressa & sacra omnia profanata sunt *sub Antiocho Epiphane*, bonis hic illic delitescentibus. Ergo tam Sceptrum quam Legislator promittuntur *Judæ tribui*, non penitus recessura usque *ad adventum τȣ Schilo.* Videbat Jacob in Spiritu, fore qui Sceptrum & diadema in Juda gestarent; videbat Sceptra Familiæ Jessææ, Assamonæorum, & Herodis, etsi dissitis temporum intervallis gerenda; videbat, sub Herodiano illo nasciturum Messiam, atque adeo exclamavit; *Non recedet Sceptrum, &c.*

Altera etiam ex eo, quod Herodes Rex fuerit omnium Judæorum.

XIV. Tandem & hæc difficultas expedienda venit; Quomodo in *Sceptro Herodiano* demonstrari possit *Sceptrum Judæ*, cum Herodes non præcise fuerit Rex posterorum *Judæ*, sed in genere omnium posterorum *Jacobi*, quotquot tunc temporis Canaanæam inhabitarunt?

Ad quam pariter respondetur.

XV. Observetur itaque hunc in finem, 1. Civitatem Hebræi Populi, quę post solutam Captivitatem Babylonicam instaurata est, maximam partem constitisse *posteris Judæ*, paucis aliarum tribuum intermixtis. 2. Quæ aliarum tribuum Judæi consequuti sunt privilegia, consequutos censeri caussa tribus Judæ, cui accensentur Levi & Benjamin jam ante cum illa commixtæ. Vide Ez. 1. 5. 3. Inde Israëlis Posteros omnes ob illius Tribus præcellentiam eminentiorem ab eo tempore dictos esse *Judæos.* 4. Reges post reditum de Babylone *Hierosolymis*, ubi olim thronus Regum fuit de stirpe Juda, resedisse, atque inter Judæos, sic proprie dictos, imperasse. 5. Eadem prorsus de caussa *Legislatorem* sive potius *Doctorem* promitti *tribui Judæ*, etsi cæteroquin communis fuerit omnibus, quotquot de Babylone reversi sunt, Jacobi posteris, tum quia cæterarum tribuum reliquiæ hoc beneficium quasi deberent tribui Judæ; tum quia *præcipua* Gentis *Synedria*, & præcipuæ *Schola* & *Academia*, una cum Sacratissimis Dei Ministris *Sacerdotibus* & *Levitis*, (in quibus

a Ps. LXXIV. 9.

bus ὁ ρρπο quærendus:) in sinu quasi tribus Judæ, hoc est, Hierosolymis, alerentur & florerent.

Caput VII.

Ecclesiam Christianam illo Intervallo Temporis, quod lapsum est à Nerone *ad* Trajanum, *laborasse, & de zelo ac fervore suo in caussa Dei & Religionis non parum remisisse; tum etiam decrementum notabile fecisse, multis Societatem Christianam deserentibus, aliis eam turbantibus, aliis vero suis sententiis moribusque eam dehonestantibus; adstruitur, & quæ huic hypothesi serviunt argumenta ex antiquis Historiæ Monumentis, in medium proferuntur.*

SI ad animum revocantes, ut optima quæque in *mundo* ab initiis suis degenerent, & in deterius prolabantur, rationem habeamus exclamandi; *Damnosa quid non imminuit dies: de Ecclesia* quid dicemus, quę, licet in aliis mundo dissimillima, hac tamen parte ab eo non magnopere dissidet? Patitur & illa continuas rerum statusque sui vicissitudines, modo nitens fide, fervens charitate, donisque Spiritus Sancti & quibuslibet virtutibus pulcre exornata; modo squalida vitiis, luctata cum erroribus, & tam fidei quam zeli laborans inopia; modo alta agens pace ac tranquillitate, sparsis quaquavorsum gratis virtutum suarum odoribus, fideique suæ non conservandæ tantum verum etiam propagandæ intenta, modo exiguo orbis terrarum angulo conclusa, & ab hostibus suis undiquaque circumsepta, pressa, & tantum non oppressa. *Ecclesia subit varias Status sui mutationes.*

II. Quæ statuum Ecclesiæ reciprocrationes in Verbo Prophetico designantur metaphoricis notionibus *Diei* & *Noctis*, *Æstatis* & *Hyemis*, *Serenitatis* & *Grandinis*. Quippe, ut potentissimus Naturæ Rector in illis naturæ variationibus admirandam prodidit sapientiam; sic idem benignus Rector Ecclesiæ illas conditionum Ecclesiæ vicissitudines stupenda prudentia ad *Designatas vocibus diei, noctis, æstatis, hyemis &c.*

 sum-

summam suam gloriam & commodum salvandorum instituit dirigitque.

Primæ Ecclesiæ laudabilis Status.

III. Primæ Ecclesiæ Christianæ, Deo per præconium Christi atque Apostolorum & copiosam distributionem Donorum Spiritus Sancti lucem è tenebris producente, formosa erat & splendidissima facies. Omnia, ut vere solent, ridebant. Doctrinæ suæ constabat castimonia. Nihil in Cultu, nihil in Sacratissimis Religionis Symbolis adulterinum. Regiminis forma optima & Ecclesiæ indoli convenientissima. Disciplinæ vigebat exercitium incorruptæ. Diaboli adversus Ecclesiam ferocientis impetus eatenus à Deo cohibebantur, ut per satellites suos, Principes mundanos, cursum Evangelii non sufflaminaverit. Hæreticis nullus adhucdum in Ecclesia locus. Et, quod optimum & maximum & post doctrinæ sinceritatem præcipuam in Ecclesia considerationem meretur: excellebat Divina illa credentium ævi Apostolici Societas quibuslibet Virtutibus Christianis, & perfusa erat largo imbre donorum Spiritus Sancti.

Status internus Ecclesiæ Apostolicæ, ejusque decus.

IV. Hic conspicua erant Fides illibata, vegeta, corroborata, omnia tentans, omnia potens; Zelus pro divina Gloria & caussa Christi Regis ardentissimus, nulla metuens pericula, nullis languescens malis; charitas rara, inaudita, & quasi supergressa limites Lege præscriptos; gratissima animorum concordia, juncta simplicitati, omnes de malo suspiciones excludenti; mansuetudo, benignitas, humilitas, & quę plura in Christiano homine prædicanda sunt. His Virtutibus elegante harmonia intertextæ erant dotes Scientiæ, Sapientiæ, Prudentiæ, Sanctitatis, Prophetiæ, Linguarum, Charismatum, ἐνεργείας Miraculorum, quæ hunc Ecclesiæ primævæ statum Divinum prorsus efficiebant ac Cœlestem, eique magnam apud exteros conciliabant reverentiam. Rectores, omnibus necessariis virtutibus donisque instructi, sua erga Plebem officia diligenter observabant, absque affectato in eam Imperio; Plebs Christiana Rectoribus cum honore præstabat obsequium; vel potius, omnes ut fratres se uni Regi & Domino, Christo Jesu, arctissimo amoris vinculo compacti subjiciebant, ab ejus hærentes ore, ejusque ducti Spiritu.

Nec tamen

V. Nec tamen Ecclesia felicissimo hoc statu suo diu perstitit.

tit. Concussa primum Persecutione Synedrii, sub *Cajo*, & dein Herodiana, sub *Claudio*, (quę tamen à Deo ad doctrinam Evangelii disseminandam prudenter directæ hactenus illi non magnum detrimentum attulerunt:) cum maxime sub ultima *Neronis* ab impuris quibusdam Pseudadelphis contaminata est, & de *Zelo ac fervore suo remittere* cœpit, multis, ut videtur, receptam fidem deserentibus, aliis ad errores prolapsis, variisque casibus fortuitis rem Christianam labefactantibus sub *Vespasiano*, *Tito*, & *Domitiano*, donec in pristinum statum restituta est, ac per universum mundum longe lateque propagata, sub optimis Principibus, *Nerva*, *Trajano*, *Hadriano*, & *Antoninis*; non obstantibus sane Persecutionibus, quibus aliqui horum Imperatorum Ecclesiam vulgo afflixisse feruntur: quam Hypothesin de *Labore* & *Languore* Ecclesiæ Christianæ Primo, sub *Nerone*, magni utique usus in interpretandis Prophetiis, hac dissertatione adstruere & illustrare nitar.

non subjecta fuit variis Status sui accidentibus.

Sub ultima Neronis videtur aliquantum sui splendoris amisisse.

VI. Argumenta, quibus hic uti potero, duplicis sunt generis, vel nempe ex *Volumine Sacræ Scripturæ* depromenda, vel ex *Monumentis Historiæ*; etsi prioris generis illa, quę ex Scriptura producenda erunt, pro priore tantum parte Hypothesis meæ, nimirum de *Ecclesia sub Nerone Languescente*, probanda faciant. Quare commodum erit illa posterioris generis argumenta primo recensere loco, ut deinceps de consensu *Scripturæ* cum *Historia* tanto liquidius ex hac nostra disputatione constet.

Argumenta, quibus hæc hypothesis adstruitur.

VII. 1. Lactantius utique manifestus est pro hac sententia in elegantissimo Libro de *Mortibus Persecutorum*, ante paucos annos magno rei literariæ commodo à blattis & tineis vindicato, & impensis Doctissimorum Virorum curis digne illustrato. Sic ille [a]: *Rescissis igitur Actis Tyranni*, (Domitiani:) *non modo in* STATUM PRISTINUM ECCLESIA RESTITUTA EST, *sed etiam* MULTO CLARIUS AC FLORIDIUS ENITUIT; *secutisque temporibus*, *quibus* MULTI AC BONI PRINCIPES ROMANI IMPERII CLAVUM REGIMENQUE TENUERUNT, NULLOS INIMICORUM IMPETUS PASSA, MANUS SUAS IN ORIENTEM OCCIDENTEMQUE PORREXIT, *ut jam nullus eßet terrarum angulus tam remotus*, *quo non Religio Dei penetrasset*,

Testimonium Lactantii.

a Cap. III. Edit. Cl. de Bauldri, p. 53.

traſſet, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu ad juſtitiæ opera miteſceret. De ſtatu Eccleſiæ intermedio inter *Neronem* & *Domitianum* nihil memorat Lactantius, ſed graphice deſcripta dira illa Perſequutione, quam Eccleſia ſuſtinuit imperante & Auctore Nerone, mox progreditur ad Domitianum. de cujus malitia in vexando populo Chriſtiano ubi loquutus fuerat, vividis utique coloribus refloreſcentem Eccleſiæ ſtatum ſub Nerva, Trajano, & ſequentibus Imperatoribus, per integrum fere ſecundi ſæculi intervallum, depingit. Ab eo nempe tempore, hoc eſt à *Nerva*, per quem Domitiani Acta reſciſſa ſunt, Eccleſia non modo *in priſtinum ſtatum eſt reſtituta, ſed multo etiam*, ait Auctor, CLARIUS AC FLORIDIUS ENITUIT. Languerat itaque, obſcurius egerat, & ſqualuerat quodammodo ſub Imperatoribus, qui Nervam immediate præceſſerunt. Imo ab eo inprimis tempore *ſub multis ac bonis Principibus, nullos inimicorum impetus paſſa,* MANUS SUAS IN ORIENTEM OCCIDENTEMQUE PORREXIT. Ergo præcipue à Nervæ & Trajani temporibus repetendum eſt ſtupendum illud Eccleſiæ incrementum & Fidei Chriſtianæ propagatio per univerſum orbem terrarum.

Animadverſio ad verba ejus.

Defectus hiſtoriæ illius temporis idem videtur arguere.

VIII. 2. Temporis, quod lapſum eſt à Nerone ad Trajanum, *triginta annorum* intervallum complexi, hiſtoriam ſacram non habemus, niſi mancam & ſterilem, quę tamen, ſi Eccleſia per totum hoc tempus viguiſſet, memorabilis eſſe deberet, & tam copia & varietate geſtorum, quam utilitate commendatiſſima. Qui qualesque hoc maxime intervallo floruerint Doctores, quid egerint, quid ſcripſerint, quantum in Evangelio proſeminando profecerint, quos habuerint adverſarios, ubi & quomodo fatum obierint, de iis altum, ſi pauca exceperis, in Hiſtoria ſilentium. Euſebius, qui ſuo tempore incredibili diligentia monumenta priorum temporum conquiſivit, ut integram ex illis daret Hiſtoriam Eccleſiæ, quam pauca de *hac ætate* invenire potuit? Conſtituerat in Hiſtoria ſua recenſere τὰς τῶν Ἀποστόλων διαδοχὰς *Apoſtolorum Succeſſiones.* ſed quam exigui numero Doctores ad illam πρώτην διαδοχὴν *primam Succeſſionem* ab Euſebio referuntur. etſi certe, ut jam à Doctis monitum eſt, illam *Succeſſionem Primam* multo quoque latius

Euſebii laus.

exten-

extenderit, quam par fuit? Ὅσοι δὲ τούτων, inquit[a], καὶ τίνες γνήσιοι ζηλωταὶ γεγονότες, τὰς πρὸς αὐτῶν ἱδρυθείσας ἱκανοὶ ποιμαίνειν ἐδοκιμάσθησαν ἐκκλησίας, οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν, μὴ ὅτι γε ὅσους ἄν τις ἐκ τῶν Παύλου φωνῶν ἀναλέξοιτο. QUOT *vero horum* (Apostolorum) & QUINAM *veri imitatores*, EORUNDEM JUDICIO DIGNI JUDICATI SINT, QUI FUNDATAS AB IPSIS ECCLESIAS PASCERENT, NEQUAQUAM FACILE EST DICERE; *præterquam illos*, *quos ex ipsius Apostoli verbis facile quivis possit colligere.* Et hi tamen *Primam* illam *Successionem* constituere debebant, & sibi fere vindicarunt totum hoc spatium temporis, quod à Nerone ad Trajanum fluxit. Egregia quidem deinceps prædicat de *primis* hisce τῶν Ἀποστόλων διαδόχοις[b], sed quorum nomina non exprimit, & quorum conatus, ibidem celebrati, pertinent ad initia Trajani, ut deinceps probabimus. Quę autem de hoc intervallo habentur apud Eusebium, non sane descripta ab illo sunt ex genuinis illius ætatis monumentis, sed compingere debuit ex Scriptoribus secundi tertiique sæculi, Justino Martyre, Dionysio Corinthio, Hegesippo, Irenæo, Polycrate, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cajo, Origene, & fere nixa sunt traditionibus, ut plurimum incertis, & sæpe falsis. Quare frequens est Eusebio, minore fiducia illas repetenti, suum illud[c]; λόγος κατέχει. παλαιὸς κατέχει λόγος. *Fama fert.* Unde jam hic defectus historiæ, nisi quod pauca hoc annorum intervallo acciderint memoratu digna, & quod proin Ecclesia Christi vere per hoc tempus obscurius & languidius egerit? Si enim vis & vigor Spiritus Apostolici in Ecclesia perennassent: memoria notabilium illorum factorum haud dubie per Divinam Providentiam & Sanctorum hominum industriam fuisset conservata. **Observatio ad traditionem historicam Doctorum primæ successionis.**

IX. 3. Imo, si hoc triginta annorum intervallum vere fertile fuerit illustribus factis: quare Papias, quare Hegesippus, qui non longe ab hoc tempore abfuerunt, illa non produxerunt in lucem hominum? Papias, Doctor τῆς πρώτης διαδοχῆς, *quinque* composuit *Libros*, quos inscripsit de *Interpretatione Oraculorum Dominicorum*, referente Eusebio[d]. Prædicat ipse, se diligentissime inquisivisse in dicta & gesta τῶν Πρεσβυτέρων, Apostolo- **Papiæ de hoc tempore silentium.**

 stolo-

a Hist. Lib. III. Cap. IV. b Lib. III. Cap. XXXVII. c Lib. III. Cap. XI. XIX. XXXII. d Lib. III. Cap. XXXIX.

stolorum nempe & Virorum Ἀποστολικῶν. Sed quantillum est, quod ex illo profert Eusebius? Et illæ, quas profert, traditiones quam sunt incertæ redolentque fabulas, ipso Eusebio non dissimulante & Viri judicium in discernendis traditis nequaquam probante? Et floruit tamen Papias, Hierapolitanus Episcopus, usque ab initio *Sæculi Secundi*. Hegesippus, eodem Sæculo adulto sub Antoninis, primus adornare instituit Historiam Ecclesiæ; ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων· *Commentarios Actorum Ecclesiasticorum*, quinque Libris digestos, visos ab Eusebio & Hieronymo. Fragmenta quædam inde transtulit Eusebius in suam historiam, ex quibus de ingenio Auctoris judicium formare licet. Utique prima lacinia apud Eusebium [a] qua exponit martyrium Jacobi, Fratris Domini, Episcopi Hierosolymitani, tot est onusta absurdis, ut non è nostris tantum Illustris Scaliger [b], sed è Pontificiis quoque cordati & eruditi Viri, Valesius, & Pinæus, veriti non sint illam fabulis accensere. Et miramur merito, Eusebium, doctum sane & acris judicii Virum, sibi ab hac fabula describenda non temperasse, & hunc ipsum Auctorem alio loco vocasse ἀξιόχρεων μάρτυρα· *testem fide dignum* [c]. Utique reliquarum Hegesippi narrationum fides inde suspecta reddita est Scaligero, & Doctorum cordatioribus. Etsi, quæ Eusebius de gestis in Ecclesia à Nerone ad Trajanum ex Hegesippo descripsit; pauca sint & exigui momenti, haud dubie plura & memoratu digniora inde ad historiam suam exornandam deprompturus, si plura memorabilia apud Hegesippum reperisset. Unde jam hoc Hegesippi de gestis Ecclesiasticis illius temporis à Nerone ad Trajanum silentium? An quod memoria factorum perierit? Sed fuit Scriptor τῆς πρώτης διαδοχῆς· *primæ successionis*, ἀρχαῖος ἀνὴρ καὶ Ἀποστολικός, sive, ut cum Hieronymo loquar, *vicinus Apostolicorum temporum*, ac proin potuisset illorum Factorum consequi notitiam. An potius, quod, cum Apostolorum & Discipulorum primorum plurimi fatis concessissent, multi à fide defecerint, aliqui in errores noxios prolapsi sint, peregrinationes rariores pro propaganda Fide Christiana institutæ, multi per Neronianam per-

Ejus ætas.

De Hegesippi historia Judicium.

Fabulosa ejus narratio de Morte Jacobi, fratris Domini.

Unde silentii gestorum illius temporis quærenda sit ratio, disputatur.

a Lib. II. Cap. XXIII. b Animadv. ad Eusebium, p. 193. c Lib. III. Cap. XVI.

persequutionem à fide absterriti sint, & zelus plurium deferbuerit; hoc intervallum non adeo celebrioribus gestis inclaruerit? Ita equidem ego existimo. Petavius, Historiæ peritissimus, fatetur quidem in *Rationario*, *Res Christianas hujus temporis* (ab exitu Neronis ad ultima Domitiani:) *haud magna in luce versari*, sed id *Scriptorum magis inopia fieri* putat, *quam quia mandari quod posset literis extaret nihil*. Nihil extitisse, quod literis mandari potuerit, absit ut dicamus. Quis credat enim absque absurditate, Gratiæ divinæ virtutem extraordinariam illo intervallo penitus fuisse extinctam? Quod si tamen ætas illa egregiis facinoribus æque illustrata fuisset, ac præcedens, quæ à vigesimo Tiberii ad ultima Neronis fluxit, non defuissent haud dubie Auctores, qui illa posteris per literas tradidissent. Præferimus itaque hic judicium Henrici Dodwelli, hoc tempore Historiæ tam Profanæ quam Sacræ scientia celeberrimi, qui in eruditis *Dissertationibus* suis in Irenæum fere in hunc modum scripsit[a]; *Certe* INTERVALLUM ILLUD A NERONE AD TRAJANUM NON ADEO FUISSE REBUS GESTIS CHRISTIANORUM CELEBRE, *multa faciunt, ut suspicemur. Et sterilem admodum habemus pro eo intervallo Ecclesiæ Historiam, paucissimas Senum Apostolicorum traditiones, nulla fere Christianorum Scripta, parcam omnino rerum Christianarum, Trajano antiquiorum, memoriam.* Cl. Dodwellus laudatus.

X. 4. Quod Cl. Dodwellus his verbis ait, *nulla* fere nos habere *Scripta* hujus intervalli temporis: id ipsum hypothesin nostram non parum confirmat. Missis Apostolicis Scriptis Judæ & Joannis, nullum habemus monumentum hujus intervalli sincerum præter *Epistolam* Clementis Episcopi Romani ad *Corinthios*. Quæ enim Barnabæ nomen præfert, ut ut antiqua sit, nescio quomodo ex Doctis hodierno adhuc tempore multi illam Apostolico illi Viro attribuere non vereantur. Eusebius Cæsariensis, antiquitatis studiosissimus, hic rectius multo judicavit. Quis enim, præjudiciis vacuus, Barnabæ adscribere sustineat frigida ejusmodi ἐνθυμήματα μυστικὰ, qualia plura extant in illa Epistola, non tam aliena, fateor, ab ingenio Judaico, à quo non negem partem theoreticam hujus Epistolæ profectam

Nulla habemus illius & proximæ ætatis Scripta.

Clementis Epistola.

De ea & Barnabæ Judicium.

a Cap. I. §. XLII.

ctam esse, sed nequaquam convenientia Sapientiæ ac Prudentiæ, quam in Barnaba, Pauli comite, præcelluisse præsumimus? An de Barnaba cogitemus, quod *nomen crucemque* Christi probare voluisset ex numero CCCXVIII *domesticorum Abrahami*, quia nempe numerus *Octodenarius* à Græcis exprimitur per ιη, duas priores literas *nominis*, Ιησοῦς, & *trecenarius* per T, quæ formam habeat *crucis*? Vix excusamus Patres sequentium temporum, quod sibi in hoc εὑρήματι tantopere complacuerint, in quibus tamen multa excusamus alia non nullius momenti; sed quod Barnabas talibus argumentis Christianismi caussam adversus Judæos asseruisset, non recipimus; nedum quod scito hoc invento Kabbalistico ita fuisset gloriatus, ut ad illud commendandum adjecisset[a]; Οὐδεὶς γνησιώτερον ἔμαθεν ἀπ' ἐμοῦ λόγον· ἀλλὰ οἶδα, ὅτι ἄξιοι ἐστε ὑμεῖς· *Nemo elegantius quid a me didicit; sed novi, Vos dignos esse.* Ergo solam Clementis Epistolam, exceptis sacris quibusdam Novi Fœderis, hoc intervallo natam & ut genuinum vetustatis Christanæ monumentum ad nos translatam, amplectimur. Unde jam hæc Scriptorum hujus intervalli raritas & penuria? An quod Ecclesia illius temporis Scriptis nullis ad sui ædificationem aut defensionem indiguerit? Sed quomodo non indiguisset, cum Christiani jam multis onerarentur calumniis & criminationibus, per quas homines ab illa secta deterriti sunt? Si Apologiæ sequentibus temporibus tantum commodum attulerint Christianismo: quare hoc etiam intervallo non profuissent, modo Auctores extitissent, qui ad illas conscribendas aut aliis modis veritatem Christanam confirmandam animum adjecissent? Apostolos equidem prædicat Eusebius[b]. σπουδῆς τῆς περὶ τὸ λογογραφεῖν μικρὰν πεποιηκένοι φροντίδα· *se libris scribendis non magna cura applicasse*, *utpote* μείζονι καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐξυπηρετουμένοις διακονίᾳ· *qui longe præstantiore ministerio & supra humanas vires posito fungerentur:* sed ut maxima illorum pars haud dubie ante ultima Neronis jam è vivis excessit, sic superstes post Neronem Joannes, cui cum clancularii hæreticis præcipue in Asia luctandum fuit, officio suo non defuit. Non nescio equidem, *latine* nihil pro doctrina Christiana scriptum esse ante inclinatum Seculum secundum sub Commodo & Se-

Auctoris illius vana gloriatio de re Nihili.

Unde raritas & penuria Scriptorum hujus Intervalli?

Ecclesia illius temporis poterat aliquibus Libris indiguisse.

Latine pro Religione Christiana ferè scriptum est.

a Ed. Cl Monach. p. 24. b Lib. III. Cap. XXIV.

& Severo; imo caussam Christianismi neminem data opera *latine* egisse ante Tertullianum, qui tam finem secundæ quam initia tertiæ Sæcularis Ætatis Ecclesiæ vidit: nam quæ Victor, Romanus Episcopus, literis consignavit, non sane magni fuere momenti, & Apollonium, Romanum Senatorem, Apologiam pro re Christiana scripsisse, etsi Hieronymus asserat in *Catalogo*, non satis constat: Cum tamen Religio Christiana per Occidentem æque ac Orientem, in Italia non minus quam in Græcia, per totum hoc *secundum Sæculum* viguerit, fieri utique posset, ut rerum illius temporis imperitior inde adversus mea inferret, ex *defectu Scriptorum* nihil certi de statu Ecclesiæ in deterius præsumendum esse. Verum etiamsi nullus dubitem, quin Ecclesia Christiana per integrum illud Sæculum secundum in Asia Græciaque passim magis floruerit quam in Italia & Regionibus Occidentalibus: norunt peritiores, Libros Græcos, qui hoc Sæculo secundo magna copia in lucem editi sunt, tam inserviisse usibus Latinorum quam Græcorum, tum quia multi illorum Librorum in Linguam Latinam translati, tum quia Romanorum Doctiores omnes Græce eruditi erant & Græcos Scriptores non minore studio tractabant quam Latinos. Beatus Rhenanus, Vir superioris Sæculi eruditissimus, inde factum observat[a], ut Tertullianus *ex assidua Auctorum Græcorum lectione adeo Græcas loquendi formulas imbiberit, ut etiam latine scribens illarum interoblivisci nequiverit*; imo *inter Pontifices ipsius urbis Romæ non paucos fuisse* credit, *qui melius Græce noverint quam latine*. Addere liceret, non paucos in ipsa Italia aut Gallia volumina sua Græcis mandasse literis, de quibus nunc in proclivi est nominare Justinum Martyrem, Hegesippum, Tatianum, Irenæum, non sane infimi (ut tum quidem res erant:) subsellii Doctores. Quibus jam omnibus inter se collatis, non possum quin omnimodam illam penuriam Scriptorum à Nerone ad Trajanum inter alia adscribam *Ecclesiæ Languori*, & communi alicui defectui tam zeli quam dotium plurimorum illius temporis Præpositorum.

Latini Scriptores primi.

Græca Lingua ipsi Occidentales utebantur, & scribebant.

Exempla eorum.

XI. 5. Nec alia forte commodior dari potest ratio, quare Josephus, celeberrimus & dignissimus Auctor, qui Libros suos

Josephus raro Christianorum meminit.

Gggggg de *Bel-*

a Annot. ad Tertull. adversus Valentin. p. 423.

de *Bello* & *Antiquitatibus* Gentis suæ ipsissimo hoc temporis intervallo conscripsit, nullam fere Christianorum mentionem fecerit, & saltem illorum incrementi nuspiam meminerit. Josephus Libros de *Bello Judaico* septem Romæ composuit sub Vespasiano [a], ut ipse innuit in *Vita* sua. Increpito enim adversario suo Justo, quod Vespasiano, Tito, atque Agrippæ, dum adhucdum in vivis erant, historiam suam non tradiderit, ipse de se addit. Οὐ μὴν ἐγὼ σοὶ τὸν αὐτὸν τρόπον περὶ τῆς ἐμαυτοῦ γραφῆς ἔδεισα, ἀλλ᾽ αὐτοῖς ἐπέδωκα τοῖς αὐτοκράτορσι τὰ βιβλία, μόνον οὐ τῶν ἔργων βλεπομένων· *At non sic ego meis scriptis timui, sed ipsis Imperatoribus id opus tradidi, cum adhuc recens id bellum pene versaretur in hominum oculis.* Antiquitatum Libros absolvit anno Domitiani *tertio decimo*, ut ipse testatur ad illorum Librorum calcem. In illis jam Libris Christianorum nuspiam meminit, (quod enim de Jacobo, fratre Domini, habet, huc non facit:) quam unico in loco Libri XVIII [b], tot jam dissertationibus Doctorum Virorum ventilato & discusso, ut frustra sit, qui novam illi lucem adferre speret. In quo tamen Josephi loco de Christianorum secta nihil tam ample prædicatur, ut inde non potius certi quid de rei Christianæ decremento quam de illius incremento & progressu, ut res fuerunt tempore Josephi, colligere oporteat. Dixerat nempe Josephus, (supposita hujus testimonii γνησιότητι:) Christum, veritatis Doctorem, πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ Ἑλληνικοὺς, MULTOS *quidem* JUDÆOS, MULTOS *etiam* GENTILES *in sectam suam pertraxisse*, nec *destitisse illum*, licet à Pilato crucifixum, sequi τοὺς πρῶτον ἀγαπήσαντας· QUI ILLUM PRIUS DILEXERANT, *quippe tertio die vivus iis apparuit secundum oracula Prophetarum.* Ad quę dicta merito nunc exspectares, ut Josephus porro de Christianismi incremento magnifica prædicaret, si Religio Christiana vere sub Vespasiano & Domitiano tantopere floruisset, ut multi existimant. Et tamen his paucis solummodo sententia concluditur. Εἰς τι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον· *Et* USQUE IN HODIERNUM CHRISTIANORUM GENUS, AB HOC DENOMINATUM, NON DEFICIT. Quanti autem hæc sunt, & quid inde colligas? Si vere Josephus hæc verba exaraverit: an de statu Christianismi sub Domitiano minus

Josephi Libri quo tempore & ordine scripti?

Ejusde secta Christianorum testimonium.

Si genuinum supponatur: non admodum est illustre.

a p. m. 1027. b Antiq. Lib. XVIII. Cap. IV.

nus quid dicere potuit, quam his dicit verbis? Floruisse Christianismum, viguisse, crevisse, non dicit; sed *Christianos*, à *Christo* denominatos, *non defecisse*. Et id sane parum est, & minimum omnium, quod de Christianismo prædicari potest; nisi dicere velis, periisse & extinctum esse. Quare ex hoc testimonio, modò id genuinum sit, hypothesis nostra fortiter adstrui posset. **De illo testimonio judicium.** Sed vehementer dubito, post doctissimas etiam Huetii curas, an non hic foetus Josepho sit suppositus, & ab aliena manu in textum intrusus. Utique pro certo & indubio habeo, totum locum, ut nunc apud Josephum habetur, è calamo Josephi non effluxisse, sed si omnino Josephus Christi Jesu hoc in contextu meminerit, locum à manu Christiana esse interpolatum mutatumque. Quod jam si dicamus, ne sic quidem omnis sublata erit difficultas, sed restat longe maxima de cohærentia horum verborum Josephi, quibus Christo testimonium perhibet, cum sequentibus: Καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἕτερόν τι δεινὸν ἐθορύβει τοὺς Ἰουδαίους· *Circa eadem tempora* ALIUD *etiam Judæos turbavit* INCOMMODUM, &c. Quę tamen verba, si testimonium de Christo è contextu Josephi sustuleris, egregie cum præcedentibus conspirabunt. Ad quam difficultatem removendam nuper nihil aliud à Doctissimo Tillemontio produci potuit, quam verba Josephi, quę de Christo agunt, contextui **Cum aliorum judiciis collatum.** παρενθηκαῶς inserta esse. In quo tamen dubito an Docti acquieturi sint. Quotquot autem in eo non acquiescunt & hunc Josephi locum pro spurio & adulterino habent, quales multi sunt inter Eruditos; videant illi, an alia dari possit ratio omnimodi illius silentii Josephi de Christianis in historia sua, quam quod res Christianorum circa ætatem Josephi non admodum floruerint, & Christianorum secta passim à prudentioribus & nobilioribus tam Judæis quam Christianis contempta despectaque fuerit. Bene Dodwellus, ante laudatus; *Nec alio referendum puto, quod Christianorum tam rarus ille* (Josephus) *meminerit, quam quod rebus suo sæculo gestis illi non admodum claruerint.* **Cl. Dodwelli observatio.** Observat item ille, apud alios quoque Scriptores *Trajano* antiquiores parcam esse rerum Christianarum memoriam; & verum illud est. Quod enim Juvenalis alibi ad illos secundum Lipsii & Scaligeri opinionem alluserit: hic in censum non venit. Putem tamen,

contemptum Christianorum, quippe qui ignobilissimam partem populi constituebant, præcipuam habendam esse hujus caussam silentii. Suetonius enim, Tacitus, & Plinius, qui sub Trajano scripserunt, cum contemptu de Christianorum secta loquuntur. Et Plutarchus, qui sub Hadriano floruit, Christianorum nuspiam injicit mentionem, licet tum temporis sane illorum Religio ita jam in orbe Romano inclaruisset, ut in omnium incurreret oculos. Factum id haud dubie, ut dixi, ex contemptu. Quod enim Theodoretus jam olim & post eum alii putaverint, Plutarchum bene affectum fuisse erga Christianorum sacra, & cum disciplinam Christi profiteri metueret, hoc saltem affectui dedisse, ut Christianos nullibi calumniatus sit: sicut absque ullo solido fundamento dicitur, sic jam ex Plutarcho ipso, ad finem vitæ superstitioni ethnicæ addictissimo, à Doctis refutatum est.

Plutarchus nullibi meminit Christianorum.

Ante ortum hæreticorum pauci Christiani.

Celsi testimonium.

XII. 6. Id quoque in eandem hanc rem bene monitum est à Dodwello, quod *ante priorem Hæreticorum ortum*, quem Vir Ille Clarissimus ad tempora Trajani refert, ex testimonio Celsi, *pauci* fuerint *Christiani*. Utique Celsi verba hæc habentur apud Origenem adversus eum[a]: *Ἀρχόμενοι μὲν ὀλίγοι τε ἦσαν καὶ ἓν ἐφρόνουν· ἐς πλῆθος δὲ σπαρέντες αὖθις αὖ τέμνονται καὶ σχίζονται, καὶ στάσεις ἰδίας ἔχειν ἕκαστοι θέλουσι·* IN INITIIS QUIDEM PAUCI ERANT, *& idem sapiebant, sed* IN MULTITUDINEM DISPERSI *rursus scinduntur & distrahuntur*, & *proprias suas quisque stabilire student factiones.* Loquitur Celsus de *factionibus illis* ut de re nova, quę non diu ante hoc tempus acciderit. Et cum Celsus, improbus ille Christianorum adversarius, ad Hadriani aut Antoninorum tempora referri soleat: (etsi vera illius ætas ignoretur, & non desint inter Doctos qui illum recentiorem probare nituntur:) vix possumus quin illa *initia* extendamus ad ætatem, Trajano proximam, quippe sub quo demum factum, ut Ecclesia lacertos moverit, atque in Orientem & Occidentem longe lateque disseminata fuerit; nec non ut hæretici se *palam* ab Ecclesia *separaverint*, vel ab illa expulsi & ejecti sint, & in privis Conventibus suam ψευδώνυμον γνῶσιν profiteri non erubuerint, vindicato sibi nomine Ecclesiæ veræ. Non est equidem apud

Ejus ætas.

a Lib. III. p. 117.

apud nos tanta Celsi fides, ut ipsi testanti absque dubitatione annuamus; in hoc tamen casu cum cætera respondeant, nec singularem rationem habuerit lectorem suum fallendi, verba ejus negligenda non videbantur.

XIII. 7. Ut de statu Ecclesiæ sub Vespasiano Filiisque ejus Scriptores raro & parce loquuntur: sic de *florido* & *prospero Ecclesiæ statu sub Trajano*, Hadriano, & Antoninis ex monumentis historiarum clare constat. Certum primo habemus testem Eusebium, qui de statu Ecclesiæ sub Trajano sic scribit [a]: Καὶ τὰ μὲν τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν διδασκαλίας τε καὶ ἐκκλησίας, ὁσημέραι ἀνθοῦντα ἐπὶ μεῖζον ἐχώρει προκοπῆς· *Ac Servatoris quidem nostri doctrina atque* ECCLESIA, MAGIS AC MAGIS IN DIES EFFLORESCENS, CONTINUIS INCREMENTIS AUGEBATUR. Idem rursus Eusebius pari modo de statu rerum sub Hadriano [b]: Ἤδη δὲ λαμπροτάτων δίκην φωστήρων τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἀποστιλβουσῶν ἐκκλησιῶν, ἀκμαζούσης τε εἰς ἅπαν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος τῆς εἰς τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστεως ὁ μισόκαλος δαίμων· ---- *Porro Ecclesiis* JAM *per universum orbem instar clarissimorum siderum fulgentibus*, *&* VIGENTE APUD TOTUM HUMANUM GENUS FIDE IN DOMINUM *ac Servatorem nostrum Jesum Christum*, *malignus ille Dæmon*, *&c.* Sic nempe Eusebius de Ecclesiæ statu sub Trajano & Hadriano loquitur, ut manifesto innuat, ad hoc cum maxime tempus referendum esse stupendum illud incrementum Religionis Christianæ per Universum orbem terrarum, de quo Prophetæ tam sublimia vaticinati sunt. Unde jam sub finem illius sæculi *Getulorum varietates*, *& Maurorum multi fines*, *Hispaniarum omnes termini*, *& Galliarum diversæ nationes*, *& Britannorum inaccessa Romanis loca*, *Christo vero subdita*, *& Sarmatarum*, *& Dacorum*, *& Germanorum*, *& Scytharum*, *& abditarum multarum Gentium & Provinciarum & insularum*, se Christo subjecerunt, secundum Tertullianum [c]: ne alia tam Tertulliani quam aliorum illius Doctorum ævi luculenta de Christianismo per universum orbem propagato testimonia commemorem.

De prospero statu Ecclesiæ sub Trajano auctores frequenter loquuntur, ut & de seqq. temporibus.

Eusebii testimonia.

Et Tertulliani.

XIV. 8. Aliud nobis pro hypothesi de *Ecclesia sub Trajano florente* argumentum suppeditabit Plinii illa famosa Epistola, quam

Plinii testimonium de Statu Ecclesiæ suitem posita.

Gggggg 3

a Hist. Lib. IV. Cap. II. b Lib. IV. Cap. VII. c Contra Judæos. Cap. VII.

quam Bithyniæ Proconsul de re Christiana scripsit ad Trajanum, quę inter Epistolas ejus extat Lib. x. N. xcviii. Christinanorum caussam *dignam sibi rem visam consultatione*, ait Plinius, PROPTER PERICLITANTIUM NUMERUM, si nempe de omnibus promiscue Christianis ob Religionis suæ professionem supplicia sumerentur; MULTI *enim* (Plinii verba sunt:) OMNIS ÆTATIS, OMNIS ORDINIS, UTRIUSQUE SEXUS *etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim Civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis illius contagio pervagata est.* Unde *Templa prope jam fuerant desolata, sacra solennia* DIU *intermissa*, & *victimarum rarissimi inveniebantur emptores.* Scripsit hanc Epistolam Plinius secundum Petavium [a] Anno Domini CCII, Trajani Imperatoris V; sed secundum Dodwellum [b], accurate nuper hæc tempora computantem, Anno Æræ Vulg. CIII. Videmus itaque, quantos progressos jam fecerit Christianismus in initiis Trajani.

Quando scripta sit?

Exceptio adversus hoc testimonium producta.

XV. Sed vereor merito, ne quis hoc telum in me retorqueat, & ex ipsa hac Plinii Epistola contrarium potius adversus me inferat. Si enim Christianismus *quinto* vel *sexto* Anno Trajani Imperatoris, qui incident in secundum tertiumque Sæculi secundi, tam admirandos jam progressus fecerit, quales Plinius memorat: utique videri posset non sane *languisse* sed *viguisse*, sub Principibus, qui clavum Imperii ante Trajanum tenuerunt, Vespasiano, puta, Tito, & Domitiano. Nec enim tam repentina & subita rerum mutatio accidisse videtur paucis illis Imperii Trajani, ut cum vigor Christianismi ante Trajanum fere elanguisset, nunc contra in initiis Trajani usque adeo floruerit, ut per Civitates, Vicos, Pagos, & omnium ordinum ac ætatum homines disseminatus fuerit. Et speciem, fateor, habet hæc exceptio, quam tamen confido me paucis posse diluere.

Ad quam varie respondetur.

XVI. α. Quando Ecclesiam ante Trajanum *languisse*, & sub Trajano *restitutam* affirmo, ita id stricte accipi nolim, acsi in omnibus orbis terrarum Regionibus Ecclesiæ eadem ubique sors fuisset, vel Religio Christiana per totum hoc intervallum temporis

a Lib. XIII. de Doctrina Tempor. p. 681. b Dissert. I. in Iren. §. XVI.

poris nullos omnino progressus fecisset: sed sic intelligi velim, quod *comparate* ad statum suum primævum ante ultima Neronis, & ad sequentem statum suum sub Trajano, & Hadriano, passim in plurimis orbis Romani partibus de vigore, zelo, virtutisque suæ studio remiserit, & erroribus vitiisque complurium Pseudadelphorum multis in locis obscurata fuerit: ut suo loco latius edisseram. Non destituit tamen hactenus Ecclesiam Spiritus Christi, nec defuerunt homines, qui Regno Christi iis in locis, ubi Evangelium jam vulgatum erat, propagando incubuerunt, sed minore passim zelo, & minore cum successu, gliscente ubivis corruptione tam doctrinæ quam morum. β. Quę Plinius de rei Christianæ incremento illius ætatis prædicat, intelligenda potissimum censeo de *minore Asia*, in qua Joannes Apostolus usque ad Nervæ & Trajani tempora secundum testimonium Veterum (excepto tempore, quo à Domitiano relegatus in Patmo insula egit:) substitit, proseminando Evangelio diligentissimam operam impendens; in qua ministerium suum pariter obiit Timotheus, sincerus & fervidus Evangelii Præco, & in qua Religio Christiana majore cum successu in initiis seminata & dein culta videtur, quam in aliis locis Orbis terrarum. Utique observatu dignum est, ipsum Apostolum Petrum priorem suam Epistolam scripsisse [a] ad τοῖς ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας· *electos advenas, in Exilio dispersos, degentes in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia*, in Provinciis nempe Minoris Asiæ. Unde etiam Pauli ad Ephesios, Galatas, & Colossenses, & ipsius Christi Domini septem ad totidem Asiæ Minoris Ecclesias Epistolæ, sive jam ad literam sive prophetice explicandæ sint. Quid miramur itaque, Plinium suo tempore Christianos majore numero reperisse in *Bithynia* & *Ponto* quam alibi? Et constare, nisi fallor, de eo potest, ex ipsa hac Plinii Epistola, Christianismum non æque Romæ & alibi quam in Asia ante id tempus floruisse. Profitetur enim Plinius in hac Epistola, se *cognitionibus de Christianis nunquam interfuisse*, proditque per totam Epistolam, se Christianæ Religionis dogmata & sacra hactenus ignorasse, atque adeo majore cura in illam *superstitionem*, ut vocat, inqui-

Plinii testimonium præcipue referendum ad minorem Asiam.

Ubi Christianismus prisco tempore maxime floruit.

a 1 Pet. 1. 1.

inquisivisse. Si Christiani Romæ aliisque in locis ab Urbe non adeo remotis tam frequentes egerint; si res eorum tantopere floruerit: unde tanta Christianæ Religionis ignorantia in Plinio, solertissimo & meliorum disciplinarum scientissimo Viro, qui omnes fere summarum dignitatum ordines in Civitate Romana jam perambulaverat, imo qui *Urbis* ipsius *Pratura* jam defunctus fuerat? Nunquam tamen Plinius hactenus *cognitionibus de Christianis interfuerat*, & *ideo nesciebat*, *quid & quatenus aut puniri soleat*, *aut quari*. y. Ne tamen ulla amplius circumloquutione utar: sic sentio, vere in ipsa quoque Asia & Bithinia, à Nervæ & Trajani temporibus, Christianismum majus incrementum fecisse, quam ante. Testis sit Alexandrinus Clemens, cujus descripta sunt verba ab Eusebio, de Joanne Apostolo [a]: Ἐπειδὴ γὰρ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν εἰς τὴν Ἔφεσον, ἀπῄει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν. ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων. ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων. ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ Πνεύματος σημαινομένων· *Cum post obitum Tyranni ex Insula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque Provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut* ECCLESIAS INTEGRAS DISPONERET AC FORMARET, *partim etiam ut homines sibi à Divino Spiritu indicatos in Clerum quendam seu sortem Domini seponeret.* En Ecclesias collapsas in ipsa Asia cum initiis Trajani ab ipso Joanne instauratas, novasque passim singulari vigore Apostoli fundatas!

Ecclesia in ipsa Asia magis post initia Trajani, quam ante, floruit.

Verba Eusebii.

XVII. 9. Ultimo adjiciam, *secundo* hoc *Sæculo* excellentes passim per universum orbem Romanum magna copia à Trajani & Hadriani temporibus usque floruisse Doctores, qui non voce tantum sed & scriptis renascentem Ecclesiam instruere & ædificare, ejusque Doctrinam tam defendere quam prosеminare laborarunt, quales fuerunt Ignatius Antiochenus, (modo genuinæ sint ejus Epistolæ:) Papias, Quadratus, Polycarpus, Aristides, Justinus Martyr, Hegesippus, Athenagoras, Melito Asianus, Theophilus Antiochenus, Dionysius Corinthius, Pinytus & Philippi Cretenses, Irenæus, Clemens, aliique multi, quos longum esset commemorare. Ex quorum Scriptorum copia & dotibus ut merito colligimus floren-

Excellentes & plures Doctores Sæculi II.

a H. E. Lib. III. Cap. XXIII.

rentem Ecclesiæ hujus sæculi statum, sic non minore jure collegimus languescentem ex celebrium Doctorum & Scriptorum penuria, ultimo illo intervallo sæculi præcedentis.

Caput VIII.

Eadem hypothesis de Ecclesia Languescente *sub* Nerone *&* Restituta *sub* Trajano *confirmatur ex Monumentis tam Propheticis quam Historicis Divini Verbi, quibus conditio Ecclesiæ hujus temporis manifeste depingitur: solutis ad calcem objectionibus, quæ adversus hanc sententiam inferri possent.*

Defuncti probationibus, quas monumenta Historiarum nobis pro hypothesi nostra subministrarunt, videamus, quid pro ea stabilienda habeant Sacræ Scripturæ tam Veteris quam Novi Fœderis. Utriusque enim Codices nobis in hac caussa favere censeo.

Alia argumenta pro eadem hypothesi adferuntur ex S. S.

II. 1. Ubi Spiritus in Vaticiniis & Psalmis loquitur de conditione Ecclesiæ Novi Fœderis, quę per Apostolorum & Evangelistarum operam Christo ex Judæis & Gentibus colligenda erat, depingit illam passim ut afflictam, egenam, inopem, pressam undiquaque, oppressam, & contemptam ab adversariis ejus, & fere ad extrema redactam, quam tamen Ecclesiam Spiritus in illo suo statu fulcit consolationibus & promissionibus ingentium bonorum. Quę cum non videantur commode applicari posse Ecclesiæ N. T. ut fuit in initiis suis, vigente institutione & disciplina Apostolica; nec quoque videantur applicari posse conditioni Ecclesiæ *Secundi Sæculi*: referenda erunt ad illum Ecclesiæ *statum*, qui inter duo hæc intervalla temporum medius fuit, nempe qui quidem Apostolicum immediate consequutus est, & tamen florentem vigentemque Ecclesiam sub Trajano & sequentibus Principibus præcessit.

Prophetiæ loquuntur de Statu Ecclesiæ primi temporis, tanquam de inope, & afflicta.

III. Statum Ecclesiæ primæ non longe ab initiis ejus in Verbo Prophetico ita depingi, ut supposui, ex multis demon-

Loca ex prophetiis producta.

ſtrari poſſet locis, quorum ſpecimina ſint Jeſ. XI. 4. XLI. 10, 11, 12. ...... XLIII. 1, 2, 3. XLIX. 14....... L. 10. Mich. VII. 8. ..... Pſ. V. 1. ..... XL. 13, 14. LXXII. 4. LVII. 5. Omnes recitare & explicare vetat inſtituti noſtri ratio. Sufficiat igitur duos hoc numero eximere, & ſuppoſitam collectionem inde brevibus adſtruere.

Argumentum ex Jeſ. XLIX. cujus prophetiæ ſcopus ennarratur, & applicatur ad hypotheſin.

IV. Priora *tredecim* commata Capitis Jeſaiæ XLIX. continent enarrationem pacti, quod interceſſit inter Patrem & Filium. Filius introducitur id exponere Gentibus *primis ſex verſibus*; dein *Pater* Chriſtum & in Chriſto Eccleſiam conſolari, fulcire, & animare ad paſſiones & afflictiones quaſvis patienter ſuſtinendas cum promiſſione victoriæ de mundo & liberationis ab omni malo, à ℣ſ. 8. uſque ad ℣ſ. 14. Quę enarratio totius hujus doctrinæ gratiæ dirigitur ad *Gentes*, his verbis, quę in initio *Capitis* reperiuntur; *Auſcultate inſulæ mihi & attendite nationes è longinquo*; ac proin ſupponitur, Judæos ſe jam ob incredulitatem & impœnitentiam ſuam ſecundum maximam ſuam partem indignos feciſſe Verbo Gratiæ, & Deum nunc conſtituiſſe exequi conſilium ſuum de *vocandis Gentibus*: ad quod opus cum Paulus ſpeciatim à Deo deſignatus fuerit, qui præconium ſuum inter Gentes incepit ſub Claudio, ut videtur: ad illud fere tempus hæc Chriſti Domini oratio ad Gentes referenda erit. Verum poſtquam doctrina Gratiæ Gentibus ita per Evangelium declarata eſſet; mox proponitur Eccleſia ℣ſ. 14. conqueri de *ſtatu ſuo afflicto* & *miſero*, & Deus in hoc vaticinio inducitur omnibus *querelis* ejus occurrere, propoſitis illi promiſſis ampliſſimorum bonorum. *At dixit Zion*; Deseruit me Jehova, & Dominus mei oblitus est. *An obliviſceretur mulier parvuli ſui, ne misereat illam Filii ventris ſui?* .... ℣ſ. 19. *Quod attinet* solitudines tuas, & vastitates tuas, & terram destructionis tuam, *nunc arctum tibi erit propter habitatorem* tuum, & elongabuntur *perdentes te. Adhuc dicent in auribus tuis Filii orbitatis tuæ: anguſtus mihi eſt locus, contrahe te mea cauſſa, ut ſedeam.* Et dices in corde tuo, *quis peperit mihi hos? atqui* ego eram orba et sola, exul, & secedens. Quænam illa eſt Eccleſia, quę hic conqueritur, ſe *à Deo deſertam* & *derelictam*, *Dominum ſui oblitum eſſe?* quę *vaſtitates*, *ſolitudines*, & *terram vaſtita-*

vastitatis suæ memorat? quę se *orbam*, *solitariam*, & *exulem* dicit? cui tamen Deus singularem prænunciat amplitudinem, restitutionem, & admirandum incrementum status sui & *numerosam prolem*? Non conveniunt hæ querelæ Ecclesiæ Apostolicæ ante *Neronem*; ob rationes palpabiles, à quovis facile ex *Actis* colligendas. Non conveniunt Ecclesiæ sub *Trajano* & *Hadriano*. Et cum tamen querelæ fundantur ab Ecclesia primi temporis: referendæ erunt ad *Ecclesiam*, ut fuit sub & post ultima Neronis, quando Judæi in Christum credentes, primæ Ecclesiæ Christianæ semen, propter multorum defectum ad exiguum redacti numerum, & in paupertate ac afflictione passim versantes, popularibus suis invisi & exosi, tam propter impietatem & intestina dissidia Gentis suæ, quam propter Judicia Divina in eam exercenda, coacti sunt Patriam suam Canaanem deserere, & domicilia sua figere inter *Gentes*, fidei in Christum consortes: *quæ* tamen *ipsæ* quoque multis in locis à zelo & charitate sua remittebant, & passim cum paupertate & contemptu popularium suorum luctabantur & ab iis *affligebantur*. Hos דלים *tenues*, אביונים *pauperes*, (unde *Ebionæorum* nomen:) ענוים *humiles*, vel *pauperes*; hanc *viduam*, hos *orphanos*, describit Deus apud Jesaiam, secundum sententiam nostram, in loco allegato, & huic Ecclesiæ promissionem facit *numerosæ sobolis spiritualis* & novæ ac singularis gratiæ sub Imperatoribus, Nervam secuturis. Cl. Coccejus: *Breviter per hoc indicatur, quod Ecclesia N.T. post initia sua habitura esset speciem derelictæ, quod quidem facit ad fidei probationem & ostensionem virtutis Dei in fidelibus.*

Cujus temporis Ecclesiæ conveniant querelæ Ecclesiæ hujus prophetiæ?

V. Insignis pariter in rem nostram est locus Michæ, cap. VII. 1--10. in quo tum deploratur impœnitentia & ἀπιστία Judæi populi, & corruptissimi Gentis Judæę mores ante excidium per Romanos depinguntur, tum etiam ipsum illud ultimum Reipublicæ Judæę excidium per Romanos describitur, quod illi accidit sub Nerone. Verba contextus, collata cum dictis Christi Matth. X. 34, 35, 36. XXIV. 9, 10. aliisque Divini Verbi partibus, prorsus nobis persuadent, hoc vaticinium referendum esse ad ultima Neronis. Sic instituit Cl. Coccejus: nec reluctabitur, qui in Verbo Prophetico quodammodo exercitatus fuerit. Quo jam in statu Ecclesia erat hoc tempore? In afflicto

Prophetia Michæ, cap. VII. 1--10. huc pariter reducitur.

certe & pudendo. Audiamus ipsam statum suum pingentem apud Prophetam, ℣s. 8. *Ne lateris inimica mea de me! quum cado, surgo: cum sedeo in tenebris, Jehova est lux mihi. Fervorem Jehovæ feram, quia peccavi ipsi, donec disceptaverit litem meam & fecerit judicium meum; educat me in lucem; videam justitiam ejus. Et videbit inimica mea* (Judæi increduli & impœnitentes) *& operiet eam pudor; quæ dicit mihi: Ubi Jehova Deus tuus est? Oculi mei spectabunt illam. Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* Peccaverat Ecclesia prima defectu zeli & languido Christianarum virtutum exercitio. Multi ab ea defecerant. Alii fidem malis moribus dehonestarant. Alii fidem ipsam corruperant. Affligebantur præterea Christiani sub Nerone à Judæis & Gentibus, & omnia videbantur ruere in deterius. *Egeni* tamen illi *& inopes*, qui Ecclesiam veram illius temporis constituebant, hoc statu temporis animum non despondent. Spem suam, nixam divinis pollicitationibus, erigunt. Prænunciant Judæis exitium, & sibi ipsis promittunt status sui restitutionem. Et hæc tam exacte quadrant conditioni Ecclesiæ, à Neronis ultimis ad Trajanum, ut ad eam solam referri posse videantur. Apostolicæ enim Ecclesiæ, ut fuit in primordiis suis, non conveniunt; nec aptari possunt statui Ecclesiæ sub Trajano & Principibus bonis.

In Verbo Prophetico notatur aliquod Intervallum, quo summa invalesceret per Orbem impietas.

Loca Scriptorum SS.

VI. 2. In Verbo Prophetico prænotatur aliquod temporis intervallum, post Christum jam in carne manifestatum, quo *impietas* ita communiter in mundo prævaleret & fere prædominaretur, ut nulli passim boni, sed totum humanum genus deperditum & vitiis coopertum esset; in quibus vaticiniis reperiuntur charactêres, qui faciunt, ut de ultimis Imperii Neroniani cogitare debeamus. Utile erit locum unum vel alterum recensere. Sic David in Psalmis [a]: *Serva Jehova!* DEFECIT PIUS: NAM IMMINUTI SUNT VERACES EX FILIIS HOMINUM. *Temerarium loquuntur quisque cum proximo suo; labium blanditiarum cum corde & corde loquuntur. Exscindet Jehova omnia labia blanda; linguam loquentem grandia---. Ob vastationem* INOPUM, *ob gemitum* EGENORUM. *Nunc surgam, dicit Jehovah; ponam in salute,* יפיח לו *eum, contra quem altum spirat.* Et Ps. XIV. 1. *Dixit stultus in corde suo; Non est*

a Ps. XII. 2.

est Deus. perdite egerunt, abominanda facinora commiserunt, NON EST, QUI FACIAT BONUM: *Jehova ex cælo prospectavit super Filios hominum, ad videndum, an esset qui animadverteret, qui quæreret Deum.* QUICQUID EST RECESSIT; PARITER SORDUERUNT; NON ERAT FACIENS BONUM, --- *Consilium* INOPIS *pudori datis, quia Jehova perfugium ejus.* Nec non apud Micham[a]: PERIIT PIUS EX TERRA & RECTUS INTER HOMINES *non est. Omnes sanguini insidiantur, quisque proximum suum venantur sagena. --- Ne fidatis amico, ne confidatis familiari: à cubante in sinu tuo custodi ostia oris tui. Nam Filius flagitium facit in Patre; Filia surgit in matrem suam; nurus in socrum suam; inimici cujusque sunt domestici ejus.* En generalem corruptionem, quę passim in mundo prædominaretur!

VII. Ad quod jam temporis intervallum hæc vaticinia, quę inter se sententiis conspirant, referenda sunt? Cuilibet enim ætati Ecclesiæ promiscue non possunt aptari. Ego iterum nullus dubito, quin reducenda sint ad id ipsum tempus, cujus characteres hac dissertatione notavimus. Sub Nerone, ultimis Imperii ejus, impietas ad summum creverat Romæ & passim in Romano Imperio cujusvis generis flagitia & scelera, omni Numinis metu & sensu extincto, dominium obtinebant: non testante modo Paulo in Epistola ad Romanos, sed & Romanis Scriptoribus ipsis, Seneca, Juvenali, Petronio, aliisque. Judaismus, divina clementia usque ad id tempus ab ultimo excidio præservatus, nunc tandem à Deo penitus destitutus, circa illam ætatem in immanem & inauditam erupit peccandi licentiam, reverentia erga Deum & fide erga homines sublata, diabolica obsessus malitia, suamque ἀποστασίαν a Deo horrendis facinoribus obsignans. Testis est Josephus, qui miserandum hunc contribulium suorum statum graphice depinxit. Eodem illo tempore supererat in mundo *populus*, qui Regnum Christi constituebat, sed אביון *egenus*, עני *pauper, afflictus*, oppressus, per persequutiones & quorundam defectum imminutus, mixtus cum Pseudadelphis profanis & ab iisdem contaminatus, & exiguam de se spem faciens. Hoc itaque tempore *prospectavit Deus è cœlis, num quis esset, qui Deum quæreret, qui* ANIMADVERTERET!

Demonstratur, Loca illa ad hoc intervallum rectissime referri.

a Mich. VII. I.

Idque speciatim evincitur ex prophetia Michæ, collata cum Verbis Domini.

VIII. Quod hæc à nobis frustra non dicantur, patet, α. Quia verba Michæ, consona verbis Davidis, ab ipso Christo Domino ad hoc ipsum tempus referuntur; ad illud nempe tempus, quo discipuli ejus gravissima quæque pro Doctrina & nomine ejus paterentur, quod in discipulis Christi potissimum impletum sub Nerone; Matth. x. 21. Luc. xii. 16. β. Paulus ad Rom. iii. 10. ex verbis Ps. xiv. 1. collatis cum aliis locis, sic probat communem humani generis corruptionem & indigentiam justitiæ Christi, ut id vel maxime statui Judæorum & Gentium illius temporis applicari debeat[a]. Cum David per Spiritum de prævalente impietate humani generis loquens haud dubie tam prænunciaverit prædominantem impietatem Judaismi quam Gentilismi, & cum Judaismus & Gentilismus florens in Romano Imperio, unam tum temporis Civitatem constituentes, nullo alio tempore simul malitiose conspirarint ad perdendam Ecclesiam Christi: consequitur, vaticinia illa huic tempori esse applicanda. Quod jam si fiat, necesse est eidem huic temporis intervallo adscribamus *Languorem* aliquem & Ἔκλειψιν *Fidei* ac *Zeli* ipsius Ecclesiæ, qui cæteroquin Spiritus de prædominante corruptione mundi hujus temporis non videtur tam generaliter loquuturus esse.

Loca N. T. ex quibus eadem hæc hypothesis adstrui potest.

IX. 3. Ex Scriptis N. T. huc referri possunt Matth. x. 21, 22, Matth. xxiv. 9, 10, 11, 12, 13, 22. Act. xx. 29. 1 Tim. iv. 1, 2, 3. 1 Pet. iv. 16, 17. integræ Epistolæ, ad *Hebræos*, *Posterior Petri*, & *Judæ*, de quarum contentis suo loco. Nunc modo compendii caussa ex Apocalypsi enotabo rescriptum Christi Domini ad Angelum Ecclesiæ Ephesinæ, in hanc formam[b]; *Sed habeo contra te, quod* CHARITATEM TUAM PRIMAM OMISERIS. *Recordare igitur*, πόθεν ἐκπέπτωκας UNDE EXCIDERIS, καὶ μετανόησον *&* RESIPISCE, *& priora opera fac.* Christus Dominus hic conqueritur de *remisso zelo*, ac *charitate & languido studio virtutis* Ecclesiæ Ephesinæ. Quæ autem hic dicuntur de Ecclesia Ephesina, sic sunt intelligenda de Ecclesia illius nominis, illiusque temporis, quo hæ Epistolæ Joanni traditæ sunt, ut simul respiciant *Ecclesiam Universalem* illius temporis, cujus Ephesina Ecclesia imaginem & typum gessit. Jam supponere mihi liceat,

Verba Domini Ap. II. 4.

a Confer Rom. 1. 17, 18. b Cap. 11. 4.

liceat, mandata hæc ad Ecclesias edita esse à Domino sub Domitiano. Unde igitur certo colligam, sub Domitiano illa fuisse Ecclesiam facie, quam Dominus hic depinxit, *Languentem* nimirum in *zelo* & *exercitio virtutum*, deformatam vitiis (unde *resipiscentia*) & luctantem cum *Pseudapostolis*, qui luporum instar illam infestabant. Sed erunt hæc latius explicanda in sequentibus.

X. Probata sic adstructaque hypothesi nostra, non morabitur nos Hegesippus, qui apud Eusebium ait[a], Ecclesiam mansisse παρθένον καθαρὰν καὶ ἀδιάφθορον *virginem puram & incorruptam* usque ad tempora Trajani; nec Eusebius ipse[b], qui in præcedentibus de *incremento Fidei Christianæ sub Domitiano* laudabile testimonium dederat; nec denique Orosius, ubi prædicat, *Ecclesiam* sub Domitiano *toto orbe fuisse confirmatissimam*.

Locus Hegesippi apud Eusebium.

XI. Nam quod ad *Primum*; Hegesippus *virgineum illum Ecclesiæ statum* in verbis, ab Eusebio excerptis, sic explicat, quod *hæretici* Apostolis superstitibus ausi non fuerint publicam ab Ecclesia vera secessionem facere & dogmata sua palam profiteri; vitiatam contra censet Ecclesiam, quando profanorum dogmatum Auctores Doctoresque publica eorum professione Ecclesiam commacularunt & deformarunt. Audiamus ipsum: Ἐν ἀδήλῳ που σκότει φωλευόντων εἰσέτι τότε, τῶν, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τοῦ κηρύγματος· *Adhuc in obscuro recessu delitescentibus, quicunque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur.* Plura sequuntur in eundem sensum. De cætero nihil hic Hegesippus. cujus quoque hoc testimonium de Recentiore Hæreticorum Ortu, nuper ab Eruditissimo Dodwello illustratum, quatenus admittendum, & quomodo salvis aliis certissimis veritatibus intelligendum sit, in sequentibus, Θεοῦ διδόντος, videbimus.

Ad quem respondetur.

XII. Quod ad *Secundum*; Eusebius, fateor, tradit *doctrinam fidei sub Domitiano floruisse*: sed considerandum, de quo tempore loquatur, & quo argumento id adstruat: Εἰς τοσοῦτον δὲ ἄρα κατὰ τοὺς δηλουμένους ἡ τῆς ἡμετέρας πίστεως διδασκαλία διέλαμπεν, ὡς καὶ τοὺς ἄπωθεν τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου συγγραφεῖς, μὴ ἀποκνῆσαι ταῖς αὐτῶν ἱστορίαις τόν τε διωγμὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ μαρτύρια παραδοῦναι· *Porro his ipsis temporibus*

Ut & ad alia Eusebii de Statu Ecclesiæ sub Domitiano.

a Lib. III. Cap. XXXII. b Lib. III. Cap. XVIII. Lib. VII. Cap. VII.

ribus DOCTRINA FIDEI *nostra* TANTOPERE FLOREBAT, UT *Scriptores etiam à Religione nostra alienissimi, & persecutionem & martyria nostrorum monumentis suis tradere non dubitarint.* Est, fateor, hoc Eusebii testimonium alicujus momenti. Nec tamen inde, quod Scriptores exteri alicubi mentionem fecerint *Persequutionis Christianorum*, certi quicquam (nisi plura accedant:) colligi potest de *incremento* & *vigore Fidei Christianæ*. Sed quinam illi sunt Scriptores, qui persecutionis & Martyriorum Christianorum illo temporis intervallo meminerunt? Unicum tantum Auctorem adducit Eusebius, quem in Chronico *Bruttium* appellat, plures haud dubie allaturus, si plurium testimonia ipsi suppetiissent. Et quid testatur Bruttius ille? Hoc nempe, quod *Anno Domitiani quinto Decimo*, FLAVIA DOMITILLA, *Flavii Clementis ejus, qui tum temporis Romæ Consul fuit, ex sorore neptis*, μετὰ πλείστων ἑτέρων *cum* PLURIMIS ALIIS *in insulam Pontiam fuerit deportata* τῆς εἰς χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν OB CONFESSIONEM CHRISTI. Dio, qui, ut à Scaligero ad *Eusebii Chronicon* animadversum est, supplicii de ipso quoque Flavio Clemente Consule sumpti meminit, ἀθεότητος & Judaismi crimen ei impactum esse memorat, sed *Christi* aut *Christianæ Religionis* nullam mentionem facit. Notum tamen, Christianos *Atheismi* calumnia passim primis illis temporibus infamatos esse. Suetonius in *Domitiano* supplicii de Christianis sumpti pariter non meminit, sed solummodo scribit, *Judaicum fiscum acerbissime actum*, & *ad eum delatos, qui* IMPROFESSI JUDAICAM INTRA URBEM VIVEBANT VITAM [a]: per quos Proselytos aut Christianos intelligo. Nec liquet adeo, an vere *Christiani soli*, & qui à Domitiano afflicti aut relegati sunt, tantum propter professionem Religionis Christianæ, an etiam Judaicæ, passi sint? Sed verum sit, Christianos notabili numero à Domitiano afflictos, & nobilissimam Flavii Clementis Familiam fidem in Christum suscepisse (quod fieri potest ut Domitianum offenderit & præcipua illi caussa Persequutionis fuerit:) rarum quidem illud & memorandum de Flavio, nec tamen id sufficit ad probandum florentem Ecclesiæ illius ætatis statum. Præterquam quod hæc acciderunt ultimis Domitiani, quando Ecclesia jam in quibusdam locis lacertos movere incepit & revirescere.

De temporibus illis accuratius agitur.

a Cap. XII.

virescere. Quę enim de Languore & Vigore Ecclesiæ dicuntur alicujus intervalli temporis, semper intelligenda sunt in aliquo πλάτει.

XIII. Quod ad *tertium*; Orosii, Scriptoris *quinti Sæculi*, auctoritas nos hoc in casu à sententia dimovere non poterit, quippe qui tabulis Veterum de hoc intervallo temporis non fuit instructus, nec proin de eo majore cum certitudine loqui potuit, quam quilibet alius nostri temporis Scriptor, qui monumenta Historiæ primi temporis diligenter pervolvit. **Attingitur etiam Orosius, & de eo judicium.**

Caput IX.

Inquiritur in Hæreses, *quæ Ævo Apostolico in Ecclesia Christiana natæ sunt, earumque tam* Hypotheses *quàm* Auctores: *affusa passim luce variis locis Epistolarum Pauli ad* Corinthios & Timotheum; *tum præcipue* Posterioris Petri, & Judæ. *Speciatim de* Bileamitarum *sive* Nicolaitarum (*mystici nominis*) *Hæresi disseritur.*

Quod Christiana Ecclesia, pura illa & pulcra in originibus suis, circa & post tempora Neronis labem contraxerit, ejusque deformari cœperit facies, modo in genere demonstratum dedimus. Nec obscure etiam indicavimus, qua potissimum re laborare cœperit illius tempestatis Ecclesia. Primum Hæreses sparsæ à petulantis ingenii hominibus, incurrentes in sanam illam & castam doctrinam, quę tradita erat ab Apostolis. quarum aliquæ cum versarentur circa τὰ πρακτὰ nostræ Religionis: corrupti inde sunt mores non paucorum hominum, qui fidem in Christum solenniter professi erant. ut sane constat ex Epistolis, *Posteriore Petri*, & *Judæ*. Sequutus mox est *languor*, & *apostasia Judæorum* magno numero, qui postquam Christo nomen dedissent, videntes rem ex voto sibi non succedere & *Gentes* absque Communione Rituum Mosaicæ Legis à Paulo & συνέργοις admitti ad societatem Populi Dei, sacra hæc tepidius longe tractarunt, & pars quoque Christum **Qua re constiterit refrigeratio primæ Ecclesiæ Christianæ.**

Dominum, quem professi erant, abnegarunt. cujus rei fidem luculenter facit Epistola ad Hebræos. Ad hæc accessit *Neroniana Persequutio*, gravis quidem illa & acris, Christianis non tantum probandis sed & *castigandis* [a], moribusque eorum *corrigendis*, Divino consilio inserviens. Illa enim in Judæis & Gentibus, quę Christum maximo numero jam profitebantur, magnam suscitavit ἀναθειώρησιν. Nostræ nunc res ita ferunt ut in *Hæreses* Apostolici Ævi solummodo diligentius simus inquisituri. Hæreses autem illæ concernunt CREDENDA vel FACIENDA.

Hæresis prima Hymenæi & Phileti.

II. Inter *Hæreses* primæ illius Ecclesiæ, quę *Fidem* ipsam sive *theoriam* Doctrinæ Christianæ concernunt, primo memoranda venit illa *Hymenæi* & *Phileti*, negantium *gloriosam Resurrectionem mortuorum in Christo ad fruitionem æternæ beatitudinis*, futuram cum apparitione Domini in nubibus cœli. Quam sententiam non minus periculosam quam falsam Asiæ Græciæque Ecclesias pervagatam esse liquet ex collatis Apostoli locis in Epistolis ad Corinthios & Timotheum, unde nobis, quę huc pertinent, excerpenda erunt; primo breviter visuris de *sententia ipsa*; dein de *illius Auctoribus*; tertio de illius *Fundamentis* & *Vindiciis*; denique de illius quibusdam *Accidentibus*.

Sententia illorum.

III. Sententiam ipsam habemus 1 Cor. xv. 12. *Quod si Christus prædicetur ex mortuis resuscitatus: quomodo dicunt aliqui inter Vos*; ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν· MORTUORUM NULLAM DARI RESURRECTIONEM.

Dubium ex loco 1 Cor. xv. 12.

IV. In quibus verbis nihil obscuri, nisi quod in disquisitionem mitti possit, an hi homines vere negarint omne præmium *æternæ gloriæ* & *vitæ*, quod credentibus, in Domino mortuis, Promissionibus Evangelicis addicitur; an potius illam solummodo negaverint futuræ illius gloriæ partem, quæ *Resuscitatione corporum* constituta creditur, atque adeo præcipuum *æternæ vitæ* & *gloriæ præmium* ad *solas* credentium *animas*, à corporibus separatas, restrinxerint; à qua sententia non procul abfuit Maimonides.

Quod ex illo loco solvitur.

V. Quod tamen dubium ex ipso Paulo solvi posse videtur, quippe cujus disputatio de hoc argumento supponit, hosce Hæreticos

a 1 Pet. IV. 17.

reticos omnem futuræ gloriæ & beatitudinis, tam anima quam corpore percipiendæ, spem penitus abnegasse. Ex eorum enim hypothesi has consequutiones educit Apostolus, ℣ſ. 18. *Qui in Domino mortui sunt, periisse*; (spe nimirum sua excidisse, & fidei laborumque suorum mercede, quam sibi merito proposuerant, frustratos esse:) ℣ſ. 19. *Qui in Christum credunt, omnium mortalium esse miserrimos.* (quando nempe qui in hac vita plerumque misere agunt & plurimis affliguntur malis, post hanc vitam nullam recepturi sunt ἄνεσιν *relaxationem*) ℣ſ. 32. *Licere ut genio indulgeamus; & edamus, bibamus, ludamus, cras morituri.* (Nimirum summum bonum nostrum in voluptatibus hujus vitæ constituentes, & de futuro statu meliore sive animæ sive corporis prorsus desperantes.) Quę utique consequentia ex nulla alia sententia procedunt, quam quę omnem *Remunerationem Operis Boni* post hanc Vitam & Sæculum, tam animæ quam corporis respectu, rejicit. *Principium* erroris petebatur ex *Philosophia*, sive potius *Ratiocinatione Falsa*, quæ cum *omnem modum*, quo Deus potentiam suam hoc in casu exerturus est, non assequatur, homini vitiis voluptatibusque dedito ipsius hujus dogmatis rejiciendi occasionem præbet. Patet ex ℣ſ. 35. *Sed dicet quis*; Πῶς QUOMODO *resuscitantur mortui?* Ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; QUALI CORPORE *venient?* Circa *modum Futuræ Resurrectionis* laborabat *Ratiocinatio*; quem cum non intelligeret penitus, ipsam illam *Resurrectionem* abnegat: non cogitans interea de *potentia* & *sapientia Dei* perfectissima, quarum attenta consideratio omnem quibusvis incredulitatis prætextibus speciem adimit [a]. Imo non cogitans, quod Paulus ad hanc objectionem recte monet, nihil in Fide hujus dogmatis futurum supponi, quod non omni die apertis oculis observatur in commutationibus variorum corporum, quæ secundum Leges naturæ accidunt. ℣ſ. 35, 36, 37.

Ap. videtur eorum refellere sententiam qui spem futuræ vitæ abnegabant.

VI. Cum itaque *sana* & *recta Ratiocinatio* solidum nullum argumentum incredulitatis hac parte subministret; quin immo cum graves sint rationes, quare Vir pius & bonæ conscientiæ verum esse malit quam falsum, quod in Verbo Prophetico & Evangelico de hoc dogmate docetur: *Affectui* depravato & *Mala*

Fons hujus hæresis.

a Matth. XXII. 29.

Malæ Conscientiæ imputandum est, quod sint, qui huic doctrinæ obloquantur. Hunc fontem fomitemque erroris notat Apostolus in utraque Epistola ad Timotheum [a]. Nempe rationem habet peccator, quare *reformidet* Deum Judicem, cum signis Gloriæ & majestatis manifestandum; quia certum habet, præmia ubi distribuuntur, distribuendas quoque esse pœnas. cujusmodi tamen Divini judicii φανέρωσιν cum intelligat conjunctam fore cum Resurrectione: hic ipse *metus* & terror, per malam incussus conscientiam, judicio imperat, quæsitis errori prætextibus, hoc dogma negare & improbare.

Exceptio eorum, qui in hac erant sententia.

VII. *Exceptionem*, qua Doctrinæ hujus Patroni eludebant argumenta ex Scriptis Veteris Testamenti in contrarium prolata, habes apud Apostolum 2 Tim. II. 18. Dicebant nempe; Τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι RESURRECTIONEM JAM FACTAM ESSE. Non inficiabantur itaque, in Scriptis Instrumenti Veteris Beneficium *Resurrectionis* frequentissime memorari & promitti sinceris Dei Cultoribus; sed negabant, loca illa de vera & proprie sic dicta *Mortuorum Resuscitatione* intelligenda esse; quin contendebant ea metaphorice interpretanda de *Resuscitatione Mortuorum*; sive *Spirituali*, futura cum & sub Regno Messiæ, quando mundus ab erroribus & vitiis liberandus erat, cujus jam tum observabantur notabilia incrementa per prædicationem Evangelii inter gentes, quomodo deinceps Valentiniani & Marcionitæ instituerunt; sive *Politica*, in & cum restituta Judæorum Republica tum post Exilium Babylonicum, tum etiam & vel præcipue post profanata Judæorum sacra per Antiochum. Posterius hic ut verisimilimum amplector, etsi prius Grotio placere videam. Cum enim hi homines *malæ* fuerit *vitæ* & *conscientiæ*, ut ex Epistolis Pauli ad Timotheum colligimus: rationem habuisse non videntur *Resurrectione mundi spirituali* ex vitiis tantopere gloriandi. præterquam quod maxima mundi pars tum temporis adhuc in erroribus vitiisque hæserit.

Ex qua aliquid colligitur de auctoribus hujus hæresis.

VIII. Ex qua horum sanæ Doctrinæ Adversariorum *Exceptione* simul aliquid colligi posse videtur de Auctoribus hujus sectæ, quos putem tum *Judæos* fuisse Gente, tum *Sadducæos*. Auctores & Patronos erroris Apostolus tres nominat in Epistolis

a 1 Cap. I. 19. 2 Cap. II. 19.

lis ad Timotheum[a], *Alexandrum*, *Hymenæum*, & *Philetum*. ex quorum nominibus, fateor, demonstrari nequit *Judæos* fuisse, cum Græcæ sint originis; nec facile etiam contrarium ex illis colligas, cum certum sit ex Historia Evangelica, Judæos illo tempore tam in Canaane quam extra eam frequentissimo usu nomina recepisse Græca.

IX. *Alexandrum* nihilominus *Judæum* fuisse gente, liqueret omnino, si constaret, *Alexandrum* hunc eundem esse cum *Alexandro* illo Ephesino[b], de quo Lucas in Actis. Ille enim ibidem Ἰουδαῖος vocatur, & à Judæis in tumultu Ephesino productus ad apologiam texendam pro Judæis, & Christianos, ut videtur, reos peragendos. Atqui illud inde probabile fit, quod uterque nobis ut Pauli adversarius describatur, & utroque in loco supponatur, fuisse hominem scientiarum ac dicendi peritum, & rite instructum ad dolum atque fallaciam nectendam Paulo & veritati Evangelicæ. quem porro ex collato loco 2 Tim. IV. 14. eundem putamus esse *Alexandrum*, *Fabrum ærarium*, Paulo molestissimum eique in opere Domini adversantem. De Hymenæo & Phileto ex aliis Sacræ Scripturæ Libris nihil habemus. Quis inter eos Alexander, Apostolo memoratus?

X. Sed inde potissimum colligo, Judaicæ originis fuisse hos homines, quia *Exceptionem* pro vindiciis suæ sententiæ paratam habuerunt ad loca Testamenti Veteris, ex quibus *Resuscitatio Mortuorum* adstruitur; cujus Testamenti Veteris auctoritatem reprobare potuissent & reprobassent haud dubie, si tanquam Philosophi *Ethicam* Doctrinæ Christianæ simpliciter recepissent cum Generalibus quibusdam dogmatis *theoreticis*. Videtur ille & cæteri hujus sententiæ auctores fuisse Judæi.

XI. Verum præterea, *Judæos* fuisse Gente & quidem *Sadducæos*, qui præcipua Religionis tam Judaicæ quam Christianæ, imo omnis Religionis dogmata necessaria, de vera Animarum *Existentia substantiali* & *Mortuorum Resuscitatione* repudiarunt: inde probabiliter conficimus, quod Sadducæi hanc veritatem olim ex eodem principio oppugnaverint, & errorem suum eadem Exceptione defenderint, qua Hymenæus & Philetus apud Paulum. Constet illud ex Abarbanele in Expositione *Radicis tertiæ*, *de Resurrectione Mortuorum*, qui *quosdam ex* Aliud argumentum pro eadem sententia.

Iiiiii 3 *Ju-*

a 1 Cap. I. 20. II Cap. II. 17. b Cap. XIX. 33.

Judæis resurrectionis veritatem in dubium vocasse ait, *quod non viderent, quomodo fieri possit, ut corpora semel soluta --- denuo integra restituantur, --- & quæ de Resurrectione in Lege & Prophetis prædicantur esse* משל לקבוץ הגליות וזמן הגאולה FORMAS LOQUENDI PARABOLICAS, *restituendam captivitatem, & redemptionis tempus denotantes*; apud Cl. Pocockium [a], & Manassen Ben Israël [b]. Imo & Marcionitarum inter Christianos idem fuit κλησφύγετον, apud Tertullianum [c]. Fuerint itaque hæresis hujus Antesignani Judæi de *Secta Sadducæorum*, qui pestilentissimum hoc dogma Ecclesiis Christi obtrudere & fuco quodam palliare conati sint.

Quis successus hujus hæresios? XII. Etsi vero Paulus, fidelis Christi Minister, summa advigilaverit cura, ut sisteret perniciosæ sententiæ cursum; prohibere tamen non potuit quo minus *aliqui* hoc veneno infecti sint. *Aliqui* tamen hactenus, inquam, non *multi*, ut ex Apostolo colligendum videtur. licet interea id virus tam Ephesinam quam Corinthiacam Ecclesiam [d] afflaverit. Procedente tamen tempore (quod Apostolus in eadem hac Epistola ad Timotheum fato suo vicinus præmonuerat:) aliæ Doctrinæ profanæ, (βέβηλοι κενοφωνίαι [e]:) huic similes, latius serperent ac disseminarentur per totum orbem Christianum: quod ex Historiarum antiquarum reliquiis per Saturninum, Basilidem, Valentinum, & Marcionem factum fuisse constat.

Quo tempore vulgata? XIII. Nata autem & propalata hæresis videtur in initiis *Neronis*, sub cujus imperio *Ecclesiam languere* cœpisse contendimus. Utique, secundum Cestriensem Episcopum in *Annalibus Paulinis*, scripta est Epistola ad Corinthios prior tertio Anno Imperii Neronis, Paulo adhucdum in Asia, & quidem Ephesi, morante, mox in Macedoniam transgressuro. Qui calculi Pearsoniani bene nobis positi videntur, & aliis Historię Sacrę, & ipsius hujus Epistolæ, partibus probe consentire. Utramque ad Timotheum sub eodem Nerone Imperatore scriptam esse, certum; & *posteriorem* quidem; instante Pauli martyrio, in secundis ejus vinculis, ultimis Imperii Neroniani. Ex

a In Porta Mosis, p. 115. b De Resurrect. Mort. Part. I. Cap. VI. c De Resur. Mort. Cap. XX. & de Præscript. advers. Hæret. Cap. XXXIII. d I Cor. XV. 12. II Tim. II. 18. e vers. 17.

ni. Ex quorum comparatione liquet, pessimam hæresin perplures annos ab initiis ad ultima saltem Neronis Ecclesiam exercuisse.

XIV. Quodsi quis hæsitet, qui fieri potuerit, ut Christianæ Fidei homines, non abnegata hactenus nominis Christiani professione, ad talem prolapsi sint opinionem, per quam præcipuum Doctrinæ Christianæ fundamentum, ab ipso Christo in Disputatione adversus Sadducæos adstructum, evertitur: illum meditate secum perpendere velim, nullam in Scriptura tam claram reperiri veritatem, quam homo, præjudiciis occupatus, si ingenio suo abuti velit, falsa textus Sacri interpretatione non possit obscurare, & in alienum detorquere sensum. Quid enim? Mirabimurne magis, *Hymenæum* & *Philetum* post vindicatam à Domino sententiam de *Resuscitatione Mortuorum* eandem tamen illam Resuscitationem negasse, etsi interea nomen Christianum non deponerent: quam *Marcionitas* post eandem hanc sententiam de *Resurrectione Corporum*, sive *Carnis*, à Paulo in *priore* ad Corinthios *Epistola* valide adstructam, eandem tamen hanc fidem de *Resurrectione Carnis* reprobasse & explosisse, dum interea non modo Christiani denominari cupiebant, sed Pauli quoque auctoritatem videri volebant reverenter admodum habere, ceu in Tertulliani Libris adversus illos videre est? Patet utique inde, nullam esse Scripturę tam perspicuam Doctrinam, quam audacibus ingeniis difficile sit obscurare nebulis ratiocinationum & interpretationum falsarum, si ab eo consideratione Divini judicii non absterreantur.

Dubium adversus sententiam superiorem motum & solutum.

XV. Sed est præterea quod dubitem, an eo jam tempore, quo hæc hæresis propalari cœpit, hoc est, in initiis Neronis, Evangelia, ab Apostolis aut Evangelistis conscripta, versata fuerint in manibus credentium; vel, si Hebræum Matthæi jam tum extitisse velimus, an Græca Lucæ & Marci illo jam tempore edita fuerint? Imo rationem habemus non contemnendam, quare ad negantem sententiam propendeamus. Quo supposito, (neque enim in illam materiam nunc digredi convenit:) simul apparet, perniciosum hoc dogma ex disertis & directis Christi Domini sermonibus hoc de argumento, nisi qui

Dubium, an illo jam tempore extiterint Evangelia scripta?

qui forte ex concionibus Apoſtolorum excerpti fuiſſent, illo tempore refutari non potuiſſe. Quare videntur etiam illæ nebulæ per Evangelia ab Apoſtolis aut Comitibus eorum vulgata demum penitus diſpulſæ eſſe. Utique ex Clementis Romani ad Corinthios Epiſtola, quæ hoc ipſo primo Chriſtianiſmi ſæculo inclinato ſcripta eſt, non facile colligas, Eccleſiam Corinthiacam cum hoc malo tum temporis præcipue colluctatam eſſe. Quæ enim habet Clemens in hac Epiſtola de *Futura Mortuorum Reſurrectione*[a], generalia ſunt, & cuilibet Exhortationi Credentium inſeri potuerunt. Sequentium vero temporum Hæreticorum nulli, quod ſciam ego, omne præmium beatitudinis, poſt hanc vitam Credentibus conferendum, negarunt; etſi Marcion & inter Gnoſticos plurimi negaverint *Reſurrectionem carnis:* Beatitudinis & æternæ Vitæ promiſſa ad ſolam referentes animam, & quæ de *Reſurrectione* in Scripturis Sacris occurrunt de *Reſurrectione* interpretantes *Spirituali*. Tertullianus[b]: *Nacti enim quidam ſolenniſſimam eloquii Prophetici formam allegorici & figurati plerumque, non tamen ſemper, Reſurrectionem quoque Mortuorum manifeſte annunciatam, in imaginariam ſignificationem diſtorquent, aſſeverantes, ipſam quoque mortem ſpiritualiter intelligendam. Non enim hanc eſſe in vero, quæ ſit in medio, diſſidium carnis atque animæ, ſed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore jacuerit, quam in ſepulcro. Itaque & Reſurrectionem illam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus & revivificatus Deo, ignorantiæ morte diſcuſſa, velut de ſepulcro Veteris hominis eruperit; quia & Dominus Scribas & Phariſæos ſepulcris dealbatis adæquaverit.* Dein Cap. xx. *Ob hujuſmodi igitur conjecturas primam præſtructionem illorum depellam, qua volunt, Prophetas omnia per imagines concionatos, &c.* Admittebant igitur illi ſolummodo τὴν ἀνάςασιν τὴν πρώτην *Reſurrectionem primam*, Spiritu in Apocalypſi utramque quidem tam *ſecundam*, quam *primam* adſtruente: quando non abſurda ſententia eſt, ſemina horum errorum jam tum à Gnoſticis ſpargi cœpiſſe.

Hæreſis illa, ut primo tempore vulgata eſt, non adeo diu duravit.

Marcionitarum & Gnoſticorum ſententia.

Gnoſticæ hæreſios ſemina mature

XVI. Sic exiſtimo. Si quis enim quæ Apoſtolus in Epiſtola ad *Coloſſenſes*, (quæ & ipſa ſub *Nerone*, & quidem in vinculis Ro-

a §. XXIV. §. XXV. b Lib. de Reſurrect. Carnis, Cap. XIX.

lis Romæ conscripta est:) nec non priore ad *Timotheum*, de erroneis quorundam ἑτεροδιδασκαλούντων sententiis monet, conferat cum dogmatis moribusque Gnosticorum, quatenus illos ex Irenæo cognitos habemus: magnam inter illa convenientiam intercedere observabit. Gnostica enim Theologia quid fuit quam Systema arcanæ cujusdam scientiæ, conflatum ex dogmatis Philosophiæ Pythagoricæ & Platonicæ, mixtis cum sementis fidei Judaicæ & Christianæ. Certe quod Tertullianus ait, *Omnem hæresin a Philosophia subornari*: verum est de hæresibus tam Judaicis, quam Christianis primi temporis; imo [illegible], omnis temporis Christianismi. Ex Pythagoricorum, Stoicorum, Academicorum, & Epicureorum [illegible] Philosophiis natæ apud Judæos sunt hæreses Essenorum, Pharisæorum, & Sadducæorum. *Judæorum Doctores*, qui [illegible] *Philosophorum* [illegible], eadem componere [illegible] *Legis Mosaicæ*; docuerunt[illegible], [illegible] *Ritum Mosaicæ Legis* [illegible] ex *Philosophia*, & [illegible] *ex* [illegible] *a Deo* [illegible]. Imo quicquid [illegible] apud Judæos de [illegible] *Emanationibus* [illegible] & mysteriis numerorum; quicquid docuerunt de *Cultu Angelorum*, de Metempsychosi, de religiosa abstinentia, ex Pythagorica Philosophia translatum est in Theologiam Judaicam: ut [illegible] monuerunt. Quemadmodum & illud, [illegible] hæc Philosophico-Theologica omnibus promiscue non tradiderint, sed paucis solummodo, subtilioris hujus [illegible] capacibus, [illegible] involvenda [illegible]: *Μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά*: ut Laertius habet. Quorum jam Philosophorum aliqui cum ex Judaismo transirent ad Religionem Christianam [illegible] ipsas sententias intulerunt in Christianismum, & cum dogmatis Doctrinæ Christianæ compegerunt in unum [illegible] corpus, eamque Sapientiam supra vulgarem [illegible] commendarunt [illegible]. [illegible] igitur Sadducæi, [illegible], [illegible] Philosophi [illegible] genere Hymenæum, Philetum, & [illegible] fuisse [illegible]; *Resurrectionem Mortuorum* ex Philosophiæ suæ principiis negarunt, sic [illegible] contra tamen

I. [illegible] Doctri-

Contra promptas herefias.

Gnostica Theologia [illegible] intelligit [illegible]

[illegible] Religionem [illegible] Christianæ [illegible]

[illegible]

Doctrinam Christianæ Religionis aliis dogmatis, ex aliarum Sectarum Philosophicarum lacunis haustis, jam Pauli ætate inficere & adulterare cœperunt. Hæc illa est *Philosophia*, hæc illa κενὴ ἀπάτη *vana seductio*, quæ speciem *sapientiæ* præferens Christianos à simplicitate Evangelii ad Cultum Angelorum, observantiam Legis Mosaicæ, abstinentiam à licitis, *prædæ instar* abducebat, de qua Paulus in *Capite secundo* ad *Colossenses*. Hæ sunt illæ *fabulæ* & γενεαλογίαι ἀπέραντοι *genealogiæ infinitæ*, de quibus idem Apostolus ad Timotheum [a], hoc est, Processiones rerum omnium à caussa prima per varios gradus, quarum *terminus* ultimus, sive *primum principium* occultum est mortalibus, eam ob caussam in *Sephiroth Kabbalisticis* dictum אין סוף ABSQUE FINE vel TERMINO. Sic Tertullianus jam olim Pauli illa loca ad Colossenses, & Timotheum, in Libro de *Præscriptionibus adversus Hæreticos* explicata dedit, & inter recentiores Hugo Grotius [b], magni Vir judicii: quos hic Auctores sequi non pudet, quando mihi persuasum est ex circumstantiis Orationis, Apostolum per *Genealogias* hoc loco nihil minus quam quod vulgo per hanc vocem intelligere solemus, *Recensiones* nimirum *Generis* & *Familiæ* quarundam *Personarum*, designare.

Genealogia infinita Pauli.

XVII. Hisce Philosophis, Ecclesiam sub Nerone infestantibus, accedant nunc Christiani ex Judæis, Ζηλωταὶ τῦ νόμυ *Fervidi Vindices. statutorum Legis Mosaicæ* [c], quorum plurimi, annis, ut videtur, aliquot post celebratum solennem conventum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, hoc est, circa initia Neronis, Ecclesias Gentium, à Paulo Apostolo fundatas, turbarunt. Cum enim Apostolici Decreti, quo credentium ex Gentibus asserta est libertas ab observanda Lege Mosaica, magna fuerit auctoritas apud omnes Ecclesias: annorum aliquot intervallum concipiendum videtur intervenisse inter Synodum illam Hierosolymitanam, & insidias falsorum horum Apostolorum. Qua enim specie, quo prætextu, cum Apostoli & Presbyteri Ecclesiæ Hierosolymitanæ post seriam deliberationem de libertate Gentium à jugo Legis recente Decreto statuissent, & de illo suo consulto Ecclesias Gentium per Delegatos certio-

Præter Hæreticos turbabant Ecclesiam *Zelotæ Legis Mosaicæ*.

Quo tempore?

a Cap. I. 4. b Cap. VII. ac XXXIII. c Act. XXI. 20.

certiores fecissent: falsi illi Fratres suam doctrinam commendassent? Temporis aliquod interstitium ad minimum requirebatur, quo illud Apostolorum Consultum quodammodo obsolesceret & aliquantum de vi & vigore suo perderet, antequam Zelotis illis Mosaicæ Legis commodum fuit se Apostolicæ auctoritati directe opponere. Ne dicam, quasdam Ecclesias Gentium, quas Pseudapostoli illi turbarunt, demum post habitam Synodum Hierosolymitanam à Paulo fundatas esse. Quare si ponamus, Synodum Hierosolymitanam habitam esse *octavo*, *nono*, vel etiam *decimo* Claudii, (neque enim illud ob incertitudinem intervalli illius temporis, quod inter primum & secundum Pauli iter Hierosolymitanum intervenit, tam accurate definiri potest:) hi Conatus Zelotarum Legis Mosaicę ad pervertendam fidem Gentium rejiciendi erunt in tempus Imperii Neroniani; cujus initiis pariter scriptam putamus Epistolam ad Galatas.

XVIII. Erant autem, qui Paulo & Ecclesiis hæc negotia facessebant, *ἐκ περιτομῆς Judæi circumcisi*, & hac aliisque suis prærogativis carnalibus turgidi, Paulo autem ob desertam Legis Mosaicę caussam infestissimi, quos in Epistola ad Titum vocat *ματαιολόγους καὶ φρεναπάτας*[a]. Hi in Epistolis ejus veniunt nomine *ψευδαποστόλων* & *ψευδαδέλφων*[b], coloribus suis in iisdem hisce Epistolis ad vivum depicti. Quantam vero illi in quibusdam Ecclesiis Gentium stragem ediderint, quot illi simplicioris animi homines falsa ratiocinationum specie deceperint, quot alios turbaverint, alios tristitia affecerint, alios in cursu fidei feliciter cœpto morati sint: ex Epistolis ad *Galatas*, utraque ad *Corinthios*; quin & ad *Romanos*, *Colossenses*, *Philippenses*, *Thessalonicenses*, *&c.* liquet. Utique apparet ex iis, quę hactenus dicta sunt, Ecclesiam Christanam laborare & labem aliquam contrahere cœpisse sub Nerone.

Erant illi Judæi.

Quo modo ab ipso Paulo describantur?

XIX. Quis dubitet tamen, quin, quandiu Paulus in vivis erat, ejus tam vigilantia & industria, quam auctoritate & prudentia plurima restituta sint, & in initiis caute provisum, ne cancer nimis late serperet. Sed gravior Ecclesiæ imminebat tempestas post ejus & Petri mortem, quæ referenda ad ultima

Repressi à Paulo.

 Nero-

a Tit. I. 10. b I Cor. XI. 13. 26. Gal. II. 4.

Neronis. *Ego autem novi hoc*, ait Ephesiis valedicturus[a], *po discessum meum lupos graves ad vos ingressuros esse, non parcent gregi; & ex vobis ipsis exorituros esse, qui loquantur perversa, & discipulos post se abstrahant.* Inprimis tamen id prænunciat i priore ad Timotheum[b].

Petri Ep. posterior de quibus agat Hæreticis?

XX. Sed & Petrus in altera sua Epistola Catholica *Capi secundo* idem prorsus agit, eosdem illos describens *Pseudoproph tas*, quos Paulus in priore ad *Timotheum*, ut qui jam tum cla & latenter dogmata sua propalare incipiebant, sed mox maj re impetu erumperent. Id nempe quod liquidissime constat collato hoc *capite secundo* Posterioris *Petri* cum *Epistola Jud* & *prioribus Capitibus Apocalypsis Joannis*, quippe quibus or jam supponuntur *Pseudoprophetæ* illi, quorum ortus ut futur & instans à Petro prænunciatus; imo quorum initia ab illo cl re descripta erant. Etiamsi enim propendeam in illam sente tiam, quæ Epistolas Apocalypticas mystice sive prophetice i telligendas contendit: censeo nihilominus, Spiritum Sanctu corruptionem Ecclesiæ futuri temporis in Apocalypsi Joann depingere vocibus & phrasibus, quas mutuatus est à subjec illo tempore extantibus; ut quemadmodum status Eccles rum futuri temporis repræsentavit nominibus celebrium Eccl siarum Asianarum, sic hæreses quoque, errores, & vitia eju dem Ecclesiæ futurorum temporum notasse nominibus *hæ sium* & *vitiorum*, quæ illo tempore jam in Ecclesia gliscebai Quodsi probe observatum fuerit, neminem offendet comp ratio illa, quam in sequentibus inter Petrum, Judam, & J annem, ut de eadem secta Hæreticorum loquentes, institut ri sumus.

Tertia aliqua hæresis hujus temporis respexit τὸ πρακτικὸν Religionis.

XXI. *Hæresium*, quas hactenus in Ecclesia illa Apostoli primæva pullulasse memoravimus, *Duæ priores* de *Resurrecti Mortuorum*, & *Emanationibus Rerum à prima caussa, &c.* v satæ fuerunt circa Dogmata Fidei nostræ *theoretica*, etsi ee maximum ad *praxin solidæ pietatis* respectum habuerint: *Ter* de *Observantia Mosaicæ Legis, obtrudenda Gentibus*, relata fuit *Praxin Fidei nostræ*, sive potius illam *Partem Praxis* Religion quæ *Cultum Dei* concernit: *Quarta* hæc, quam Petrus & J

a Act. xx. 29. b Cap. iv. 1.

das describunt, pariter ad *Praxin* Religionis nostræ referenda est; secundum illam potissimum partem, quæ spectat *Mores* & *Exercitium Virtutum Christianarum*, cum σχέσει tam ad *nos ipsos* quam ad *Alios*. Quo cum nostra nos nunc deduxerit oratio, videamus brevibus, 1. De *sententiis* horum *Pseudoprophetarum*. 2. De illarum *Fundamentis*, sive πρώτοις ψεύδεσι. 3. De illarum *Auctoribus*; 4. De illarum *Accidentibus*, & *Consequentiis*.

XXII. De *Sententiis* horum Pseudodidascalorum hæc duo nobis liquent ex Epistolis Petri & Judæ; 1. Quod impune habuerint omne exercitium voluptatum carnalium; Scortationes, adulteria, incestus, & si quę alia impuritatum nomina dentur. 2. Quod Magistratibus Gentilibus obedientiam præstandam esse negaverint. Sententiæ illius Sectæ hominum.

XXIII. Utrumque habemus apud Petrum; 2 Cap. II. ℣s. 10. 1. Μάλιστα δὲ τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους· MAXIME QUI POST CARNEM IN IMPURA CUPIDITATE INCEDUNT. 2. Καὶ κυριότητος καταφρονοῦντας, τολμηταί, αὐθάδεις, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες· *Et* DOMINATIONES CONTEMNENTES; *audaces*, *sibiplacentes*, NON VERENTUR DIGNITATES PROBRIS INCESSERE. Petri verba.

XXIV. De *priore* præterea tum ex aliis partibus orationis Petri, ut v. g. ex *commatis* 13, 14, 18, 20. & *Judæ* ℣s. 7, 8, 16, 18. tum ex comparationibus, quæ à Petro & Juda in vitiis illorum describendis adhibentur, liquet. Cujusmodi est exemplum *incolarum primi mundi*, huc à Petro adductum ℣s. 6. quos ad omne genus impietatis, inprimis *illicitarum libidinum*, profusos esse constat, ipsis *Filiis Dei se miscentibus cum Filiabus hominum* [a]. Nec non *Sodomæorum* & *Gomorræorum*, qui *carnem sectati sunt peregrinam*, ut *Judas* ℣s. 7. hoc est, vagis & illicitis libidinibus, quarum aliquæ Legibus naturæ adversatæ sunt, se honestate omni deposita inquinarunt: *Israëlitarum* præterea, qui se per *Bileamum Pseudoprophetam* passi sunt seduci ad congressus voluptatum illicitos, sibique per id accersiverunt severam & repentinam Dei vindictam, ut patet ex *Num.* XXV. 2, 3. Adstruitur ex eorum hypothesi.

XXV. Quæ posterior comparatio occasionem dedit Petro & Judæ Apostolis hos *Pseudoprophetas*, qui Voluptatum Carnis Quare dicti sint Bileamitæ?

a Gen. VI. 2.

& Gulæ licentiam prædicabant; comparandi cum Bileamo, ut videmus 2 Pet. II. 15. *Qui relicta recta via aberrarunt, sequuti* τὴν ὁδὸν τοῦ Βαλαὰμ, τοῦ Βοσὸρ VIAM BALAAM, *Filii Bosor*. Nec non Jud. ℣ſ. II. Τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν· *Deceptione mercedis, qua deceptus fuit* BALAAM, *effusi sunt*.

Vis comparationis.

XXVI. Præcipua comparationis vis in eo sita est, quod sicuti *Balaam* Propheta auctor fuit Moabitis, ut Israëlitas ad *commercium prohibitarum libidinum*, & per libidines ad idololatriam pellicerent, & hoc medio in eos derivarent gravissima Dei judicia: sic *Falsi hi Doctores*, patrandarum libidinum carnalium licentiam facientes credentibus, ad avaritiam suam ad Bileami exemplum satiandam; pariter in Ecclesiam provocarint iram Dei, & quæ iram sequi solent, castigationes severas. Id vero præcipuum esse, quod huic subest comparationi, intelligimus ex Apocalypsi Joannis [a]: *Sed habeo contra te pauca, quod ibi habeas, qui tenent* τὴν διδαχὴν Βαλαὰμ DOCTRINAM BALAAMI, *qui Balakum docuit, scandalum objicere Israëlitis, ut idolothyta comederent, &* SCORTARENTUR. Invitarunt Moabitæ Israëlitas ad sacra sua, quorum pars magna epulis, comessationibus, & voluptuosis congressibus constabat, & hoc medio illos implicuerunt Divino Judicio.

Bileami consilium suggestum Balako.

XXVII. Quod autem *Bileam* callidissimum hoc consilium suggesserit *Balako*, in ipsa quidem Historia hujus delicti non habetur, nec tamen per solam *traditionem* inter Judæos conservatum fuit. Nam *primo* quidem id non obscure innuitur Num. XXV. 18. ubi quicquid gestum est ab Israëlitis in idololatria commissa cum *Peore*, Midianitarum & Moabitarum *astutiæ* adscribitur: *Quia* (de Midianitis dicitur) *adversarios se vobis præbuerunt* בנכליהם אשר נכלו לכם *in* ASTIBUS *suis, quibus* ASTUTE *erga vos egerunt*. Quod igitur Midianitæ Israëlitas ad commercium idololatricum & libidinosum invitaverint, *astutiæ* & *callidissimi consilii* fuit, non *casus fortuiti*. Quandoquidem vero Moabitarum tam Proceres quam Vulgus ignari erant interni status Judaici Populi, & singularis illius Populi respectus ad Deum, cui hoc consilium attemperandum fuit; quem probabile est alium ejusmodi consilium suggessisse Balako quam *Bileamum*, qui, de

a Cap. II. 14.

de constitutione populi Dei probe instructus, amore lucri in perniciem Israelitarum varia jam machinatus erat? Sed, (quod *secundo* loco notandum fuit:) in sequente hujus Historiæ contextu idem ad *Bileamum* totidem verbis refertur [a], ubi Historiographus ait cum respectu ad eandem hanc Historiam, *Mulieres Midianitarum Israëlitis occasionem præbuisse prævaricandi adversus Dominum* בדבר בלעם AD VERBUM BILEAMI; hoc est, ad consilium, illis à Bileamo suppeditatum. Onkelos: בעצת בלעם *Ad consilium Bileami.* A Bileamo itaque profectum fuit flagitiosum consilium populum Dei pelliciendi ad *libidines*, quod idem institutum fuit illorum ψευδοδιδασκάλων, de quibus Petrus & Judas. Dubium etiam, an non eo referenda quoque sint verba Num. XXIV. 14.

XXVIII. Nec tamen alias excludimus convenientias, quæ inter *Bileamum* & *Pseudoprophetas* illos Petri notari possunt. Ut enim *Bileam nimio lucri amore* Balako pessimi consilii auctor fuit: sic Petrus idem illud vitium *avaritiæ* in caussis ponit, quæ profanos hosce Doctores impulerunt ad hoc Evangelium carnale promulgandum, vs. 3, 14. Ut *Bileam* occasionem dedit Israëlitis se per מעל *prævaricationem apertam* subtrahendi imperio Dei, quem legitimum suum Dominum agnoscebant Israëlitæ, & Populum Judaicum *sibi quasi subjecit*, dum Judæus Populus contemptis spretisque Dei jussis ad consilium & *verbum Bileami* se idololatriæ & libidinibus illicitis dedit (quo jam spectat nomen בעל עם / quasi tu dicas, DOMINUS POPULI:) ita prorsus cum *Pseudoprophetis* hisce se habuisse docet Petrus, ut qui *sanctis & puris præceptis* Christi (τῇ ἁγίᾳ ἐντολῇ vs. 21.) unici Ecclesiæ Domini & Regis, spretis repudiatisque, suam substituerunt impuram & profanam Doctrinam de licentia libidinum & voluptatum carnalium promiscue exercendarum, atque ita τὸν μόνον δεσπότην καὶ Κύριον Χριστὸν ἀρνούμενοι *solum Herum & Dominum Jesum Christum abnegantes* [b], Ecclesiæ Dominium ad se transferunt, nova illi præcepta, novam vitæ regulam ac Disciplinam præscribentes, quæ Disciplinæ Christianæ recta adversatur. Hoc demum est, se *Bileamum* facere & demonstrare. Denique ut Bileamus, καταλιπὼν τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν *derelinquens viam rectam*,

Aliæ rationes convenientiæ inter hos falsos Doctores & Bileamum.

viam

a Cap. XXXI. 16. b Jud. vers. 4.

viam suam [a], hoc est, suas agendi rationes ita instituit, ut *asinæ*, qua vectus est, ejus παραφρονίαν *insaniam inhibuerit*, eique *obloquuta* sit: sic ipsi quoque hi Pseudoprophetæ, recta rationis & Scripturæ via derelicta, tam absurda profitebantur dogmata, ut non modo à *rudiore plebe Christiana*, quę se alias facile à Rectoribus suis duci patitur, ex communi luce conscientiæ, sed & ab ipsis *brutis animantibus*, refutarentur. Cum enim *bruta animantia*, etsi ratione & consilio careant omnesque sui corporis motus secundum naturæ instinctum & ductus componant, in esu, potu, & congressibus suis *modum* aliquem observent, Legibus naturæ & suæ conservationi consentaneum: hi homines contra hos ipsos actus naturales tam *immoderate* exercebant, ut per exemplum *brutorum irrationalium*, tanquam per *vocem* aliquam, refellerentur, & quasi *inhiberentur*.

Quare Petrus Bileamum hic appellet *Filium Bosor*?

XXIX. Sed neque illud prætereundum est, quod Petrus ait, *Pseudoprophetas* hosce sequutos esse viam *Bileami*, τῦ Βοσὸρ Filii Bosor, ℣s. 15. quippe in quo mysterium aliquod latet, quod nescio an hactenus à Commentatoribus hujus loci animadversum sit. Laborant nempe Expositores hujus textus, qua de caussa, quove fundamento Petrus *Bileamum* vocet Filium Bosor, cum in Historia Testamenti Veteris dicatur Filius Beoris, בן בעור. quod Hebræum בעור Septuaginta Interpretes non per Βοσὸρ, sed per Βεὼρ reddiderunt [b]. Unde igitur Petrus suum habet Βοσόρ? & quid sibi hæc vult nominis proprii variatio? Qui cum Vulgata existimant hic alludi ad Locum בשור aut בצר / unde oriundus fuisset Bileamus, dudum refutati sunt à Drusio, Grotio, aliisque. Præter alias enim rationes ab ipsis adductas, sic oportet existimare, Petrum, quicquid hic de Bileamo habet, deprompsisse ex Scriptura Testamenti Veteris, in qua de Bileamo id reservatum non est. Novam enim Petro de Bileamo revelationem obtigisse, quis credat? Grotius igitur refugit ad nomen פתורה / *Locum Mesopotamiæ*, ubi Historia Sacra narrat *Bileamum* habitasse [c]. quod nomen פתורה per familiarem in pronunciatione conversionem literarum, ב & פ / item ת & ש / apud Syros eo tempore per Βοσὸρ enunciatum esse contendit. Sed Locutio Græca; Βαλαὰμ τῦ Βοσὸρ, eo nos ducit,

Quomodo *Pethor* in *Bosor* hic mutatum?

a Num. XXII. 32. 2 Pet. II. 16. b Num. XXXI. 7. c Num. XXII, 5.

cit, ut cogitemus, Βοσὸρ hic potius esse nomen *Parentis Bileami*, quam *Loci*, in quo habitavit. Præsertim cum constet, Bileamum in Sacris familiarius à *Parente* describi, & Parentem ejus gavisum esse nomine affinis soni בעור. Præterquam quod, concessis etiam permutationibus illis literarum, quas Grotius supponit, Petrus tum potius scripsisset Βεζορὰ, quam Βοσὸρ. Ergo omnino putamus, nomen Βοσὸρ hic referendum ad Hebræum בעור. Sed quare id à Petro potius redditum est per Βοσὸρ quam per Βεώρ?

XXX. *Grammatice* quidem id fieri potuit, ut Cl. Coccejus verbo solummodo observavit, *molliendæ pronunciationis caussa*, quia *elementum* ע *difficilius enunciatu quibusdam videtur*. Ita est; Elementum ע apud Veteres *adspirationis fortissimæ* nota erat, quę sæpe transibat in *sibilantem*. Sic Græcum ἅλς transivit in Latinum *Sal*, *Salum*; ἅλλομαι in *Salio*; ἑπλὰ in *Septem*; ἵστημι in *Sisto*, *&c.* exemplis aliis pluribus congestis à Vossio. Imo ipsam quoque literam Hebræam ע aliquando in *sibilantem* verti, observavit Eruditus Vir, honorandus nuper Collega noster, Jacobus Perizonius, productis exemplis vocum σὺν & *salio* [a], quę originem suam debent Hebræis עלה & עם. Potuit itaque Petrus Grammatice Hebræam vocem בעור efferre per Βοσὸρ. Imo nescio, an non huc quoque pertineat, quod *Galilæi*, de qua regione Petrus fuit, literam ע mollius, quam par est, pronunciarent, & propter hoc pronunciationis vitium ab Hierosolymitanis, rectæ pronunciationis studiosis, contemnerentur, ut Buxtorfius in *Majore Lexico* [b] notavit. Petro autem Pronunciationis Galilaę vitium adhæsisse, liquet ex Matth. XXVI. 73. Ratio Grammatica.

XXXI. Quando itaque hæc enunciatio Hebræę Vocis בעור per Βοσὸρ Grammaticæ regulis non repugnabat, & haud dubie apud aliquos recepta fuit: Petrus illam hoc in casu elegit, ut per sonum vocabuli Βοσὸρ alluderet ad Hebræum בשר / quod CARNEM notat; elegante hoc lusu subinnuens, *Bileamum*, Falsum Prophetam, suadendo *voluptatum carnalium* exercitium, merito dicendum esse *Filium Βοσὸρ*, hoc est, בשר CARNIS. Cujusmodi allusiones, qui attenderit, plures in Petrinis Epistolis inveniet. Sic hoc ipso in *commate*, quod Grotius apposite ob- Et mystica.

 ser-

a Not. in Sanct. Minerv. Lib. IV. p. 599. b Ad Voc. גליל.

servavit, per phrasin μισθὸν ἀδικίας Hebræam expressit ἀρτιγέννητα βρέφη; שכר פעל. In Epistola priore, credentes, quos ỳs. 2. vocaverat ἀρτιγέννητα βρέφη *infantes modo genitos*, in ỳs. 4. comparat cum λίθοις *lapidibus*, substructis in Templum Spirituale; alludens, ceu à Doctis jam animadversum est, ad Hebræam vocem בן aut אבן / quę tam *Filium*, quam *lapidem* notat, à בנה *extruere*, ædificare.

Consentit Nomen *Nicolaitarum*.

XXXII. Porro cum hoc nomine *Bileami* contendendum est alterum illud Νικολαϊτῶν NICOLAÏTARUM, ejusdem omnino significationis, & ad illius typum expressum. Occurrit in Apocalypsi *bis*, cap. II. 6, 15. quibus in locis attendenti perspicuum, NICOLAITARUM nomen non proprie, sed αἰνιγματωδῶς adhiberi, & quidem cum respectu ad Hebræum בלעם *Dominus Populi*; quod idem cum Νικόλαος. *Victor populi*. Verba Domini sic habent ỳs. 14. *Habeo adversus te pauca, quod ibi habeas, qui tenent* DOCTRINAM BILEAMI, *qui Balakum docuit objicere scandalum Israëlitis, ut idolothyta comederent & scortarentur*. ITA ETIAM *tu habes, qui tenent* τὴν διδαχὴν Νικολαϊτῶν DOCTRINAM NICOLAÏTARUM. *Nicolaïtæ* utique iidem hic sunt qui *Bileamitæ*, &, si rationem & simplicitatem textus sequimur, utrumque eodem modo interpretandum est. *Nicolaïtæ* sunt *Doctores vagarum libidinum carnalium*, qui Populum Christianum per hanc Doctrinam *Christi subtrahunt imperio, & sibi subjiciunt*.

Nicolaitæ, nomen mysticum, in *Apocalypsi*, qui alias *Bileamitæ*.

Veterum de iis traditiones incertæ.

XXXIII. Quare prorsus nihil curamus, quæ Irenæus, Clemens, Eusebius, Epiphanius, aliique, tradiderunt de *Nicolaïtis Hæreticis*, tanquam qui nomen & originem ducerent à *Nicolao, Proselyto Antiocheno*, qui unus fuit Septem OEconomorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ [a]. Patrum illæ traditiones nulla nituntur certa auctoritate; non sunt constantes, sed sibi contrariantur; imo contrariantur etiam testimonio Lucæ de hoc Nicolao Antiocheno, probatæ fidei morumque Viro; & præterea nihil fere continent, quam quod ex hoc ipso Apocalypsis loco per incertas conjecturas fictum esse hariolamur. quæ singula prolixe demonstrare possemus si res tanti esset, & non cuivis veritatis studioso ad singula attendenti eaque secum comparanti se clare proderet.

XXXIV.

a Act. VI. 5.

XXXIV. Ob quam eandem caussam opus non habemus ad loci hujus Apocalyptici intellectum conjectura Ligtfooti [a], qui subodoratus, Νικολαϊτῶν *Nomen* apud Joannem *ænigmatice* exponendum esse, etsi hanc sententiam timide professus sit, illud deducere tentavit ab Hebræa voce ניכולא *Comedamus*, acsi id Symbolum esset harum animantium, quę se Christiana pelle induerant, ex Es. XXII. 13. 1 Cor. XV. 32. Sed quicquid hæc conjectatio, ut Ligtfootianæ solent, se commendet ab ingenio: clarum est ex notato Apocalypsios loco, *Nicolaitarum* nomen referri ad illud *Bileamitarum*, & bina illa nomina inter se significatibus comparari.

Ligtfooti de iis sententia & conjectura.

XXXV. *Alterum dogma*, quod *Falsi* hi *Prophetæ* apud Plebem Christianam eructabant de *Libertate Credentium à Jugo Imperiorum Mundanorum*, illustrari posse videtur ex eo, quod Petrus & Judas ad illud refellendum proferunt de exemplo *Angelorum*, qui potentiæ gloriam, non tantum in se mutuo, sed & in Angelis Adversariis, agnoscunt & reverentur. Probant autem hanc de Angelis hypothesin ex Zach. III. 1, 2. ubi *Angelus Jehovæ*, qui ibidem quoque *Jehova* vocatur, Satanam, Josuam Pontificem accusantem, hac formula condemnasse legitur; *Increpet te Dominus*, ὁ *Satan*, *&c.* Quod Petrus hic obscurius, id Judas clarius exprimit his verbis, ℣s. 9. *At Michaël Archangelus*, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος· *quum adversus Diabolum certans disceptaret* DE CORPORE Mosis, *non ausus est illi impingere notam maledicti*, *sed dixit*; *Increpet te Dominus.* Probabile nobis videtur, Judam scripsisse περὶ τοῦ Ἰησοῦ σώματος; & hodiernam lectionem esse à manu imperitioris Bibliographi, qui cum nihil in Scripturis memorabile legisset de *Corpore Josuæ*, sed contra ex Historia Sacra intellexisset, quid circa *Corpus Mosis* singulare accidisset, nec interea de loco Zachariæ cogitaret, *Josua* nomen in illud *Mosis* commutavit. Sed quam certum est, Judam his verbis respexisse Locum illum Zachariæ, tam quoque certum est non scripsisse, Michaëlem disputasse cum Diabolo de *Corpore Mosis*. Sic pariter 2 Pet. II. 13. vitiose legitur ἀπάταις pro ἀγάπαις, Doctis dudum monentibus. Tarde quidem & raris casibus eo venimus, ut in Sacro

Alterum dogma Gnosticorum de *Libertate* ab obsequio superiorum, illustratur.

Locus Judæ, vers. 9.

Apud Petrum 2 Ep. II. 13. legendum ἀγάπαις.

 textu

a Hor. Hebr. in Acta, Cap. VI. 5.

textu tale quid audeamus, nec nisi summa cum humilitate & reverentia; sed durum telum necessitas id hoc in loco flagitat. Imo ex eadem ratione liquidissime patet, Judam, quę hic habet de *Corpore Mosis*, non desumpsisse ex Apocrypho aliquo Judaici ingenii, in quo hanc Fabulam offendisset. Respexit Judas, ut jam dixi, ad locum Zachariæ, & inde recte evicit, *Satana*, potentissimi Angeli, ab ipso Principe Angelorum Michaële in judicio in ipsum proferendo magnam habitam esse rationem; ac proin multo minus *Potestates* & *Glorias*, hoc est, Potentissimos Principes, licet malos nobisque adversos, à nobis esse vilipendendos. Quid *Petrus* & *Judas* per alterum illud Exemplum *Angelorum*, qui *peccaverunt*, *principio & domicilio suo derelicto*, intenderint, & ad quam partem Historiæ Sacræ respexerint, (ad Historiam enim Sacram respexisse certum est:) nunc prætermitto, alia fortean occasione commodiore indicandum.

Imperatores & Præsides Provinciarum Imp. R. hic potissimum respiciuntur.

XXXVI. Quandoquidem vero Romani eo maxime tempore, quo Epistolas suas scripserunt Petrus & Judas, imperium obtinebant in florentissimam partem orbis terrarum, & eorum jam aliqui Tiberius quidem, Cajus, Nero, illud imperium cum sævitia & impietate summa administraverant: haud dubie ipsi illi Romani Imperatores cum Procuratoribus & Præfectis Provinciarum, ab iis dependentibus, intelligendi sunt per illas ἀρχὰς, δόξας, κυριότητας, *Principes potentes* & *gloriosos*, quos Petrus [a] & Judas [b] ab hisce Pseudonymis Christianis *contemni* & *vituperari*, imo *blasphemari*, questi sunt.

Πρῶτον ψεῦδος hujus sententiæ.

XXXVII. Πρῶτον ψεῦδος, sive FUNDAMENTUM, tam absurdis dogmatibus substructum, unicum modo notatum invenio in Epistolis utriusque Apostoli, *Prætextum* nimirum LIBERTATIS, credentibus per Christum acquisitæ. Illuc enim refero verba Petri ℣. 19. Ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενοι, LIBERTATEM *iis pollicentes*, *dum ipsi servi sunt corruptelæ*. *Libertatem* nempe *Christianam* interpretati sunt per *licentiam* quidvis patrandi quod lubet. Unde se vagis dederunt libidinibus, & Magistratuum subduxerunt Imperio, quo nihil magis in opprobrium Religionis Christianæ fingi & patrari potuit. Judas in eundem sensum, ℣. 4.

a 2 Pet. II. 10. b Jud. vers. 7, 8, 10.

℣. 4. illos ait, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ μετατεθεικέναι εἰς ἀσέλγειαν· GRATIAM DEI TRANSTULISSE IN LASCIVIAM. quod est vertere τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί [a].

XXXVIII. AUCTORES vero hujus Doctrinæ qui fuerint, & quales, ex Epistolis hisce non nisi *in genere* colligas. Notantur in iis vitia *impietatis*, *avaritiæ*, *inconstantiæ*, *audaciæ*, *philautiæ*, *luxuriæ*, *lasciviæ*, *vanitatis*, *superbiæ*, & quicquid denique in Ministris Christi execrandum haberi debet, iis adscribitur; dum interea se jactabant esse *Apostolos Domini*.

Auctores quales?

XXXIX. Videmur tamen præterea per conjecturam ex iis, quę Petrus, Judas, & Joannes de iis tradiderunt, colligere posse, fuisse Viros alicujus notæ, scientia plurium rerum instructos, qui Christi nomen & missionis ejus auctoritatem impietati & avaritiæ suæ prætexuerunt. Neque enim Petrus illos tantum ψευδοπροφήτας & ψευδοδιδασκάλους vocat [b], & cum *Bileamo*, magni nominis Propheta, comparat, ℣. 14. iisque adscribit πλαστοὺς λόγους *persuasorios sermones*, ℣. 3, 14. sed Joannes quoque in Apocalypsi in laudibus Ecclesiæ Ephesinæ ponit, quod *exploraverit* τοὺς φάσκοντας εἶναι Ἀποστόλους καὶ οὐκ εἰσί, *qui* SE *prædicabant esse* APOSTOLOS (CHRISTI) *nec sunt tamen*, sed contra detecti ut ψευδεῖς *Falsi*, hoc nimirum nomen falso prætexentes [c]. Qui Apostoli quin referendi sint ad hos ipsos *Pseudoprophetas*, sequens contextus nos non sinit dubitare, in quo *Nicolaitarum* exerta mentio.

Fuerunt alicujus auctoritatis homines.

XL. Imo non improbabile nobis videtur, *Pseudoprophetas* hosce magnam partem Gente & natalibus fuisse JUDÆOS, qui mixta Philosophia cum dogmatibus Religionis Judaicæ & Christianæ quasvis blasphemias eructarunt. Petro enim & Judæ, qui contra illos scripserunt, ut plurimum res fuit cum Judæis. Quę de *avaritia*, *superbia*, *vanitate*, aliisque eorum vitiis notantur, nullis commodius applices quam Judæis. Ex iis præterea, quę Irenæus aliique inter Veteres tradiderunt de *Gnosticis*, quorum idem fuit cum Petrinis hisce Pseudoprophetis institutum, nemo absque ratione colligat, Gnosticorum plurimos Judaica Disciplina imbutos & Gente Judæos fuisse. Et si etiam illud verum est, ut ex Petrina Epistola colligendum videtur, aliquos

Probabile est, maximam partem fuisse *Judæos*, & quidem *Gnosticos*.

a Gal. v. 15. b Cap. 11. 1. c Cap. 11. 2.

horum *Pseudoprophetarum* hanc sibi Personam aptasse Doctorum Religionis Christianæ, ut ad Bileami exemplum Populum Dei implicarent Divino Judicio & Christianam Societatem perderent; à quibus scelestum ejusmodi & vere Bileamiticum consilium expectes, quam à Judæis? De illis enim ad Philippenses [a] ait aliquos Christum prædicasse *ἐξ ἐριθείας per contentionem, ut afflictionem adderent vinculis ejus.*

Tempus ortæ hujus hæreseos investigatur.

XLI. Sed magis ad rem nostram pertinet inquirere in TEMPUS, quo hoc lolium in agro Domini succrevit. Cujus tamen non erit difficilis investigatio, modo constet, Epistolas Petri & Judæ ab illis editas esse Auctoribus, quorum præferunt nomina. Ex Eusebio quidem intelligimus, has Epistolas ab omnibus Ecclesiis pari certitudine fidei & reverentia non esse receptas cum reliquis indubitatæ auctoritatis Scripturis; quin immo à quibusdam censeri Apostolis hujus nominis esse *suppositas*: à qua sententia ipse Eusebius [b] non longe abest. Quo fundamento Grotius non veretur Epistolas hasce Apostolis Petro & Judæ abjudicare, easdemque referre ad Auctores *Simeonem* & *Judam*, Episcopos Hierosolymitanos; illum quidem post Hierosolymorum Excidium sub *Vespasiano*, hunc sub *Hadriano*. Quando Grotio facile est Judæ hanc Epistolam interpretari de Gnosticis, quorum Scholæ singularem in modum floruerunt sub Hadriano.

Grotii sententia de *Epist. posteriore Petri, & Judæ*, quæ refellitur.

XLII. Verum quacunque etiam specie se commendet conjectatio hæc Grotiana; hactenus animum inducere non potui, ut eam probem. Epistola Petri posterior talis est, ut scripta censeri nequeat ab Impostore. Est enim gravis & sancto Viro dignissima. Quod si ita est, certissime Petro erit vindicanda, quia præter præfationem, non temere rejiciendam, alia per hanc Epistolam sparsa sunt, quę Personam Petri nobis digito quasi monstrant, ut cap. I. 18. III. 1, 15. De Juda eadem valet ratio. Præterquam quod si Judæ illa Epistola tam sero scripta fuisset, & quidem à Juda Episcopo Hierosolymitano; haud dubie id ut illa ætate ignorari non potuit, sic per traditionem sequentium temporum non fuisset obscuratum. Nam circa tempora Hadriani Ecclesia jam longe lateque per orbem dispersa erat.

a Cap. I. 15. b H. E. Lib. I. Cap. XXIII. & Lib. III. Cap. III.

erat. Utique sufficit, nullam solidam adferri posse rationem, quare has Epistolas non tribueremus iis Auctoribus, quorum præferunt nomina.

XLIII. Gnostici tamen, ais, qui in *Epistolis* duabus *Petri* & *Judæ* depinguntur, quosque ex Epistola Judæ constat pestifera dogmata sua jam tum propalasse, quando Judas illam Epistolam conscripsit, nati demum sunt clavum Romani Imperii tenente Hadriano; cum Judas Apostolus haud dubie vel ante vel mox post Excidium Hierosolymitanum fatum suum impleverit. Fateor sane, Gnosticos, quorum præcipue hæresis per Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Valentinum, Marcum, Hermogenem, aliosque sub Trajano & Hadriano in omnibus mundi partibus longe lateque disseminata est, à Petro & Juda suis coloribus ad vivum in Epistolis eorum esse descriptos; sed nego, hujus hæresis initia quærenda non esse ante tempora Hadriani. Imo certum habeo, jam tum cum Petrus illa exaravit (scripsit autem Epistolam illam circa ultima Neronis:) jacta esse impiæ illius Doctrinę semina, quę tum delitescentia brevi prodiisse vidit Judas Apostolus, post Pauli nempe & Petri mortem. Ponamus enim cum Doctissimo Dodwello[a], Epistolam Judæ scriptam esse post Excidium Hierosolymitanum, (quippe in quo nulla difficultas est, Eusebio etiam favente[b]:) nihil utique statuemus absurdi, si jam tum per audacium & lascivorum hominum ingenia spargi cœpisse dicamus illam hæresin, quæ dein sub Trajano & Hadriano in nervum erupit.

Objectioni, quæ adversus hypothesin nostram moveri potest, occurritur.

XLIV. Primo enim favet huic sententiæ traditio Ecclesiastica de *Menandrianis*, qui Gnosticis sub Vespasiano & Domitiano præluserunt, & quantum ex Justino & Irenæo liquet, eadem cum iis errorum principia communia habuerunt, apud Eusebium[c].

Gnostici satis mature prodierunt.

XLV. *Dein* (ne quis excipiat, traditionem Ecclesiasticam de Simone & Menandro fabulis adspersam & incertiorem, saltem cum judicio legendam esse; quod ipse non nego:) habemus omni exceptione majora testimonia Joannis Apostoli, tum in Epi-

Quod clarissime evincitur ex Epist. Joannis.

a In Irenaicis, Diss. I. §. XIV. b H. E. Lib. III. Cap. XI. c Lib. III. Cap. XXVI.

in Epistolis, tum in Apocalypsi, quæ post Excidium Hierosolymorum scriptæ *Pseudoprophetarum* illorum, ut jam tum docentium, exertam mentionem faciunt. In *prima* Epistola, cap. II. 18. *Puerili ultimum tempus adest, & sicuti audivistis, Anti-Christum venturum, etiam* NUNC ANTI-CHRISTI MULTI COEPERUNT ESSE .... E NOBIS EGRESTI SUNT, *sed non erant ex nobis.* Cap. IV. I. *Multi* PSEUDOPROPHETÆ *venerunt in mundum.* Suntne hi iidem illi cum Petrinis, an diversi? In *Secunda*, ℣. 7. Πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον· MULTI SEDUCTORES INGRESSI SUNT IN MUNDUM. Et in Apocalypsi, quam Ecclesiæ traditio sub Domitiano datam esse habet, jam supponitur, esse & fuisse jam aliquandiu *Nicolaitas* & *Bileamitas*; hoc est, ejusdem notæ & generis homines, quos Petrus sub hoc figurato nomine prænunciaverat futuros. Quales si jam extiterint sub Domitiano: non opus est recurrere ad usque tempora Hadriani, ut illorum origines inde demum repetamus. Nec indigemus etiam ad nostræ sententiæ vindicias quæ Cestriensis Episcopus in *Ignatianis* de Recentiore ortu quorundam Gnosticorum erudite disputavit.

Joannis & Judæ testimonia inter se comparata.

XLVI. Si quis præterea hæc testimonia Joannis comparet cum Epistola Judę: clarissime perspiciet, Joannem, qui Judę supervixit, plura vidisse de his Hæreticis, quam Judam. *Judas* enim illos describit ut *latentes* in ipsis Christianorum cœtibus, & hactenus ab iis nondum *separatos*, sed in *agapis* Christianorum cum cæteris credentibus *convivantes*. Παρεισέδυσαν, inquit, τινες ἄνθρωποι, ℣. 4. QUIDAM HOMINES CLAM IRREPSERUNT. Sed Joannes illos depingit, ut qui jam aliquibus locis *dereliquerant cœtus* verorum Credentium, seque ab iis separaverant; & tanquam qui vicissim à veris Christi discipulis agniti iisque exosi erant. Quod circa ultima Domitiani & in initiis Trajanì fieri cœpisse, data occasione, si Deo placet, probabiliter adstruemus. Petrus autem etsi illorum ortum prædicat in futurum: tam vivide nihilominus illos repræsentat, phrasibus quoque adhibitis temporis præsentis, ut mihi omnino persuadeam, Petro jam tum quosdam homines esse obversatos, in quibus futurorum illorum Pseudoprophetarum imaginem prævidit.

XLVII.

XLVII. Ergo non errabimus, opinor, si Gnosticorum mores à Petro & Juda describi statuamus, quibus omnia illius picturæ lineamenta accurate conveniunt: non negantes interea, Petrinam prædictionem de Pseudoprophetis in Ecclesia orituris tandiu impleri, quandiu non desinunt in Ecclesia Christiana esse Pseudoprophetæ, qui Gnosticorum Veterum sive Doctrinam sive mores imitantur: Quod imitamentum quatenus in corrupto Clero Ecclesiæ Pontificiæ (utinam non aliquando etiam nostræ!) evidentibus characteribus advertimus, nulla caussa est, quare prædictionem Petrinam in illo etiam ὑποκειμένῳ non diceremus impleri. Latitudo sensus eorum quæ Petrus & Judas de iis scripserunt.

XLVIII. Quantum vero Bileamitica hæc Hæresis nocumenti attulerit primæ Ecclesiæ Christianæ, quis non videt? Fuerint enim *pauci* in initiis, quibus hæc esca carnalis Evangelii placuit, ut colligendum videtur ex Epistola *Judæ*, & *Apocalypsi*[a]: suffecit tamen illud ad infamandam & inquinandam totam Societatem & Disciplinam Christianam, quandiu hi Bileamitæ à cæteris veris credentibus in faciendis celebrandisque Conventibus Publicis non erant separati, & de illa separatione Gentibus non constabat. Quod cum ante Trajani & Hadriani tempora palam factum non fuerit: oportet, Ecclesia à Nerone ad Trajanum multis locis misere laboraverit, & de primo suo splendore multum amiserit. Quibus quando jam accesserunt *Quorundam Defectio à Fide Christiana*, *Aliorum languida studia in ipso Fidei & Charitatis Exercitio*; & tandem *Externa* Satanæ *Molimina* ad Ecclesiæ Societatem destruendam per *Persequutiones*, quas Ecclesia omnino sub Nerone & Domitiano sustinuit: quis miretur, me *Ecclesiæ Christianæ Languorem* adscribere illi temporis intervallo, quod à Nerone fluxit ad Trajanum? Hæresis Bileamitica Ecclesiæ plurimum nocuit.

a Cap. 11. 6.

Caput X.

Præcipua Hypothesis, cui Paulus superstruxit præcellentia Religionis Christianæ Dogmata in Epistola *ad* Romanos, *ex ejusdem illius Epistolæ Cap.* III. 20. *producitur, & producta illustratur, inquisito demonstratoque vero sensu sententiæ:* Ex Operibus Legis nullam justificari carnem coram Deo.

Epist. Paulinæ ad *Rom.* excellentia.

Tametsi Epistola ad Romanos Doctissimorum Interpretum ingenia à Christianismo nato & renato exercuerit: tanta tamen est materiæ ejus ubertas & præstantia, ut ad novos labores novos semper sit editura fructus, tanta etiam quibusdam partibus *obscuritas*, ut novum & majus lumen omni tempore Ecclesiæ sit expetitura. *Obscuritatis* autem illius cum præcipua caussa sit, quod τὸ ὑποκείμενον τῦ προβλήματος, de quo illa in Epistola disputatur, & tam *Defendentis Pauli* quam *Opponentium Romanorum* ὑποθέσεις passim non satis clare intelligantur: haud dubie censendi sunt de hac Epistola bene mereri, quotquot iis illustrandis præcipue operas suas conferunt. Id agere statutum est, Θεῦ διδόντος, hac Dissertatione; & cum jam ab aliquo tempore occupatus Epistolæ hujus meditatione mihi in illius intellectu aliquantulum videar profecisse, nunc quidem animi mei sensa de *præcipua* Illius *hypothesi* modeste, sed libere, exponam. In quam tamen, ne aërem verberem, prius inquiram.

Dubium, secundum quam in ea disputet hypothesin?

Argumentum *Epist.* hujus ex cap. III. 28.

II. *Problema*, à Paulo in Epistola ad Romanos ventilatum, cujus *Priorem* partem adstruit & defendit, *posteriorem* negat, his constat verbis: *An homo à Deo justificetur ex Fide, num vero ex Operibus?* Cum enim *Conclusio* in legitima disputatione nihil differat à *quæstione*, sive *controversiæ statu*, ut vocant: facile est statum *controversiæ Paulinæ* repetere ex *conclusione*, quam rationibus bene subductis plenam exhibet Cap. III. 28. Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου· *Reputamus itaque,* Fide justificari hominem absque operibus Legis.

III. In

III. In hoc vero problemate discutiendo Paulus fere sic instituit, ut *supponens*, *duos* tantum dari *modos Justificationis hominis* apud Deum, alterum per *Opera*, per *Fidem* alterum: *priori* convellendo primam & præcipuam operam impendat, quando *posteriorem* illum deinceps ex *argumentis* Divini Verbi, *exemplis* Justificatorum credentium, & præstantissimis *fructibus* ejus, facile adstruit. Quare non errabimus, si dicamus, *præcipuam hypothesin* Pauli in Epistola ejus ad Romanos hanc esse, *hominem coram Deo ex Operibus Justificari non posse*. Ipse Paulus de eo in hunc modum [a]: Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ ἐνώπιον αὐτοῦ· *Quia* (vel; *propterea quod*) EX OPERIBUS LEGIS NULLA JUSTIFICATUR CARO CORAM IPSO (Deo:) quæ verba sive novum contineant *argumentum*, petitum ex testimonio Davidis Ps. CXLIII. 2. sive *conclusionem*, ex prioribus argumentis formatam, certissime nobis exhibent primarium fundamentum totius Doctrinæ Paulinæ in hac celeberrima ad Romanos Epistola. Etsi autem illa imperitioribus ad primam considerationem videri queant parum habere caliginis: si quis tamen illa diligentius excutiat, & ad ἀναλογίαν aliarum partium Sacræ Scripturæ exigat, aut ego multum fallor, aut videbit, summo merito in genuinum illorum sensum inquiri; quin & à recto illorum intellectu pendere solidam totius hujus Epistolæ interpretationem.

Hypothesis Paulina, hominem non Justificari ex Operibus Legis.

IV. Ergo ut in rem ipsam veniamus, utile erit nostras de hac materia meditationes huic adstringere Legi; ut 1. Inquiramus in veram *significationem* & virtutem *singularum dictionum*, ex quibus Paulina hæc propositio conflata est. 2. *Sensum* totius propositionis juxta vim vocum illarum explicatarum indicemus. 3. *Varia* non exigui momenti *dubia*, quæ contra illum sensum ex ἀναλογίᾳ aliarum veritatum & partium Verbi Divini moveri possunt, resolvamus, atque ita hypothesin totius disputationis Paulinæ in aperta luce collocemus.

Ordo in illustrando sensu hujus sententiæ observandus.

V. Dictiones, quarum examinandum erit pondus, tres in Propositione Paulina occurrunt. 1. Δικαιοῦσθαι JUSTIFICARI, & quidem ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ CORAM DEO. 2. Ἔργα νόμου OPERA LEGIS; *relata* ad vocabulum δικαιοῦσθαι, & *constructa* cum vocula ἐξ. 3. πᾶσα σάρξ OMNIS CARO; relate ad *negativum* οὐ *non* & verbum δικαιοῦσθαι.

Dictiones exponendæ.

Mmmmmmm 2 VI. 1.

a Cap. III. 20.

Justificare & Justificari, quid Paulo?

VI. 1. Δικαιοῦν *Justificare* & δικαιοῦσθαι *Justificari* apud Paulum quid sit, tum ex *ipso hoc loco* tum ex *aliis partibus* hujus Epistolæ, & universa præterea *doctrina Verbi Divini*, in quo multiplex usus est hujus vocabuli, facile colligitur.

Eruitur ex ipso hoc dicto, quod desumptum est ex Ps. CXLIII. 2.

VII. Ex *ipso* quidem *hoc loco*; 1. quatenus is desumptus est ex Ps. CXLIII. 2. ubi nimirum eadem leguntur verba: כי לא יצדק לפניך כל חי *Quia non* JUSTA ERIT (vel *justificabitur:*) *coram te ullum vivens*. Ubi οἱ LXX ad eundem fere modum, quo Paulus: Ὅτι οὐ δικαιωθήσεται ἐνώπιόν σου πᾶς ζῶν. Vocabulum δικαιοῦσθαι igitur apud *Paulum* tantundem valebit ac צדק apud *Davidem*. Τὸ צדק vero apud Davidem significat *testimonium accipere à Judice*, *quod quis* IN SE *habeat caussam* vel *argumentum justitiæ*. Sic enim cohærent verba cum præcedentibus; *Ne venias* במשפט IN JUDICIUM *cum servo tuo:* hoc est; ne voces me ut Judex in *judicium* ad exigendam à me vitæ factorumque meorum rationem; ne intendas mihi litem secundum Juris Legisque rigorem, ô supreme hominum Judex! *Nam non justa erit coram te ulla caro:* hoc est, nullus homo in se habet caussam & argumentum veræ Justitiæ; nemo *coram te* de eo gloriari ausit; ac propterea nullus à te ut *Justo Judice* testimonium *justitiæ propriæ* reportabit; nullum tu hominem ut severus morum censor invenies dignum, cui hoc tribuas testimonium, *quod sit justus*. Qui certe cum clarissimus sensus sit verborum Davidis: recte egerunt LXX Interpretes, recte item Paulus, illos sequutus, quod vocabulum יצדק verterint per δικαιωθήσεται, quod æque transferri potest per JUSTIFICABITUR, quam per JUSTUS ERIT. *Justum* enim *esse* apud Davidem non tantum valet *esse talem*, sed *talem* à Judice haberi & declarari, *Justitiæ*, inquam, *testimonium* reportare à *Judice*. Imo *Justum esse* (צדק) notat phrasi Scripturæ *caussam obtinere* in judicio, caussa vincere & superiorem esse, & ut *talem* prædicari ac celebrari sive à Judice sive etiam ab aliis, ad quos caussæ disceptatæ cognitio pervenerit. Sic sumitur Jes. XLIII. 9. nec non Ps. LI. 6. למען תצדק בדברך *ut justus sis*, *quando loqueris*; תזכה בשפטך *purus sis*, *quando judicas*; quę Paulus in eodem hoc Capite *tertio* ℣ſ. 4. sic transponit: Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Unde liquet δικαιοῦσθαι tantundem valere quantum νικᾶν, *vincere* & *superiorem esse*. 2. Id patet ex adjunctis vocibus;

Est à Judice absolvi.

Sensus sententiæ Odæ Davidicæ.

Vox צדק quid Hebræis?

bus; ἐνώπιον αὐτοῦ CORAM IPSO, quippe quibus indicatur *statusjustitia* hominis *relate* ad Deum ut ad *Judicem*. Aliud est, *justum esse*; aliud, *justum esse* CORAM DEO. *Justum esse* CORAM DEO perfectam illam & consummatam hominis Justitiam denotat, quę testimonium recipit à *Deo*, ut à *justo Judice*, cujus Judicium est *secundum veritatem*, hoc est, sincerum & incorruptum. Ergo *justum esse coram Deo* est à *Deo justificari*, ut à *Judice*, justum pronunciari, declarari, laudari, celebrari.

VIII. Eadem autem significatio vocabulo δικαιοῦν & δικαιοῦσθαι tribuitur à Paulo per totam hanc Epistolam. Accipitur, inquam, τὸ δικαιοῦν pro *actu Dei*, ut Judicis hominis, quo illum ut *justum* habet, prædicat, celebrat, & tractat. Sic sumitur hæc notio in Cap. II. 13. *Non enim auditores legis* δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ JUSTI SUNT APUD DEUM, *sed factores legis* δικαιωθήσονται JUSTIFICABUNTUR. Observemus, dictiones δίκαιον εἶναι & δικαιωθῆναι hic reciprocari. Δικαιωθῆναι vero hic absque dubitatione notat *justum à Deo declarari, prædicari, celebrari, laudari*; imo & *tractari*. Idem inde liquido evincitur, quod Paulus *justificationem* exponat per *imputationem ad Justitiam*, vel potius dictiones δικαιοῦν & λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην, ceu ejusdem valoris ac potestatis, alternatim usurpet, ut videre est Cap. IV. 2, 3. Deus autem homini quid dicitur *imputare ad justitiam*, quando hominem ex facto quodam ejus prædicat esse justum, seu quando factum hominis (quacunque demum χάριν id ab ipso consideretur:) sibi declarat placere; quando id approbat, laudat, celebrat, imo & beneficiis prosequitur; de quo mox. Ps. CVI. 31. Sic accipiendus est locus Gen. XV. 6. quem Paulus in oculis habuit; *Et credidit Abraham*, ויחשבה לו צדקה & IMPUTAVIT HOC IPSI JUSTITIAM; hoc est, Abrahamum illo ex argumento justum esse declaravit, pro justo habuit & tractavit, & in ipso sibi complacuit, denique *ut justum* beneficiis prosequutus est. Atque ita הצדיק apud Hebræos & δικαιοῦν apud Græcos passim sumitur in Scriptis Veteris ac Novi Fœderis [a].

Significatio hæc Paulo per totam recepta est *Epistolam*.

IX. Postquam autem sic in genere indicavimus genuinam significationem vocis *Justificare*: necesse est ut paulo clarius explicemus ipsum illum *Actum*, quo *Deus hominem justificat*. *Justifi-*

Actus *Justificationis*, ut fit in Foro Cœlesti, declaratur.

a Confer Exod. XXIII. 7. Matth. XI. 19. Luc. VII. 29.

stificare stylo Scripturæ est, ut jam diximus, quem *justum* pronunciare, declarare, celebrare. *Justus* dicitur ὁ ἔχων δικαιοσύνην *qui habet justitiam*. *Justitia* autem pro duplici conditione *subjecti*, sive hominis, cui *justitia* adscribitur, stylo Scripturæ, duplice modo sumitur, vel nimirum pro *Justitia interna* & *absoluta*, si justitia homini *absolute*, sive homini recto, tribuatur: vel pro *externa relativa*, si tribuatur peccatori. *Justitia interna* id ipsum est quod *Virtutem Justitiæ* vocare solemus, quę est *Habitus* hominis Moralis, & habitui convenientes *Actus*, conformes Legi. quo modo *Justus* dicitur, qui omne officium, *Lege* sibi præscriptum, diligenter & exacte explet, & se in omni actu veri bonique studiosum præstat. Secundum quam *Justitiæ* descriptionem veritas sibi constat sententiæ:

Justitia duplex, interna & externa.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

qui significatus vocis obtinet in phrasibus: עשות צדקה & ποιεῖν δικαιοσύνην *facere Justitiam*, h. e. exercere virtutem Justitiæ[a]. *Externa* jam & *Relativa Justitia* est *Qualitas* hominis *externa* & *relativa*, qua à me concipitur *per judicem absolutus* esse à criminibus, ipsi vel ex vero vel falso impactis. Venit igitur hoc nomine in sacris *Beneficium Remissionis Peccatorum*, in hominem peccatorem, cui interna justitia deest, à Deo ex gratia & tamen *jure* & *ob justam caussam*, collatum: per quod beneficium homo veluti restituitur *Justitiæ*, qua per peccatum exciderat. Hic significatus vocis Scriptoribus Sacris fere est proprius, & maxime Paulo, ubi hoc argumentum tractat. Sic mox in initio hujus Epistolæ[b], ubi ait; in *Evangelio* declarari *Justitiam Dei*. intellige *Beneficium Remissionis Peccatorum*, per fidem à Deo obtinendum. Porro cum *Status Justitiæ* passim *jus* soleat parere ad *præmium* sive *Bonum*, cum Justitia connexum: & sane in divinis id obtineat ut nullus status *Justitiæ* sive in Natura sive in Gratia spectari possit absque *jure* ad *Bona*, cum illo statu Justitiæ connexa: hinc sub notione *Justitiæ* ubique intelligenda erit tam ipsa illa Justitia *interna* vel *externa*, pro conditione subjecti; quam *Bona*, ad quæ quis in illo Justitiæ statu jus habet, quod *Bonum* in *Statu Naturæ* est Divina communio ad *Vitam æternam*, & in *Statu Gratiæ*, Dei Communio in Christo cum Spiritu *Sanctificante* & *Adoptio-*

Beneficium Remissionis peccatorum dicitur *Justitia* in Scriptis N.T.

a Jes. LVI. 1. 1 Joh. III. 7. b Cap. I. 15.

doptione, in hac vita, & Salus post hanc vitam. Ita צדקה sumitur pro *jure* ad *rem* apud Nehemiam [a], & alibi. Hinc jam clare liquet, quid sit *Justificare*. *Justificare* nimirum *absolute* de subjecto aliquo enuntiatum est quem prædicare interna præditum *Justitia*, h. e. satisfecisse Legi, & hoc nomine sibi *jus* parasse ad æternam vitam & gloriam; sed *relative* sumptum de Peccatore, est illum à *criminibus absolvere* justa de caussa, & illi *jus* tribuere Bonorum illorum, quę Deus cum illo statu in *gratia* connexit, quomodo הצדיק צדיק *justificare justum* exponitur per לו תת כצדקתו DARE IPSI SECUNDUM JUSTITIAM IPSIUS [b]: quocunque statu & conditione quis constitutus fuerit.

צדקה *jus in rem.*

X. Simplex & *absoluta justificatio hominis* per Deum obtinuisset in Paradiso, si homo perstitisset *in integritate* sua, & perfectam numero obedientiam Deo præstitisset. Deus homini præscripserat legem, Juris normam & regulam. quo ipso manifestaverat, se esse Judicem hominis & suo tempore sententiam laturum, an homo *Legem* observasset, nec ne. Quod si egisset Deus, & homo *perseverasset in opere bono* absque transgressione Legis, tum ipsius fuisset ut justi Judicis hominem *justificare*. Quę *justificatio* in eo constitisset. 1. Ut Deus declarasset, hominem satisfecisse Legi ac proin *justum esse*. 2. Illam hominis obedientiam *laudasset* & *celebrasset*, ac propterea 3. Illam homini *imputasset ad justitiam*, hoc est, jus vel bonum, quod homo per illam obedientiam respexerat, quodque cum obedientia illa per promissionem sive expressam sive tacitam connexum erat, illi *adjudicasset*; *æternam* nimirum & consummatam *Gloriam*. 4. Ut Deus hominem illius *Juris* vel *boni* sui actu compotem fecisset & ipso actu in illam beatitatem introduxisset.

Illustrantur superiora ex ἀντιθέτου modi *Justificationis*, quæ obtinuit in statu integritatis.

XI. Verum fieri nequit, ut παραβάτης τοῦ νόμου sive *peccator* sic simpliciter & *absolute* à Deo *justificetur*. Cum enim is Legem transgressus sit, dignus utique est, qui à Deo ut à Judice *damnetur* & *puniatur*. tantum abest ut *Justus* declaretur & propter Justitiam suam laudetur & celebretur. Cum tamen *peccator* & *impius* in Scriptura dicatur *Justificari* [c]: inquirendum est, in quo illa *justificatio peccatoris* consistat.

Qui modus hoc statu & tempore obtinere nequit.

XII. Nempe cum *peccator* eo in statu non sit, ut ἁπλῶς & *absolute*

Ejus rei ratio.

a Cap. 11. 20. b 2 Chron. vi. 2. c Jes. liii. 11. Rom. iv. 5.

absolute propter suam *justitiam* justus declarari, & propter illam justitiam illi jus ad præmium adjudicari possit: nihil restat nisi ut *Justificetur* RELATIVE, hoc est, ut à criminibus suis absolvatur & liberetur, & *propter quid aliud*, quod perfectæ ejus Justitiæ vices implet, illi *jus* adjudicetur Divinæ Communionis in *Gloria*, ad quod per perfectam ipse justitiam suam pervenire non potuisset.

Alter modus Justificationis.

XIII. Atque eo sensu *Justificationis* vocabulum in Scriptura accipitur *relate ad crimina*, quę vel vere ab alio patrata sunt, vel falso illi impinguntur, quando *Justificare* notat quem *justum* pronunciare *relate* ad illa crimina. Si *crimina* illa *falso* impacta sint: tum Judex accusatum ab illis criminibus ac proin ab illorum pœna consequente absolvit, & innocentiam ejus palam cum encomio declarat, damnatis accusationibus falsis. Si criminum illorum vere reus sit: tum Judex *cum respectu ad quid aliud*, ceu ad sufficientem Justitiæ causam, *reum* lata sententia in publico *absolvit à pœna*, quam propter delicta sua meritus fuisset, & *jus*, de quo in judicio disceptatur, ipsi adjudicat. Sic haud dubie *Justificationis* vocabulum *significatione relativa* sumitur de Christo & Ecclesia Jes. L. 8. קרוב מצדיקי *Prope adest, qui* ME JUSTIFICAT; *quis contendet mecum? Consistamus pariter* (coram tribunali Judicis) *Quis litem mihi intendat? accedat ad me.* Accusabatur Christus plurimorum gravissimorum criminum à Proceribus Gentis Judaicæ, sed absolvendus erat ab iniquissimis illis *accusationibus* per sententiam Patris sui publicam, declaratam in Resurrectione mortuorum, & adjudicanda ipsi erat gloria illa, quam ut pretium operæ suæ in omnibus passionibus suis secundum promissiones Patris & statutum pacti gratiæ respexerat [a].

Justificatio hæc *relativa* est, non *absoluta*.

Attributa omnia Justificationis peccatoris.

XIV. Ad *Justificationem* itaque *peccatoris coram Deo* hæc faciunt sequentia. 1. Ut Deus peccatorem *absolvat à pœna peccati*. Sic *δικαιοῦν justificare opponitur τῷ κατακρίνειν* CONDEMNARE. Rom. VIII. 34. 2. Ut ipsi adjudicet *jus* communionis suæ in Christo cum omnibus bonis inde promanantibus, quæ declarata sunt in tabulis Fœderis gratiæ. 3. Ut Deus Judex id *jure* agat, hoc est, propter sufficientem aliquam *justitiæ caussam*, undecunque demum

a Matth. XI. 19. Luc. XVIII. 14.

demum illa petatur; in quod nondum inquirimus. 4. Ut Deus peccatorem sic absolutum à reatu & jure suæ communionis donatum *celebret* laudetque *ut justum*, ejusque justitiam in lucem protrahat. 5. Ut itaque (quia voluntas Divina non solum ex *dictis*, verum etiam ex *factis* Dei cognoscenda est:) peccatorem illum *juris sui* mox compotem faciat secundum ordinem à Deo decretum, ipso actu illum *liberando à peccato*, *ab ira*, & *condemnatione*; *suo illum donando Spiritu*, & sua illum gratia ad mortem usque prosequendo. Qui ad Pauli stylum & doctrinam in Epistola ad Romanos probe attenderit, videbit, ipsum singula hæc simul complecti vocabulo *Justificationis*, relate ad *peccatorem*.

XV. Paulus enim *Justificationis* illa notione temere & *frustra* usus non est in hac disputatione: sed ut omnium Ministrorum Evangelii fuit sapientissimus & doctissimus, sic voces ipse & phrases suas ita pensitavit & ponderavit singulas, ut nihil non efficacissime & in rem scripserit. *Primo* itaque ductus est ad hanc phrasin per varia loca Testamenti Veteris, quorum ipse aliqua allegavit, etsi plura in oculis habuerit, Gen. XV. 6. Jes. XLV. 25. LIII. 11. Ps. CXLIII. 2. Hab. II. 4[a]. *Secundo* hanc vocem potius quam aliam quamcunque in hoc negotio adhibuit, quia omnium erat ἐμφατικωτάτη. *Justificare* enim non tantum notat *remittere peccata*, sive *non punire peccata*, quomodo id Princeps agit pro potestate sua, sed *jure* & per sententiam *Judicis* aliquem à pœna peccati absolvere, liberare, & vindicare. Imo *justificare* non tantum notat *non imputationem peccati*, verum etiam *imputationem justitiæ*, vel *imputationem ad justitiam*. *Imputatio* autem *ad justitiam* multo plus denotat quam *Non imputationem peccati*. Certe *Imputatio ad justitiam* innuit declarationem *Justitiæ* alicujus, conjunctam cum *encomio* Judicis, & cum *adjudicatione* & *collatione* insignis alicujus *beneficii*, ut testimonii & præmii illius Justitiæ. Sic *Justificatio peccatoris* coram Deo non tantum consistit in *remissione* κρίματος & liberatione à κατακρίματι, verum etiam in *adjudicatione* & *actuali collatione* omnium bonorum Fœderis gratiæ cum *encomio Justitiæ* illius hominis, qui justificatur. Quandoquidem vero copiosa *collatio* bonorum Gratiæ & dono-

Paulus hac notione prudenter usus est.

Cujus rei rationes exponuntur, & emphasis, quæ in ea inest.

Justificatio conjungitur cum collatione bonorum gratiæ.

a Confer Rom. III. 21. &c.

donorum Spiritus Sancti præcipue conjuncta est cum *Remissione peccatorum*, ut sit sub N. T. post adductum λύτρον: inde est, quod juxta stylum Spiritus Sancti, ad quem Theologorum hi magis quam alii accedunt, *justificatio* illam proprie designet *Remissionem peccatorum*, quę obtinet sub N. T. cum copiosa demonstratione *gratiæ*, & distributione donorum *Spiritus S.*, certissimo gratiæ ac amoris Divini symbolo [a]. Hujusmodi autem *Remissionem peccatorum* non potuit Paulus vel commodiore vel efficaciore vocabulo exprimere quam illo *Justificationis*, ac proinde illam hac in disputatione vocem sapientissime adhibuit. Quod si nunc diligenter ad animum revocaverimus: deinceps apparebit, frustra observatum non esse.

Opera Legis quid sint?

XVI. Transimus ad *secundam* hujus loci *dictionem*; Ἔργα νόμου OPERA LEGIS, eaque *relata* ad vocabulum *justificare* & cum eo constructa per voculam ἐκ. ΝΟ'ΜΟΣ, respondens hebræo תורה / ut ut aliquando latius sumatur pro omni doctrina, quæ homini *viam* monstrat perveniendi ad summam felicitatem, passim tamen significat quodlibet Edictum suprema editum auctoritate, quo subditi vel obligantur ad *officium* sive ἔργον *opus* præstandum, vel quo actus aliqui ipsis interdicuntur. Inde autem *Opera legis* sunt *actus*, vi & secundum normam legis illius præstiti. Paulus vero per νόμον *Legem* absolute sic dictam per totam hanc Epistolam passim intelligit *Legem Mosaicam*, & per OPERA LEGIS omnes *actus*, vi illius Legis & secundum illius normam peractos; de quorum differentia mox & in processu hujus *Dissertationis* latius agemus. Sic Rom. II. 12. *Quotquot* ἀνόμως SINE LEGE *peccarunt*, *sine lege etiam peribunt*; *& quotquot* ἐν νόμῳ CUM LEGE *peccarunt*, *per Legem condemnabuntur*. Certe cum Gentiles omnes conscientiæ veluti Legi cuidam subsint, ut Paulus ipse ℣ſ. 15. docet: non possunt dici fuisse *absque lege*, nisi id intelligas de *Lege Mosaica*. Item ℣ſ. 15. *Ecce tu Judæus denominaris*, καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ *& acquiescis* IN LEGE: in Lege utique per Mosem data. ℣ſ. 23. *Qui* IN LEGE *gloriaris*, &c. Cap. III. 19. *Novimus enim*, *quæ* LEX (Scriptura Sacra Testamenti Veteris, cujus initium & fundamentum est *Lex Mosaica*:) *dicit*, *iis*, *qui* ἐν νόμῳ *cum* vel *in* LEGE *sunt*, *dicere*. Quis hic alios intelli-

Quid Ap. in hac Epist. intelligat per Legem? Quid per opera Legis? Locus cap. II. 12.

[a] Rom. V. 5.

telligat quam Judæos? Illi vero quam aliam habuerunt *Legem*, ex qua discernendi erant à Gentibus, præter *Mosaicam*? Rom. V. 13. Ἄχρι τοῦ νόμου *Usque* AD LEGEM *enim peccatum erat in mundo*. Quam *Legem* nisi *Mosaicam*? Alia multa hujus generis à tergo relinquo. Et Judæi certe cum de *Lege* audirent vel loquerentur in controversia Religionis: quid per *Legem* aliud potuerunt, quid debuerunt intelligere quam *Mosaicam* illam *Legem*, hoc nomine in Scriptis Sacris celeberrimam, & præterea in commercio & exercitio Religionis cognitam, qua superbiebant & gloriabantur, imo qua superbire & gloriari ipse Moses illos docuerat, Deut. XXXIII. 4. תורה צוה לנו משה LEGEM *nobis* PRÆCEPIT MOSES; *hæreditatem Ecclesiæ Jacobi* [a]. Inde Joannes Baptista suum illud deprompsit: ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· LEX *per Mosen data est*. Cap. v. 13.

XVII. *Lex* autem *Mosaica*, ἁπλῶς dicta, comprehendit *omnia Præcepta*, quæ Judæo Populo à Deo per Mosen data sunt ab exitu ex Ægypto usque ad obitum Mosis per spatium quadraginta annorum, comprehensa quatuor posterioribus Libris Mosis. *Præcepta* illa *omnia*, in unum corpus congesta & digesta, dicuntur Νόμος LEX, & omnes *Actus*, qui ad illorum Præceptorum normam præstantur, venire queunt nomine ἔργων νόμου OPERUM LEGIS. *Lex* Mosaica quam late sumatur?

XVIII. Illa vero Præcepta sunt diversissimi generis & ordinis. Alia pertinent ad *Religionem*, alia ad *Civitatem*, alia ad *utramque* simul. Quandoquidem enim *Politia* Israëlitarum ab *Ecclesia* Credentium non habebatur esse distincta: fieri vix poterat, ut plurima illorum Præceptorum non in unum eundemque scopum collimarent & tam ad Cultum Dei quam ad Bonum publicum Civitatis ordinata essent. Leges Juris Mosaici quotuplicis generis?

XIX. Quæ tamen *Præcepta* & *Interdicta* Legis Mosaicæ omnia, cujuscunque etiam ordinis & usus sint, *materiæ* suæ ratione multum differunt. *Aliqua* eorum fundata sunt in certa & constante ratione, quippe quæ complectuntur officia, ad quæ homo ex σχέσει inter Deum & se, tum etiam inter se & proximum, omni tempore per rationem & conscientiam obligatur; *Reliqua* autem, etsi ratione non careant, propter quam Deus illo- Præcepta & Interdicta Legis Mosaicæ *materia* suæ respectu multum differunt.

[a] Conf. Mal. III. 22. Joan. I. 17.

illorum observantiam ad tempus imperaverit, certam tamen & perpetuam rationem non habent in voluntate Dei, quatenus illa recti bonique norma est. *Prioris* generis illa referuntur ad *Amorem Dei & proximi*, ejusque necessaria consectaria, & dicuntur in Scriptura κατ' ἔμφασιν מצוה PRÆCEPTUM, Præceptum nimirum *Amoris* & *Timoris Dei*, omnium Legum radix & fundamentum; & quę ad *Jus proximi* speciatim spectant, משפטים JUDICIA: *Posterioris generis* includunt omnes illas Leges, quę ex mero placito divinæ Voluntatis absque ratione certa & præcipue in negotio Religionis sancitæ sunt. Scriptura ea vocat חקים PLACITA sive δόγματα; νόμον ἐντολῶν ἐν δόγμασι; ἐντολὴν σαρκικὴν, &c.

Aspectus eorum generalis.

Opera jam *Legis* dicuntur qualescunque *Actus*, qui ad normam illorum Præceptorum præstantur; sive illi sint *Actus amoris Dei & proximi*, sive qualiacunque *opera molesta*, quæ Israëlitis *Lege Præceptorum in Placitis* mandata erant. Paulus enim phrasi *Operum Legis* alludit ad locum Lev. XVIII. 5. *Et custodietis* את חקתי ואת משפטי אשר יעשה אותם האדם STATUTA MEA ET JUDICIA MEA; QUÆ QUI FECERIT *homo*, *vivet in iis*. Loquitur ibi Deus de omnibus suis *statutis* & *Legibus* cujuscunque generis & ordinis opposite ad *Ritus Religionis* & mores corruptos *Ægyptiorum & Cananæorum*. Sic ꝟs. 3. כמעשה *Secundum* OPUS *terræ Ægypti*, *in qua habitastis*, לא תעשו *non* FACIETIS, & כמעשה *Secundum* OPUS *terræ Canaan*, *quo ego vos adduco*, לא תעשו *non* FACIETIS, & ובחקותהם לא תלכו IN STATUTIS ILLORUM *non ambulabitis*; את משפטי תעשו *Mea Jura* FACIETIS. Ibi sæpe repetitur vocabulum עשות FACERE relate ad חוקות & משפטים *Placita & Jura Dei*; unde Paulus suam illam phrasin de *Operibus Legis* mutuatus est. Sed latius de hoc argumento mox dicendum erit, ubi de *dubiis* & difficultatibus hujus loci.

Vocula ἐx in dicto Paulino quam habeat emphasin?

XX. Illa autem *Opera Legis* referuntur in *constructione* verborum Pauli ad vocabulum *Justificare* mediante vocula ἐκ EX, quæ vocula in *materia Justificationis* communiter denotat *caussam Justificationis meritoriam*, vel *Justificationis materiam*, & *argumentum Judicii*. Hoc significatu Hebræum מן prorsus respondens Græco ἐκ, sæpe sumitur in Scriptis T. V. quando à Belgis vertitur per Dan wegen & Om. Cape exemplum Ps. CVII. 17. אולים מדרך פשעם ומעונתיהם יתענו *Stulti* PROPTER *defectionem suam & peccata sua affliguntur*. Ezech. XVI. 23. *Propterea feres ignominiam*

tuam,

tuam, *& pudefies* מכל אשר עשית PROPTER *omnia illa, quæ fecisti.* Jes. LIII. 5. *Et ipse confossus est* מפשעינו PROPTER *defectiones nostras*, *contritus est* מעונותינו PROPTER *iniquitates nostras*. Manifestum, *præpositionem* מן hic designare caussam *efficientem impulsivam* vel *meritoriam*. Idem valet ἐκ vel ἐξ Apoc. XVI. 21. *Et blasphemarunt homines Deum* ἐκ τῆς πληγῆς τῆς χαλάζης PROPTER *plagam grandinis*. 1 Thess. II. 3. *Nam exhortatio nostra non fuit profecta* ἐκ πλάνης EX SEDUCTIONE, οὐδ' ἐξ ἀκαθαρσίας *neque* Ex *impuritate*, *neque in dolo*. Non egit id Paulus prædicando Evangelium ut seduceret alios, aut carnis sectaretur voluptates, nec eò etiam ex principio ad id actus fuit. Alibi tamen præpositio ἐκ notat *argumentum* vel *materiam*. V. gr. Matth. XII. 37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ· Ex *sermonibus enim tuis justificaberis & EX sermonibus tuis condemnaberis*. Sermones tui erunt materia & argumentum, unde justificandus vel condemnandus sis. Sic Luc. XII. 15. *vita* dicitur *esse* ἐκ τῶν ὑπαρχόντων· Ex *iis quæ alicui suppetunt*. Cap. XVI. 9. *Facite vobis amicos* ἐκ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας· Ex *Mammone injusto*. Bona sunt materia, unde vita sustentatur: *injustus Mammon* est *materia* amicitiæ cum credentibus stabiliendæ. *Justificari* itaque ex *Operibus Legis* est justum declarari, & celebrari, & jus Divinæ communionis consequi ex *Operibus*, secundum præscriptum *Legis Mosaicæ* præstitis, tanquam ex caussa impellente externa; imo tanquam ex *materia*, *argumento*, & fundamento illius actus *Justificationis*. Duo enim illa heic in unum conspirant. Quare Paulus non dixit δικαιοῦσθαι διὰ τὰ ἔργα τοῦ νόμου *Justificari* PROPTER *opera Legis*, sed EX OPERIBUS *Legis*, quia *Opera Legis* ita funguntur vice *caussæ* προηγουμενικῆς, ut simul constituant *Justificationis materiam*. Et sane ad hanc locutionem probe attendendum est. Nunquam dicit Paulus, si recte nemini, homines *Justificari* διὰ τῶν ἔργων PER *opera*, quemadmodum frequenter ait, illos Justificari διὰ τῆς πίστεως PER *fidem*: quippe *Opera* nunquam in negotio Justificationis spectantur ut *caussa instrumentalis*, qualis est *Fides*, sed ut αἴτιον προηγουμενικόν, vel ut *materia* & argumentum Justitiæ, & fundamentum Justificationis. Sed contra Paulus dicit, hominem *Justificari* διὰ τῆς πίστεως PER *fidem*, tanquam per *instrumentum*, & ἐκ πίστεως EX *fide*, tanquam ex argumento justitiæ & justificationis, *quatenus* nimirum

Admittit significationem *materiæ*.

Quare Ap. hic non utatur vocula διά?

Justificari constructum cum διά.

mirum homo per fidem unitur cum *obedientia Christi*, quæ vera Juſtificationis peccatoris credentis materia, vera item illius impellens & movens cauſſa eſt. Quia tamen *Obedientia* illa Chriſti ad *Juſtificationem* in adultis nihil valet, niſi ab iis *fide* recipiatur, atque adeo quia peccator demum *per fidem* illo in ſtatu conſtituitur, ut à Deo juſtificari poſſit: hinc dicitur EX *fide*, tanquam ex *argumento* communionis ſuæ cum Chriſto & *quaſi materia* Juſtificationis ſuæ, juſtus à Deo declarari ac celebrari. Scopus Pauli in hac Epiſtola, tota ſeries ratiociniorum ejus, & conſtructio hujus præpoſitivæ voculæ ἐκ cum verbo *Juſtificari*, exigunt & comprobant ſingula hanc, quam dedi, explicationem phraſis; *Juſtificari ex Operibus Legis*: Quod facile demonſtrarem, ſi quis id ſerio in dubium vocaret.

Phraſis *non omnis* quid valeat in Sacris?

XXI. Illud jam δικαιωθῆναι ἐξ ἔργων νόμου negatur in verbis Pauli de *carne* & quidem de OMNI CARNE. NON *juſtificabitur ex Operibus Legis* OMNIS CARO. Phraſis לא כל οὐ πᾶσα tantundem valet ac *nulla*. Glaſſius [a]: *Particula negativa* אין / לא / בלתי / *univerſali* כל omnis *addita*, *univerſalem negationem indicat*, *ut* non omnis *idem ſit quod* nullus. Ex gr. Deut. VIII. 9. De terra Canaan dicitur; לא תחסר כל בה NON *indigebis* OMNI *re in ea*; hoc eſt, *nulla*. Matth. XXIV. 22. *Et niſi abbreviarentur dies illi*, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· NON *ſalvaretur* OMNIS *caro*; h. e. *Nulla* caro ſalva foret. Paulus itaque vult dicere, *Nullam carnem juſtificandam eſſe ex Operibus Legis*.

Quid in dicto Paulino intelligatur per *carnem*, & *omnem carnem*.

XXII. Sed quænam illa *caro* & *omnis caro* eſt, de qua Paulus? Textus ſuadet *homines* intelligere, quorum eſt præ aliis animantibus omnibus, *carne* veſtitis, *Legem* Dei noſſe & ad illam præſtandam obligari. Cæteroquin enim phraſis, *Omnis caro*, quandoque ita late in Verbo Dei accipitur, ut omnes in genere notet *animantes*, quotquot tectæ ſunt carne, ut Gen. IX. 11. לא יכרת כל בשר עוד ממי המבול *Non exſcindetur* OMNIS CARO (nulla caro) *amplius ex aquis diluvii*. At nihil opus eſt ut moneam, *animantium* aliarum non eſſe præter hominem à Deo *juſtificari*.

Loca analoga.

Notum itaque, *homines* in Scriptura dici *carnem*, quia cum aliis animantibus id commune habent ut magnam partem *carne* conſtent eamque externe præferant (ad vitioſitatem enim naturæ ſæpe

a Grammat. Sacr. Lib. III. Tract. V. Can. XIX.

ſæpe in familiari uſu hujus vocis non reſpicitur:) & *univerſitatem humani generis* ſæpe vocari כל בשר *Omnem carnem.* Gen. VI. 12. השחית כל בשר את דרכו *Corruperat* OMNIS CARO *viam ſuam.* Pſ. LXV. 3. עדיך כל בשר יבאו *Ad te veniet* OMNIS CARO. 1 Cor. 1. 29. Ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ· *Ne glorietur* ULLA CARO *coram ipſo.*

An omnes homines hic generatim à Paulo indicentur?

XXIII. Verum an omnes in univerſum homines, nemine excepto, per Paulum indicantur dictione *omnis carnis?* Imo vero *omnes* omnino *homines*, quotquot referuntur ad *Opera Legis*; imo vero *omnes* etiam in univerſum homines, quotquot certa quadam ratione ad Legem Moſaicam referri poſſunt. *Primo* itaque Judæos hic intelligere par eſt, quos Paulus in Epiſtolis ſuis ἐν-νόμους & ἀν-νόμους vocare ſolet, quia Pacto, ad montem Sinai inito & *in Moabi* Campeſtribus renovato, ad Moſaicam Legem obſervandam obligati erant. Imo jam ante Pactum Sinaiticum dicuntur *Statutum* & *Judicium* à Deo recipeſſe in *Mara*, (inter quę ſecundum antiquiſſimam Judæorum traditionem haud dubie quoque ponendum חק STATUTUM de *Sabbatho*:) quorum obſervatio per propoſitionem fœderalem ab ipſis poſtulata eſt. Verba ſic habent Exod. XV. 26. *Ibi poſuit ei* חק ומשפט STATUTUM & JUDICIUM, *& ibi tentavit eum, dixitque; Si obedieris voci Domini Dei tui, & quod rectum eſt in oculis ejus feceris, & diligenter attenderis* למצותיו *ad* PRÆCEPTA EJUS, *& obſervaveris omnia* חקיו STATUTA EJUS, *omnem morbum, quem impoſui Ægyptiis, non imponam tibi, quia ego ſum Jehova Sanator tuus.* Præſertim tamen attendendum eſt ad ὁμολογίαν Iſraëlitarum, per quam dicuntur באו *intraſſe* in fœdus Domini, Exod. XXIV. 3. *Et venit Moſes, & enarravit populo omnia verba Domini & omnia judicia, & reſpondit totus populus voce una, & dixit;* כל הדברים אשר דבר יהוה נעשה. *Omnia illa verba quæ loquutus eſt Dominus,* FACIEMUS. Judæi itaque erant ὑπὸ νόμον SUB LEGE, quippe per ſtipulationes repetitas obligati ad univerſam Moſis Legem obſervandam. Illi igitur dubio procul primo intelliguntur per *omnem carnem.*

Primo *Judæi.*

Statutum quod Iſraëlitæ à Deo acceperunt in Mara.

Locus Exod. XV. 26.

Nec tamen ſoli; ſed *Gentes* etiam, quibus licuit

XXIV. Nec tamen ſoli. Nam, etſi Lex Moſaica iis primum ſolis data ſit: licuit tamen *Gentibus*, בני נכר *extraneorum propagini*, ſi vellent, *aggregari* (נלוה) *populo Judæo*, & grave jugum

per Proselytismum adjungi Populo Judæo.

jugum Mosaicæ Legis subire. Licuit ipsis Nomina sua dare Senatui alicui Judaico, quo ab illo post prævium examen per cærimonias quasdam reciperentur in Gentem & Religionem Hebræorum. Atque eatenus *omnes homines* nullo excepto (nisi forte rationem aliquam habere velimus Legis Deut. XXIII. 2, 3.) *referri poterant* ad Legem Mosaicam, quatenus nimirum *omnibus*, si vellent, patebat aditus ad se uniendum cum Gente Judæa & observantiam Præceptorum Legis Mosaicæ in se recipiendam. Ne dicam, præcipuam partem Legis Mosaicæ de *Amore Dei & proximi* insculptam fuisse mentibus omnium, quotquot terra alit, hominum, ad quam observandam non minus obligantur per conscientiam, quam Israëlitæ per stipulationem Sinaïticam. Nulla itaque ratio est, quare quod hic dicitur de *omni carne*, non interpretaremur quam latissime de *omnibus hominibus*, quot & quatenus referri possunt ad Legem Mosis: quo sane omnes referri possunt, à quo tempore illa Mosis Lex data est. Certe Davidis verba generalem ejusmodi explicationem manifeste postulant; *Non justificabitur*, inquit, *coram te* כל חי OMNIS VIVENS. Per כל חי *omnem viventem* intelligit omnes in universum homines, quotquot ante ipsum & cum ipso extiterunt, & post ætatem suam extituri essent.

Sensus qui ex phrasibus & vocibus hujus dicti expositis emergit.

XXV. Ex singulis hisce *dictionibus* Paulini textus, sic seorsim consideratis ac expositis, hunc facile sensum colligemus; *Nullum hominem* EX OBSERVANTIA LEGIS MOSAICÆ consequi posse *laudem Justitiæ* CORAM Deo; *Jus* nimirum *Divinæ communionis* & *vitæ æternæ* cum laude *Justitiæ perfectæ* & ABSOLUTÆ INTERNÆ, (quemadmodum *hominem rectum* justificari diximus:) sive etiam *Jus Divinæ communionis* cum illius Divinæ Communionis *actualibus argumentis* & effectis, Remissione peccatorum, Donatione Spiritus Sancti, & Vita Æterna, quemadmodum *Peccatorem* coram Deo justificari par est. Hæc hactenus quod ad verba Pauli absolute sumpta.

CA-

CAPUT XI.

Difficultates, quæ sententiæ Paulinæ, modo expositæ, qua* omni homini Justificatio negatur ex Operibus Legis, *objici possunt, notantur, & quæ Docti Viri ad eas expediendas protulerunt, examinantur. Tum deinde docetur, Paulum sententiam hanc intelligi velle secundum* hypotheses Judæorum, *quibuscum disputabat: quæ referuntur, & fusius explicantur.

SI interpretatio Paulinæ sententiæ, quam modo dedimus, quam facile profluit ex verbis Pauli, tam etiam in se clara & explicita esset: liceret illico hanc Dissertationem finire. Verum non pauca sunt, quæ attento Divinarum Literarum Scrutatori hic difficultatem pariunt. Etenim ex aliis Verbi Divini partibus inter se collatis omnino videtur, *Israëlitas, Mosaicam Legem* studiose & sincere observantes, ex illius observantia potuisse *justificari*, hoc est, consequi *Remissionem peccatorum* cum *jure Divinæ Communionis* & certa expectatione præmii *æternæ vitæ*. Consideremus sequentia:

Dubia, quæ adversus sententiam Paulinam moveri posse videntur.

II. 1. Deus cum Israëlitis fœdus percutiendo ad montem Sinai, quando ab illis est stipulatus *observantiam* omnium *suarum Legum*, non est censendus ab iis exigere voluisse *conditionem*, præstitu *impossibilem*. Id enim si fecisset, tantum abest ut gratiam præstitisset his posteris Abrahami, amici sui, ut contra omnes illos per νομοθεσίαν posuisset sub ira & maledictione æterna. Quod si Deus intenderit: quare universæ Legislationi substravit fundamentum gratiæ, EGO SUM JEHOVA DEUS TUUS? Quare ab Israëlitis semel iterumque per stipulationem exegit præstandam Legibus obedientiam? Quare felicitas conditionis Judaici populi præ Gentibus ponitur in hoc *fœdere*, si Judæi per illud non potuerint pervenire ad *vitam*? Quomodo conveniet bonitati, quomodo veritati & sapientiæ Dei, ut fœdus aliquod cum homine cum testimonio gratiæ & favoris tot solenni-

Inter quæ, a. Deum, ubi cum Israëlitis fœdus pepigit, non videri exegisse conditionem præstitu impossibilem.

Oooooo bus

bus patiatur *confirmari*, quot confirmatum eſt *fœdus Sinaiticum*, Exod. XXIV. 6, 7, 8. &c. ſi interea fœderatis ſuis præſcribat conditiones, ad quas præſtandas prorſus inepti & per quas adeo certiſſime damnandi ſint? Quorſum illa pompa & apparatus? Quorſum tot teſtimonia favoris, tot enunciationes gratiæ & benevolentiæ, ſi per ipſas illas fœderis propoſiti conditiones via ad ſalutem præcluſa fuerit? Videtur itaque *dari Juſtificatio ex Operibus*, *præſtitis ſecundum normam Legis Moſis*, ut conditionis Fœderis Sinaitici: Quod ſimul adverſum videtur theſi Paulinæ.

β. Lex Moſaica ſupponit, poſſe quem fieri compotem צדקה *Juſtitiæ.*

III. 2. Exerte dicitur apud Moſem, dari צדקה *δικαιοσύνην*, cauſſam *juſtitiæ* & gloriationis coram Deo, in obſervatione *Legis Moſaicæ*. Notatu digniſſima verba ſunt in Deuteronomio[a]: וצדקה תהיה לנו *Et* JUSTITIA *erit nobis*, *quando obſervaverimus* לעשות FACERE OMNE PRÆCEPTUM HOC, *coram Domino Deo noſtro*, *quemadmodum nobis præcepit.* Verba; *Et juſtitia erit nobis*, vix aliter interpreteris, quam; *Et erit nobis cauſſa*, *&* *materia*, vel *argumentum juſtitiæ*; id *ex quo* erimus juſtificandi. Quod tamen quo intelligendum ſit ſenſu, deinceps dicemus.

Deus ipſe in Lege præſcripſerat *formulam gloriationis.*

IV. 3. Deus ipſe in Lege Iſraëlitis præſcripſit formulam gloriationis de *obſervantia Legis Moſaicæ*, cum qua obſervantia *Juſtitia* ex *Lege* erat connexa. Gloriationis illud carmen recitandum ab Iſraëlitis erat poſt ſeparatas *decimas* anni cujuſque *tertii*, *Deut.* XXVI. 12. *Removi* SANCTUM *ex domo mea*, *&* *dedi illud Levitæ*, *&* *peregrino*, *&* *orphano*, *&* *viduæ*, *ſecundum omne præceptum tuum*, *quod mihi mandaſti*, לא עברתי ממצותיך ולא שכחתי NON TRANSGRESSUS SUM ULLUM EX PRÆCEPTIS TUIS, *nec oblitus ſum. Non comedi in luctu meo de eo*, *neque ſeparavi de eo in re impura*, *neque dedi de eo mortuo*; *auſcultavi voci Domini Dei mei*; עשיתי ככל אשר צויתני FECI SECUNDUM OMNE ID QUOD MIHI PRÆCEPISTI. Docuit Deus Iſraëlitas *gloriari* de obſervantia Legis ſuæ, cum qua gloriatione *juſtitia* ex *Lege* certiſſime, ut dixi, erat connexa: non docuiſſet autem illos de eo gloriari, ſi non, qui animum ſuum inter illos ad Legem obſervandam diligenter applicarent, de eo gloriari potuiſſent *ex vero*. Deus enim auctor non eſt *gloriationis falſæ*. Quod ſi autem quidam Iſraëlitarum de *obſervantia Legis* ex vero potuerint gloriari: iidem

[a] Deut. VI. 25.

dem quoque illi ex *Lege* & *Operibus ejus* videntur fuisse *justificandi*.

V. 4. Quid dicemus de *Zacharia* & *Elizabetha*, de quibus Lucas[a]: Ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· ERANT JUSTI AMBO CORAM DEO. Recte quidem. Sed quænam *materia justitiæ*? *Opera Legis*, ut videtur. Sic enim sequitur; Πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτοι· AMBULANTES IN OMNIBUS PRÆCEPTIS ET JUSTIS DEI STATUTIS IRREPREHENSIBILITER. Nonne hi *justificati fuerunt ex Operibus*? Ac proin, an non datur *justitia ex Operibus Legis*, quam Paulus negat?

Homines aliqui sub O.Testam. Vet. dicuntur Legem observasse.

VI. Doctiores autem Interpretes hujus Epistolæ quando has difficultates consideraruut & ponderarunt, non uno modo in iis resolvendis & cum doctrina Pauli conciliandis instituerunt. Antequam itaque progrediamur, duas eorum celebriores proponemus & expendemus sententias & quidem pressis Auctorum nominibus, tum ne videamur cum voluptate à magnis & meritissimis Nominibus diffidere, tum ut liberiora sint & ἀπρόσκλιτα, quantum fieri potest, judicia lectorum; quorum cæteroquin multi magis præstringuntur auctoritate nominum quam evidentia rationum.

Quo modo Interpr. has difficultates expediant?

VII. Sunt qui existimant, Paulum his verbis simpliciter voluisse negare *justitiam* ex *Lege morali*, omnium hominum mentibus insculpta, & in Decalogo ad Sinai repetita, ad quam *perfecte* observandam Adamus in Paradiso obligatus fuit, & omnes ejus posteri post ipsum τῇ φύσει obligantur. Negabit itaque Paulus secundum ipsos, hominem justitiam & vitam adipisci ex *perfecta* observantia *Præcepti Amoris Dei*, ad quod Adami posteri vi *Fœderis naturæ* præstandum tenentur. Nolunt itaque, Legem hic adeo late accipi, ut præter *Legem moralem* quoque *comprehendat Legem Rituum*. Confirmant hanc suam hypothesin eo, quod in testimoniis, quę Paulus supra citaverat, Judæi non reprehendantur ob *violatam Legem cærimonialem*, sed *moralem*.

Sunt qui Pauli sententiam tantum referunt ad Opera Legis Moralis.

VIII. Qui sic instituunt Auctores non sane id frustra agunt, sed illa sua explicatione student evitare magnum, ut videtur, incommodum illius sententiæ, quę hic cum *Lege morali* simul intel-

Illorum propositum in hac interpretatione.

a Cap. 1. 6.

intelligit *cæremonialem*. Etenim hac eorum hypothesi admissa, omnes illæ nebulæ illico evanescunt, quas thesi Paulinæ objecimus ex consideratione *Fœderis Sinaitici*. Paulus enim secundum ipsos non tam respiciet ad *Fœdus Sinaiticum*, quam ad commune *Fœdus naturæ*, ex quo negabit *ullam carnem justificari*; ad *Fœdus* autem *Sinaiticum* eatenus modo respiciet, quatenus comprehendit *Leges* & *formulas Fœderis Naturæ*.

Rationes, cur illa sententia non sit admittenda.

IX. Ego vero agnosco hujus sententiæ commoda. Largior etiam lubens, per *Opera* à Paulo inter alia omnino intelligi *exercitium amoris Dei & proximi*. Judæi enim probe percipiebant, *illius Legis Opera* cum *Justitia & Vita* quam arctissime esse connexa [a]. Nec tamen has sequor partes. α. Quia Paulus passim in hac Epistola per *Legem* intelligit *Legem Mosaicam* totam, quemadmodum in explicatione verborum ostendi.

Paulus per *Legem* intelligit Mosaicam totam.

β. Quia vocabulum νόμος in iis, quę ἀμέσως hunc textum sequuntur, tam de *Lege Præcepti carnalis*, quam de *Præcepto Amoris* exponendum esse, liquet. Sequitur mox; Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας· *Per* LEGEM *enim cognitio peccati*. Quis autem neget, id æque intelligendum esse de *Lege placitorum* ac de *Præcepto Amoris*, quippe quam Paulus ait τῶν παραβάσεων χάριν promissioni *adjectam esse* [b]. Additur porro ℣s. 21. *Nunc vero* χωρὶς νόμου ABSQUE LEGE *justitia Dei manifestatur*. Quis rursus inficias erat, per *Legem* hic vel maxime à Paulo designari νόμον ἐντολῶν ἐν δόγμασι? β. Quia Paulus in Epistola ad Galatas, ubi eandem hanc thesin repetit & adstruit, absque ulla dubitatione phrasi *Operum Legis* simul comprehendit *Opera Legis placitorum*. Hoc argumentum solidissimum & invincibile est. Verba Pauli eadem ibi leguntur quę in hoc loco, Cap. II. 16. Διότι οὐ δικαιωθήσεται ἐξ ἔργων νόμου πᾶσα σάρξ. Disputat autem ibi *Paulus* contra *Petrum* usque ad *finem* illius *Capitis* de fructu observantiæ *Legis Mosaicæ*, potissimum cæremonialis, *ratione* Ἰουδαῖοι τῇ φύσει, quales ipse & Petrus erant. Negat Paulus, illud Ἰουδαϊκῶς ζῆν *vivere secundum dogmata* & instituta *Legis Mosaicæ*, ejusque observare cæremonias, caussam esse posse *Justitiæ hominis* JUDÆI *coram Deo*. Sic Paulus *Opera Legis* manifestissime sumit pro *Operibus* præstitis secundum normam totius Legis Mosaicæ, inprimis *cæremonialis*; Rom. III. 28. IV. 2. Gal. III. 2, 5, 10.

X. Quod

a Matth. XIX. 17, 18. Rom. VII. 10. b Gal. III. 19.

X. Quod autem dicitur, Paulum in *superioribus* id potissimum egisse, ut Judæos ex testimoniis Sacræ Scripturæ convicerit de violata *Lege Naturæ* & *Amoris Dei:* non existimem sententiæ nostræ adversari. Non negamus enim, Morales Leges conficere præcellentissimam Corporis Juris Judaici partem, & ad illam trutinam optime expendi posse & omnium primo explorandum esse, an homo suo erga Deum & proximum officio satisfecerit, necne. Quid enim juvat placita cæremoniarum religiose observare, neglecta cura Legis amoris? Quare quando Paulo probandum fuit, Judæos omnes à norma Divinæ Legis recessisse: non aliunde id probavit facilius, quam ex transgressionibus *Legis Naturæ*. Quandoquidem tamen *Lex* illa *Amoris* olim à Deo conjuncta erat cum *Placitis cæremoniarum:* hinc *universam* censebatur *Legem* transgredi *Mosaicam*, qui violabat *Legem Amoris*. Sed transgressiones *Legis Amoris* erant notabiliores magisque incurrebant in oculos, quam transgressiones *Legis cæremonialis*, ac proinde Prophetæ de *illius* transgressionibus inprimis conquesti sunt, & Paulus illorum dicta describens, in eo ipsos rectissime imitatus est. Sed quoniam *qui ἐν ἑνὶ in uno labitur*, censetur esse *πάντων ἔνοχος omnium reus:* hinc qui *Amoris* transgrediebatur *Legem*, universam putabatur *Legem Mosis* violasse. Distinguenda itaque non sunt, quę Paulus junctim spectavit & à nobis spectari voluit.

Ad objectionem, quæ contra moveri queat, respondetur.

XI. Alii itaque, videntes, Paulum alibi per *Opera Legis* inprimis designare *exercitium observantiæ Placitorum cærimonialium:* non negarunt quidem, universam hic intelligi Legem Mosaicam, inprimis cærimonialem, sed concesserunt, Paulum hic docere, ex *Observantia Legis* Mosaicæ, inprimis *cærimonialis*, quę longe maximam partem facit Legum Mosaicarum, neminem mortalium à Deo Justificandum esse. Quandoquidem tamen negare non poterant, obtinuisse quandam *Justificationem* ex *Operibus Legis Mosaicæ* sub V. T. verba Pauli non interpretati sunt *absolute* de quibuslibet Judæis, sed de *Judæis carnalibus*, qui Legem illam præstarent *absque Gratia Spiritus S. Paulus*, ait Vir quidam Doctus, *contra Judæos disputat, qui, præcipua Legis parte neglecta, per id, quod externe mores suos Legi conformarent, & sibi à Gravioribus peccatis caverent, nec non per circumcisionem &*

Alii existimant, Paulum hic præcipue respicere opera Legis Cæremonialis.

& caremonias ABSQUE CHRISTO ET SPIRITU EJUS, *existimabant se coram Deo* EX PROPRIIS VIRIBUS *posse consistere*, *nixi suis prarogativis pra gentibus*. Alius: *Nemo eorum, qui legem habent, ex operibus, ea imperatis, qua* PROPRIIS VIRIBUS *prastet, coram Deo & in ejus judicio potest justus declarari*. Horum Interpretum cogitata, meo quidem judicio, propius accedunt ad Pauli mentem. Est tamen, quod ad illa observem.

Animadversio ad hanc sententiam.

XII. Quod Docti illi Viri Pauli verba sic explicent, *nullum hominem justificari ex Operibus Legis*, à se præstitis ABSQUE GRATIA CHRISTI, vel PROPRIIS VIRIBUS: id quodammodo immutat sententiam Paulinam, ejusdem vim infringit. Sic enim *emphasis* sententiæ Paulinæ cadet in dictionem; OMNIS CARO; cum tamen cadere debeat in voces, EX OPERIBUS LEGIS. Secundum illos enim Doctores dicet Paulus; *Nullum hominem*, qui CARO est, hoc est, *natura* ἀσθενὴς *infirmus*, *impotens*, quales omnes sunt Adæ posteri; nec non omnes *Judai*, licet hæredes promissionum, posse *Justificari ex Operibus Legis*. Contra autem certum est, vim orationis Paulinæ incidere in verba; EX OPERIBUS LEGIS, ut illius sensus sit; *Nullum hominem*, *qualiscunque sit*, *justificari* EX OPERIBUS LEGIS. Non curat id Paulus nunc, unde id fiat, ut homo *Opera Legis* præstare nequeat. Id, fateor, inde est, quod homo sit *caro*, & id ipse Paulus non ignoravit [a]. Sed quandoquidem ipsi res erat cum Judæis, quorum plurimi congenitam homini vitiositatem & impotentiam ad omne opus bonum non agnoscebant: hinc Paulus de eo nunc nihil voluit anticipare. Sufficiebat ipsi probasse ex *peccatis actualibus*, omnes subesse reatui, Legem esse transgressos, ac propterea *justificari* non posse per Legem.

Rationes, quæ hanc sententiam minus probabilem faciunt.

XIII. Sunt & alia, quę hanc nostram observationem fulciunt. *α*. Deprompserat Paulus hæc verba ex Ps. CXLIII. 2. ubi David, Justificationem carnis ex Operibus negans, se ipsum *omni carni* includit. Voluit autem *thesin* suam Paulus non minus generaliter intellectam, ac David illam enunciaverat. *David* autem non fuit destitutus *gratia*, & tamen non vult ex *observantia Legis* à Deo *judicari*. *β*. Paulus disputat, ne *illos* quidem ex *Operibus* vel *Operibus Legis Justificari*, qui absque omni

a Rom VIII. 3.

omni dubitatione *Gratia Spiritus* non fuerunt deſtituti. Abraham, ex gr. ex *obſervantia Præcepti de Circumciſione* non *eſt Juſtificatus* [a]. γ. Si Paulus theſin ſuam non intellexiſſet *generaliter* de omnibus hominibus poſt lapſum qualeſcunque eſſent abſque reſtrictione: reſtitiſſet ſcrupulus de credentibus ſub OEconomia *Teſtamenti Veteris*; quos juſtificatos Paulus non negaret, & quos tamen ſi aſſereret *juſtificatos ex Operibus Legis*, eo ipſo neceſſitatem obedientiæ Chriſti & juſtificationis per fidem, inde emanantis, videretur abnegare. Pauli itaque mens eſt, *nullum hominem*, cujuſcunque ſortis, *juſtificari ex Operibus Legis Moſaicæ*. δ. Paulus in Epiſtola ad Romanos non tantum ideo oppugnat *juſtificationem ex Lege*, ut ſtabiliat *juſtificationem ex fide*, ſed vel maxime ut ſtabiliat Juſtificationem ex SOLA *fide*, *abſque Operibus Legis Moſaicæ*. Sic ait mox ℣ſ. 21. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται· *Nunc autem* ABSQUE LEGE *juſtitia Dei manifeſtatur*. Item; ℣ſ. 28. *Reputamus itaque, fide juſtificari hominem* χωρὶς ἔργων νόμου· ABSQUE OPERIBUS LEGIS. Quodſi vero *Opera Moſaicæ Legis* qualicunque modo valuiſſent ad *Juſtificationem hominis*; Paulus utique hunc ſuum ſcopum non fuiſſet aſſequutus. Non nego tamen, *à carne* eſſe, quod homo *ex operibus juſtificari nequeat*, ſecundum Doctrinam Pauli; ſed nego, Paulum id in hoc loco præcipue intendere. Orationis Paulinæ vis incidit in verba; *Ex Operibus Legis*: non in illa; *Nulla caro*.

XIV. Sed ſic videmur nos ipſos ad majores compellere anguſtias? Si enim ſic *abſolute* capiamus Pauli verba, neminem hominum EX OPERIBUS LEGIS MOSAICÆ *juſtificandum* eſſe; quid tum ſupererit, quo ſatisfaciamus difficultatibus, Doctrinæ Pauli à nobis objectis? Negabimuſne igitur, *Iſraëlitas ex obſervantia Legis Moſaicæ juſtificari potuiſſe?* Non negabimus: ſed dicemus, *Paulum cum Judæis diſputare ſecundum eorum hypotheſin*, & *talem ex Lege juſtificationem* negare, *qualem* illi vulgo concipiebant.

Alius modus expediendi dubia.

Ap. diſputat cum Judæis ſecundum ipſorum hypotheſes.

XV. *Judæorum*, cum quibus Paulo res erat per *gentes*, ad quas proprie hanc Epiſtolam ſcripſit, hæ erant *hypotheſes*. 1. Deum *Fœdere Sinaitico* ab iis poſtulaſſe *perfectam* & *exactam obſervantiam* omnium ſuorum præceptorum. 2. Deum ab illa obſer-

Hypotheſes Judæorum de Fœdere Sinaitico.

a Rom. IV. 2, 3.

observantia perfecta & exacta omnium præceptorum suorum, ut ab *opere* quodam *operato*, suspendisse *justitiam* & *vitam*, absque respectu ad quid aliud. 3. Hominem natura non ita esse depravatum, ut ad hanc conditionem implendam ineptus sit; quin illum, si ad se ipsum attendat & diligentem operam adhibeat, per illam conditionem præstitam pertingere posse ad promissionem vitæ.

Mores illorum ad has hypotheses conformati.

XVI. Inde itaque Judæi חסידים *pietati studentes*, ut videbatur, quorum in numero ponimus *Pharisæos*, 1. Sibi cavebant à gravioribus vitiis externis, quę incurrebant in *exteriorem literam Legis Moralis*. 2. *Cærimonialia* inprimis *statuta*, quę Israëlitis à Deo præ Gentibus speciatim demandata erant, accurate observabant, & in illorum observantia plurimum ponebant fiduciæ. 3. Imo severum illum & molestissimum Dei cultum, qui Mosaica Lege præscriptus erat, multis augebant non necessariis additamentis. 4. Exercitiis pietatis externis: *precibus*, *eleemosynis*, & *jejuniis*: frequentissime vacabant, iisque profanum, quod sic vocabant, vulgus longe superabant. 5. Præter hæc *circumcisi*, & observantiæ Legalis Symbolis, *Phylacteriis* nimirum *frontis* ac *manuum* muniti; nec non de *Abrahami* meritis altum præsumentes, nihil sibi deesse opinabantur, quo minus de gratia Dei in hac vita & de futura plenissime persuasi essent; atque adeo gloriabantur Deo cum contemptu non tantum Gentium, sed & ipsius vulgi suæ sectæ & Religionis. Nihil hic dixi, quod non Christiano cuique ex Historia Evangelica, & Doctoribus præter hæc ex hodierna illorum disciplina ac scriptis abunde liqueat. Paulus ipse legatur hac Epistola *Cap.* 11. à ℣. 17. usque ad finem.

Difficile erat, adversus illos disputare.

XVII. Judæi, qui hac erant sententia, haud dubie gravissime & capitaliter errabant; & tamen difficillimum erat illorum errores refutare. Caussa erat, quod errores hic adeo subtiliter essent intertexti quibusdam veritatibus, & iis cum tam speciose commixti, ut non absque summa prudentia ab illis separari possent in disputatione. Deus mandaverat cunctarum Legum suarum observantiam. Annexerat illi promissionem vitæ. Instituerat circumcisionem, phylacteria, sacrificia, & universum apparatum cærimoniarum Legis ipse invexerat. Videbatur itaque

itaque in horum observatione reposita esse caussa Justitiæ & vitæ. Quod si ita habet: quid opus erat alia Justitiæ & vitæ caussa Christo? Frustra itaque prædicatur Evangelium, & non Judæis modo sed & gentibus forte tutius fuerit adhærere Legi? His ratiociniis impugnabatur Doctrina Evangelii à Judæis & Proselytis, quę Paulo per Gentes detecta sunt.

XVIII. Paulus autem, quantum ejus rei nos nunc percipimus, duplice modo his ratiociniis potuit occurrere; 1. Ostendendo, Judæos naturam & scopum *Fœderis Sinaitici* non intelligere. 2. Demonstrando, Judæos ineptos esse ad conditiones *Fœderis Sinaitici*, quemadmodum ipsi illud interpretabantur, præstandas, ac proin *Justificationem* ex illo Fœdere secundum suam sententiam nullo jure aut fundamento expectari posse. Quotuplice modo illa disputatio institui queat?

XIX. *Prius* Paulus in hac Epistola non egit *directe*; licet interea non neglexerit varios *usus Legis*, quantum ad adversarios ejus informandos sufficiebat, sparsim explicare. Docet equidem [a], per *illam esse Cognitionem peccati*, *Operari iram*, *peccatum abundantius reddere*, *Peccatum & concupiscentiam excitare*, *Finem ejus esse Christum ad justitiam cuivis credenti*; sed de *Fœdere Sinaitico*, & de *modo Justificationis*, qui vi illius Fœderis olim *vere* obtinuit & obtinere potuit, Paulus quidem in hac Epistola nihil exerte tradit. In Cap. II. 13. quidem dicit; Factores Legis justificandos esse; sed generali sensu, ex quo hactenus non colligas, an Judæorum ullus Legem sic præstare posset ut per illam *justificaretur*. Imo certe ex Doctrina Pauli in Epistolis ad *Romanos* & ad *Galatas* nemo facile colligeret, *ullum Judæum ex Fœdere Sinaitico justificatum esse*, aut *justificari potuisse*. Qua de caussa Veterum & Recentiorum Theologorum plurimi putarunt, *Fœdus Operum* renovatum esse ad montem Sinai, *Legesque* tam *Naturæ* quam *Cærimoniales* cum mandato perfectæ obedientiæ eo tantum consilio Israëlitis esse intonitas, ut illos compellerent ad Justitiam suam ex alio & meliore fœdere quærendam, quippe qui ad conditiones Fœderis Sinaitici præstandas prorsus inepti essent. Non opinor tamen, illam fuisse Pauli mentem, & mox de eo pluribus agam. Potius ita statuo, Quo modo Paulus Ap. se hic gesserit?

Pppppp cum

a Cap. III. 20. Cap. IV. 15. Cap. V. 20. Cap. VII. 7, 8, 9, 10. Cap. X. 4.

cum longa esset & subtilis disputatio de *modo Justificationis obtinendæ ex Fœdere Sinaitico*, & cum multo planius & clarius Judæos convincere posset ex propria ipsorum hypothesi: Paulum *posteriorem* hanc demonstrationis *viam priori* non absque magna ratione prætulisse.

Qua methodo adversus Judæos in hac Ep. disputet?

XX. Cum itaque Judæi ita sentirent, Deum ab ipsis in Fœdere Sinaitico postulasse exactam & omni numero absolutam obedientiam, omnibus Præceptis tam moralibus quam cærimonialibus præstandam, & ab hac sola & unica conditione suspendisse *justitiam* & *vitam*: Paulus sibi contra ipsos probandum sumit, neminem inter mortales hominem valere ad hanc conditionem præstandam; nullum unquam Judæorum illam præstitisse, ac proinde omnes Judæos, quotquot ad bonum æternæ vitæ anhelarent, aliud δικαίωμα, aliam caussam Justitiæ sibi comparare debere. An Deus ad Montem *Sinai* & deinceps in *Campestribus Moabi* exactam & perfectam omni gradu & numero obedientiam ab Israëlitis *ut conditionem Fœderis* postulaverit, non inquirit Paulus; dubium etiam, an non illud, ut fieri solet in disputatione, quasi concedendo transmittat, Rom. x. 5. Satis ipsi erat, sententiam Judæorum ex propria ipsorum hypothesi confutare. Id quod felicissime egit, demonstrans à ℣s 17. Cap. II. usque ad ℣s 20. Cap. III. tam ex *praxi* & instituto vitæ ipsorum Legis Doctorum quam ex disertis testimoniis Scripturæ, omnes Judæos, quotquot sunt, impingere & impegisse in Legem Mosis; omnes, quotquot sunt, illam esse transgressos, atque adeo esse ὑποδίκους τῷ Θεῷ. Singula hujus demonstrationis Paulinæ argumenta recensere, hujus non est instituti.

Adminicula & subsidia Justificationis ex mente & sensu Judæorum.

XXI. Nec sic tamen videbatur Paulus rem penitus confecisse. Supererat enim Judæis, quod exciperent. Quod si enim forte darent, quosdam illorum Legis postulato in omnibus non satisfacere: existimarunt id abunde compensari summa illa benevolentia, qua Deus Gentem Judæam prosequebatur, & singularibus prærogativis, quibus Deus Gentem suam præ aliis omnibus terrarum orbis populis donaverat. Vocabantur Ἰουδαῖοι Judæi[a], *Patriarchis* oriundi *Abrahamo*, *Isaaco*, *Jacobo*, *Juda*, quo-

a Cap. II. 17.

quorum sibi persuadebant eximium esse *[illegible] meritum apud Deum* Signum gratiæ Deus ipsis constituerat *circumcisionem*, dederat ipsis *Legem* ad Sinai; *se ipsum voluntatemque suam ipsis [illegible]* [illegible]; fecerat ipsis *promissiones ingentium* [illegible], [illegible] [illegible] fuerat, *se esse ipsorum Deum*; *magna [illegible]* [illegible] patraverat; *gloriosæ & gratiosæ suæ præsentiæ symbolum* [illegible] ipsis in Arabiæ desertis *oberrantibus*, *& alias* [illegible] in *Tabernaculo & Templo*, exhibuerat; *ipsos filios suos* [illegible] & [illegible]; *in tabulis lapideis ipsis* [illegible] [illegible]. Paulus [illegible] *per* [illegible] [illegible] *Israëlitarum* [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

vo argumento adstruit ex Ps. CXLIII. 2. EX OPERIBUS LEGIS NULLAM JUSTIFICARI CARNEM CORAM DEO.

Exceptio adversus doctrinam Pauli.

XXIV. Superest tamen una adhuc *exceptio* adversus doctrinam Paulinam, à Paulo quidem in hac Epistola non mota, quantum video, nec Paulo forte ab adversariis objecta, & nihilominus, ut nobis ante rem rite exploratam videri posset, super solida ratione fundata; quæque adeo me aliquandiu occupavit, antequam illi cum plena animi mei fiducia responsum potui aptare.

Quæ desumi poterat à sacrificiis pro *peccato* & *reatu*, per quæ Judæi se poterant restituere favori Dei.

XXV. Quid si enim Judæi Paulo *objecissent*, agnoscere se & ultro profiteri, quod ad Leges Mosaicas omnes exacte observandas non valerent, sed ipsum Deum, cum carnis exploratam haberet infirmitatem, illi incommodo providisse, institutis remediis abstergendæ maculæ peccati & instaurandę secum amicitiæ, *Sacrificiis* nimirum *pro peccato & reatu:* per ipsa autem illa sacrificia peccatorem hominem ita recuperare Dei favorem & benevolentiam, ac si illa per peccatum nunquam excidisset; ac propterea posse ipsum, expiatis peccatis suis, cursum Justitiæ suæ per *Opera Legis* quærendæ ad finem usque vitæ consummare & hac via tandem ad vitam pertingere. Exceptio non caret specie. Paulus tamen hujus Exceptionis non nisi *indirecte* meminit, ubi nimirum fundamentum *Justificationis* nostræ *consummatæ* locat in *sanguine Christi*[a]. Quod argumento est, Adversarios Pauli judicasse, ad illam exceptionem ex communibus Judaismi hypothesibus à Paulo facile responderi posse. Tametsi autem id nobis nunc minus liqueat, quia nimirum omnes Judaismi illius temporis hypotheses non habemus perspectas: sequentia tamen ad illam reponemus.

Occurritur exceptioni, observato, α. Sacrificia piacularia non expiare peccata omnis generis.

XXVI. 1. Adversarii Pauli sciebant, *Sacrificiis pro peccato*, (חטאת) sive *piacularibus*, non satisfieri pro *omnibus peccatis*, sed pro *certo* tantum *genere peccatorum graviorum*, quę à *sanctioribus Viris* raro committebantur. Pro *peccatis quotidianis* & communibus lapsibus infirmitatis humanæ per nulla *sacrificia piacularia* satisfiebat, nisi forte per *commune sacrificium piaculare diei Expiationis*. Verum reliqua *sacrificia pro peccato* solummodo adhibebantur ad talia peccata per imprudentiam aut ignorantiam patrata

a Rom. III. 25. V. 10. VIII. 3.

trata expianda, *qualia*, si cogitato facta essent, *luenda essent exitio peccantis. Peccata leviora*, quę *cogitatis*, *dictis*, imo & *factis* committuntur, ex mera Dei gratia ad pœnitentiam peccantis condonari credebantur; *majora* & *voluntaria flagris Legalibus*, *morte*, aut *extraordinaria* pœna, ab ipso Judice Deo cœlitus infligenda, vindicabantur. Et *peccata* quidem illa graviora, pro quibus *piaculare definitum* offerendum erat, enumerantur solummodo à Judæis *quadraginta* & *tria*; reliqua, pro quibus *piaculare indefinitum* & *sacrificium pro delicto* offerebatur, numero pariter sunt exigua. Tu vide de his Maimonidem in *Schegagoth* & *Sanhedrin* [a]. Certus sum, Paulum eo respicere in Oratione sua ad Antiochenos Pisidiæ [b]: *Et* AB OMNIBUS, ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι· A QUIBUS NON POTUISTIS PER LEGEM MOSIS JUSTIFICARI, *per* HUNC (Christum) *omnis credens* JUSTIFICATUR. Lex Mosaica non præscribebat remedia ad peccata omnis generis, quę ab hominibus committebantur, sed *certi tantum generis* delicta, expianda; at *sanguis Christi purgat nos ab omnibus peccatis*. Frustra itaque Judæi excepissent, *peccatis* remedium præscribi in Lege, quia inter ipsos constabat, id de certo quodam peccatorum genere tantum ex vero dici posse.

Distinctio peccatorum sub OEcon. Vet.

XXVII. 2. Præcipue hic considerandum judico, *Opera Pœnitentiæ*, quorum in numero erant *Actus oblationis* sacrorum pro *peccato* & delicto, sive privato sive publico nomine peracta, à Judæis non videri esse relata ad illud FACERE, de quo Lev. XVIII. 5. sive ad illos *Actus obedientiæ Legalis*, per quos *justitia* & *vita* impetrabatur. Ex Pharisæis multi videntur existimasse, Deum in conditione Fœderis Sinaitici perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam ab ipsis postulasse, prorsus ita secum reputantes, hominem iis natura esse viribus, ut illam Deo præstare possit; secundum dictum illius Juvenis Matth. XIX. 20. *Hæc omnia observavi à juventute mea*; QUA PARTE DEFICIO? Obedientiam autem illam primo præstandam rebantur *Præcepto amoris & timoris Dei*, quippe quod Lex passim ut præstantissimum omnium commendat; dein omnibus aliis Legibus Mosaicis cujuscunque generis, quibus quælibet *officia*

β. Opera pœnitentiæ à Judæis non videntur relata ad τὸ *Facere* Legis Mosaicæ.

a Cap. I. Cap. XIX. b Act. XIII. 39.

ſive Deo aut proximo præſtanda, ſive in publica & familiari re obſervanda, mandantur, cujuſmodi plurimæ diſſeminatæ ſunt per Libros Moſis. *Leges* tamen *pœnitentiæ* in earum cenſum non videntur redegiſſe, vel ſaltem *Actus*, ſecundum illarum normam peractos, ad jus VITÆ conſequendum ineptos putaſſe; & quidem ob has rationes:

Pœnitentiæ officium quodammodo differt à cæteris actibus obſequii divinæ Legis.

XXVIII. α. Quia *pœnitentiam agere peccati* proprie non eſt *actum edere liberalis & generoſæ obedientiæ*, ſed potius *illius obedientiæ defectum & vitia confiteri.* Defectum autem & vitia obedientiæ confiteri longe quid aliud eſt ac *Divinis Legibus* intemerate & inviolate obſecundare. Quin imo eo ipſo quo quis pœnitentiam peccati edit, palam declarat ſe conditionem fœderis non obſervaſſe, atque adeo jure præmii excidiſſe, niſi forte per *Divinum Gratiam* in eundem ſtatum reſtituatur. Ita Paulus ipſe rem inſpicit, ubi ſic dicit; *Quia* EX OPERIBUS LEGIS *nulla juſtificatur caro coram Deo:* Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας· PER LEGEM ENIM AGNITIO PECCATI. Verba præter alia id valent, quod *Lex*, quę *remedia adverſus peccata* præſcribit, hominem *peccati* convincat, atque ſatis doceat, perfectam Legis obſervantiam ab ipſo expectandam non eſſe. Imo certe *ſacrificio pro peccato* ab

Abarbanelis ſententia.

Abarbanele eleganter conſiderantur ut mulctæ, quarum Iſraëlitas damnates eſſe voluit Deus, ut ſibi poſtea ab errore diligentius caverent. Sic ille[a]: *Quoniam ſuis Iſraëlitis Deus Optimus Maximus interminatus erat, ne peccarent in eum adverſus ejus edicta facientes, & noverat, non ita raro venire uſu ut à præſcriptione homines aberrarent alia omnia ſectantes*, רצה יתברך להענישם בדבר ממונם כדי שיתפעל רוחם ונפשם בו וישארו נזהרים ולא ישנו עוד לזה חייב לחוטא בשגגה שיביא קרבן חטאת שהוא עונש ממון כדי שיכין דרכיו ויזהר בכל כחו שלא יפל בשגגה עוד וכו' VOLUIT ILLOS DIMINUTIONE BONORUM MULTARI, *qua multa animi atque mentes eorum commoverentur ſic, ut deinceps ſtudioſiſſime curarent, ne quid per errorem delinquerent. Hinc eum, qui peccarat imprudens, damnavit ſacrificio piaculari, quo rei detrimento cogeretur vias ſuas obſervare diligenter omnes, & quantum poterat vigilare, ne quid maleficii poſthac per imprudentiam admitteret.* Cum itaque *Leges Pœnitentiales* (liceat ſic loqui:) datæ ſint cum reſpectu ad *alias Leges*, quarum perfectam

a Exord. Com. in Levit. Cap. IV. apud de *Veilium* p. 313.

fectam observantiam Deus proprie in fœdere postulasse censebatur ut *medium obtinendæ vitæ*: à Judæis ab ipsis illis Legibus distinctæ fuerunt. unde factum, ut *Adversarii* Pauli illam *Exceptionem* præterierint.

XXIX. β. Qui *sacrificia pro peccato*, à se imprudenter commisso, offerebat, utique rogabat veniam peccati sui & necesse habebat confugere ad *gratiam Dei*, edita *peccatorum suorum confessione*: cujus formulæ in Hebræorum statutis habentur & inde à Viris Doctis frequenter excerptæ sunt. Sed qui eo devenerat, ut *gratiam Dei* necesse haberet implorare, utique is spe Justitiæ ex *Operibus* quærendæ jam exciderat. Sic enim Paulus [a]: Εἰ δὲ χάριτι, ὐκ ἔτι ἐξ ἔργων· *Si autem* GRATIA, *non amplius* EX OPERIBUS: ἔι δὲ ἐξ ἔργων· *Si autem* EX OPERIBUS, ὐκ ἔτι ἐςι χάρις· *non amplius est gratia.* Ubi itaque *Justificatio ex Operibus Legis* obtinet, ibi nullus locus *gratiæ*.

Est in eo confessio culpæ, & negatio Justitiæ propriæ.

XXX. γ. *Opera pœnitentiæ* multo commodius referuntur ad *actus fidei*, quam ad *Actus* sive *Opera Obedientiæ Legalis*. Egregius omnino & notabilis hic est Maimonidis locus in *Schegagoth* [a]: אין יום הכפורים ולא החטאת האשם מכפרים אלא על השבי׳ והמאמינין בכפרתם *Nec* SACRA *piacularia* DIEI EXPIATIONIS, *nec* SACRIFICIUM PRO PECCATO, *nec* SACRIFICIUM PRO DELICTO EXPIABANT QUEMQUAM, *nisi* RESIPISCENTES, & CREDENTES, *peccata sua per hac sacra expiatum iri.* Requirebant Hebræi in quoque offerente *pœnitentiam* & *fiduciam* in Divina Gratia. Quare certe hi *Actus pœnitentiæ* multum diversi habiti sunt ab illis *Actibus Obedientiæ*, quibus quis *absolutum* aliquod *Legis Divinæ præceptum* præstitit.

Opera pœnitentiæ recte referuntur ad Fidem.

XXXI. δ. Veteres Judæi ipsi opinati sunt, posse Israëlitam *absque Sacrificiis* suam coram Deo Justitiam consequi, & sacrificia ad *Justificationem* hominis parum omnino conferre. Maimonides quidem in *More* illam sententiam *aperte* propugnat [b], Deum *sacrificia* non instituisse על הכונה הראשונה *secundum primam intentionem*, sed in eo se accommodasse consuetudini sacrorum, illo tempore passim apud Gentes receptorum; & Abarbanel, qui alibi de iis pluribus pro Maimonide contra Nachmanidem disputat [c], producit ex postremis Cod. Menachoth non spernen-

Vett. Judæi statuerunt, hominem absque sacrificiis servari posse.

a Cap. III. §. X. b Part. III. Cap. XXXII. c Cap. IV. Exod. in Lev.

nendum dictum antiquiorum Doctorum: כל העוסק בתורה אינו צריך לו חטאת ולא עולה ולא אשם ולא מנחה QUISQUIS OPERAM DAT LEGI NON OPUS HABET SACRIFICIO PRO PECCATO, *aut holocausto*, *aut pro delicto*, *aut Munere*. Abarbanel sic de Maimonide ibidem loci: *Maimonides existimavit*, *preces*, *consecrationes*, *meditationem Legis*, *jejunia*, *supplicationes*, *fimbrias*, *phylacteria*, *schedas sacras adium postibus affigendas*, *& alias harum similes cærimonias & Religiones sanctas*, *constitutas esse* על הכוונה הראשונה *secundum intentionem primam* & *per se*; אמנם הקרבנות לא היו כן *sed cum sacrificiis rem secus habere*. Fœdus itaque Sinaiticum *absque sacrificiis* potuisset consistere, & nihilominus Deus perfectam ab Israëlitis cæterarum omnium Legum observantiam postulasset. Et nisi ego fallor, in *Repetitione Fœderis* & Legum Mosaicarum, quę continetur in *Deuteronomio*, nulla occurrit memoria *Sacrificii pro Peccato* & *Reatu*.

Denique, γ. per illa *Sacrificia* non poterat satisfieri Justitiæ Divinæ.

XXXII. Sed tandem 3. dicendum quod res est, Paulum summa cum ratione docere, *Sacrificia Piacularia*, secundum Mosaicam Legem Deo oblata ad impetrandam *ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν*, *vere* homini non potuisse hoc effectum præstare, quippe per quę satisfieri non poterat *Divinæ Justitiæ*. Sic ipse disertis & planis verbis [a]: *Nam quod Lex præstare non poterat*, *per carnem viribus suis privata*, *Deus suo ipsius Filio misso forma carnis peccatricis*, *& quidem* FACTO SACRIFICIO PIACULARI, *condemnavit peccatum in carne*. Clarissima est hujus loci sententia. Lex *operanti* pollicebatur *vitam*: nec tamen hoc præstabat effectum. Caussa ejus rei erat humanæ naturæ vitiositas, per quam nimirum fit ut homines *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου* explere non possint. Cum igitur omnes quotquot sunt mortales conscii sibi sint delictorum adversus divinam Legem commissorum: unica spes salutis ipsorum reposita erat in *sacrificio piaculari*, quod pro expiandis hominum delictis Deo offerretur, ut homines hoc veluti medio statui *Justitiæ*, quo exciderant, restituerentur, & cum Deo in gratiam redirent. Et vero Deus sub OEconomia Vetere instituerat *piaculares victimas*, præscripseratque Israëlitis earum offerendarum modum. Videbatur itaque in ipsa Lege Mosis huic malo paratum esse remedium: quod si Israëlita secundum præscriptum

a Rom. VIII. 3.

ſcriptum Moſaicæ Legis adhiberet, videbatur curſum *Juſtitiæ* ſecundum Legem perſequi potuiſſe. Imo ſane ita ſe res habuiſſet, ſi Lex Moſaica demonſtraſſet *Victimam Piacularem*, per quam debitum Divinæ Juſtitiæ ſolvendum *rite* potuiſſet expungi. Sed hic laborabat Lex Moſis. *Sanguis taurorum* & *hircorum* non poterat eſſe λύτρον, quo Deo ſatisfieret pro redimendis animabus Peccatorum. Ratio quemque conſiderati animi hominem facile poterat docere, vel nullum Deo ſolvendum eſſe pretium pro peccatore redimendo, vel præſtantius & Deo convenientius. Cum tamen ſatis conſtaret, Deum omnino nolle ut delicta Peccatorum reſipiſcentium expiarentur abſque *piaculari hoſtia*: nihil hic ſupererat niſi ut *agnito* legis *defectu* ad hominem *Juſtificandum*, ſive reſtituendum *Statui Juſtitiæ*, ſubſidium peteretur à meliore aliqua & digniore *victima peculiari*, quam Evangelium demonſtrat, h. e. *Chriſto Jeſu*, ſuam orte & cruciatibus Divinæ Juſtitiæ pro electorum Reſipiſcentium delictis ſatiſdaturo. Deficit itaque & laborat hac parte Lex Moſaica; & cum tranſgreſſori Legis indicare non poſſit *idoneum remedium expiandorum Peccatorum*, ſtabat utique ſententia Paulina, *Ex Operibus Legis nullam carnem coram Deo poſſe juſtificari*: ſimul infringebatur exceptio, quam Phariſæi Juſtitiarii ad ſententiam ſuam vindicandam potuiſſent producere. Unde defectus Legis.

XXXIII. Atqui hæc hactenus ſibi bene conſtant quod ad diſputationem, quam Paulus ventilabat cum *Phariſæis Juſtitiariis*. Sed ſi rem ipſam extra hanc diſputationem in ſe conſideremus: Meo judicio commode ad illas reſpondebimus objectiones, *ſi veram hypotheſin Fœderis Sinaitici* ab *imaginaria* Judæorum, qui Paulo adverſabantur, ſecernamus. Deus non videtur ab Iſraëlitis in Fœdere Sinaitico vel Moabitico poſtulaſſe *perfectam* numero & gradu *obedientiam*, ut conditionem vitæ: quod multi ex Phariſæis ſibi perſuadebant. Fœdus enim illud fundatum erat ſuper *promiſſione*. Sic autem *promiſſionem* turbaſſet & irritam reddidiſſet. Licet itaque rem ita concipere, quod Deus fœderatis ſuis, *ſalva promiſſione*, præſcripſerit cum Præcepto Amoris & Timoris Dei varias alias Leges cærimoniales, illi ſtatui rerum & temporis accommodatas, ut per quarum obſervantiam *fidem promiſſionum* exercerent *uſque ad tempus implementi*, & quot- Integrum & planum judicium de *Modo Juſtificationis*, qui obtinuit ſub OEcon. Vetere.

quot ante illud implementum morerentur, pervenirent *ad vitam æternam*. Quandoquidem autem illa humanæ naturæ & ipsorum quoque *credentium* infirmitas est, ut ad Leges Divinas perfecte observandas inepti sint: hinc cæteris suis Legibus Deus adjunxit *pœnitentiales*, per quas præstitas lapsi cum Deo in Gratiam redire possent. Qui autem se diligenter applicabant ad omnes illas Leges, quantum animi & corporis facultates sinebant, observandas, illi haud dubie à Deo ex *Lege* & *Operibus Legis Justificati fuerunt*. Non quasi in *Operibus suis* haberent perfectam Justitiæ & gloriationis caussam, sed quia in eorum Operibus inerat *argumentum fidei* ipsorum, absque quo Deo placitum non erat pro œconomia illius temporis credentibus *vitam* adjudicare. Imo *Opera* tum temporis constituebant *quasi materiam Justificationis peccatoris* una *cum fide*, cum Deus sub Novo Testamento *solam* postulet *fidem*. Quemadmodum itaque Nos dicimur EX *fide justificari* tanquam ex *quasi-materia* Justificationis nostræ: sic sub Vetere Testamento dicebantur Justificari EX *Operibus*, cum FIDE conjunctis & IN FIDE factis. *Fidei* tamen expressa mentio sæpe non occurrit, tum quia durante promissione *Fides* per se supponebatur manere, tum quia *Opera* tot præstabantur numero ut quasi absorberent *Fidem*.

Locus Pauli Rom. IX. 31. qui detegit rationem Justificationis sub Fœd. Sinaitico.

XXXIV. Huc omnino Paulus videtur tendere in hac Epistola Cap. IX. 31. *Israël persequens* νόμον δικαιοσύνης LEGEM JUSTITIÆ; i. e. doctrinam de obtinenda justitia coram Deo, *ad Legem Justitiæ non pervenit. Quare?* Ὅτι ἐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμε· *Quia non* EX FIDE, *sed* TANQUAM *ex Operibus Legis*. Si Israëlitæ Leges Mosaicas observassent *in fide*, justificati fuissent & justificari potuissent *ex Operibus illius Legis*, tanquam ex argumento fidei suæ, imo tanquam ex *quasi-materia* suæ justificationis. Absque iis enim Operibus non placebat Deo peccatorem illo tempore justificare. Sed illi, posthabita *fide*, omnem suam justitiam *ex Operibus* quæsiverunt & in *Operibus* constituerunt, fide prorsus neglecta, atque ita voluerunt *ex Operibus justificari* TANQUAM *ex Operibus*: quod Divino consilio & veris rationibus *Fœderis Sinaitici* adversabatur.

Verba Deut. VI. 20. exposita.

XXXV. Quod itaque dicitur Deut. VI. 20. JUSTITIA *erit nobis, si observaverimus* FACERE OMNE HOC PRÆCEPTUM; &c. sic inter-

interpreteris, quod Judæi in ſincera obſervantia Legis Moſaicæ haberent argumentum & quaſi-materiam ſuæ juſtificationis; certi quippe, actum Divinæ Juſtificationis illam ſuam ſinceram Moſaicarum Legum obſervantiam certo conſequuturum, & Deum ex illa obſervantia de *fide* illorum judicaturum eſſe.

XXXVI. Sic pariter intelligas *gloriationem Iſraëlitæ* Deut. XXVI. 13, 14. Deus non eſt auctor gloriationis falſæ. Quare putandum non eſt, Deum docuiſſe Iſraëlitas gloriari perfecta & omnibus numeris abſoluta obſervantia mandatorum ſuorum. Docuit itaque Deus illos gloriari de *obſervantia ſincera*, quam *Juſtificatio*, interveniente gratia propter ſponſionem Chriſti, certiſſime conſequeretur. Ut & Deut. XXVI. 13, 14.

XXXVII. Non ſecus res ſe habet cum *Zacharia* & *Elizabetha*, Luc. 1. 6. *Erant ambo* δίκαιοι ἐνώπιον τῦ Θεῦ JUSTI CORAM DEO, quia *Moſaicam Legem ſincere* & *integro* animo, pro facultatibus viribuſque ſuis, obſervabant. Sed cave credas, *juſtos illos fuiſſe coram Deo* ſecundum vigorem Judicii & Juſtitiæ Divinæ. Sic enim David nullum inter mortales coram Deo juſtum eſſe, aperte declaraverat. Sed *juſti erant coram Deo*, ſecundum Judicium gratiæ & veram hypotheſin Sinaitici Fœderis, quippe Legem Moſaicam totam *ſincere*, integro animo, & *in fide* obſervantes. Quod enim Zacharias non fuerit immunis à peccato & vitiis ac exacte *juſtus coram Deo*, liquet ex ejus *incredulitate*. Atque ita tandem videmur ſcopulos omnes evaſiſſe & in tuto collocati cum veritate. Exemplum Zachariæ & Eliſabethæ, Luc. 1. 6.

CAPUT XII.

NOMEN & NATURA Arboris Scientiæ BONI & MALI, *cujus fructu Deus Primis humani generis Parentibus interdoxit, inveſtigantur; evinciturque poſt excuſſas alias* Nominis *hujus Arboris interpretationes*, Scientiæ Boni & Mali Arborem *ſecundum Hebrææ Linguæ uſum dicendique conſuetudinem id ipſum eſſe quod nos appellaremus* ARBOREM PRUDENTIÆ.

Arbor Scientia boni & mali objectum contemplationis meritiſſimum.

ANimadverſionem haud dubie ſingularem meretur Arbor illa, à qua fortunas Parentum noſtrorum Deus in Paradiſo ſuſpendit. Quicquid enim malorum & miſeriæ humano generi nunc incumbit, ex contumacia primorum hominum in violando Divino Interdicto, de illius fructu edito, profectum eſt. Impendamus itaque huic *Arbori* propius cognoſcendę aliquantum laboris. quod ut rite & feliciter nobis ſuccedat, ſtatutum eſt inquirere *primo* in rationem NOMINIS, quo à Moſe inſignitur; *Dein* in *Arboris* illius NATURAM & *accidentia*; poſtea conſiderare INTERDICTUM, de ea datum, *illiuſque* indagare RATIONES; *denique*, cum *Paradiſus* & *Paradiſi* inſtrumenta omnia ſint ἀλληγορȣ́μενα, modeſte inveſtigare, quid per hanc *Arborem*, quæ *Scientia Boni* & *Mali* dicitur, PRÆFIGURATUM fuerit.

Nomen *Arboris*.

II. NOMEN hujus *Arboris* ſemel iterumque à Moſe traditur עץ הדעת טוב ורע ARBOR SCIENTIÆ BONI & MALI[a]. Id vero quid ſibi velit, & qua de cauſſa huic arbori impoſitum ſit, apud Moſen explicatum non reperitur, ac propterea variis ſubjectum interpretationibus eſt, quarum obvias recenſere &, veritatis cauſſa, examinare non pigebit.

Antiqua & vulgata hujus Nominis expoſitio.

III. Antiqua illa quidem & vulgata hujus denominationis expoſitio ſic habet, *Arbori* hoc à Deo impoſitum eſſe nomen per πρόληψιν, à *conſequente eventu*; *quod*, nimirum, ut Muyſius ſcribit[b], *ejus guſtato fructu intellecturi eſſent Adam & Eva, quot & quanta ſe in mala poſteroſque ſuos miſeri conjeciſſent, quotque*

a Gen. II. 9. 17. b In Variis Sacris.

que & quantis à bonis excidissent. Nicolaus de Lira: *Doctores Catholici rationem nominis petunt ab* EVENTU CONSEQUENTE, *quia per esum illius ligni homo* EXPERIMENTALITER COGNOVIT, *quanta eßet distantia inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ.* Præclari multi nostri temporis Theologi, quorum nomina veneror & venerationis caussa in hac dissertatione, ubi ab illis in quibusdam dissentire cogar, prætermittam intacta, eandem hanc expositionis rationem sequuti sunt. Observandum tamen, Doctos illos Viros, qui huic explicationi patrocinantur, in duas secedere partes. Sunt qui existimant, hanc Arborem jam *ante lapsum hominis* per πρόληψιν à Deo ipso sic fuisse nuncupatam, relate nimirum ad id, quod deinceps *eventurum* erat; sunt, qui arbitrantur, Arborem *post lapsum hominis* demum hoc nomine fuisse notatam à Mose, quando jam ipso comprobatum erat *eventu*, quantis homo per esum fructus illius excidisset bonis, & in quanta se conjecisset mala. Muysius quidem pro priore illa sententia sic scribit diserte; Deus *arborem scientiæ boni & mali ab eventu potius* PER PROLEPSIN *appellarat:* & putem plerosque nostri ævi Doctores huc tendere, licet eorum aliqui, quos inspexi, mentem suam circa notatam hanc explicationis differentiam, quę tamen nonnullius momenti est, perspicue non exponant. Sed Rivetus, doctus & passim judiciosus Divini Verbi Interpres, exerte probat *posteriorem* illam interpretationem, in suis in *Genesin Exercitationibus.* *Quemadmodum*, inquit[a], *qui medicus est, theoretice vim morbi & sanitatis bonum cognoscit, in morbum delapsus, amissa sanitate, nova quadam ratione, per experientiam bonum sanitatis & malum morbi cognoscit.* NON EST AUTEM NOVUM, REM ALIQUAM AB EVENTU NOMEN SORTIRI IN SCRIPTURA, ET ALIQUANDO ETIAM SIC VOCARI, CUM DE EA AGITUR, ANTEQUAM HIC EVENTUS ACCIDERIT, PER PROLEPSIN, *quomode* Gen. XXI. 14. *Hagar versabatur per desertum* Beersebah, *quod nomen narratur postea* ℣. 31. *inditum fuisse ei loco. Eodem modo* DICTA EST ARBOR SCIENTIÆ BONI ET MALI, *quomodo* POST EVENTUM NOMEN SORTITA VIDETUR. Sentit igitur Rivetus, *Arborem* hanc, *Scientiæ Boni* & *Mali* dictam, hoc nomen non tulisse ante lapsum, sed demum post lapsum ab *eventu* sic esse appel-

Plurium consensus; qui tamen rem bifariam accipiunt.

Utrorumque sententia exposita.

Riveti sententia.

Qqqqqq 3

a Cap. XVIII. pag. 74.

appellatam, sive ab Adamo sive à Mose; & in textu Mosis, *Capite secundo Geneseos*, sic vocari per πρόληψιν. Et, ni fallor, huc quoque vergunt, quę Celebris nostri ævi Theologus, Riveto eruditione par & judicio, ad idem hoc nomen commentatus est. *Ut rectius illi conjiciant*, inquit, *qui eam ita dictam volunt, vel ratione probationis, vel*, POSTEA POTIUS AB EVENTU· *cum homo, capto experimento, quod bonum malumve esset, ipso usu intelligeret, & tanto felicitatis fastigio excussus, jam tandem in quanta miseria abysso versaretur, agnosceret.*

Rationes quibus refelli tur. a. τὸ *Scire* in hac phrasi exponi nequit de *Scientia experimentali*.

IV. Sed vero utraque illa sententia, quatenus in eo consentit, ut ratio hujus denominationis deducatur ab *eventu*, non levibus, ut mihi quidem videtur, gravatur incommodis. Etenim 1. Phrasis Hebræa; ידעת טוב ורע SCIRE BONUM & MALUM, probe inspecta, non videtur pati ejusmodi interpretationem, qualis in illa explicatione supponitur. *Scire Bonum* & *Malum* secundum Interpretes illos tantundem sonat ac *experimento cognoscere, quid sit Bonum & Malum.* Et si phrasin in se spectes, nihil adeo videtur obesse, quominus hanc interpretationem recipiat, quia vocabulum ידע sæpe in Scriptura notat *cognitionem experimentalem*, & quidem in ipsa hac historia Mosaica *Gen*. III. 6. verum si *usum phrasis* in aliis Scripturę locis consideres, ad quod Interpreti vel maxime attendendum est, deprehendes, illam *stylo Biblico* prorsus aliud sonare. *Scire* sive

Scire bonum & *Malum* notat *Scientiam discretivam*, in perfectione intellectus fundatam.

Cognoscere Bonum & *Malum* stylo Biblico notat *Boni* & *Mali*, *Recti* & *Pravi*, *naturam cognitam* & *exploratam habere*, & judicium secundum illam notitię facem sic componere, ut quis *bonum eligat* & *malum vitet*; bono adhæreat & à malo se quam longissime separet. Hanc utique & non aliam admittit interpretationem in *Cap*. III. 4. in sermone Diaboli ad mulierem: *Nam novit Deus, quo die comederitis, apertum iri oculos vestros*, והייתם כאלהים ידעי טוב ורע *Et vos futuros* UT DEOS (Deum:)

Adstruitur ex cap. III. 4.

COGNOSCENTES BONUM ET MALUM. Deus utique non *cognoscit bonum &* MALUM cognitione experimentali, sed Deus hoc sensu *cognoscit Bonum & Malum*, ut Boni Malique naturam quam clarissime & accuratissime cognitam ac exploratam habeat, atque adeo, quę summæ ejus perfectionis pars est, bono quam constantissime adhæreat, & omne malum aversetur ac fugiat: cujus

cujus ſtatus conſequens eſt ſumma beatitudo & felicitas. Sic Diabolus hanc phraſin à muliere intellectam voluit; ſic illam intellexit mulier. Imo ſi hæc phraſis, ut à Diabolo adhibita eſt, aliam admiſiſſet interpretationem, minime apta fuiſſet ad Diaboli tentantis ſcopum. Scit enim omnis homo, & ſcivit mulier, per rationem, Deum, ens ſanctiſſimum & beatiſſimum, *bonum & malum* non *cognoſcere experimentaliter*, ut ajunt, & *cognitionem* ejuſmodi *experimentalem Mali* tam repugnare naturæ Dei, quam Bonum Malo. Si igitur mulier phraſin hoc ſenſu potuiſſet interpretari: ſimul etirm intellexiſſet, Spiritum tentatorem blaſpheme de Deo loqui. Imo cum Diabolus hanc Boni Malique Scientiam proponat ceu nobiliſſimam Divinæ beatitatis portionem, ad quam eandem perfectionem inordinate concupiſcendam mulierem impellebat, & cum mulier per hanc ipſam tentationem vere inflammata ſit inordinato deſiderio illius beatitatis, quæ in *Scientia Boni* & *Mali* conſiſteret: liquet, mulierem per illam Boni & Mali Scientiam non intellexiſſe *cognitionem experimentalem Boni & Mali*, ſed *theoreticam* cum σχέσει ad *judicium* ejus, cujus perfectio ſit Boni & Mali, Recti Pravique cognitam habere Naturam. Atque eodem hoc ſenſu phraſis illa pariter ſumitur in ℣ſ. 22. ubi Deus per εἰρωνείαν ad vanas illas ſpes, quas homo ſibi ex leviſſimis & nullis ſtruxerat fundamentis, dicitur *dixiſſe: Ecce homo factus eſt ut unus ex nobis*, לדעת טוב ורע *ad* COGNOSCENDUM BONUM ET MALUM. Εἰρωνεία id ſupponit, hominem ab illo ſtatu *cognitionis Boni & Mali*, quæ Divinæ beatitudinis partem conſtituebat, nunc eſſe remotiſſimum, cum tamen ſecundum communem illam interpretationem hoc tempore *bonum & malum omnino cognoviſſet*; nunc nimirum expertus, quanto excidiſſet bono, & in quantum malum ſe dediſſet præcipitem. Verum ne quis criminetur aut excipiat, Diabolum phraſi *cognitionis Boni & Mali* in ſua ad mulierem oratione abuſum eſſe, & *nomen Arboris* ſic dictæ perverſe contra intentionem Dei apud mulierem eſſe interpretatum, atque adeo ex illo ſermone Diaboli veram vim hujus phraſis intelligi non poſſe: (etſi illam exceptionem jam occupavimus:) en clariſſimum locum *Deut.* 1. 39. in quo uno hanc phraſin præter loca modo allegata notavi: *Et quod attinet ad*

Et cap. III. verſ. 22.

Parallelus locus Deut. 1. 39.

net ad parvulos vestros, de quibus dixistis, spolio erunt; ובניכם אשר לא ידעו היום טוב ורע *Et* FILIOS VESTROS, QUI *hodie non* COGNOSCUNT BONUM ET MALUM, *illi eo venient.* Quid hic *cognoscere bonum & malum?* Utique Boni ac Mali naturam cognoscere & judicium secundum illam cognitionem ita dirigere, ut *bonum eligas* & *malum reprobes.* Apud *Jesaiam* id eleganter sic effertur[a]; דעת מאוס ברע ובחור בטוב SCIRE REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM. Alibi[b]; שמוע הטוב והרע AUDIRE BONUM & MALUM. h. e. Orationem prudentia ac ratione instructam ab imprudente & inficeta posse discernere. quod *Judicii* est. Deus apud *Jonam* simili phrasi de infantibus ait[c], אשר לא ידעו בין ימינם ושמאלם *Illos inter dextram & sinistram* NESCIRE, id est, nescire distinguere & discernere judicio recto & libero.

'Ιστοδύναμα. (margin)

β. Primi homines dici nequeunt *bonum & malum experimentaliter* scivisse.

V. 2. Ut phrasis, *Scire Bonum & Malum*, quantum mihi liquet, stylo Biblico non denotat *Boni* ac *Mali cognitionem experimentalem:* sic, si ad rem ipsam animum probe advertamus, non videtur de *hominibus lapsis* ex vero dici posse, eos *Bonum & Malum scivisse.* Homo lapsus utique à statu integritatis & qualiscunque beatitatis dejectus fuit in *statum miseriæ* & calamitatis, & *peccato*, quod maximum malum est, in servitutem mancipatus est. quo sensu commodo igitur illo in statu dicetur vel concipietur *experimento cognoscere* vel *cognovisse Bonum? Malum* certe *experimento* tum didicit *cognoscere* tam turpe quam triste. Quid sit *peccatum*, quanta illius vis, quam pudenda & dolenda illius effecta: id vero, fateor, homo magno suo incommodo per *experimentum* post lapsum *cognovit.* Sed, cum *à bono* præceps detrusus sit in profunda variarum calamitatum; cumque à *vero bono*, Dei amore, communione, ac à vera lætitia per peccatum prorsus sit alienatus & fuisset in omnem æternitatem, nisi Deus misero tulisset opem: quo, inquam, commodo sensu concipiam, illum tum *experimento cognovisse Bonum?* Ex opposito, dices; cum jam ante *expertus fuisset bonum*, quandiu perstitit in integritate, & jam à *bono* delapsus esset ad *malum*, mali nunc sentiens vim & expertus consequentia, simul etiam experimentali cognitione assequutus est præstantiam & utilitatem *Boni.* Verum hæc, etsi cum aliqua dicantur specie, non

Quod clare & pluribus ostenditur.

a Cap. VII. 15. b 2 Sam. XIV. 17. c Cap. IV. 11.

non existimo rigidum ferre posse examen, si probe excutiantur. *Scire* aliquid *experimento* supponit *experimentum illius*, quod scitur. Illud autem *scire experimento*, si præsenti alicui statui alligetur: supponit *præsens experimentum* illius, quod eo modo sciri dicitur. Si igitur *Adam post lapsum* demum dicatur *scivisse bonum & malum*, consequens est, ipsum post lapsum tam bonum quam malum expertum fuisse: cum tamen, ut satis constat, post lapsum solummodo *expertus* fuerit *malum*, non *bonum*. *Malum* cognovit post lapsum experimento; & illius magnitudinem mali potuit æstimare ex comparatione *Boni*, quo se privatum esse cognovit, atque adeo *differentiam mali* à *bono* per peccatum didicit: sed proprie & accurate loquendo ipsum *Bonum* scientia experimentali post lapsum non cognovit.

XI. Has rationes in genere oppono sententię, quę denominationem hujus Arboris explicat per πρόληψιν, & denominationis rationem arcessit *ab eventu*. Verum superest aliud, quod in illa notem interpretatione, quę rationem denominationis hujus arboris non tantum petit ab eventu, ut Rivetus, sed præterea supponit, ipsum hoc nomen *arbori* huic relate ad eventum probationis futurum AB IPSO DEO *jam ante hominis lapsum* fuisse inditum; quam nos sententiam, plurimis receptam Interpretibus, proposuimus verbis Muysii. Certe velim scire, cui usui, & quem in finem id nomen huic *arbori* eo sensu, quo volunt Interpretes, à Deo ipso inditum fuerit? An ut homo inde colligeret futuram suam miseriam & calamitatem? Sed quomodo conveniat Divinę Sapientię aliquam arborem facere materiam explorandę hominis obedientiæ, & simul futuram hominis miseriam per illius Arboris denominationem præsignificare? Vel, an dicemus, Adamum & Evam vim illius denominationis ante lapsum non intellexisse? Id unum enim ad vitandum τὸ ἄτοπον hujus sententiæ dici posse video. Verum si Deus rationem denominationis ab hominibus ante lapsum ignorari voluit: quare igitur Arborem hoc nomine donavit? Utique enim id non sui, sed hominum caussa fecisse, clarum est. Sed quid inde usus & emolumenti ad homines, si rationem nominis iis simul in Paradiso tectam esse voluerit? Si quis autem existimet, sufficere, ut homo demum *post lapsum* rationem &

Sententia Riveti seorsim excutitur.

Rationes, quæ eam minus probabilem faciunt.

Quæritur itaque, an vere in fructu hujus arboris fuerit vis perficiendi intellectus?

XI. Quod itaque ad *prius*: *Arborem Scientiæ Boni & Mali* sic à Deo dictam esse, quod insita quædam illi fuerit *virtus physica* hominis ingenium excitandi, ejusque prudentiam & solertiam augendi ac consummandi: illa quidem inter Hebræos Doctores antiquos prævaluit opinio, quam ex *Onkelosi* & *Hierosolymitana Paraphrasibus* licet repetere. Sic Onkelos: ואילן דאכלי פירוהי חכמין בין טב לביש *Et Arborem*, CUJUS FRUCTUS MANDUCANTES DISTINGUUNT INTER BONUM ET MALUM. Targum Hierosol. ואילן דעתה כל כן דאכל מגירה כפריש בין טב לביש *Et Arborem Scientiæ, de qua qui comedit discernit inter bonum & Malum.* Nec aliud voluisse videtur Josephus, quando hanc Arborem vocat φυτὸν τῆς φρονήσεως, ᾧ διαγινώσκοιτο, τί τε εἴη τὸ ἀγαθὸν καὶ τί τὸ κακόν· *Plantam* PRUDENTIÆ, *qua dignosceretur, quid bonum esset, quid Malum*[a]. Imo deinceps expresse ait; τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητος & διανοίας ὑπῆρχεν· *Arbori enim acuminis & poliendæ rationis* VIS INERAT.

Vett. Judæorum sententia.

Ἐπίκρισις ad hanc sententiam. Non absurdum est statuere, esse aliquid in fructu arboris quod valeat ad perficiendum intellectum.

XII. Certe non difficilis admitto, fieri posse, ut *Arbor* à Deo donetur *virtute* ingenium humanum acuendi & judicii solertiam promovendi, quatenus illius arboris fructus propter arctissimum corporis cum mente commercium idoneus esse posset per naturam *animales*, qui dicuntur, *spiritus* abundantiore producere copia, ut mentem singulari modo excitarent, & illi in operationibus ingenii ac judicii succurrerent. Id quidem qui fiat, nobis adeo expositu facile non est: sed fieri posse ob admirandum illum mentis & corporis nexum, cujus alia similia & non minus stupenda effecta quotidie animadvertimus, persuasi sumus. Hac igitur parte illam sententiam refellere non aggrediar. Nec sequeretur etiam inde, quod contendit Rivetus, *omnes horti arbores* hoc sensu *potuisse Scientiæ Boni & Mali appellari*. Nam etiamsi secundum ipsum *par sit credere*, *Deum*, *qui ad usum hominis in statu integritatis constituti arbores illas creaverat*, *eis etiam talem vim & succum indidisse*, *quo hominis innocentis corpus non gravaretur*, *sed alacrius esset ad omnes suas functiones*, & *per consequens organa sensuum aptissima ad animæ motiones*: nihilominus tamen quis neget, pro varia Arborum indole & atque ingenio hanc magis quam aliam valuisse ad singulares illos fines,

a Ant. Lib. 1. Cap. 11.

nes, quos Deus in illis producendis intendit? Sua certe cuique fuit indoles, suum ingenium, & indoli ac naturæ convenientes usus privi & peculiares. Sed alia sunt, quę mihi in hac sententia Josephi ac Talmudistarum displicent. Et quidem, 1. Rationem non video, quare Deus hominibus interdixisset usu *arboris*, cui insita erat vis perficiendæ mentis. Certe cum in homine sit naturale & rectum desiderium res multas ac varias intelligendi, & quid in illis bonum quid malum judicio suo discernendi, atque hoc exercitio tam mentem quam conditionem suam perficiendi; & cum nullam justam percipiamus subesse caussam, cur Deus homini hujus suæ facultatis usum, imo cur ipsi hujus suæ ratiocinandi & judicandi facultatis perficiendæ occasiones & media denegasset, & non omnia illa ipsi ultro concessisset ac suppeditasset: qua ratione statuemus, illius fructum *Arboris* homini à Deo esse negatum, qui inter omnes alios fructus, si hæc hypothesis obtineat, illi maxime fuisset concedendus? Repeto brevius: quare Deus homini in statu integritatis negasset *prudentiam?* quare instrumenta & media prudentiæ augendæ ac consummandæ? & quidem maxime, cum *arbor* (secundum hypothesin:) tali ab ipso Deo virtute fuerit donata, & in illum usum instructa? 2. Si Deus *Arborem* produxisset, cui insita fuisset vis hominem prudentiorem efficiendi, & interea tamen illius *Arboris usu & fructu* homini interdixisset: eo ipso hominem fortissime incitasset, imo dicere liceat, *tentasset* ad præcepti transgressionem. Cum enim in *Sapientia*, & *Prudentia* vere consistat summus humanæ perfectionis gradus, & homo sic factus sit natura, ut ad illum suę perfectionis gradum anhelet: utique clarum est, non potuisse homini præscribi Interdictum de vitando fructu *arboris*, ad rationis usus perficiendum aptæ, absque quo homo per ipsam suam naturam ad ejusmodi Interdictum transgrediendum stimularetur. Quis vero crediderit, Deum voluisse hominem obligare ad observantiam præcepti, perfectioni ejus, quam natura sua ardentissime expetebat, adversissimi, atque adeo magni tentationis instrumenti? Deus neminem tentat ad malum. 3. Si vere *Arbori* infuerit virtus producendæ & generandæ *rationis & prudentiæ*, eaque hanc suam virtutem in homine, qui de fructu

Et sunt tamen quæ huic sententiæ obstant.

illius edit, exeruerit: utique homo per transgressionem hujus Interdicti perfectior evasisset & consummatior. quod absurdum & rationi contrarium.

Sententia Maimonidis, huic affinis.

XIII. Sic simul etiam cadet sententia Maimonidis [a], huic valde affinis. Putat ille, in Arbore hac infuisse Virtutem physicam in homine producendi *sensum decori* & *indecori*: quo sensu homines in *statu innocentiæ* caruisse, existimat. *Decorum* autem & *indecorum* cum stricte etiam appellari soleant *honestum* & *turpe*: putat, hunc *sensum decori* & *indecori* recte dici *Scientiam Boni* & *Mali*. Inter Christianos vidi huic sententiæ favere Curcellæum [b]. *Quando autem homo*, inquit, *adhuc extitit in integritate & perfectione sua, mentis inprimis & intellectus, tum nulla plane erat in eo facultas utendi sensibilibus, vel ea apprehendendi. Id enim, quod inter* EA QUÆ MANIFESTE IN SENSUS INCURRUNT, MAXIME TURPE EST, *Revelatio nempe nuditatis, ab ipso nullo modo turpe habebatur, suamque propriam turpitudinem ipse non cognovit, &c.* BONUM & MALUM, ait, *cujus cognitionem afferebat ista arbor, erat* DECORUM & INDECORUM; *nempe* DECORUM *esse homini* NUDITATEM *suam* TEGERE, INDECORUM *contra*, NUDUM INCEDERE, QUOD ADAMUS ET EVA INFANTIBUS SIMILES IGNORABANT. *Talem enim scientiam eos arboris istius usu adeptos esse, historia docet. Nam statim ipsos* nuditaris suæ puduit, *& consuerunt folia ficus, unde fecerunt perizomata.* Maimonides ad hypothesin suam comprobandam eundem allegat locum [c], additque; *Indicatur, rem quandam in homine ortam esse, qua turpe in se agnoverit id, quod antea nullo modo turpe habebat.* Verum observari hic velim, 1. *Scire Bonum & Malum* juxta phrasin Scripturæ non proprie denotare *cognitionem & discretionem decori & indecori*, (etsi illam includat:) sed discretionem *honesti & turpis*, quatenus *honestum* cum *Bono Jucundo*, & *turpe* cum *Malo Tristi* conjunctum est, notatque electionem *mediorum*, quę ad *beatitatem* consequendam & ad calamitatem ac infelicem miseramque vitam vitandam ducunt. *Scire Bonum & Malum* est effectus Virtutis, quam Græci φρόνησιν & Latini *Prudentiam* dicunt, *rerum expetendarum fugiendarumque scientiam*, ut auctor est Cicero [d]; quam alibi ait, *locatam esse in dele-*

Et Curcellæi.

A quibus pariter disceditur ob varias rationes.

Prudentia virtus in quo consistat:

a More Nev. Part. 1. Cap. 11. b Instit. Theol. Lib. III. Cap. XIII.
c Gen. III. 7. d De Offic. Lib. I. Cap. XLIII. Lib. III. Cap. XVII.

delectu bonorum & malorum. Sane *Decorum* & *Indecorum* sunt subtilissima & ultima pars *honestatis*, atque adeo omnium minime cum *Bono Jucundo* & *Malo tristi* connexa, ac proinde minimum quoque & ultimum prudentiæ objectum. Quare non videtur *Scientiam decori & indecori* augusto hoc titulo *Scientiæ Boni* & *Mali* à Deo aut Mose esse notata. 2. *Omnem* veram *decori* & *indecori scientiam* procedere ex *ratione*, ut proin falso supponi, homines primos illam *decori* & *indecori scientiam* consequutos esse aut consequi potuisse per *Arborem, Scientiæ Boni* & *Mali dictam*. Eorum aliqua, quæ nomen τȣ͂ πρέποντος sive *Decori* gerunt, introducta sunt per consuetudinem; sed quibus hoc nomen ex vero datur, reducenda sunt ad *rationem* & *conscientiam*, ceu fontem atque principium τȣ͂ καθήκοντος & πρέποντος, omnis *honesti* & *decori*, omnis *turpis* & *indecori*. Cicero quidem in iisdem illis de *Officiis Libris*, unde jam aliqua enotavi, *Decorum* fere spectari vult ut *complementum honesti*. *Sequitur* (inquit[a]) *ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ temperantia, & modestia, omnisque sedatio perturbationum animi & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine* DECORUM *potest: Græce enim* πρέπον *dicitur. Hujus vis ea est, ut ab* HONESTO *non queat separari. Nam & quod decet honestum est, & quod honestum est decet. Qualis autem differentia sit* HONESTI *&* DECORI, *facilius intelligi, quam explanari potest.* Rationem autem cum *natura* habuerit homo: falsum erit, *Scientiam Decori* & *Indecori*, quę consequens est Rationis, adeptum illum esse per *Arborem Scientiæ Boni* & *Mali*. 3. *Scientiam Decori* & *Indecori* haud dubie facere ad perfectionem mentis humanæ, quæ sic juxta hanc hypothesin per Interdicti Divini transgressionem redderetur & reddita fuisset consummatior. Id autem nimium quantum à vero & probabili ratione abludit. Etenim homo per Interdicti transgressionem miser evasit & infelix. Verba vero Mosis, à Maimonide & Curcellæo producta, quibus dicitur, *hominum oculos* post transgressionem præcepti *apertos esse*, & *ipsos cognovisse*, *se nudos esse*, neutiquam arguunt, homines primos tum demum consecutos esse *notitiam decori* & *indecori*, sed tum omnium primo homines quid in se *sensisse*, quod sibi

Decori & *indecori* scientia est consequens rationis.

Verba Ciceronis.

Facitque ad mentem perficiendam.

a Lib. 1. Cap. XXVII.

ſibi *decorum* putarunt, & quod ante illud tempus in ſe experti non fuerant. *Decori* itaque illam & *Indecori ſcientiam*, qua natura imbuti erant, nunc per *rationale judicium* omnium primo applicarunt *indecoro* illi membrorum *motui*, quem in ſe experiebantur. Hic verbis ſubeſt ſenſus, qui præcedentes noſtras rationes non modo non turbat, ſed & confirmat.

Dicta eſt *Arbor Scientiæ B. & M.* ſive Prudentiæ, quod ex ordinatione Divina illius eſſet *cauſſa moralis*.

XIV. Nihil igitur reſtat, niſi ut dicamus, *Arborem* hanc dictam eſſe *Scientiæ Boni & Mali*, ſive *Prudentiæ*, quia ex inſtituto Divino *Prudentiæ* eſſet *Cauſſa Moralis*: hoc eſt, homines tum *doceret Prudentiam*, tum *Prudentiæ* eorum *exercendæ objectum* eſſet. Prudentiæ eſt סור מרע recedere a malo [a]. Hanc ut homines diſcerent, ſive potius circa hanc arborem exercerent, hanc ipſam *Arborem* Deus in Paradiſo produxit. Ferebat enim *fructum*, homini ſive natura ſive ex Divino inſtituto *noxium*, qui ipſi cauſſa eſſet mortis. *Prudentiæ* eſſet hominis ſibi ab hoc fructu cavere. Erat autem operæ pretium homini *Prudentiæ* ſuæ exercendæ occaſionem præbere; tum quia Virtus illa eſt omnium aliarum præſtantiſſima, & earum veluti complementum; tum quia Deo propoſitum erat hominem in *Paradiſo* tentare, ejuſque in ſe affectum & obedientiam explorare. In appellatione ipſa nihil eſt παράδοξον. Potuit enim Arbor recte *Prudentiæ* vocari, quæ erat & ex inſtituto Dei eſſet *Prudentiæ Magiſtra*, & illius tam *Cauſſa Moralis*, quam *Objectum*. fere eadem ratione qua Abderitæ *Democritum* vocarunt φιλοσοφίαν, teſte Æliano [b], & *Protagoras*, ut ex Laërtio notum, dictus eſt σοφία [c]; ipſi nimirum *Sapientiſſimi* Viri, & Sapientiæ optimi *Magiſtri*. Vel, ut *oculus* in Sacris ſumitur pro *oculi objecto* [d], *Jeſus* pro *Doctrina de Jeſu* [e]; & *Ignis* apud Poëtam, pro *Amoris* objecto, *Meus ignis Amyntas* cujus generis exempla petas licet ex Glaſſio [f]. Sed hac de re, ubi de *ſymbolo* hujus Arboris agemus, nobis prolixius & copioſius erit diſſerendum.

Exempla ſimilis loquutionis.

De *Natura* & *Accidentibus* hujus Arboris pauca apud Moſen.

XV. Hactenus igitur de Nomine. De Natura autem & *Accidentibus* hujus Arboris, de quibus *Secundo* loco ſecundum ordinem præſcriptum agendum erat, perpauca apud Moſen legun-

a Job. XXVIII. 28. b Var. Hiſt. Lib. IV. Cap. XX. c In Protag. Lib. IX. Segm. 50. d Zach. IV. 6. e 2 Cor. XI. 4. f Rhet. Sacr. Tract. I. Cap. III.

guntur. Videamus tamen, quænam illa sint. 1. De *Natura* quidem sive *Qualitate* Arboris in genere dicitur [a], fuisse eam טוב למאכל BONAM AD ESUM: תאוה לעינים OCULIS VALDE CONCUPISCIBILEM; ונחמד להשכיל *&* DESIDERABILEM AD CONSEQUENDUM INTELLECTUM. Ex qua periphrasi liquet, Arborem illius fuisse ingenii ut *fructum* tulerit aspectu gratissimum & multa homini de interna sua virtute & usus sui jucunditate promittentem. Quorum cum nihil in *ficu* reperiatur, nescio quid Veterum multis in mentem venerit, ut hic de *ficu* cogitaverint. Certe si conjecturis hic indulgere liceat, tametsi per illas nihil certi in hoc casu proficiamus: multo majore cum specie hic cogitaremus, ut mea quidem fert opinio, de famosissimis illis *Pomis Persicis* vel *Medicis*, quę *Aurea* dicuntur *Mala* à Virgilio [b]: An ficus?

AUREA *dura*
MALA *ferant quercus.*

Aurea mala Poëtæ quæ & qualia?

Nisi quod non nesciam, *Aurea* quoque *Mala* apud Virgilium venire pro *Malis aurei coloris* [c].

Quod potius puero Sylvestri ex Arbore lecta
AUREA MALA *decem misi.*

Quæ eadem alibi ab ipso *felicia* dicuntur [d].

Media fert tristes succos, tardumque saporem
FELICIS MALI, &c.

Citreum Malum, quod idem *Persicum*, *Medicum* & *Assyriacum* dicitur, à Virgilio innuitur. *Citreum* vero *colorem* à Veteribus *aureum* esse dictum & cum *auri colore* comparatum, probavit Salmasius [e]. Facile tamen eidem Viro Docto damus, *Aureorum* illud *Malorum* nomen propriissime dari *Aurantiis* nostris, quippe quę vere sunt *coloris aurei*, cum *citrea* vel *citrones* sint *flavi dilutioris*. *Aurantium* vero dictum antiquis est *Hesperikum*. Sed Veteres *Citrea* & *Aurantia* frequentes confuderunt, & *iisdem* nominibus *Persici* & *Medici mali* designaverunt; de quo à Salmasio fuse disputatur. Vix est ut dubitemus, quin *Citreis* vel *Aurantiis* in summa emphasi competant, quæ Moses de exteriore specie fructus *Arboris* illius *Scientiæ Boni & Mali* refert. Et cum *Paradisus* prope illa fuerit loca, imo in ipsis illis locis, in quibus Salmasii de iis judicium.

S s s s s s harum

a Gen. III. 5. b Eclog. VIII. vers. 52. c Eclog. III. 7. d Georg. Lib. II. vers. 126. e In *Solinum* p. 671.

harum proventus fuit *Arborum* & *fructuum*, ut nunc post eruditissimi Huetii labores certius clariusque intelligimus; nemo peccat qui de ejusmodi aliquo arboris genere hic cogitare ausit: etsi stultum sit in re incerta certi quid velle definire.

Sita fuit in medio horti.

XVI. 2. De hac *Arbore* notavit Moses, sitam eam fuisse *in* MEDIO HORTI. Sic habent verba[a]: *Et fecit germinare Deus ex terra omnem Arborem desiderabilem aspectui, & bonam esui,* ועץ החיים בתוך הגן ועץ הדעת טוב ורע *&* ARBOREM VITÆ *in* MEDIO HORTI, *&* ARBOREM SCIENTIÆ BONI ET MALI. Duæ igitur *Arbores*, *Vitæ* illa & *Scientiæ Boni* & *Mali*, in Paradiso sibi fuerunt proximæ. Mulier idem quam clarissime indicavit in suo colloquio cum Tentatore[b]; *Et de fructu illius Arboris,* אשר בתוך הגן *quæ est* IN MEDIO ILLIUS HORTI, &c. Plura Moses de *Arboris* hujus *Natura* & *Accidentibus* non scripsit; & eadem hæc nobis ad scopum nostrum plane sufficiunt. Quare inutiles & supervacaneas quæstiones alias de hac *Arbore* rescindimus, & intactas prætermittimus.

CAPUT XIII.

Inquiritur in Rationes *Interdicti*, *de* Arbore Prudentiæ *à Deo editi*, & *demonstratur*, *Deum prudenti consilio hominis erga se affectum* & *obedientiam per* hanc Arborem *voluisse explorare*; *simul totum genus humanum* symbolice *per eam res magni momenti docere.*

Interdictum de hac Arbore editum, recensetur ex Mose.

DE NOMINE hactenus & NATURA illius egimus Arboris, cujus fructus mortem attulit humano generi. *Tertio* itaque nunc expendendum venit INTERDICTUM, de hac *Arbore* datum, & inquirendum in Illius RATIONES. Interdictum illud his clarissimis verbis à Deo expressum est[c]: ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו. *De* ARBORE *autem* SCIENTIÆ BONI ET MALI NON COMEDES. Mulier in colloquio suo cum Tentatore illud paulo amplius repetiit[d]: לא תאכלו ממנו ולא תגעו בו: *Non comedetis de ea &* NON ATTINGETIS EAM. Non putem, Mulierem in Interdicto

a Gen. II. 9. b Cap. III. 3. c Cap. II. 17. d Cap. III. 3.

dicto hoc repetendo errasse, aut quicquam de suo illi adjecisse. Moses enim in superioribus, ut nos quidem opinamur, materiam Divinæ Legis tantum tradidit. Sensus autem hujus Legis neminem latere potest. Non vult Deus, ut Parentes nostri generis cum *illa Arbore* ullum haberent commercium, sed illam, ut plantam sibi noxiam & mortiferam, omni modo vitarent. Quando autem *sola hac Arbor* communi hominum usu eximitur, *cæteris omnibus plantis Arboribusque* homini ad usum *concessis* [a]: ex eo satis liquet, homini in integritatis suæ statu licitum fuisse *comedere de Arbore Vitæ*; de quo non sane ob magnam rationem à Doctis quibusdam Viris dubitatum est. Imo cum *Arbor* illa *Vitæ* inter Arbores Paradisi ut omnium excellentissima commendetur, & *Arbori* huic *Scientiæ Boni & Mali* ratione indolis ac usus sui è diametro opposita fuerit; inde, meo quidem judicio, facile collectu est, *esum* usumque hujus Arboris homini præ aliis omnibus Paradisi fructibus à Deo permissum, &, si ita usus postularet, commendatum fuisse. Quod ipsum quoque ex contemplatione *antitypi Arboris Vitæ* facile confirmatur. Sed nolo nunc in hanc materiam me dimittere. Sensus illius.

II. Verum quas ob Rationes placitum fuit Deo homines primos hoc *Interdicto* gravare? Ob graves haud dubie & sanctas & Divinæ sapientiæ convenientes, in quas dudum Doctissimi Viri feliciter inquisiverunt. Moses quidem rationes hujus Statuti à Legislatore adjectas nullas memorat, nec ipse Historiographum agens, ullas adjicit. Nobis tamen propterea vetitum non est, in Divini illius consilii rationes inquirere. Quin cum Deus nos natura instruxerit principiis ejusdem illius rationis, quam ipse ad gubernandum mundum adhibet, & omnia sua opera creaturis rationalibus contemplanda & meditanda objiciat [b]: non modo temeritatis non est, & vanitatis, viarum Dei caussas explorare, sed socordiæ est, id negligere: nisi quod, cum Dei summa sit majestas & ejus sapientia vim mentis nostræ infinitis modis superet; hic summa semper cum reverentia & humilitate procedendum sit, nec sapiendum παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. Inquiritur in rationes Interdicti: quarum investigatio licita est.

III. Quando autem nos secundum Principia Conscientiæ & Scripturæ de *rationibus* primæ hujus *Legis* cogitamus, videmur illas Rationes variæ summatim recensitæ.

a Gen. II. 16. b Jes. V. 12.

illas reducere posse ad tres classes. 1. Deus per hoc Interdictum *aliquid* in homine statuit EXPLORARE, quod ut exploraret rationi consentaneum erat. 2. Constituit Deus hominem per hanc Legem varias utilissimas veritates DOCERE. 3. Voluit idem Deus per hanc *Arborem*, homini vetitam, quid aliud PRÆFIGURARE, quod probe intellectum tum vias Dei non parum illustraret, tum vel maxime homini ad vitam suam dirigendam & ad felicem vitæ suæ finem assequendum insigne præberet documentum. ut adeo hoc Interdictum Divinum ratione triplicis hujus usus sui fuerit Δοκιμαστικὸν, Διδακτικὸν, & Σημαντικόν. Videamus, si Deo placet, de singulis.

Primo Arbor habuit usum δοκιμαστικόν.

IV. Quod ad *primum*; Homo haud dubie à Deo conditus fuit illa ad Deum σχέσει, ut officii ejus esset. 1. Deum *amare*, ut *summum* suum Bonum; & 2. Illi ut *Domino* suo *obedire*. Id homo ipse τῇ φύσει facile intellexerit ex illis sanæ rationis seminibus, quæ Deus menti ejus indiderat; & idem illud ex ipsa hominis ad Deum σχέσει sponte profluebat. Verum primo illo in integritatis statu officii *obedientiæ* Deo ut Domino præstandi vix ulla se prodebat occasio, & *amoris* erga Deum tum sinceritas tum magnitudo absque experimento *Præcepti positivi* vix poterant dignosci. *Præcepta*, inquit Curcellæus, *quæ in Decalogo continentur, violandi, nulla se adhuc offerebat occasio, nec fieri poterat, ut in idololatriam πρωτόπλαστοι inciderent, cum Deus se illis clare manifestasset; nec ut se homicidio, adulterio, furto, aut alio ejusmodi scelere contaminarent, quamdiu soli erant in terra. Frustra autem illud prohibitum esset, quod ne fieri quidem potuisset; cum ea demum sit vera & sincera virtus, abstinere à malo, quando id perpetrandi irritamenta adsunt. Eo igitur fine lex ceremonialis aut positiva homini præscribenda fuit; qualis erat illa de abstinendo ab esu fructus pulcri oculis & appetitum irritantis, atque desiderabilis ad Boni & Mali scientiam, qua omnes naturaliter tenentur, acquirendum.* Cum itaque summa suaderet ratio, ut homo in primis suis originibus occasionem haberet officia *amoris* & *obedientiæ* erga Deum, *naturali* Lege mandata, exercendi, quo in agnitione & amore *supremi* Dei *Dominii* & *Summi* Entium Intelligentium *Boni* magis atque magis confirmaretur: quid æquius & rationi convenientius, quam ut Deus homini *Præceptum* præscriberet *positivum* &

Homo in statu Integritatis non habuit occasionem commodam exercendi Amoris Dei & Prox.

ex

ex illius *observantia* hominis illum *amorem* & *obedientiam* EXPLORARET? Id summa ratio, id summa postulavit æquitas. Sic deinceps in eadem illa Historia *Genesis* cap. XXII. 1. legimus, Deum *Abrahami explorasse amoris sinceritatem* atque *obedientiæ vim*, quando illum non tantum natale suum solum derelinquere, sed Filium quoque suum *Isaacum* sua manu mactare jussit ad aram: quo in mandato exequendo cum Abrahamus suam Deo probasset promptitudinem & admirandam obedientiæ suæ virtutem, tum demum Dominus declarat, ℣. 12. *se* SCIRE, *inesse in Abrahamo reverentiam Dei*, cum tamen ante id tempus Abraham tot alia obedientiæ & reverentiæ suæ erga Deum documenta dedisset. Nec alio fere respexerunt αἱ δοκιμασίαι & πειρασμοὶ tam *Christi* quam Credentium Novi Fœderis, quam ut illorum *amor*, *obedientia*, & *fides* per gravissimas sæpe corporis afflictiones & impositum iis jugum Præcepti, *carni* molesti & injucundi, explorarentur. Consideretur, obsecro, Præceptum *Juveni* à Christo datum & à plurimis Christi Domini discipulis observandum & observatum [a]. Nihil itaque novi, nihil alieni, nihil Deo indigni, imo sana omnia & rationi summæ consentanea, quod Deus primos nostros Parentes Lege aliqua Positiva obstrinxerit, ut illorum *exploraret obedientiam* & *amorem*, quę alia ratione commoda explorari non poterant. Ne miremur autem, Deum *Arborem* & *Arboris fecisse fructum materiam probationis*, quia sane in *Paradiso* nihil quicquam offendimus aliud, circa quod hominis illa officia commodius explorarentur. Introductus à Deo erat in *hortum*, *Arboribus* plenum, quem *coleret*, & de cujus *fructibus* esset sustentandus. Præcipua itaque ejus cura & industria versaretur circa Paradisi *Arbores*, præter quas aliud externum suæ exercitationis objectum habuisse non legitur. Quare Rationi convenientissimum erat, secundum illum Adami statum, ut *Præceptum Positivum* ipsi præscriberetur circa *Arborem* & *Arboris fructum*.

Quæ caussa, cur utile esset, illi præscribi Præceptum positivum.

Nihil hic novum & alienum, quod discedat à rationibus divinæ Providentiæ.

V. 2. *Interdicto Arboris* id à Deo intentum esse diximus, ut *Adamum* quasdam DOCERET & ei in mentem vocaret doctrinas, non exigui momenti, & jugi meditatione dignissimas. Nec sunt illæ è longinquo petendæ, quas clare & explicate propo-

Alter usus *Arboris* fuit διδακτικὸς *doctrinalis*.

 fuit

a Matth. XIX. 21.

Quæ Deus hominem per hanc Arborem docuerit?

fuit Cl. Coccejus [a]: 1. *Deum omnium rerum Dominum esse.* 2. *Dominium, quod homo nactus erat, absolutum atque independens non esse.* 3. *Verum bonum non esse extra Deum.* 4. *Quicquam ab homine appeti non in Deo & ad Deum, malum esse, quippe nullam rem corruptibilem, quamvis jucundam & pulchram, per se ut bonum hominis expetendam, sed solum Deum in Vita æterna fruendum hominis bonum summum & unicum esse, & cum iis, quæ carni largitur, tum, si ita res ferat, solo Deo contentum esse oportere.* 5. *Omnium rerum, extra Deum, appetendarum vel fugiendarum regulam solam voluntatem Dei, tanquam Domini & conservatoris nostri, esse.* 6. *Non debere hominem de bono & malo, in rebus extra Deum appetendis ex suo animo, sed ex solo Dei Verbo, bonam Dei voluntatem significante, judicare.* 7. *Obedientiam, qua homo justificetur, eam demum esse, quæ ex toto corde, ex tota anima & omni intensione virium hominis præstatur.* Deut. VI. 5. h. e. *perfecto animi Judicio, omni affectu & cupiditate, & summo studio & contentione omnium facultatum. Quæ obedientia in iis, quæ minima videntur, sollicite curandis probatur.* Quibus adde 8. Hominem nondum pervenisse ad statum summæ felicitatis. 9. Illum quidem statum ab ipso expectandum & desiderandum esse, sed ea ad illum *via* grassari oportere, quæ à Deo ipso præscripta monstrataque sit [b]. Quæ sententiæ omnes cum summi essent momenti, & hominis meditationem maxime mererentur: convenientissimum utique erat rationibus Divinæ Sapientiæ, homini illius generis præscribere Legem, per quam hæc omnis Religionis & veri Dei Amoris Fundamenta ipsi continuo veluti inculcarentur.

Præcipue Arbor hæc fuit *Magistra Prudentiæ.*

VI. Sed aliud erat quod Deus non tantum primos nostros Parentes, verum etiam totum genus humanum per hanc Arborem *docere* voluit, nimirum PRUDENTIAM, ut modo dicebamus, cujus Virtutis est *sibi cavere à Malo*: non directe quidem & immediate, sed mediate, sive potius, *Figurate*, & *κατὰ σύμβολον*. Suppono itaque hic, *Arborem* hanc, quę fructum Mortis tulit, fuisse alterius cujusdam rei *symbolum* ac FIGURAM: & merito quidem. Etiamsi enim ea de re disertum testimonium in Sacris Literis non extet, sunt tamen quę id evincant. 1. Ipsum *Nomen*

a De Fœdere, Cap. II. §. XX. b Vide Cl. Witz. OEcon. Fœd. Lib. I. Cap. III. §. XXI. & Cap. VI. §. XIX.

Nomen Arboris nos ad id cogitandum ducit. Vocata est *Arbor Prudentiæ*: non quod *Prudentiam* conferret, ut in præcedentibus monstravimus, sed eam *doceret*. Quomodo vero doceret nisi *symbolice*? Vera enim *Prudentia* in eo non consistit, ut quis sibi caveat à *fructu arboris*, sed à *Peccato*, sive à *Concupiscentia*, quę est caussa *Mortis*. Si igitur Arbor hæc *Prudentiæ* fuerit; & tamen *veram caussam Mortis* non tulerit, à qua sibi cavere *Prudentia* sit: oportet eam tulerit κατὰ σύμβολον & FIGURATE.

Quomodo Arbor hæc Prudentiam docuerit?

2. Constat ex Scripturis, Paradisum cum omnibus aliis instrumentis & partibus suis esse τυπικὸν & ἀλληγορούμενον: cum vero hæc *Prudentiæ Arbor* insignis & notabilis Paradisi pars fuerit, & à Deo condita sit cum singulari σχέσει tam ad *hominem* quam ad *Arborem Vitæ*: quomodo fiet, ut per solam hanc *Prudentiæ Arborem* nihil aliud figuratum & depictum fuerit? 3. Patebit ex sequentibus, *Arborem* illam *Prudentiæ* non secus ac *Paradisum* cum *aliis suis partibus* posse esse τύπον & effigiem alterius cujusdam rei, & quidem secundum Divinarum Scripturarum & cæterarum rerum, quę in Paradiso fuerunt, ἀναλογίαν. Cum autem Divina Sapientia nostram longissime exsuperet; quo jure negabimus, Deum id constituisse & ordinasse τύπον *alterius*, quod nos ex ratione & comparatione Scripturarum intelligimus aptissimum esse ad quid aliud repræsentandum? Atque hinc jam inter Veteres Philo, & inter Ecclesiæ Christianæ Doctores quam plurimi castigati ingenii judiciique Viri, sub hoc cortice quid aliud & majus quæsiverunt.

Arbor hæc alterius rei figuram gessit. quod adstruitur.

VII. Cujus tamen rei *figuram* & τύπον gesserit hæc ARBOR, non mox exploratum est. Philo Judæus eam voluit esse symbolum CALLIDITATIS. Videbat Philo, *Arborem* hanc dici *Prudentiæ*: & tamen oppositam esse *Arbori Vitæ*. Putavit igitur, Arborem hanc *veram* figurasse *prudentiam*, sed *Prudentiam damnabilem*, cujus fructus possit esse *mors*. Sed audiamus ipsum Philonem [a]. Sic ille in *Libro de Opificio Mundi*: *Sed, ut puto, subindicatur per* PARADISUM *quidem* PRINCIPALIS VIS ANIMÆ, *quæ est plena ceu plantis innumeris opinionibus*; *per* ARBOREM *autem* VITÆ, PIETAS, *inter omnes virtutes eminentissima*: ἀλλὰ δὴ τοῦ καλοῦ καὶ πονηροῦ γνωστικοῦ, φρόνησιν τὴν μέσην, ᾗ διακρίνεται τὰ ἐναντία φύσει·

Cujus rei typum & figuram gesserit hæc Arbor?

Philonis Judæi cogitata.

per

[a] p. m. 26, 27.

per Arborem *vero* Scientiæ Boni et Mali, Prudentiæ *arbitra* (media:) *qua res natura contraria discernuntur.* Pergit nunc Philo: Θεώμενος δὲ τοὺς ὅρους τούτους ἐν ψυχῇ, καθάπερ δικαστὴς ἑστῶτας πρὸς πότερον ἐπικλινεῖ ἐξήτ· ὡς δὲ εἶδε ῥέπουσαν μὲν πρὸς πανουργίαν, ὁσιότητος δὲ καὶ εὐσεβείας ὀλιγωροῦσαν, ἐξ ὧν ἡ ἀθάνατος ζωὴ ἐπιγίνεται, προὔβαλεν κατὰ τὸ εἰκὸς καὶ ἐφυγάδευσεν ἐκ τοῦ παραδείσου· *His autem terminis in anima positis Deus seu Judex considerabat, utro esset propensior; & postquam vidit eam vergere ad* CALLIDITATEM, SANCTITATE PIETATEQUE *posthabita, ex quibus immortalis vita provenit: ejecit illam merito & fugavit ex Paradiso.* Idem alibi his verbis confirmat [a]: Εἰκότως ἐν ἑνὶ παραγγέλλει ταῖς ἀρεταῖς ἐντρέφεσθαι. πολλοῖς δὲ περιττῆς πανουργίας ἀπέχεσθαι: *Itaque merito uno* (in singulari numero:) *hortatur, innutriri* VIRTUTIBUS; *pluribus vero* (in plurali numero:) *præcipit* NIMIA CALLIDITATE *abstinere.* A Philone parum abest Grotius, cujus sententiam hac de re intelligere licet tam ex ejus *Annotatis* in *Genesin* [b], quam ex Libris de *Jure Belli & Pacis.* Priore loco hæc habet inter alia: SCIENTIAM *homo secum non adfert, nec ideo miser est. Cicero Prudentiam constare ait ex scientia rerum bonarum & malarum & nec bonarum nec malarum: cui autem mali nihil est, ei nihil opus delectu bonorum & malorum. Et postea dicit,* CALLIDITATE *perpaucos bene uti, ut bonum hoc ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur. At naturaliter homo sicut sciens non est, ita omnis etiam non necessaria, sæpe nec utilis, scientiæ est appetens.* Posteriore loco [c] in hunc modum disserit: *Verum in vita hac simplice & innocente non perstiterunt homines, sed animum applicuerunt ad* ARTES VARIAS, *quarum symbolum erat* Arbor Scientiæ Boni et Mali, *id est, earum rerum, quibus tum bene tum male uti licet.* Quę ipse porro variis Auctorum de *Prudentia* testimoniis docte adeo illustrat, ut magna specie se commendent. Erit igitur *Arbor Vetita* symbolum *Scientiæ Rerum scitu non necessariarum,* quę hominibus sæpe plus *noxæ* & damni quam utilitatis adfert. Sed quæcunque etiam hujus sententiæ species sit: non pauca illi obstant.

Grotii analoga.

Verba ejus exhibentur.

VIII. 1. Nego, phrasin illam; *Scire Bonum & Malum,* aptam esse ad significandam *Calliditatem.* Actus is est judicii recti

Quorum sententia refellitur.

a Lib. 1. Allegor. Leg. p. m. 45. b Annot. in Gen. Cap. 11. 9.
c De J. B. & P. Lib. 11. Cap. 11.

recti & *Prudentiæ*, non *Calliditatis*. *Scire Bonum & Malum* phraſi Scripturæ notat, ut jam ſæpius monui, *Boni Malique naturam* ita cognitam habere, ut quis in Regimine vitæ ſuæ *Bonum* per legitima media aſſequatur & *Malum* vitet: quod ſive quis agat ex ingenita mentis *perſpicacia*, ſive per virtutem *Prudentiæ* variis actibus acquiſitam, ſemper in laude ponitur. *Calliditas* vero, à *Sapientia* & *Prudentia* longiſſime diſtincta, mentis notat ſagacitatem in aliis fallendis & τῷ καλῷ φαινομένῳ per media non conceſſa affectando & conſequendo. 2. *Prudentiæ* & *Calliditatis* effecta ſibi è diametro adverſantur. *Prudentia* ſibi propoſitum habet *finem honeſtum*, illumque per legitima media conſequitur; illiuſque effectus eſt, ut jam ſæpius monui, סור מרע *Recedere à malo*. *Calliditas* contra ſibi qualemcunque, ſæpe inhoneſtum, præſtituens finem, homini ut plurimum magnorum malorum cauſſa eſt: imo, quod Cicero recte notavit & experientia quotidiana confirmat, callidi ſuis plerumque conſiliis perire ſolent. Quare cum *calliditas* tantum diſtet à *Prudentia*, quantum οὐρανὸς ἀπὸ γαίης; & tamen *Scientia Boni & Mali* ad veram *prudentiam* pertineat, quam virtutem ipſe Deus in gradu conſummatiſſimo poſſidet: patet utique, phraſin; *Scire Bonum & Malum*, per *calliditatem* exponi non poſſe. 3. Percipio equidem, ſano & laxiore ſenſu dici poſſe, *felices* eſſe, qui *Prudentia* opus non habent, quatenus omne exercitium *Prudentiæ* ſupponit *mala*, quæ vitanda ſunt. Verum cum *creatura rationalis* in hoc mundo nullo fuerit tempore & ſtatu, quin *malum* bono oppoſitum *vitandum* habuerit: *Prudentia* in ipſa ſemper ſpectanda eſt, ut inſignis & præcellentiſſima virtus, quæ ſi ulla alia valde fecit ad mentem ejus perficiendam. Atque inde eſt quod חכמה Sapientia & בינה Prudentia, ut ſummæ hominis perfectiones, quales vere ſunt, in Scriptura paſſim commendentur [a]: 4. Nequaquam etiam admitto hypotheſin illam Philonis, *Prudentiam* cum *innocentia* & ſanctitate hominis uſque adeo pugnare, ut *huic* ſublatæ *illa* ſucceſſiſſet. *Prudentia*, fateor, pugnat cum *innocentia infantili*, quia infantes *Boni* æque ac *Mali*, Recti Pravique, ignari ſunt, & ad *prudentiæ* illam virtutem exercendam omnino inepti. Verum cum homines primi à Deo con-

Scire bonum & malum non poteſt ſignificare *calliditatem*.

Prudentia & *calliditas* differunt.

Prudentia virtus eſt omni tempore & ſtatu homini neceſſaria.

Nec pugnat cum innocentia.

Ttttt

[a] Prov. IV. 5. IX. 6. XXIII. 23. Job. XXVIII. 28.

conditi fuerint in statu ætatis adultæ, cum pleno intelligentiæ & judicii sui usu: quis dicat, *Prudentiam* cum Hominis integritate & sanctitate pugnasse? Imo consummata & constans sanctitas in homine absque *Prudentia* non consistit; & si homo tanto gradu prudentiæ à Deo donatus fuisset, quanto sanctitatis, non adeo facile evenisset, ut peccasset. Certe Dominus commendat æque suis discipulis *Prudentiam Serpentinam* ac *Simplicitatem Columbinam* [a]. 5. Quod Grotius ARBOREM SCIENTIÆ BONI & MALI velit esse symbolum *Scientiæ* RERUM NON NECESSARIARUM: ad id hæc observamus sequentia. *α. Res non necessariæ*, cujusmodi sunt *Artes* & *Artificia*, *&c.* non dicuntur commode טוב ורע *Bonum* & *Malum*, quia secundum Grotium proprie sunt *nec Bona* nec *Mala*. *β. Arbor* illa secundum Grotii hypothesin commodius dicta fuisset *Arbor Boni & Mali*, quam *Scientiæ Boni & Mali*. *γ. Rerum non necessariarum Scientia* non est in homine proxima *caussa mortis*, nec homini, quantum video, illicita, quia homo illum in finem à Deo præditus erat ingenio, ut id quibuslibet rebus intelligendis ac inveniendis applicaret; etsi non negem, homines lapsos illa non necessariarum rerum Scientia ad suam perniciem deinceps *abusos* esse. Sed id pravitatis humanæ, non ipsarum illarum rerum vitium fuit. *δ.* Etsi concedamus, eatenus quoque illas *res non necessarias* esse caussam mortis & per hanc *Scientiæ Boni Malique Arborem* præfiguratas: datur tamen aliqua multo propior *mortis* & perniciei humanæ caussa, quam illarum *non necessariarum Rerum Scientia*, ut mox patebit: quam itaque hic per illam *Scientiæ Boni & Mali Arborem* intelligere satius est, quam illam *non necessariarum rerum Scientiam*.

Grotii meditata seorsim excutiuntur.

IX. Quidni igitur dicamus quod rei ipsi & omnibus illius circumstantiis optime convenit: *Arborem Vetitam* symbolice figurasse, *in genere* quidem omne OBJECTUM CONCUPISCENTIÆ INORDINATÆ, cujus usus & fruitio homini est *caussa Mortis*: in *specie* vero, *omnia Objecta Concupiscentiæ Inordinata*, quæ sub OEconomia utriusque Testamenti tanquam *Caussa Mortis* CHRISTO tanquam *Caussæ Vitæ Æternæ* sunt opposita. Facillima certe hujus nostræ sententiæ est demonstratio. Arbor *Prudentiæ* in Paradiso

Arbor Scientiæ Boni & Mali in genere figuravit omne objectum concupiscentiæ vetitæ.

[a] Matth. x. 26.

radiso fuit opposita *Arbori Vitæ*, tulitque *Fructum*, cujus esus & usus homini *Mortem* caussatus est, & à quo sibi cavere, *Prudentia* sit. Id vero quid est nisi *Mundus* cum omni Objecto *Concupiscentiæ Mundanæ* & *Carnalis*, quorum inordinatus appetitus & fruitio hominem detrudunt in Miseriam & Calamitatem ÆTERNÆ MORTIS. Quæ *Objecta Concupiscentiæ* quatenus opposita sunt Christo ut *Caussa Vitæ*, cum varia etiam sint, in variis Ecclesiæ OEconomiis: dubium esse nequit quin hæc ipsa *Objecta Concupiscentiæ* pro vario Ecclesiæ statu symbolice per hanc Arborem depicta figurataque fuerint.

X. OBJECTA *Concupiscentiæ Inordinatæ* & *Vetitæ* IN GENERE à Joanne ad tres classes referuntur, LUXUM & LIBIDINES *Carnales*, OPES, atque HONORES. *Quoniam quicquid in mundo est*, ait [a], ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς CONCUPISCENTIA CARNIS; (Voluptates carnales, Deliciæ gulæ &c.) καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν *&* CONCUPISCENTIA OCULORUM, (Divitiarum & aliorum pretiosorum ac desiderabilium Bonorum hujus mundi:) καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου *&* FASTUS VITÆ (honores, dignitates, pompa &c.) *non sunt ex Patre, sed ex mundo*. Hæc ipsa sunt figurata per *Arborem Prudentiæ*. Hæc se *externa specie* homini corrupto commendant. Horum fruitio, ut fit, inordinata, illi parit *Mortem*. Hæc ipsa tanquam *Caussa Æternæ Mortis* opposita sunt Christo tanquam *Caussæ Veræ Vitæ*. Et denique ab his sibi cavere, *Prudentia* est *Vera* & *Summa*. Singula hæc merentur distinctius expendi atque explicari.

Triplex illius objectum.

XI. 1. *Arbor Scientiæ Boni & Mali* illa tulit GRATISSIMUM & amœni aspectus FRUCTUM, qui tamen FRUCTUS, ut ut ad speciem externam oculos paverit & contemplanti vehementer blanditus sit, edenti & fruenti ex Divina ordinatione fuit CAUSSA MORTIS. Nunc vero scire velim, quidnam illud sit in Mundo, quod cum *carni nostræ grata* se commendet *specie externa* & blandiatur, tamen in visceribus suis alat *mortem* atque *interitum*? Petrus dicet, & tota Pagina Sacra, atque experientia omnium temporum, clamabit, *esse* ἐπιθυμίαν CONCUPISCENTIAM. Petri verba sic habent [b]: Ἀποφυγόντες τῆς ἐν τῷ κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς· Cum *fugeritis* CORRUPTIONEM, (perniciem, interitum:) *quæ in mundo* *est*

Comparatio inter utrumque subjectum.

α. *Fructus arboris Scientiæ* B. & M. fuit ad externam speciem concupiscibilis, & tamen *caussa mortis*.

a 1 Joan. II. 16. b 2 Epist. 1. 4.

est PER CONCUPISCENTIAM, vel, IN CONCUPISCENTIA. Per *concupiscentiam* Petrus hic intelligit tam ipsa *Concupiscentiæ* objecta, qualia sunt, instrumenta voluptatum carnalium, *delitiæ*, divitiæ, honores, &c. quam ipsum *actum* hominis, quo illa *inordinate concupiscit*, acsi in iis *summum* suum *bonum* situm esset, & cupitis *immoderate* utitur ac fruitur. In hac *concupiscentia*, de qua alias fuse egi, sita est hominis *Corruptio* & *Interitus*; in inordinato, inquam, illo appetitu & immoderato usu illorum *Concupiscentiæ carnalis* Objectorum, de quibus modo verba faciebam. Per illam enim *Concupiscentiam* & *Concupiscentiæ* illud *Exercitium* abnegat homo amorem Dei ut Summi sui Boni, contra clarissima Legis tam Innatæ quam Scriptæ præcepta, & propterea reum se facit iræ Dei & omnium malorum hujus ac futuræ vitæ, Peccati Consequentium. Quin imo per exercitium concupiscentiæ carnalis *se ipsum* & proximos suos perdit atque *corrumpit*. Plurima equidem Concupiscentiæ Objecta, quibus peccator abutitur, in se spectata, à creatura rationali appeti & concupisci possent absque peccato, si suo quæque appeterentur loco, pretio, & ordine cum σχέσει ad Deum, ut alias pluribus demonstravimus; sed *Objecta* illa *concupiscentiæ* nunc à nobis spectantur, non uti *in se* sunt, sed *quemadmodum* SE *opposite ad Deum homini commendant ut* SUMMUM BONUM, *per quod homo absque Deo ejusque communione possit ad summam pervenire felicitatem & beatitudinem.* Ut talia exhibita sunt in *Arbore* illa *Vetita*; & ut talia sunt Caussa τῆς φθορᾶς *Corruptionis*, quæ in mundo est. 2. *Arbor* illa *Prudentiæ* in Paradiso *proxima* quidem sed opposita fuit *Arbori Vitæ*. Nam ut *hæc* caussam & medium *Vitæ*, sic illa caussam & medium *Mortis* figuravit. Utique fruitioni *Arboris vitæ* annexa fuit *Vita* & quidem *Æterna*, & usum *Arboris Scientiæ Boni & Mali* sequuta fuit *mors*[a]. Quid jam in Mundo vel *Præceptis Dei*, constante obedientia præstitis, vel *Christo Jesu*, Filio Dei, Mediis & Caussis perveniendi ad *æternam Vitam*, per *Arborem Vitæ* depictis, magis contrarium est quam CONCUPISCENTIA, ejusque *exercitium*, vera caussa & medium MORTIS? Et *duo* tamen illa sibi in mundo proxima sunt & vicina. Ambo in *medio Paradisi*. Ubi enim se Christus com-

[Margin: Concupiscentiæ Natura.]

[Margin: β. Fuit opposita Arbor arbori vitæ.]

a Gen. III. 2.

commendat ut Auctor & caussa veræ Vitæ; ibi quoque mundus suas præfert delicias, voluptates, & instrumenta libidinis, per quæ homines seduci possent ad interitum. Universa Scriptura huic attestatur veritati. Totus ille insignis *Proverbiorum Liber*, quem Salomo ut Sapientiæ suæ argumentum posteritati reliquit, in eo est ut declaret *duos* hominum *fines*, *Bonum* & *Malum*, cum *mediis*, ad utrumque ducentibus, suadetque *Prudentiam*, qua reprobantur *mala* & eliguntur *bona* ad æternam hominis felicitatem. Inprimis vero in *Capitibus Septimo* atque *Octavo* id ipsum quoque *συμβολικῶς* & quidem summa cum elegantia exhibet, quod nos per *duas* illas Paradisi Arbores figuratum esse diximus. *Septimo* quidem *Capite* MUNDUM cum CONCUPISCENTIA ejus proponit sub specie *Meretricis* ac *adulteræ*, quæ innocuam Juventutem in nassam suam quibusvis pertrahat blanditiis, & simul ad extremam perducat calamitatem ac perniciem; verum in *Capite Octavo* exhibet SAPIENTIAM SUMMAM, ipsum Dei Filium, ad suas quemque invitantem veras ac non fucatas delicias, & *æternam* suis cultoribus promittentem *vitam*. En *Arbores Paradisi duas*, alteram *Mortis*, alteram *Vitæ* caussam, proximas sibi & tamen è diametro oppositas. Sic pariter instituit *Paulus*, in Epistola ad *Romanos* [a]: Τὸ γὰρ φρόνημα, ait, τῆς σαρκὸς θάνατος· *Id quod* CARO *cogitat*, MORS est: τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη· *Sed quod* SPIRITUS COGITAT, *est* VITA *&* *pax*. Nec non ℣ſ. 13. *Si* κατὰ σάρκα *secundum* CARNEM (carnales concupiscentias:) *vivatis*, μέλλετε ἀποθνήσκειν MORITURI ESTIS; *sed si* SPIRITU *actiones corporis mortificetis*, VIVETIS. En *Arbores* rursus *binas*; alteram *mortis*, alteram *Vitæ*! Imo certe universi mundi, præcipue post Dominum Jesum Glorificatum (de qua re mox paucis adhuc agemus:) talis est aspectus. Præfert *Mundus* ab *una parte* omnes suas delicias, voluptates, honores, splendida omnia & carni blandientia bona, allicitque instar fucatæ meretricis Adami *Posteros* ad illorum *fruitionem*, cui tamen ex Divino statuto *mors* annexa est; ab *altera* vero *parte* Summa Sapientia, Filius Dei, *vera vita* & beatitatis auctor, per ministros suos, Doctores Ecclesiæ omnium temporum, *invitat* homines blandis verbis ad suam communionem, monstrans *æternam vitam*, æterna

Scopus Libri Adagiorum Salomonis.

Doctrina Scholæ Sanctorum, duas esse *caussas medias, vitæ & mortis*, inter se contrarias.

a Cap. VIII. 7.

gaudia & amœnitates omnibus illis, qui *carnis Concupiscibilia*, Arborem illam Scientiæ Boni & Mali, fugerint. Atqui hæc ut *posteris Adami* evenirent, Deus *Adamo* in *Paradiso* monstrari & exhiberi voluit.

γ. *Arbor Prudentiæ* fuit primis hominibus materia *probationis*.

XII. 3. *Arbor illa Scientiæ Boni & Mali* fuit *materia probationis & tentationis* primorum Paradisi incolarum. Jam certum est, Adami posteros per *objecta concupiscentiæ carnis* unice fere probari & tentari. In *hoc* tentantur Adami posteri per universam Vitam suam, an ea, quæ se præter Deum ut *summum Bonum* carni commendant, postponere velint Deo vero illi *Bono*, cujus communio ab omni re creata intelligente intensissime expetenda est. Sic *tentatus* probatusque est Abraham circa *Isaacum* Filium suum, quando putari poterat nimiam in illo *Filio* suo fiduciam collocare & nimio erga illum ferri affectu [a]. Sic *Jobus* à Deo tentatus probatusque est in Armentis, Liberis, & ipsa valetudine Corporis, quæ carnales homines bona Deo summo bono substituere solent [b]. Imo sic Dominus Jesus ipse à *Diabolo* tentatus & probatus est circa *Divitias* & GLORIAM *mundanam*, efficacissimum *concupiscentiæ* irritamentum; de qua *Scientiæ Boni Malique Arbore* Diabolus ipsi ut *ederet* conatus est persuadere [c]. *Secundus* nimirum *Adam* ad exemplum τȣ͂ πρώτȣ tentandus & probandus erat. Imo sic Deus ad exemplum *Christi Domini* tentari probarique voluit omnes veros Christi discipulos, quando certum est, universam disciplinam Christianam consistere in ABNEGATIONE SUI IPSIUS, hoc est, *Concupiscentiæ carnalis* [d].

Tentationes & probationes recepti usus in via Providentiæ Divinæ.

δ. Effectus esus *fructus arboris Prudentiæ*, sensus *nuditatis*.

XIII. 4. Post *esum* de *Arbore Scientiæ Boni & Mali* CONCUPISCENTIA inordinata mox in primis hominibus incepit *dominari* & virtutem suam exerere, cui ad illud usque tempus subjecti non fuerant. *Experti sunt*, SE ESSE NUDOS [e]. Quorsum vero id nos ducet, nisi ad cogitandum, hanc *Arborem* vere à Deo ad id in Paradiso constitutam ordinatamque fuisse, ut esset *Symbolum Concupiscentiæ & Mortis*?

ε Homo primus videtur peccasse triplici genere concupiscentiæ.

XIV. 5. Quemadmodum in superioribus memoravimus, *Concupiscentiæ* tres esse *species* sive *Objecta*, DIVITIAS, HONORES, & VOLUPTATES CARNALES: sic utique easdem illas *tres concupiscentiæ*

a Gen. XXII. 1. b Job. I. 11. c Matth. IV. 8, 9. Rom. V. 14. d Matth. XVI. 24. Tit. II. 12. e Gen III. 7.

tiæ species sive *objecta* per *Arborem illam Scientiæ Boni Malique* figurata esse comperiemus. Ligtfootus, aliud agens, & de *Arbore Scientiæ Boni & Mali* nihil quicquam definiens, nos ad hanc meditationem piam certe & solidam duxit. *Quicquid uspiam*, inquit in *Erubim* sive *Miscellaneis*[a], *peccatorum est*, *à Sancto Joanne refertur ad hac tria capita*[b], Cupiditatem carnis, Libidinem oculorum, & Fastum vitæ. *Per hac tria Eva in Paradiso lapsa est. Videbat*, *Arborem* BONAM *esse ad* CIBUM; *&* CUPIDITAS CARNIS *extimulavit eam*; *videbat* GRATISSIMAM esse ASPECTU, & LIBIDO OCULORUM *provocavit eam*; *animadvertebat*, ALLATURAM *esse* PRUDENTIAM, & FASTUS VITÆ *persuadet*, *ut manum illi admoveat*. Addit Ligtfootus: *Per hac tria diabolus tentavit Christum. Quando esurit*, *volebat*, *ut lapides converteret in panes*, *atque ita tentavit* CUPIDITATE CARNIS. *Ostendit atque promisit illi omnem mundi gloriam*, *& sic tentat eum* LIBIDINE OCULORUM. *Exhortatur eum ut volet per aërem*, *sicque eum tentat* FASTU VITÆ.

Ligtfooti aliqua observatio.

XV. 6. Quemadmodum *primi homines*, omnium hominum Parentes, tentationi illi sustinendæ pares non fuerunt, sed illi miserrime succubuerunt: sic longe maxima pars posterorum Adæ, imo omnes certe Adæ posteri ut natura sunt, tentationi Concupiscentiæ misere succumbunt & succumberent in æternum, nisi quam Gratiam Deus primis nostris fecit Parentibus eandem quoque plurimis illorum posteris offerret & actu ipso præstaret.

ξ. Primi homines tentationi succubuerunt.

XVI. 7. Denique, quemadmodum Adam & Eva, Majores nostri, in Paradiso circa hanc Arborem *Prudentiam suam* debuerunt exercere, & ex hac Arbore *Prudentiam* discere: sic certe PRUDENTIÆ & SAPIENTIÆ humanæ Primum & præcipuum esset Præceptum, sibi *cavere* à Peccato, & proin à *Concupiscentiæ Inordinatæ Objectis*, circa quæ Corrupti indole homines maxime peccare solent. Objectum primum & præcipuum *Prudentiæ* est MALUM; & effectus *prudentiæ* est סור מרע RECEDERE A MALO, ut Jobus diserte hanc Sapientiam commendans[c], & Salomo, Mortalium Sapientissimus, per totum *Librum Diverbiorum*: cujus Libri hoc est argumentum. Illam vero *Prudentiam* Deus ab homine exerceri voluit circa hanc *Arborem Vetitam*,

η. Et hanc *arborem* habebant ut objectum *exercenda prudentiæ*, perinde ac prudentia hominum est sibi à *concupiscentiæ vetitæ objectis* cavere.

a Cap. L. b 1 Joh. II. 16. c Job. XXVIII. 28.

tam, quam *Mali* ab homine *vitandi*, hoc est *Concupiscentiæ* & *Mortis*, symbolum esse voluit. Prorsus ita, ut *veram Prudentiam* ab omnibus Adæ Posteris vult exerceri circa Vetita Objecta Concupiscentiæ ab ipso diligenter vitanda. Atque hæc sufficere autumem ad confirmandam nostram de hac *Arbore* sententiam.

Est etiam specialior contemplatio *mystica* hujus Arboris.

XVII. Hactenus *in genere* Mysterium *Arboris Prudentiæ* indicavi: quę *in specie*, quod dicitur, facile referri possunt ad singulares Ecclesiæ & Temporum OEconomias, in quibus se hæc *Arbor Mortis* varie manifestavit. Quod si hic paulo distinctius sit explicandum: concedi mihi postulo, quod ab æquis lectoribus facile impetravero, *Paradisum*, sive potius, *Statum primorum nostrorum* Parentum *in Paradiso*, non unam rem sed plures figurasse, inter quas tamen ex Divino instituto esset analogia quædam & proportio. Primo quidem satis constat, *Paradisum* symbolum & figuram gessisse *Cœli*, & summæ felicitatis, qua Dilecti Dei aliquando in Cœlis gauderent. Sic Dominus ipse *Cœlum* vocat *Paradisum* [a]. Nempe ut in *Paradiso* homini nihil deerat ad felicitatem & *voluptatem* secundum animalis vitæ conditionem; sic utique summa datur & dabitur aliquando frui felicitate, & voluptate, in Cœlis, secundum conditionem Vitæ spiritualis, mediante Christo, illius *Vitæ auctore*. Sed in eo non est subsistendum. Paradisus omnino plus symbolice significavit, quia aliqua fuerunt in *Paradiso*, quę locum non habebunt vel habere potuerunt unquam in *Cœlis*. In Paradiso fuit *Arbor Mortis*, & *Diabolus* per hanc Arborem Parentes nostros tentans & seducens: qua de caussa Parentes nostri Paradiso ejecti sunt, & felicitate, in qua à Deo positi erant, exciderunt. Hæc analogice demonstrari non possunt locum habuisse in Cœlis: sed obtinent tam in Statu Ecclesiæ Novi Testamenti, quam in Statu Ecclesiæ sub OEconomia Vetere, qui Statum Ecclesiæ sub Novo Fœdere figuravit. Status Ecclesiæ sub OEconomia Nova est ἐπουράνιος *Cœlestis*. Ecclesia illa est *Regnum Cœlorum*. Partem faciunt qui in terris agunt Credentes in Christum *Civitatis Primogenitorum in Cœlis*, & cum illis gaudent *eadem specie* libertatis & felicitatis, idemque cum iis constituunt corpus. Est

Paradisus variarum rerum figuram sustinuit. Non tantum *Cœli*:

Sed & *Status Ecclesiæ* sub N.T.

a Luc. XXIII. 43.

Est igitur hic Status affinis *Statui Cœlestis Beatitudinis:* qui proprie hujus Status est complementum & *ἀποτέλεσμα*. Et certe utriusque Status respectu Christus ut *Caussa Vitæ* dicitur esse in *medio Paradisi Dei*. Paradisus itaque fuit quoque Symbolum *Status* Ecclesiæ sub *N. T.* [a] à quo tempore *Mundus*, qui sub Vetere OEconomia erat instar *deserti*, per *conversionem Gentium* factus est *hortus Domini*, secundum vaticinia Jesaiæ [b]. Ad utrumque jam illum Statum, tam *Cœlestis Beatitudinis*, quam *Ecclesiæ N. T.* singularem *σχέσιν* habuit *Status Israëlitarum*, degentium in *terra Canaan*, in qua copia erat *lactis* & *mellis* h. e. omnium Bonorum & Deliciarum, quę ad vitam animalem perficiendam requiruntur, cum *quiete* & *prosperitate*. Eatenus autem *Terra Canaan* vere typus fuit Status Ecclesiæ Cœlestis tam sub OEconomia Nova quam post plenam *φανέρωσιν* Regni Dei, & per *Paradisum* fuit figurata. Cum enim analogia sit inter *Terram Canaan* & *Cœlum*, tum etiam inter terram Canaan & Statum Ecclesiæ, quo est sub OEconomia Nova: fieri sane nequit quin Paradisus figuraret Terram Canaan ut Typum, quemadmodum figuravit tam Cœlestem Felicitatem quam Statum Ecclesiæ Meliorem sub OEconomia Nova, ut *ἀντίτυπα*. His positis, quę latius & fusius possent demonstrari, omnia erunt facilia. In *Terra Canaan*, in qua Israëlitæ ut in terra Domini & horto Dei habitarunt, duæ fuerunt Arbores, Vitæ & Mortis: à quarum posteriore *Prudentia* esset Israëlitarum sibi cavere. Ita Moses: se iis proposuisse Vitam & Bonum, Mortem ac Malum [c]. Caussa *Mortis* erat Idololotria cum *Carnalibus Deliciis*, & impuris libidinibus, quas sectabantur Gentiles illius temporis. Ad illas ferebatur & propendebat Israëlitarum animus. Imo certe Impietas, profanæ de Deo cogitationes, Justitia quærenda ex Operibus, præstitis secundum carnalem Cultum Dei sub OEconomia Vetere, aliaque omnia his similia, quę Israëlitis Mortem adferre poterant, fuerunt instar quoddam *Arboris Mortis*, sive *Prudentiæ:* quę opposita fuerunt *Arbori Vitæ*, hoc est, *Præceptis Dei in fide præstitis* & *ad æternam Vitam* ducentibus. quę qui facit, *vivit* per *Christum*, æternæ Vitæ, per omnes temporum OEconomias, Auctorem. Sed Israëlitæ

Quæ hypothesis declaratur.

Loca Jesaiæ, huc facientia.

Ἀντίτυπον illius *Terræ Cananææ.*

In qua proponebantur *caussa vitæ* & *mortis.*

a Apoc. 11. 7. b Jes. xli. 19. xxxv. 6. xliii. 19. c Deut. xxx. 15.

In qua Israëlitæ se pariter passi sunt *seduci.*

non perstiterunt in hoc felicitatis & prosperitatis statu. *Seduci* se passi sunt à Diabolo primo quidem ad *Idololatriam* & impuras Gentium superstitiones aliaque scelera & flagitia, quę *carni* blandiebantur; tum vero deinde ad *Justitiam* cum hypocrisi ex Prærogativis & Operibus in carne præstitis quærendam, abnegata *Justitia Dei*, & Caussa Æternæ Vitæ Vera, Christo Jesu. *Comederunt* igitur tentati & seducti de fructu hujus Arboris, & *ejecti* fuerunt à *vindice Dei manu*, *Terra Domini*, ac privati *Prærogativis*, quibus in Terra Canaan olim gavisi sunt. Sic *mortui sunt*, & illam experti sunt *maledictionem*, quam Dominus iis severe interminatus fuerat.

Simile Factum Ecclesiæ N. T.

XVIII. Sic pariter se res habuit sub OEconomia Nova. Terra tota facta est *Paradisus* post conversas Gentes ad Christum. *Desertum* tunc est mutatum in *hortum Domini*. In illo horto Domini *Christus Jesus* omnibus Adami posteris propositus est ut *caussa Vitæ* omnibus in eum credentibus & præcepta ejus observantibus. Contra moniti sunt omnes Adami posteri, ut abstinerent fructu *Arboris Mortis*, à quo sibi cavere *Prudentia* sit.

In Ecclesia fuit *Arbor mortis.*

Arbor illa Mortis hic primo quidem notat carnis delicias voluptatesque, quę cum vera in Christum fide & statu Novi hominis pugnant: deinde etiam HÆRESES *exitiales*, SUPERSTITIONEM damnabilem, IDOLOLATRIAM, & CULTUM CARNALEM, qui in Ecclesiam adversus veram Novæ OEconomiæ indolem introduceretur à *Pseudoprophetis*, veri Regni Christi adversariis, quos *Antichristum* vocare solemus. De his qui comedit, *moritur*, stylo Scripturæ, *morte secunda* [a]: & vindice Dei manu *expellitur Paradiso Dei*. Sic factum. Diabolus enim magnam eorum partem, qui gaudebant *Nomine Ecclesiæ Christianæ*, suscitata in iis carnali concupiscentia, seduxit ad comedendum de hoc *fructu vetito:* qui plerique mortui & à communione veri Dei Populi seclusi sunt, hoc est, expulsi *Paradiso Dei*, Cœlesti Dei Regno in Ecclesia Novi Testamenti. Hæc sibi omnia optime constant, nec patiuntur adeo nos de veritate hypothesium nostrarum dubitare. De *Paradiso* multa alia dicenda habuissemus, si propositum nobis fuisset in illam nos materiam diffundere.

a Apoc. xx. 14. xxi. 8.

C A-

Caput XIV.

Notabiles & animadversione dignissimæ Historiæ duæ, quæ in Libro Judicum *leguntur de* Angelo Sacerdote, *qualis apparuit duobus illustribus Viris, Gideoni & Manoæ, recensentur & illustrantur, & ex illis omnino probandum suscipitur; tum vere* Angelum Jehovæ *in duobus illis casibus sacrificium fecisse Deo, & in flamma sacrificii oblati in cœlos evectum esse; tum etiam,* Angelum *illum* Jehovæ *fuisse verum* Jehovam Filium Dei, *hoc nomine* κυρίως *insignitum in Historia Populi Hebræi.*

NEmo historiam Patriarcharum & Hebræi Populi apud Mosen cum debita diligentia legit, qui nesciat, sæpius in ea memorari Angelum quendam *insignioris nota*, cui Nomina & Characteres veri Dei passim tribuantur. Ita sane est. Persona illa in Historia Vetere admodum est notabilis, & quę de ea extant testimonia singularem curam & meditationem merentur omnia. Nec tamen inter ea quidquam dignius est animadversione quam quę de eodem illo Angelo nobis relicta sunt in *Libro Judicum*, duobus locis satis illustribus. Exhibetur in illis Angelus ille Jehovæ tanquam *sacrificia faciens Domino*, & cum *flamma eorum in Cœlum ascendens*: cui rei nobis subesse videtur magnum mysterium. Placet itaque hos minime vulgares Casus relegere, & illustrare: & quidem, ut id rite fiat, primo recensere *historiam textus Biblici*, omnis interpretationis spiritualis basin, eamque sublatis difficultatibus planam reddere ac liquidam: & dein veritates mysticas, literarum & verborum illorum cortici involutas, denudare & in apricum proferre.

In historia V. T. sæpe mentio fit *Angeli* alicujus illustris.

Insignis ejus mentio in *Libro Judicum*, ubi proponitur ut *Sacerdos*.

II. Historia *prior*, quę legitur in *Libro Judicum*, Cap. vi. 18, 19. sic habet. Cum posteri Israëlis, jam ducti in possessionem terræ Canaan, posthabitis Dei præceptis peregrinos vicinarum Gentium Deos in Religionem suam recepissent, ac propter illud crimen à Deo *Midianitarum* imperio & populatio-

Historia Gideonis, in qua primo occurrit, recensetur, ex cap. vi. 18, 19.

nibus subjecti essent, illoque nunc pressi jugo miserrime laborarent: Deus *primo* quidem ad illos ablegavit *Prophetam*, ℣s. 8. qui ipsos peccatorum suorum & officii pœnitentiæ moneret: dein vero, instante nunc liberatione populi, à Deo decreta, ipse *Angelus Jehovæ*, qui & in eadem hac historia *Jehova* vocatur, ℣s. 14, 16. *apparuit* Gideoni, destinato Gentis Judææ liberatori, & ipsi Divinum consilium de salute & tranquillitate, per ipsum populo reddenda, exposuit. ℣s. 14. idemque ad exceptionem Gideonis repetiit & confirmavit, ℣s. 15, 16. ad quę *Gideon signum* petiit ab *Angelo*; simul rogavit, ut ibidem morari vellet, usque quo ipse *munus suum protulisset*. Verum hæc ipsa sunt, quę diligentius ad claram facti totius intelligentiam expendi merentur, ac proin ipsa sacri Contextus verba recensere utilius fuerit. *Ne quæso hinc recedas*, (dictum *Gideonis* ad *Angelum*:) *donec ad te veniam*, (revertar) *& producam* את מנחתי munus meum *& deponam coram te: & dixit*; *Manebo hic, usque quo reversus fueris. Ivit autem Gideon præparavitque hædum lactentem, & panes azymos ex Epha farinæ; carnem posuit in canistro, & jusculum posuit in cacabo, protulitque ad eum* (Angelum) *sub quercum*, ויגש *&* adduxit. *Et dixit illi Angelus Dei: Sume* carnem *hanc &* panes hosce azymos et colloca illa ad hanc petram, jusculum *autem* effunde; *& fecit ita. Et* extendit Angelus Jehovæ extremitatem scipionis, *qui in manu ejus erat*, tetigitque carnem et panes azymos: et ascendit ignis ex rupe illa et consumpsit carnem illam panesque illos azymos, & Angelus Jehovæ evasit e conspectu ejus.

Verba Historiæ: *Ne recedas, donec produxero munus meum*: duplicem sustinent interpretationem, quæ producitur.

III. Historia hæc, tametsi insolens ac mirabile factum contineat, obscura non est; nisi quod non admodum clare liqueat, quid sibi voluerit *Gideon* his verbis ab Angelum; *Ne quæso hinc recedas*, donec produxero את מנחתי munus meum. Patiuntur enim illa duplicem interpretationem: vel, *Gideonem* studuisse defungi officio amicitiæ ac hospitalitatis & *Angelo Domini* (quem hactenus pro *tali* non agnoscebat:) edulia quædam ad eum recreandum exhibere; vel, *Gideonem* per *Angelum illum Domini*, quem hactenus respiciebat tanquam *Prophetam*, proposuisse *Deo offerre sacrificium*, ut ex *modo* & *successu oblationis illius* certior redderetur de veritate ingentis promissi, sibi per Angelum illum facti.

facti. Posterioris hujus explicationis mentio occurrit apud Abarbanelem: ואפשר עוד לפרוש שבקש ממנו שלא ימוש משם עד הגישו לפניו מנחה כדי שבה יעשה אתות ומופתים כאש שהוריד אליהו על מנחתו *Patiuntur autem & hunc sensum verba, ut Gideon ab Angelo quaesiverit, ne inde recederet, donec munus suum coram eo adduxisset, ut Angelus in illo munere offerendo ederet signa & prodigia, ad instar ignis, quem Elias in suum munus descendere fecit.* Atque ita jam olim inter Christianos Augustinum [a] haec verba diserte interpretatum esse comperio. *Animadvertendum est*, inquit, *quod Gideon non ait Angelo*, Offeram tibi sacrificium, *sed ait*, Offeram sacrificium meum & ponam in conspectu tuo. *Unde intelligendum est*, NON EUM ANGELO, SED PER ANGELUM SACRIFICIUM OFFERRE VOLUISSE. Pellicanus fere ad eundem modum: *Loquebatur tanquam cum homine Dei*, QUO PRAESENTE DOMINO SACRIFICARE COGITABAT, ET SIGNUM ALIQUOD VIDERE, *quo certior fieret de voluntate divina & assistentia in agendis.* Haud dubie autem occasionem primam huic dederunt expositioni LXX Interpretes, qui verba ℣s. 18. הוצאתי את מנחתי והנחתי לפניך transtulerunt: Καὶ ἐξοίσω τὴν θυσίαν καὶ θύσω ἐνώπιόν σου· *& educam sacrificium, & coram te sacris operabor.* Verum simplicitas orationis suadet verba Gideonis accipere non de *intentione sacrificandi*, sed de *communibus eduliis*, à *Gideone* praeparandis, & *Angelo Domini*, quem Gideon hactenus solummodo ut Prophetam hospitem venerabatur, proponendis. Id vero inde clare evincitur, quod *Gideon* hoedum *coctum* vel *assum* cum *jusculo* ad Angelum Domini produxerit; quod neutiquam fecisset, si in animo habuisset *Deo sacrificium offerre*. Imo clarius etiam id evadit ex historia *Manoa* [b]. Hebraeum autem vocabulum מנחה, quod LXX Interpretibus forte occasionem praebuit in hanc veniendi sententiam, tam accipitur de *munere*, quod hominibus, quam pro eo, quod Deo offertur, ceu videre licet Gen. XXXII. 19. & XLIII. 11.

Verba intelligenda de *eduliis refertoriis.*

IV. Praeter haec nihil quidem aliud in his verbis observandum habeo, quam, ultima verba Contextus; *Et Angelus Domini evasit ex oculis ejus*, sic esse intelligenda, quod *Angelus ille*, qui Sacerdotio functus erat, cum *flamma altaris in coelum ascenderit*. Quod cuivis liquidum erit, qui cum his verbis contulerit histo-

Quo sensu Angelus hic dicatur *evasisse?*

Vvvvvv 3

a Quaest. super Judicum Lib. VII. §. 35. p. m. 308. b Cap. XIII. 15.

historiam *Angeli sacrificantis*, Cap. XIII. 20. Verum hæc ipsa historia nunc à nobis recitanda describendaque erit, altera nimirum nostræ dissertationis basis.

Altera historia similis ex cap. XIII. 20. repetitur.

V. Proditum itaque memoriæ est in Capite illo *tertio decimo* Libri Judicum; quo tempore Israëlitæ rursus propter sua in Deum peccata opprimebantur à *Philistæis*, *Angelum Domini*, veluti Prophetam aliquem, apparuisse *uxori Manoæ*, nulla hactenus prole beatæ, & illi *fœtum masculum* pollicitum esse ac prænunciasse; simul illam docuisse, quo pacto gravida mores suos componeret; at, cum hæc *Manoa* absente gesta essent, Manoam, de re tota ab uxore instructum, Deum serio rogasse, ut idem ille Vir Divinus iterum ad uxorem suam seque accederet, quo de more educandi infantis promissi certius clariusque edocerentur; Deum vero hanc gratiam ipsi indulsisse. cum itaque Vir ille Divinus, sive *Angelus*, denuo ipsis appareret, tum vero dixisse Manoam, ℣ſ. 15. *Detineamus te quæso, & preparemus* לפניך CORAM TE *hædum lactentem*. Sequitur jam in textu: *Et dixit Angelus Domini Manoæ: Si detineres me, non comederem de cibo tuo, &* SI FACTURUS SIS HOLOCAUSTUM, DOMINO ILLUD OFFERES: *Ignorabat enim Manoah, illum esse Angelum Domini. Et dixit Manoa Angelo Domini, quod tibi nomen est; ut, si prædictioni tuæ responderit eventus, te honoremus. Et dixit ipsi Angelus Domini; Quamobrem sic serio* NOMEN *meum rogas, cum* ILLUD SIT MIRABILE? *Et sumpsit Manoah hædum lactentem & munus, eaque super rupe Domino obtulit;* IPSE AUTEM מפליא לעשות MIRIFICE FACIEBAT, *Manoa & uxore ejus videntibus. Et fuit, cum flamma sacrificii cœlum versus ascenderet, ut* ANGELUS DOMINI *in flamma altaris simul ascenderit: Manoa autem & conjux ejus viderunt factum & in facies suas humi prociderunt.* Hucusque verba textus nostro serviunt scopo, ad quæ illustranda brevitatis caussa quædam dabimus scholia, antequam ad rem ipsam progrediamur.

Verba obscuriora: *si detineres me*, &c. explicantur.

VI. *Si detineres me, non comederem de cibo tuo, & si facturus sis holocaustum,* DOMINO *illud offeres*] Manoa, videns, Angelum Domini se ad discessum parare, conatus est, illum diutius detinere, dixitque adeo; *Preparemus* לפניך *coram te hædum lactentem*: Ad quæ Angelus: *Si detineres me, &c.* Abarbanel:

Abarbanelis interpretatio.

והנה אמר המלאך אם תעצרני לא אוכל בלחמך' רוצה לומר אתה כנות אמרת תעשה

נעשה לפניך גדי עזים' איני יודע אם כונתך לעשותו לפני לאכול ממנו או לעשותו לפני עולה לה' כי שני המובנים יכלול זה המאמר אחרי אשר לא אמר נעשה לך גדי עזים כי אם נעשה לפניך ולזה השיבו לשני המובנים ואמר אם תעצרני לא אוכל בלחמך וזה כנגד המובן הראשון שיעשה אותו לאכלו עם וכאלו אמר אל תחשוב שעם האכילה אתעכב כאן כי ודאי לא אוכל בלחמך ----- ולמובן השני השיב ואם תעלה עולה' אם כוונתך באמרך נעשה לפניך להעלות ממנו עולה לה' תעלנה' כי אין ראוי לעלות עולה לשום מלאך כי אם ליי' לבדו *Ecce autem Angelus dixit*; Si me cupias detinere, non comedam de pane tuo: *Vult dicere*; *Tu Manoa dixisti*, Præparemus CORAM TE hœdum lactentem; *nescio num intentio tua sit, illum hœdum mihi in cibum præparare, num vero illum Domino me coram parare in holocaustum. Dictum enim illud ambobus his modis intelligi potest*; *quandoquidem Manoah non dixit*; Faciamus לך TIBI hœdum lactentem, *verum*; Faciamus לפניך CORAM TE, &c. *Duplici autem illi sensui, quem hoc dictum ferre potest, Angelus suum accommodavit responsum, dixitque*; Si me cupias detinere, non comedam de pane tuo: *idque respectu sensus prioris, si Manoa intentio fuisset, ipsi Angelo hunc cibum comedendum offerre*; *quod tantundem est acsi dixisset: Ne putes, me comedendo hic diutius esse moraturum, quia certissime de pane tuo non comedam. Respectu posterioris vero sensus respondit*; Sed si animus tibi est offerre holocaustum, &c. *Hoc est, si per verba*; Faciamus CORAM TE, &c. *id velis, quod de illo cibo holocaustum sis oblaturus*, DOMINO *illud offeres, quia holocaustum non convenit ulli offerre Angelo, sed soli Deo.* Quis negat, ingeniosam hanc esse Abarbanelis commentationem? Certe si *nihil ambigui* infuisset in propositione *Manoa*, non admodum necesse habuisset *Angelus* illam duplici eaque distincta responsione excipere.

VII. *Si paraturus sis holocaustum*, DOMINO *illud* OFFERES.] Quid hoc sibi vult, quod Angelus dicit, DOMINO *illud* OFFERES? Abarbanel, ceu ex verbis ejus modo descriptis liquet, putat, *Angelum* his verbis de *Deo* loqui opposite ad *se ipsum*, acsi dicere voluisset: *Si tibi consilium sit* לפני *coram me holocaustum aliquod offerre*, illud non offeres MIHI, sed DOMINO, Deo supremo, cujus legatum ago. Nefas enim erat, ait Abarbanel, *Angelis sacrificare*. David Kimchi existimat, Angelum de *Deo* loqui opposite ad *idola*; quandoquidem Judæus populus eo tempore

Ἐπίκρισις ad ejus sententiam.

Kimchii cogitatio.

pore ad idololatriam desciverat: ובאמרו ליי׳ לפי שאותו הדור היו עושים הרע בעיני יי׳ והיו מעלים עולות לאלהים אחרים *Quod autem dicit* Domino, *eo referendum est, quod illius ætatis homines patrarent quod malum erat in oculis Domini, & Diis peregrinis sacrificia facerent.* Augustinus in eandem scribit sententiam [a]. Commentatorum nostrorum alii celebriores, in quibus sunt Belgæ, Diodati, Burmannus, mallent, *Angelum* his verbis *ad se ipsum* respicere, iisque *Manoa* tacite innuere, *se esse Jehovam*; hoc fere sensu: *Si statutum tibi sit coram me holocaustum parare, vere illud offeres* Domino, quia ego vere sum *Dominus* sive *Jehova.* Quo tum putant respicere, quod mox sequitur: *Ignorabat enim Manoah, illum esse Angelum Domini.* Speciosa quidem illa est sententia, quæ & mihi placeret, nisi ex sequentibus hujus Contextus verbis constaret, (quod mox latius probandum erit:) *hoc holocaustum à Manoa non esse oblatum Angelo Domini*, sed *ab Angelo Domini* oblatum esse *Domino.* Dein ad id advertendum est, non dici in textu, *Manoam ignorasse*, eum, qui secum loquebatur, esse *Jehovam*, verum nescivisse, illum esse *Angelum Jehovæ.* Abarbaneli tamen, qui oppositam tenet sententiam, neutiquam quoque accedo, quia cum hic *Angelus Domini* vere ipse fuerit *Dominus* & *Jehova*, quemadmodum probanbum erit in sequentibus; nulla justa caussa subesset, quare hic *Angelus Domini* de *Domino* loqueretur opposite *ad se ipsum.* Accedit, quod, cum *Manoa* hactenus non suspicaretur, hunc *Angelum* vere esse *Angelum Domini*, ac proinde neutiquam per illa sua verba id intenderit, ut *ipsi illi Viro* sacra faceret: Angelus etiam frustra per suam responsionem Manoam officii sui hoc in casu monuisset. De Augustini autem illa & Kimchii interpretatione quid dicam? Non liquet ex textu, *Manoam* & *uxorem ejus* se inquinasse crimine idololatriæ, ac proin non videntur opus habuisse peculiari ejusmodi admonitione. Quidsi itaque dicamus, in voce ליהוה frustra hoc loco emphasin quæri, & verba sic simpliciter exponenda esse: *Sed si paraturus sis holocaustum, licitum tibi fuerit illud* Domino *offerre*, vel, *offer illud* Domino, *si ita placet*, non repugno. Locutus fuerat Manoa de parando hœdo. Angelus ait, se de hœdo non comesturum, si illum sibi ut hospiti

[Margin: Aliorum ex recentioribus sententia, & de ea judicium.]

[Margin: Nec non de ea Augustini & Kimchii.]

a Quæst. in Jud. Lib. VII. Cap. LIII.

hospiti in cibum paraturus esset: *attamen*, ait, si tibi statutum sit inde *holocaustum parare*, *para illud*, si placet, *Domino*; nihil est quod consilio tuo obnitar. Hæc simplicia mihi videntur & liquida. Nefas tamen esset sicco pede præterire Augustini ad hæc verba commentationem, hactenus non relatam, ingeniosissimam certe & speciosissimam. Augustinus jacit, Manoam non sic simpliciter Angelum tanquam hospitem voluisse excipere *cibo* hœdi lactentis, verum *cibo* illius *hœdi*, prius offerendi in *sacrificium eucharisticum*, & dein pro more à sacrificantibus convivis comedendi; Angelum vero noluisse *sacrificium eucharisticum*, (שלמים) sed עולה *holocaustum*; eo autem pertinere verba *Angeli: Si paraturus sis* עולה HOLOCAUSTUM, *offer illud Domino*. *Holocaustum* nimirum opposite ad *Eucharisticum*. Verba Augustini: *Quod ergo ei dixit*, Vim faciamus tibi nunc, & faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum, *tanquam hominem invitavit*, *sed ita*, UT HOC CUM ILLO EPULARETUR, QUOD SACRIFICIUM FECISSET. *Nam* facere hœdum caprarum *dici non solet*, *nisi cum sit sacrificium*. *Denique & ille ita respondit:* Si vim feceris mihi non manducabo de panibus tuis: *ubi ostendit*, *se fuisse ad epulas invitatum*. *Denique addidit :* Et si feceris holocaustum, Domino offeres illud. *Utique ideo dixit*, si feceris HOLOCAUSTUM, *quia ille dixerat*; Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum. *Non autem omne sacrificium* HOLOCAUSTUM *erat*, *nam de* holocausto *non manducabatur*, *sed totum incendebatur*, *& ideo vocabatur* holocaustum. Sane moris fuit apud Hebræos pariter ac apud Gentiles, *sacra* Deo facere *eucharistica*, & de illis post sacra peracta convivium instituere & amicos suos ad illud invitare, quemadmodum patet ex 1 Sam. IX. 12, 13. XVI. 5. Imo moris quoque fuit apud Gentiles sacrificia facere, in honorem hospitum, ut apud Homerum Rex Lyciæ *Bellerophontem* magnifice narratur excepisse, *mactatis sacrificiis* [a]:

Augustini commentatio distinctius recensita.

Moris fuit apud Gentiles ex *Eucharisticis* instituere Epulum.

> Πρϕφονέως μὲν τῖεν ἄναξ λυκίης ἐυρείης
> Εννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν·
> *Prompte ipsum honoravit Rex Lyciæ spaciosæ,*
> *Per novem dies hospitio illum excepit, &* NOVEM BOVES SACRIFICAVIT.

Xxxxxx Nec

a Iliade, Cap. VI.

Verus ſenſus Manoæ.

Nec tamen facile mihi perſuadeo, Manoam prima ſua propoſitione quid aliud intendiſſe, quam ut *Angelo* epulum aliquod *hoſpitale* pararet *abſque ſacrificio*. Manoæ enim Danitæ nullum erat ſacrificandi jus; nec aliud ullum in ſacris exemplum occurrit, ex quo conſtet, *hoſpites privatos* à privatis in primo congreſſu hoſpitali ſacris euchariſticis exceptos eſſe. Imo apud Gentiles etiam inter privatos id rarius accidit; & ſi hanc hiſtoriam conferamus cum illa *Abrahami* [a], & *Gideonis* [b], commodiſſime illam intelligemus de *ſimplici epulo*, quod hoſpes hoſpiti pro recepta olim conſuetudine præbebat: de cujuſmodi hoſpitalibus epulis multa congeſſit Stuckius [c]. Quod autem Auguſtinus ſuam hanc ſententiam fundet in voce *facere*: agnoſcimus ultro, tam latinum *facere* quam hebræum עשה/ in *profanis* & *ſacris* Scriptoribus crebro & proprie in materia ſacrificiorum pro ipſo *ſacra facientis* actu uſurpari, verum adhibetur quoque commodiſſime ad denotandum *actum parandorum eduliorum* [d], quando à Belgis recte vertitur: **Bereyden: Toemaken.**

Uſus diverſus voculæ עשות in Sacris.

Quare hiſtoria addat, Manoam ignoraſſe, Angelum Domini ſibi adeſſe?

VIII. *Ignorabat enim Manoa, illum eſſe Angelum Domini*] Non licet cætera adeo prolixe perſequi. Non improbo hic ſententiam Kimchii, hanc παρένθεσιν vel ἐπίθεσιν non eſſe referendam ad immediate præcedentia, ſed ad excuſandam *Manoæ* propoſitionem de *parando epulo*, quando facillimum dat ſenſum. Kimchi: כי לא ידע' טעמו דבק עם נעצרה נא אותך Nam ignorabat: *Senſus ejus cohæret cum verbis; Detineamus quæſo te.* Si tamen omnino hæc verba referre velis ad immediate præcedentia, licebit illa hoc modo interpreteris: Quod etſi Angelus cibum recuſando & holocauſti mentionem injiciendo non obſcure proderet, ſe non eſſe de hominibus hominem, ſed Angelum de Coelo: Manoa tamen hactenus ex illis indiciis non intellexerit, ſibi rem eſſe cum Angelo. Sic vellet Abarbanel. Secundum illam tamen interpretationem commodius ſcriptum fuiſſet ולא ידע quam כי לא ידע.

Difficultas in verbis, כי שכן.

IX. *Et dixit Manoa Angelo*, QUOD TIBI NOMEN EST] Kimchius & Raſchbam hic ſatis operoſi ſunt in reſolvenda difficultate Grammatica, quę jacet in verbis; מי שכך/ quę proprie ſonant;

a Gen. XVIII. 5. b Jud. VI. 19. c Antiq. Conviv. Lib. 1. Cap. XXVII. d Gen. XVIII. 7, 8. 2 Sam. XII. 12.

nant; Quis *est nomen tuum*; cum Grammatice dicendum sit: מה שמך Quod *tibi nomen?* Notat enim id, quod verissimum est, voculam מי non usurpari in Scriptura nisi de *substantia intelligente*, aut illius *nomine* proprio *cognito*. Expediunt autem difficultatem hoc modo, quod *Manoa* ex circumstantiis omnibus probe perceperit, hunc Virum valde esse celebrem ac *honoratum* & existimationis amplissimæ, ac proin *ex ipso suo nomine* satis cognoscendum, etiamsi persona ejus ipsa hactenus sibi incognita fuerit. Rogat igitur, Quis *est nomen tuum*; non vero, quod *est nomen tuum*, quia non dubitabat, quin per nomen ejus, ut celebris & clari hominis, cognitum ipsa etiam persona sibi mox innotesceret. Non abnuo. Simplicius tamen, meo judicio, dici potest, verba, מי שמך contracta esse pro iis; מי אתה ומה שמך *Quis es, & quod tibi est nomen.*

Quo modo ab Intt. Hebræis expediatur.

X. *Ut si verbum tuum eveniat, te honoremus*] Verba duplicem patiuntur expositionem; vel hanc: *Ut si per nuncium nobis mandaveris, quid in tui gratiam à nobis fieri velis, reverentiam tibi debitam præstemus, & placita tua exequamur*, quomodo fere Raschi; vel etiam; *Ut, si eventus comprobet verborum tuorum veritatem, te nostris honoremus officiis & muneribus*, quo Paraphrasta, Kimchi, Raschbam, & Interpretes recentiores passim nostri, propendent. Non nego, utramque expositionem tolerari posse: existimem tamen, hebræam phrasin magis favere posteriori huic quam priori exegesi. *Honorare* autem heic non significat solam reverentiam, alicui exhibendam, sed cum *reverentia* officia & *munera*, alicui deferenda: quomodo τιμὴ & τιμᾶν accipiuntur cum alias tum 1 *Tim.* v. 3. 17.

Exegesis sequentis pericopæ de *honorando verbo Angeli Domini.*

XI. *Quamobrem nomen meum rogas*, cum illud sit mirabile?] LXX. Καὶ αὐτό ἐςι θαυμαςόν· *& illud est mirabile*. Verbum פלאי hic non est accipiendum pro ipso *Angeli nomine*, quod forte alicui videri posset ex collato loco Jes. IX. 6. tum, quia Angelus responsione sua satis innuit, se nomen suum *nolle revelare*, (Confer Gen. XXXII. 29.) tum, quia in hebræo textu non fuisset scriptum, והוא פלאי *& illud est mirabile*, hoc est, *cum illud sit mirabile*, sed simpliciter הוא פלאי *Illud est* Peli, sive *mirabile*. Multo minus verba והוא פלאי transferri velim; *Et ipse*, (Angelus) *erat mirabilis*, hoc est, mirandum se præstabat in actio-

Quo sensu Angelus dicat, Nomen suum esse *mirabile*?

nibus ſuis: nam de eo in ſequentibus adhuc verba fiunt. Τὸ פלאי itaque in hoc textu cum Grammaticis Kimchi & Raſchbam ſumendum eſt ut *nomen adjectivum*, cum *Jod Patronymico*, cujuſmodi plura dantur alia, valetque tantundem ac נפלא. *Mirabile* autem dicitur *nomen Angeli*, ſecundum Commentatores Hebræos, quia eſt מכוסה ונעלם TECTUM & OCCULTUM, adeo ut nemo id intelligere queat. Jonathan id tranſponit per מפרש / quod juxta Kimchium eſt, מופרש ומובדל *ſeparatum diſtinctumque à cognitione humana.* Raſchbam: שמי נפלא ונשגב מלהודיעו לך *Nomen meum adeo mirabile & excelſum eſt, ut tibi id revelare nequeam.* Nos vero Chriſtiani, quibus myſterium Patris & Filii innotuit, vim hujus nominis clarius intelligimus.

Manoah ſumpſit *hædum caprarum*, &c.

XII. *Et ſumpſit Manoah hædum caprarum, &c.*] Haud dubie id egit Manoa ad novum Angeli præſcriptum ſive præceptum, tametſi illius nulla in textu mentio. Facile tamen id colligas ex loco comparato *Jud.* VI. 20.

Verba: *Et mirabiliter faciebat*, accipienda ſunt de *Angelo Domini*.

XIII. *Et mirabiliter faciebat.*] Heb. ומפליא לעשות. Commentatores Hebræi recte obſervant ex collato loco Jud. VI. 21. verba hæc referenda eſſe ad *Angelum*, & *mirabilem* illam *actionem Angeli* ita interpretantur, quod *Angelus* circa ſacrificium, à Manoa rupi impoſitum, mirabile aliquod ſignum ediderit; ſacrificium nimirum attingendo, *ignem de petra educendo*, idque conſumendo.

Kimchii ſententia.

Kimchi: ומפליא לעשות׳ המלאך היה מפליא לעשו׳ בהוצאת האש מן הצור ואכול הגדי והמנחה וכשהאש גדל והעלה להב עלה מלאך י״ כלומר נסתלק מעליהם בלהב Et mirabilia faciebat: *Angelus mirabilia operabatur, ignem de petra educendo, conſumendoque hædum & dapes adjunctas: & quando ignis ſibi vires acquiſivit & in flammam erupit, aſcendit Angelus Domini, hoc eſt*, RECESSIT AB IPSIS IN FLAMMA. Sic pariter Abarbanel.

Aliorum Intt. ſententiæ.

Bene habet, quod Cl. Burmannus mihi in eo præiverit, cum alii Scholiaſtæ heic vel prorſus ſileant, ut Belgæ; vel mirandam hanc Angeli actionem reſtringant ad illius *aſcenſionem in flamma ignis*, ut Caſtalio & Diodati. In cæteris autem Latinus Interpres hic vehementer erravit, quando hæc verba prorſus in alienum & peregrinum detorſit ſenſum. Textum vertit: *Et poſuit ſupra, offerens Domino,*

Latini Intt. error.

qui facit mirabilia. Senſus Verſionis Latinæ ſecundum Nicolaum hic eſt, quod *Manoa* ipſe ſacrificium non obtulerit, ſed

illius

illius oblationem demandaverit Angelo, qui dixerat nomen ſuum eſſe פלאי *mirabile*. Verum illa interpretatio ſatis eſt implicita. Secundum Liranum enim dictum fuiſſet hebraice; כפליא לעשות abſque ו / aut אשר הוא מפליא לעשות. Præterquam quod פלאי & כפליא לעשות conceptu differant.

XIV. Expeditis hiſce difficultatibus textus, quę non erant nullius, ad rem ipſam, quam nunc agimus, propius accedendum eſt; ad quam tamen ut ordine veniamus, *duo* à nobis præmonenda, & diſtinctius comprobanda erunt, 1. Angelum Domini, qui in binis his locis memoratur, ſpectandum eſſe ut Sacerdotem. 2. Angelum illum Domini ipſum eſſe Filium Dei, olim manifeſtandum in carne: quibus rite demonſtratis cætera facilius fluent.

Duæ hypotheſes jactæ ad penitiorem ſenſum verborum aſſequendum.

XV. *Prius* fruſtra probandum non ſuſcipitur. Etenim non abſque ratione dubitatur, an non *Gideon* & *Manoa* in duplici hac hiſtoria majore jure dicendi ſint *Sacerdotum* functi eſſe officio, quam *Angelus*. Illi nimirum præpararunt victimam eamque collocarunt in altari more Sacerdotum, & *Angelus Domini*, Deus ipſe Deumque repræſentans, illam *igne conſumpſit*, quemadmodum Deus in ſingularibus caſibus ſolitus erat agere durante œconomia antiqua temporis. Fallimur igitur, quod *Angelum Domini* hic indicamus ut *Sacerdotem*. Imo non fallimur. Tametſi enim non inficier, eſſe hic, quod ſtudioſum veritatis ſuſpenſum tenere queat, ratione tamen non inimica, præſtantiſſimis quoque Commentatoribus conſentientibus, *Angelum Domini* hic facio *Sacerdotem*. *Primo* enim, quicquid *Gideon* & *Manoa* circa oblationem horum ſacrificiorum peregerunt, id illi non ſua egerunt ſponte & arbitrio, nec ſuo etiam nomine, ſed ad mandatum & præſcriptum *Angeli*, ejuſque nomine & auctoritate; quare actio non tam ipſis, ut miniſtris, quam *Angelo*, ad cujus arbitrium & gratiam omnia geſta ſunt, adſcribenda venit. Vel, ſi quis pertinaciter in illa ſua opinione hæreat, quod *Gideon* & *Manoa* hic functi ſint officio *Sacerdotum*, is ſaltem nobis largietur, *Angelum* hic conſiderandum eſſe tanquam *Sacerdotem Summum*; ad cujus nimirum præceptum omnia peracta ſunt, illos vero ut *Sacerdotes miniſtros*, inferioris ordinis. Sic Exod. xxiv. 6, 7, 8. *Juvenes Iſraëlitarum* ad juſſum *Moſis* ut

Prior eſt, Angelum Domini in utroque hoc caſu functum eſſe officio *Sacerdotis*.

Gideon & Manoas, in omnibus obſequuti ſint Angelo Domini.

Et ſpectandi ſunt ut Miniſtri Sacerdotis, Angeli Domini.

ut ἀρχιερέως (Sacerdotium enim Aaronicum tum nondum inſtitutum erat:) *ſacrificia mactant* & mactata imponunt altari, *Moſes* vero ut Sacerdotum Princeps & ſummus Dei Legatus *aram* ac *populum ſanguine illorum adſpergit* πρὸς βεβαίωσιν τῆς διαθήκης. Videndum tamen, an non *Gideon* & *Manoa* hic potiore jure ſolummode habendi ſint pro *Sacerdotis Angeli miniſtris*, & an non univerſum hoc ſacrificium referendum ſit ad *Angelum*. Utique Hebræi Scholiaſtæ non abſque judicio obſervant, *Angelum* in his caſibus ſe habuiſſe ad inſtar *Eliæ*, 1 Reg. XVIII. 34. & *Gideonem* comparant cum *Iſraëlitis*, qui Eliæ in illo ſacrificandi actu fuerunt à manibus. Sane ut *Angelus* Domini Gideonem jubet victimam rupi impoſitam liquore juris perfundere: ſic pariter *Elias* Iſraëlitas juſſit animantes, altari impoſitas, perfundere aqua. Et quis dubitet, quin iidem Iſraëlitæ Eliæ quoque à miniſterio fuerint in extruenda ara, mactandis ſecandiſque animantibus, fodienda ſcrobe, adducendis lignis, etiamſi illa in textu ad *Eliam* referantur, ceu ad auctorem operis principem? Quare quid vetat *Angelum* ſolum hic æque reſpicere ut

Angelus Domini Sacrificium incendit: quod Sacerdotum eſt.

Sacerdotem, quam *Eliam* in caſu prorſus ſimili? *Secundo* jam perpendi velim, *Angelum Domini* ſacrificium *accendiſſe: quod officium Sacerdotibus Aaronicis* in præceptis Moſaicis frequentiſſime demandatur & adſcribitur. Sacerdotis, inquam, erat *victimam accendere* [a]. Angelus autem in his noſtris caſibus vere habendus eſt ſacrificia accendiſſe. Nam, quod hic neutiquam prætereundum eſt: *ignis*, qui *ſacrificia Angeli* conſumpſit, non deſcendit *cœlitus*, quemadmodum in aliis caſibus rariſſimis factum eſt, ſed prorupit ex *ipſa petra*, poſtquam Angelus ſacrificium ſcipione tetigiſſet, ac proin comparandus eſt cum *igne altaris*, qui parandus, fovendus, & conſervandus erat à Sacer-

Verba hiſtoriæ, quibus *Angelus Domini* dicitur *mirabiliter feciſſe*.

dotibus Aaronicis [b]. Imo quando *Angelus* in *hiſtoria Manoæ* dicitur הפליא לעשות MIRABILITER EGISSE; inde liquido colligas, Manoam poſt præſtita Angeli juſſa hanc victimam miſſam feciſſe, & reliqua operis Angelo ut *Sacerdoti* demandaſſe; quippe vocabulum עשה/ ut jam ſupra animadverſum eſt, notat *actionem Sacerdotis*. Addamus *tertio*, ex ipſis quoque circumſtantiis textuum illorum, rite perpenſis, non obſcure colligi, *Gideonem*

a Lev. I. 7. 9. 13. VI. 12, 13. VII. 5. 31. b Lev. I. 7. VI. 12, 13.

deonem & *Manoam* sibi, præsente Angelo, non sumpsisse honorem Sacerdotii. Cum enim *Angelum* hactenus spectarent ut Prophetam Domini & extraordinarium ejus Legatum, & cum sacrificandi munus honoratioribus tantum personis & singularibus Dei Legatis, durante Sacerdotio Aaronico, olim extra ordinem commissum sit: quis facile recipiat, *Gideonem* & *Manoam* præsente Angelo hanc Sacerdotis personam induere sustinuisse, & non potius hunc honorem & has partes Angelo, ut honoratiori & graviori sua opinione Viro, voluisse deferre? Et cum præterea constet, Angelum post peracta *Gideonis* & *Manoæ* ministeria, decori Angeli minus convenientia, victimæ adolendæ partes ab his ministris suis in se transsumpsisse: quis amplius dubitet, quin *Angelus Domini* vere in his casibus se præstiterit *Sacerdotem*?

Eruditi Viri ex Hebræis & Christianis, qui hanc sententiam adoptant.

XVI. Hæc vero sententia, ut jam præmonui, non meis tantum his rationibus nititur, sed præterea munitur præsidio quorundam exercitatorum Divini Verbi Interpretum. Kimchi equidem fateor cum antiquioribus Judæis, quorum scitum allegat, Gideonem & Manoam ipsos facere videtur Sacerdotes: at Abarbanel ad nostras propendere partes, ubi est in explicando dicto; ומפליא לעשות. Inter alia habet: ומנוח ואשתו רואים מה יעשה אם יאכלהו או יעלהו עולה *Manoa autem & uxor ejus advertebant, quid facturus esset, an nimirum illud comederet, an vero illud offerret in holocaustum.* Si ita, ergo hactenus *Manoa* sacrificii oblationem non perfecerat, sed illius consummationem Angelo demandaverat. Inter Christianos autem hanc amplexus est opinionem Augustinus, *Quæstionibus* super *Judicum*, ad historiam Gideonis [a]. *Ita etiam*, ait, IPSE ANGELUS *in sacrificio, quod obtulit Gideon*, OFFICIUM MINISTRANTIS IMPLEVIT; *ignem quippe homo minister ut homo sine miraculo subjecisset, quem mirabiliter ut Angelus iste subjecit.* Liranus pariter: *Manoa non erat de Genere Sacerdotum & ideo ad eum non pertinebat offerre sacrificium, sed* OBTULIT MATERIAM SACRIFICII EI, QUI SIBI LOQUEBATUR IN NOMINE DEI, *qui dixerat, nomen suum esse mirabile vel occultum*, UT EX ILLA MATERIA FACERET SACRIFICIUM. Gratissimum porro accidit, quod Cl. Burmannus, probatissimi, ut constat, Interpretis judicii,

a Lib. VII. Cap. XXXV.

dicii, in eandem hanc sententiam diserte scripserit in suis ad hunc Librum Commentariis. Belgica ejus latine vertam: *Quod sacrificium illo in loco & quidem per Manoam extra ordinem factum est, quippe factum jussu Angeli: magis autem,* CUM MANOA IPSE NON OBTULERIT, *sed* SACRIFICIUM SOLUMMODO DETULERIT AD ANGELUM, QUI ILLUD IPSUS OBTULIT.

Altera hypothesis: *Angelum* hunc non fuisse de genere *creatorum Angelorum.*

XVII. Transeo ad *alteram hypothesin*, sequenti dissertationi à me substratam, quod nimirum *Angelus*, qui *Gideoni* & *Manoa* apparuit, non fuerit de genere creatorum Angelorum, sed Angelorum & hominum Princeps, ipse *Filius Dei*, alias מיכאל & *ἀρχάγγελος* dictus. Christianis hominibus, qui mysterium sanctæ *τριάδος* credunt, id non difficulter persuasero; Judæorum & sectatorum Socini nunc fere rationem non habeo. R. L. Ben Gersom, non absurdus cætera Scripturæ Interpres, absurdissime tamen & contra omnem rationem heic contendit, *Angelum*, qui Manoæ apparuit, fuisse Prophetam *hominem*, & quidem *Pineasum*; quem ipsum quoque *Pineasum* intellexerat per *Angelum*, cujus mentio est Cap. II. I. & per *Prophetam*, qui *Gideoni* apparuit Cap. VI. 8. & simul per *Angelum* Domini, qui *Gideoni* manifestatus est post *Prophetam*, Cap. VI. II. quam ille sententiam suam eo adstruit, quod Veterum Judæorum fides fuerit, *Pineasum* longissimam vixisse ætatem, adeo ut non tantum adhucdum extiterit tempore Davidis, sed persuasum quoque illis fuerit, ipsum hunc *Pineasum* fuisse *Eliam Prophetam*.

Gersomidæ sententia.

Rationes ejus confutatæ.

Commentum, ut quisque sentit, futilissimum. Gersomi Filio hæc est ratio, quod *Angeli* simul *pluribus* non consueverint *illo modo* loqui, quo feruntur in Historia Judicum; quæ quidem ratio nulla est. Quod autem Veteres Judæi in *Seder Olam Angelum* illum eundem faciant cum *Elia*: petitum ab ipsis est, ut Gersomides ait, ex similitudine oblationum Angeli & Eliæ. quod & ipsum nullius est. Abarbanel hanc opinionem sprevit & refutavit; nos illam seria refutatione indignam censemus. Supponimus igitur, ut quod ex historia & circumstantiis factorum quam clarissimum est, *Personam* Gideoni & Manoæ apparuisse non *humanam*, sed *cælestem spiritualem*. An vero *Divinam*? Ita est.

Angelus ille

XVIII. I. *Angelus ille* in historia Gideonis exacte vocatur

יהוה

יהוה / ꝟſ. 14. *Et respexit ad illum* יהוה DOMINUS. ꝟſ. 16. ויאמר אליו יהוה *Et dixit illi* DOMINUS. Imo, quod hic diligenter obſervandum eſt, *Angelus* hic compellatur à *Gideone* titulo אֲדֹנָי cum *Kamets* in fine, ꝟſ. 15. quomodo *punctatum* ſoli Deo adſcribitur; cum in ꝟſ. 13. antequam *Angelus* ille vocatus eſſe *Jehova*, ſignate vocetur אֲדֹנִי cum *Chirek*, quo titulo *homines* honoratiores compellari ſolent. Verum equidem eſt, voces *Adonai* & *Adoni* non differre *literis* ſed *vocalibus*, ac proin univerſum hujus argumenti robur recumbere in fidem & auctoritatem illorum, qui Codicem Biblicum *punctis vocalibus* inſtruxerunt. At liquet, 1. Criticos illos ſacros ſive Veteres ſive recentiores ſumma fide circa punctationem vocum verſatos eſſe, & ſemper ſequutos lectionem genuinam πατροπαράδοτον. 2. *Chaldaeam Paraphraſin* (Græca, fateor, diſſentiente:) hanc lectionem confirmare. 3. Et ipſum textum cum ratione abſque præjudicio conſideratum hanc punctationem ut genuinam probare ac ſuadere.

expreſſe appellatur *Jehova*.

Et אדני cum Kamets.

XIX. Judæi autem ſe heic non parum fatigant. Chaldæus Paraphraſtes, quem ſequutus eſt Jarchius, arbitratur, *Deum ipſum* præter *Angelum* hic *Gideoni* apparuiſſe, & *Gideonem*, miſſo ad tempus Angelo, ſermonem ſuum ad Deum ipſum direxiſſe. Chriſtianus Schotanus, è Deceſſoribus noſtris Vir meritiſſimus & doctiſſimus, in *Bibliotheca Sacra* vix diſſentit, evincens quibuſdam rationibus, *duas* hic *Perſonas* memorari, cum Gideone agentes, *Dominum* & *Angelum ejus*, etſi in eo nobis plane conſentiat, per *Angelum Domini* ipſum intelligendum eſſe *Filium Dei*. Inviti ab illo diſceſſionem facimus, quia illius judicium in aliis non paucis probamus. Simplicitas orationis ſic ſentire vetat. Quomodo enim commode concipiemus, *Deum* præter *Angelum* cum Gideone eſſe colloquutum, Angelo præſente, & illud in textu diſtinctius non ennarrari? Quid neceſſe habebat *Deus* cum ipſo loqui בעצמו *immediate*, ut Jarchi, cum *Angelum* ad Gideonem hac fine ablegaſſet? Quare etiam Gideon ad ipſius Dei immediatam converſationem non trepidavit, cum tantopere perterritus fuerit, quando poſt rem geſtam intellexit, ſe *Angelum vidiſſe*? Ne dicam, obſtare huic ſententiæ *comma* 17. Præcipua Cl. Schotani ratio deprompta eſt ex ꝟſ. 23. ubi Gideon

Quo modo Judæi ſe hic expediant?

Cl. Schotani judicium de hoc loco.

An duæ affuerint perſonæ, *Jehova* & *Angelus ejus*?

Arg. ex verſ. 23. dilutum.

Yyyyyy poſt

post Angeli discessum sermonem cum Deo miscuit. Non nego, in ea aliquam inesse speciem. Absque ullo tamen incommodo sic respondemus, *Gideonem* post Angeli discessum perterrefactum ac attonitum tum demum se ad Dominum directe convertisse, ejusque opem ad sui conservationem implorasse; ad quod Dominus sive per vocem sive ad phantasiam ipsius respondit.

Judæorum Intt. exceptio ad argumentum pro divinitate Angeli ex Nominibus יהוה & אדני cum Kamets.

XX. Alii Scholiastæ Biblici inter Judæos Kimchi, Ralbag, Abarbanel, &c. qui nobuscum statuunt, *Gideonem* hic cum unica tantum *Persona* egisse, nec tamen ipsum hic agnoscunt Dei Filium, ita se expediunt, ut statuant, *Nomen* יהוה *huic Angelo* tribui ceu *Legato Domini*; quæ ipsa quoque Grotii glossa est. Quod autem *Angelus ille* dicatur ארני cum *Kamets*, David Kimchi, quem alii sequuntur, ait, τὸ אֲדֹנָי cum *Kamets* in hoc loco non esse capiendum ut קדש *Nomen sanctum*, soli Deo proprium, sed ut חול sive *κοινὸν commune*. *Kamets* enim τῷ *Adonai* substitutum esse propter accentum *Sakeph*, non ut signum *nominis sancti*. Verba ejus habe: בי ארני בכה אושיע לשון חול הוא כי עדיין לא ידע גדעון כי מלאך יי הוא וכן אמר לו מתחלה בי אדני בחירק הנון ונקמץ זה מפני הזקף Quæso Domine, quo servarem? *Vocabulum* ארני *communi hic significatu usurpatur, quia hactenus non cognoverat Gideon, ipsum esse Angelum Domini, atque ita dixit ipsi in initio* בי ארני *cum Nun Chirikato, hic autem occurrit cum Kamets propter Sakeph.* Miseret me Grammatici, veritati sibi cognitæ obstrepentis. Etiamsi enim sane aliquibus in locis, licet rarioribus, *accentus Sakeph vocalem brevem* commutet in *longam*, & vocabulum ארנים *in plurali* apud hebræos quandoque *uni* tribuatur *Personæ singulari*: nota tamen lector, vocabulum אֲדֹנָי punctatum cum *Patach*, nunquam in Universa Scriptura Testamenti Veteris *uni personæ* aptari. Dicitur equidem de *uno* ארניו *Domini ejus*, ארנך *Domini tui*, sed ארני Domini mei de *uno* non dicitur in Biblica Scriptura; imo Masorethæ singularem dederunt operam, id ne fieret, ne vocabulum אֲדֹנַי de *uno* usurpatum cum *Patach* confunderetur cum אֲדֹנָי cum *Kamets*, quod legitur pro יהוה. An vero exercitatissimus Grammaticus Kimchi id ignoravit? Non sane; sed ad illas compulsus est angustias, ut in hoc *solo* & *unico loco* hunc canonem fallere dicat. En verba ejus: ואמר לשון רבים כי

Quæ refellitur.

Observatio ad usum vocis ארני.

כן

Kimchii verba.

כן המנהג בזו המלה כמו אדניך אדניו וזולתי מדבר בעדו כדי שלא יתחלף בשם הנכבד אבל זה לבדו בא בלשון רבים ליחיד למדבר בעדו *Dicit autem illi* (Angelo) ADONAI *numero plurali, quia sic fert usus hujus vocabuli, ut ex gr. Domini tui, Domini ejus: præterquam quod non usurpetur in plurali quando quis alium singularem compellat in prima persona, ne illud commutetur cum Nomine Glorioso: at* אֲדֹנָי *solum, quod in hoc textu est, venit* NUMERO PLURALI *de uno, cum affixo primæ personæ singularis.* Itane vero? Credendumne est, Masorethas, ubique religiosissime attendentes, ne nomen אֲדֹנָי cum *Patach* unquam applicaretur *uni Personæ* ad vitandam confusionem pronunciationis hujus vocis, de uno usurpatæ, cum pronunciatione אֲדֹנָי cum *Kamets*, hic non tantum à constante illa consuetudine sua recessisse, sed præterea absque ulla necessitate τὸ אדני punctasse cum *Kamets*? Punctaverant ✝su 13. אֲדֹנָי. Hic punctant אֲדֹנָי. Ineptierunt homines & dormiverunt, si *absque ulla ratione mysterii* in eodem contextu vocem אדני punctaverint cum *Kamets*, quippe in quo duplex vitium inest. 1. Quia אדני ne quidem cum *Patach* de *uno* dicitur. 2. Quia si אדני punctare voluissent cum *Patach*, quod lectorem minus adhuc turbasset, absque ulla sane necessitate id punctassent cum *Kamets*: nam *Sakeph* non postulat necessario *Kamets* loco *Patach*. Accedit 1. Quod *Chaldæus Paraphrasta*, fatente Kimchio, τὸ אדני hic diserte pro *nomine Divino* acceperit, cum superius illud אדני vertit per רבני. 2. Quod אדני cum *Kamets* Angelo hic non tribuatur, nisi postquam Angelus *quid Divini* de se prædicasset. 3. Quod *Masorethæ* ad marginem non notarint, hanc vocem sumi ut חול significatu κοινῷ, quod alias sollicite agunt. Imo adverti quoque in *Fragmentis Masoræ Magnæ* [a], *R. Jacob Ben Chaijm* in *Recensione locorum*, in quibus אדני de *Deo* usurpatur, hunc ipsum *locum* non prætermisisse, & pariter in *Recensione Locorum quinque*, in quibus ב׳ אֲדֹנָי reperitur cum *Kamets*, quam invenies *Recensionem* in *Masora* ad Exod. IV. 9. hunc quoque locum signate notari. Quod autem Kimchi ait, Gideonem hactenus *Angelum* non habuisse pro *Deo* aut *Angelo Dei*, ac proin illum non potuisse compellare per אדני cum *Kamets*: id, fateor, non caret specie. Illam vero difficultatem sic resol-

Quæ refutantur. אדני cum *Patach* non applicatur ad unam personam.

Potestas accentus *Sakeph*.

R. Ben Chaijm hic nomen אדני ut *Divinum* accepit.

Yyyyyy 2 vo,

a Fol. 111. Col. 11.

Nova Kimchii exceptio diluitur.

vo, quod Patriarchæ Veteres, quando ipsis ignota & majestatis Divinæ plena apparebat persona, quę de se θεῖόν τι prædicabat, illam soliti fuerint compellare per ארני cum *Kamets*, quia alte ipsis inhærebat, *Deum* quandoque Patribus suis hoc modo esse manifestatum. Etiamsi igitur Gideon hactenus certo non esset persuasus, hanc *Personam* esse *Divinam*: advertens tamen Personam hanc sibi adscribere Divina, & aliquid forte de illius Divinitate subodoratus, illam vocavit אֲרֹנָי; nisi dicere malis, Masorethas, textum punctis instruentes, Gideonem sic loqui facere huic personæ, postquam illa radios quosdam Divinitatis dę se sparserat, quemadmodum ipsum loqui oportuit; quod nostri argumenti robur non infringet. Sufficit enim nobis, Veteres Judæos Personam, quę hic ארני vocatur, pro *Divina* habuisse. Si vero Masorethæ in illa hæserint opinione, illud ארני hic à Gideone non ad *Angelum* sed ad *Deum ipsum* dirigi, quod non inficior dici posse: illud, præterquam quod hypothesis illa jam destructa sit, nihil pertinet ad Kimchium, qui nobis concedit, τὸ ארני hic ad *Angelum* referri. Stet igitur nostrum ex hac compellatione pro *Persona* hujus *Divinitate* argumentum, & cadat Kimchiana illa glossa, quam nollem Belgas Interpretes in versione hujus loci sequutos esse. Τὸ ארני ab ipsis non fuerat transfundendum in Belgicum Mijn Heer/ sed Heere; aliter ac in ℣s. 13. ubi τὸ אֲרֹנִי recte verterunt: Mijn Heer. *Altera* illa Kimchii & Gersomidæ exceptio, quod יהוה sæpe tribuatur in Scriptis Testamenti Veteris *Dei Legatis*, nomine Dei loquentibus, nullo unquam solido argumento ab ipsis aut à Christianis adstructa est, ac proin à nobis rejicitur. Ratio suadet contrarium. Cum enim Deus nomen illud *Jehova* sibi sic signate in eadem Historia Biblica vindicaverit: non videntur Historici Biblici, Viri sancti & prudentes, hoc nomen temere alii Personæ quam Deo applicare voluisse, cum cæteroquin lectores suos non parum confudissent.

Animadversio ad Versionem Belgicam.

Aliud argumentum pro divinitate Angeli, qui apparuit Gideoni.

XXI. 2. Divinitas *Personæ* Gideoni apparentis quam clarissime adstruitur ex verbis ejus, ad Gideonem prolatis, per universam hanc historiam. Unum excerpam ex ℣s. 16. *Dixit ad illum* Dominus, ero tecum, *& percuties Midianitas instar unius hominis.* Gratiam & auxilium suum polliceri ad singulare ejusmodi

modi opus, quale à Gideone peragendum erat, nullius est nisi *Dei veri*. 3. Idem liquido probatur ex actu admirando *accensi & consumpti sacrificii* per *ignem*, *Angeli jussu* prorumpentem *de petra*. Actus ille in contextu soli adscribitur *Angelo*, & à *Gideone* pro actu Angeli habitus est. Quis vero hoc miraculum refert ad creaturam?

XXII. Personam autem Cœlestem, quę *Manoæ* apparuit, vere *Divinam* fuisse, prioribus admissis, nemo facile negabit. Commentatores passim in id consentiunt, quod unus idemque Angelus utrique apparuerit, & colligunt illud recte ex analogia actuum & circumstantiarum utriusque illius apparitionis. Accedit, quod *Angelus* apud *Manoam* profiteatur NOMEN SUUM esse פלאי MIRABILE. Quod quo pertinet nisi ad *Deum*? Frustra itaque hic necteremus moras. Imo ex hac *Angeli* responsione, qua Manoam instruit de *mirabilitate Nominis sui*, simul recte collegeris, *Secundam* è Divinis *Personam*, ipsum Dei Filium, hac legatione ad *Gideonem* & *Manoam* defunctam esse. Non puto equidem, Christianum ullum, qui in præcedentibus acquiescit, de eo mecum litigaturum esse, tum quia *Filius* Dei primus & Princeps est *Legatus Patris*, qui sibi illud *missum esse à Patre*, in Evangeliis frequentissime applicat; tum quia is idem in Scriptis Testamenti Veteris sæpius aliis casibus apparuit, & apparuisse statuitur sub eodem nomine *Angeli Domini*. Id nunc supponimus ut concessum, & solummodo repetemus, idem inde quam clarissime evinci, quod Manoæ dixerit, *Nomen suum* esse פלאי *mirabile*. Id præ cæteris competit *Filio Dei*, cui tribuitur *nomen* פלא MIRABILIS, Jes. IX. 5. tam respectu *admirandæ* ejus *naturæ*, quam *admirandorum*, quę Deus per ipsum ad *stuporem reproborum* & summam *admirationem* credentium perfecit in exequutione Consilii sui [a]. Hæc ad *historiæ Literam*. Videamus nunc *Mysterium*, illis involutum.

Idem de Angelo Manoæ demonstratur.

Vis nominis פלאי.

a Ps. CXVIII. 22, 23.

Caput XV.

Mysterium, quod latet sub duobus illis notabilibus Casibus Victimarum, *ab ipso* Angelo Jehovæ oblatarum, *explicatum datur, & evincitur, duo hæc* sacrificia *figuram gessisse illius* Sacrificii perfecti, *quod Filius Dei, olim inter homines appariturus, Deo Patri suo* vere *offerret pro salute humani generis: ipse in* flamma hujus hostiæ; *hoc est, virtute sacrificii sui* Deo placituri, *ascensurus in Cœlum ad occupandam gloriam, sibi à Patre decretam.*

Casus hos Historicos Gideonis & Manoæ altius involvere mysterium, probatur.

Historias has *binas* esse *typicas*, hoc est, per *Casus*, in iis memoratos, res altiores & sublimiores significari: tam ex ipsis illis *rebus gestis*, quam ex earum *Circumstantiis* manifestum est. Omne gestum illustrius, quod in Historiis Testamenti Veteris singulari quodam cum studio & accuratione narratur, non absurde à peritis Scripturæ Interpretibus censetur esse *typicum*; *hæc* vero *facta* duo tam sunt insolentia & inexpectata, ut tardissimi etiam ingenii lectores ad attentionem vocent. Certe enim qui existimat, Deum ob rem parvi aut nullius momenti hominibus apparere & admirandas ejusmodi apud illos edere suæ virtutis significationes: næ ille de Dei majestate & sapientia indigne cogitat. Infrequentia itaque & insolentia horum *factorum* nos per se ducit ad *mysterium* illorum indagandum. Imo cum *omne sacrificium*, Dei jussu oblatum diebus antiqui fœderis, merito habeatur pro *σκιᾷ umbra sacrificii melioris*; quis dubitet, quin sacrificia, singularibus adeo cum circumstantiis oblata, data sint in *typos rerum præstantiorum*? Ipsæ quoque horum factorum *circumstantiæ* huic sententiæ non exiguum addunt robur. Neque enim frustra Deus apud *Gideonem* & *Manoam* luculenta hæc edidit miracula, sed haud dubie illa adhibuit ad ipsos confirmandos in fide promissionis gratiosæ de liberatione futura; cujusmodi אות SIGNUM *Gideon* signate à Deo postulaverat. Oportet itaque hæc *signa* huic fini obtinendo apta fuisse.

fuisse. Quare nobis nunc liceat absque ulla ulteriore mora illorum perscrutari *significatus mysticos*, & quidem cum σχέσει ad *circumstantias temporis* & *personarum*, apud quas edita sunt. Procedemus autem per partes, & pedetentim, à parvis tendentes ad majora.

II. 1. *In genere* facile est intellectu, *hæc signa* apta fuisse ad *Gideonem* & *Manoam* certiores reddendos de *Divina gratia*; quia jam ab antiquissimis temporibus homines sic persuasi fuerunt, sacrificia, cœlesti sive non naturali igne per potentiam Divinam absumpta, *gratiam* & *favorem* cœlestem mortalibus nunciare. Ita jam olim quod apud Mosen dicitur [a], *Deum respexisse ad sacrificium Abelis*, vetusti Interpretes acceperunt de ἐμπυρισμῷ *sacrificii ejus*, ut certissimo Divinæ Gratiæ testimonio ac argumento. Videantur loca, ex quibus id prolixius adstrui posset [b]. Gentiles ipsi, apud quos sive vera sive ficta illiusmodi ἐμπυρισμῶ exempla offendas, hoc signum pro *fausto* & *salutari* acceperunt. Virgilius [c]:

In genere intelligitur, Gideonem & Manoam per hæc signa persuaderi potuisse de Divina Gratia.

Ἐμπυρισμὸς sacrificiorum argumentum favoris divini.

Gentilium par sententia.

> *Aspice; corripuit tremulis altaria flammis*
> *Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.* BONUM SIT!

Alibi etiam [d]:

> *Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:*
> *Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.*
> OMINE QUO FIRMANS ANIMUM *sic incipit ipsa.*

Unde recte Turnebus [e]: *Ceterum cum vel subito vel sponte flamma in sacris & libamentis exiliebat, & sursum altissime se efferebat, felicissimum erat augurium.* Flamma itaque sacrificii *sponte sua* quasi ad attactum Angeli de *altari* enata & sursum quam altissime evecta, *Gideoni* & *Manoa* læta quæque & prospera de futura liberatione prænunciavit. Augustinus hinc non longe abest de *Mirabilibus Scripturæ* [f]. *Unde*, inquit, *cum historialiter in Holocausti hac concrematione, non terrestri igne sed cœlesti flamma, hoc ostendebatur, quod futurum tum bellum non humanis tunc viribus sed cœlesti auxilio proficeret.*

III. 2. Gentiles olim *flammam* de sacrificiis *sponte prorumpentem*

Gentilibus flamma pro-

a Gen. IV. 4. b Lev. IX. 24. 1 Chron. XXI. 26. 2 Chron. VII. 1. 1 Reg. XVIII. 38. c Eclog. VIII. vers. 105. d Georg. Lib. IV. vers. 384. e Adverss. Lib. XIX. Cap. XXVII. f Lib. II. Cap. V.

rumpens de sacris signum fuit futuri Imperii. Herodoti locus ex historia Pisistrati.

tem habuerunt pro *omine futuri imperii*; nec abs re, quia *flamma* apud ipsos, ut quid lucidum, clarum & illustrans, pro *imperii* & *dignitatis* signo habita est. Sic narrat Herodotus in *Libro primo Historiarum*, qui *Clio* dicitur [a], Parenti *Pisistrati*, privato *Olympia* spectanti, *evenisse μέγα τέρας magnum portentum*: θύσαντος γὰρ αὐτοῦ, ait, τὰ ἱρὰ οἱ λέβητες ἐπιστῶτες, καὶ κρεῶν τε ἐόντες ἔμπλεοι καὶ ὕδατος, ἄνευ πυρὸς ἔζεσαν καὶ ὑπερέβαλον. *Nam cum hostiam immolaßet*, AHENA (ut imposita erant) *plena & carne & aqua*, ABSQUE IGNE EFFERBUERUNT, *ita ut aqua redundaret*. Additur jam: Χίλων δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος παρατυχὼν καὶ θεησάμενος τὸ τέρας, συνεβούλευε Ἱπποκράτεϊ, πρῶτα μὲν γυναῖκα τεκνοποιὸν μὴ ἄγεσθαι ἐς τὰ οἰκία· εἰ δὲ τυγχάνει ἔχων, δεύτερα τὴν γυναῖκα ἐκπέμπειν· καὶ εἴ τις οἱ τυγχάνει ἐὼν παῖς, τοῦτον ἀπείπασθαι· *Chilon autem Lacedamonius, qui forte aderat & portentum illud viderat, consuluit Hippocrati*, (Parenti Pisistrati) *primum, ne uxorem fœcundam domum duceret; Secundo vero, si uxorem haberet, ejiceret, & quidem si ex illa Filium sustulißet, abdicaret*. Cujus moniti rationem non habens Hippocrates, Pisistratum suscepit *Filium*, qui *tyrannidem* Athenis affectavit & obtinuit, & plurimorum illius Civitatis motuum auctor fuit. Similis animadversionis est & magis etiam ad rem nostram spectat, quod *uxori* Ciceronis in libando evenisse fertur. Describam verba Servii, qui illius meminit [b]: Sponte sua] *Sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum peracto sacrificio libare vellet in cinerem*, EX IPSO CINERE ELAMMA SURREXIT, QUÆ FLAMMA EODEM ANNO CONSULEM FUTURUM OTENDIT EJUS MARITUM: *sicut Cicero in suo testatur Poëmate*. Quid si itaque *flamma*, de *Petra* prorumpens, & sacrificia *Gideonis* & *Manoa* consumens, ipsis nunciaverit *imperium* dignitatemque, ipsis aut domui ipsorum conferendam?

Aliud exemplum ex historia Romana.

Altius mysterium reconditum sub his factis petitur ex Fide Christiana de Sacrificio oblato à Filio Dei in terris, cujus vi ipse raptus est in cœlos.

IV. 3. Qui per *Evangelium* edoctus est, Christum Jesum, *Dei Filium*, qui se olim forma & specie *Angeli* Patribus manifestavit, apparuisse in carne, simili carni peccati, & *se ipsum* pro electis peccatoribus *dirissima* tradidisse *morti*, Deoque Patri suo obtulisse in *sacrificium* ad *odorem bona fragrantia*; & in hac Christi Domini *morte* & *oblatione* reconditum esse omne arcanum Divini Consilii ac nodum totius Sapientiæ Divinæ; tum præterea

a p. m. 24. b Ad Eclog. VIII. vers. 105.

terea Deum solitum esse Ecclesiam OEconomiæ Veteris symbolis & figuris pascere: illi vix est ut non in mentem veniat, eidem *morti* & *oblationi Christi futura* binis his factis *Angeli* apud *Gideonem* & *Manoam* quam clarissime prælusum esse. Ut enim *Angelus* cum *Abrahamo* familiari modo *conversatus* [a] & cum illo *edens* & *bibens* sui ipsius typus extitit, olim appariturі inter *Abrahami filios* & cum iis familiari modo acturi, esuri, & bibituri: *Angelus* in *scalis* [b] prænotavit *Deum cum homine jungendum*, futurum viam & medium, per quod peccator reduceretur ad Deum & Deus ad peccatorem; *Angelus Propheta* [c] sibi ipsi prælusit, aliquando instar Prophetæ inter homines manifestando; *Angelus Dux* & *vindex* adumbravit se ipsum ut Ecclesiæ suæ Ducem, Vindicem, & Liberatorem futurum: sic (ut alia prætercam:) *Angelus sacra faciens* quidni repræsentet *se ipsum* aliquando ut *Sacerdotem* inter homines manifestandum? Proinde statuimus, *Filium Dei* his factis insolitis & inexpectatis testimonium edere voluisse apud homines illius temporis de *futuro* suo *Sacerdotio*. Vidit illud jam suo tempore Augustinus [d], qui diserte in hanc rem ita scribit: *Quod ergo stetit Angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est*, ILLUM MAGNI CONSILII ANGELUM IN FORMA SERVI, HOC EST, IN HOMINE, QUEM SUSCEPTURUS ERAT, NON ACCEPTURUM SACRIFICIUM, SED IPSUM SACRIFICIUM FUTURUM. ὧδε ἡ σοφία ἐστίν. Hic nervus rei, hæc medulla est. Hic igitur tandem figamus pedem, & videamus paucis tum *quid* singulæ hujus *actus* partes juxta hanc hypothesin designaverint; tum an hæc explicatio satis bene conveniat *circumstantiis*, in quibus mirabilia hæc signa ab Angelo edita sunt. In utroque autem *actu Angeli* attendemus ad *Sacrificium*, *Altare*, *Sacerdotem*, *Oblationem* ipsam, ejusque *Modum* & *Consequentia*. De his autem ita differemus, ut leviora & facilia uno tantum verbo tangamus; difficilioribus & obscurioribus solis operam aliquam demus.

Exempla similia ex factis.

Filius Dei sibi ipse prælusit sub OEconomia Vetere.

Augustini verba.

Quæ hypothesis applicatur ad historiam.

V. 1. SACRIFICIUM, à Gideone adductum, fuit *hædus lactens*, olim inter delicatissimi saporis cibos habitus, ejusque *jus*, una cum *panibus azymis*, coctis de Epha farinæ. quę eadem *sacri-*

Primo respectu Sacrificii quod fuit hædus lactens.

Zzzzzz

a Gen. XVIII. 8. b Gen. XXVIII. 13. c Jud. II. 1. Jos. V. 13.
d Quæst. in Jud. Cap. LIV.

crificii materia à Manoa oblata est [a]. Convenit autem materia horum sacrificiorum fere materiæ *sacrificii* תמיד *quotidiani*, *mane* nimirum & *vesperi* in ara offerendi; quippe quod constabat *agno anniculo*, *decima Epha farina*, *quarta Hinis Olei tusi & vini in libamen* [b]. *Agni* autem & *hædi* sæpe inter se commutabantur, ut videas Exod. XVI. 5. *Sacrificium* vero illud *quotidianum* cum designaverit *Christum Jesum hominem*, *agni* instar purum, mansuetum, & innocuum, prima ætate virili *mactandum*, hoc est, occidendum & Deo in sacrificium *ad odorem bonæ fragrantiæ* palam *exponendum*, & quidem *totum* (כליל) in Dei gloriam *consumendum*: quid aliud *hædi* à Gideone & Manoa adducti & *in aram lati* significent? Imo certe hoc idem designant [c]. *Altare*, pro *mensa Dei* habitum, sic vulgo instructum est, ut *privatorum mensæ* instrui solebant, atque hinc non modo *animans*, sed cum *animante farina*, *oleum* & *vinum* oblata sunt, quę tamen simul omnia *unicum* adumbrarunt *sacrificium* corporis Christi, hoc est, *humana* Christi *natura*. Invenit enim in illo *sacrificio Deus*, quicquid homines in mensis lautissime instructis. Quicquid ad sufficientem ἁγιασμὸν *sanctificationem Nominis sui*, atque ad suam quasi *satietatem* ac *delectationem* pertinuit; id Deus in *sacrificio Filii* sui reperit & acceptum habuit. Aderant in *Christo* mens *sancta*, *sanctum corpus*, intensus Divinæ gloriæ & fratrum suorum *amor*, voluntas Deo devota, affectus puri, vigor ætatis, dignitas summa, ac proin id omne, quod Deus *esuriebat*, desiderabat, inquam, in *cibo*, hoc est, sacrificio, *à se comedendo*, hoc est, ad sui gloriam offerendo. De *Jure* mox.

Sacrificium quotidianum quid significaverit?

Qua ratione respiciendum sit altare in sacris Templi?

Respectus ejus spiritualis.

VI. 2. Altare, oblationis instrumentum, quod victimam tulit, in utraque historia memoratur fuisse rupes. In hebræo textu extant סלע & צור [d]. Qui mysterium עמנו אל *Dei cum homine uniti* in Christo Jesu agnoscunt & doctrinam de *satisfactione*, per ipsum Divinæ justitiæ præstita, admittunt, omnes concedunt, ni fallor, per *altare* in sacris *Divinam* Christi *naturam* prænotatam esse, per quam *humana* Deo *oblata*, & *sanctificata* est [e]. Eadem autem illa *Divina* Christi natura, *æternus*, inquam,

Altare in historia Gideonis & Manoæ fuit Rupes.

Illius significatio mystica.

a Jud. VI. 19. Cap. XIII. 19. b Exod. XXIX. 38, 39. Num. XXVIII. 3, 4. c Confer Heb. IX. 14. X. 10. Ephes. V. 2. d Jud. VI. 20. XIII. 19. e Heb. IX. 14. XIII. 10. Matth. XXIII. 19.

inquam, ille *Christi Jeſu Spiritus*, eleganter admodum deſignata eſt per *Rupem*. Utique enim *rupes* ut quid *firmum*, ſtabile, permanens, *ἀκίνητον*, quaſi ſponte de terra enatum, Divinitatis nobiliſſimum & appoſitiſſimum emblema eſt. Quare Moſes in Divino illo *Cantico ſuo* [a] id nomen *Deo*, & ſignate *Dei Filio*, ſæpius attribuit, & alibi non raro *Deo* & quidem *Dei Filio* adſcribitur, qui cum *ἐμφάσει* dicitur צור עולמים RUPES SÆCULORUM [b]. *Æterna* nimirum rupes, in omnia perſiſtens ſæcula, & *omnium ſæculorum* hominumque & maxime *electorum baſis*. Imo *Divina* hæc *natura Filii Dei* unice idonea fuit ad *ferendam humanam* eamque Deo offerendam ſive exhibendam. *Illius* enim erat *dignitatis*, ut illi ſoli conveniret ejuſmodi victimam pro omnium electorum peccatis ad vitam eorum impetrandam Deo offerre, illiuſque *firmitatis*, ut ipſa ſola, humana natura conſumpta, ſalva & illæſa ſubſiſtere & ſuperſtare potuerit. Quiſquis ad iram Dei pro peccatore placandam præter Chriſtum accedit, *totus conſumitur: ſoli illi æterno Chriſti Spiritui* ſic datum eſt *ſacrificare*, ut, victima ſua conſumpta, ipſe illæſus manſerit.

Quo ſenſu nuncupetur de Deo?

Ἐπίθετον Filii Dei.

Transfertur ad præſentem caſum.

VII. 3. Sacerdos præcipuus, qui *ſacrificia* hæc *Deo* obtulit, eſt Angelus ille, in cujus *medio nomen Dei*, hoc eſt, perfectiones Dei omnes, latet; ceu modo evictum. Ipſe repræſentamen ſui ipſius, hoc eſt, *Filii Dei*, qui *τοῖς καιροῖς ἰδίοις* appariturus erat inter homines ut *ἀρχιερεὺς* Pontifex & *ἀπόστολος* Legatus (quod idem ac מלאך) *noſtræ adſtipulationis*, hoc eſt, ad id in mundum miſſus à Patre, ut gratiæ ac amicitiæ *fœdus* (ברית) hominibus Dei nomine *proponeret*, idque ut *Sacerdos ratum faceret* ſacrificio ſuæ mortis: quę duo in rem noſtram egregie à Paulo conjunguntur Heb. III. I. Sed Paulus in oculis habet locum, Mal. III. I. Hic eſt ille *Magnus Dei Legatus*, univerſæ Dei familiæ Præfectus, in cujus miniſtris ipſe fuit Moſes [c]. *Magnus* ille *Pontifex*, *Jeſus*, *Filius Dei*. Heb. IV. 14. Hujus *nomen* erat *mirabile*, tectum & occultum univerſo tempore Teſtamenti Veteris, & ipſe *ſuo ſe ſacrificio mirabilem* præſtitit tam Mundo quam Eccleſiæ.

Angeli in hoc actu aſpectus myſtius.

Quo ſenſu nomen ejus hic *mirabile*?

Zzzzzz 2 VIII.

a Deut. XXXII. 4. 15. 18. 19. 37. b Pſ. XVIII. 32. Jeſ. XLIV. 8. Jeſ. XXVI. 4. c Heb. III. 5.

Oblationis partes.

VIII. 4. Oblatio consistit in duobus 1. In sacrificiorum *præparatione* & dispositione in *ara*. 2. In illorum *accensione*, quam sequuta est *consumptio*. Ad *Præparationem* & *dispositionem sacrificiorum* pertinet, quod *hædus* cum adjunctis dapibus *impositus sit altari*, (de quo nunc nihil dicemus:) & ad Angeli præceptum *jure suo fuerit perfusus* [a]: quę *perfusio juris* haud dubie facta est loco *libationis per vinum*. unde simul colligere est, *jus* non fuisse effusum ad *extrema rupis*, sed ipsum illud sacrificium eo fuisse perfusum. An in sacrificio Angeli apud Manoam eadem hæc cærimonia effundendi juris aut liquoris observata sit, certo non constat. Quid vero hæc *perfusio juris* significaverit? Magnum equidem mysterium. Nimirum *Christum Hominem in dirissimis passionibus*, quibus se Deo in sacrificium offerret, *naturali liquore ipsius sui corporis perfundendum esse*; sudore quidem & sanguine suo. Sanguis Christi in gravissimis ejus passionibus adeo vehementer agitatus est, ut *sudorem* foras propulerit ad instar *guttarum sanguinis* [b]. Ipse de eo Ps. XXII. 15. כמים נשפכתי Effusus sum instar aquæ. *Sudor* ille continebat ipsas corporis Christi *vires*, quemadmodum animantis coctæ præcipua vis colligitur in *jus*, sive in *liquorem*, qui coquendo aut assando exprimitur, & quandoque cum alio liquore commiscetur. Sic Christus Jesus *totus sudore diffluens*, quasi coctus & assus per summam sanguinis sui agitationem, *suo jure perfusus est*. de quo ipse alio loco non minus vere quam pathetice: יבש כחרש כחי Exarescit [c], *ut testa*, vis mea. Spiritus animales per frequentiores & densiores exhalationes una cum vitali liquore sanguinis ac aliarum corporis partium sensim fuerunt consumpti, atque ita ipsa Christi Domini *vis exaruit*. Imo ipse *suo jure perfusus* est, quando *sanguine*, de inflictis in imposita corona spinea, flagellatione, crucifixione ac *latere transfosso*, vulneribus, undiquaque prorumpente & corpus ejus madefaciente, de cruce pependit, & se ipsum Patri Deo consecravit in victimam. Sic ipse *suo sanguine* libamentum subministravit *suo ipsius sacrificio* perfundendo, quem Paulus *sacrificio Philippensium* obtulit [d]. Quantum hoc & quam pretiosum est salutis nostræ arcanum?

Præparatio ad oblationem, quod *animans*, aræ imposita, *perfusa sit suo jure*.

Mysterium hujus rei detectum ex historia passionis Domini, *sudore* & *sanguine suo perfusi*.

Loca Scripturæ S. huc facientia.

Oblatio hoc

IX. De *incensione victimæ*, quę *altera* oblationis pars est, sic dicitur

a Jud. VI. 20. b Luc. XXII. 44. c Ps. XXII. 16. d Phil. II. 17.

dicitur in textu [a], Angelum *scipione* suo extenso *carnem* & *panes azymos attigisse* & illico *ignem prorupisse ex petra* ac *sacrificium absumpsisse*. Haud dubie idem evenit in *sacrificio Manoa*. *Ignis* in sacrificiis pro vario *suo* & *altaris* respectu varia ac diversa significavit. *Altare* in sacris vel spectare licet tanquam rem, *cui* quid offertur; vel tanquam instrumentum *quod* quid exhibet & repræsentat: & duplex hæc *altaris* significatio ut in ratione, sic in Scriptura fundata est. Si *priore* modo, tum *altare* repræsentat *ipsum Deum*, quatenus sacrificium Deo offertur & *altari* traditum ipsi quasi Deo tradi censetur; unde *Sacerdotes* aliique, de cibis altaris comedentes, habentur *cibos* cum ipso Deo *dividere* & cum ipso Deo commercium exercere. *Si posteriore modo*, tum *altare* notat *nobilissimam partem* illius, qui victimam Deo exhibet & offert, atque adeo in Christo, *Divinam* Christi *Naturam*. Nunc mihi, quæso, attende. Si *altare* priore illo modo consideres ut repræsentans ipsum Deum, tum IGNIS *altaris* tibi notabit VOLUNTATEM DEI, qua munus oblatum acceptum habet, sibique in eo complacet: quę *voluntas* Dei cum sit *sancta*, *justa*, & *pura*, & intensissimo studio atque affectu lata in omnem *justitiam*, cum *igne* non infrequens comparatur. Quando autem *ignis* in altari *sacrificium* absumit, id tantundem valet, ac si Deus id *sacrificium comederet*; per quod notatur, sacrificium hoc à Deo acceptum esse, ejusque *voluntati*, justæ & sanctæ, placitum. Inprimis autem id demonstratum est *igne*, cœlitus descendente & oblata consumente, quippe quo signo Deus palam fecit, *hunc sibi placere cibum*, id est, hoc sacrificium justitiæ, sanctitatique suæ convenire & eo nomine à se acceptum gratumque haberi. Verum si *altare* respicias posteriore modo ut *partem offerentis*: tum *ignis altaris* oportet significet ipsam seriam, *sanctam*, & ardentem *voluntatem offerentis*, per quam se ipsum Deo ejusque Gloriæ devovet, & absumendum tradit. Quo pacto autem *ignis* in his *typis*, in quibus desudamus, accipiendus sit, ex superioribus satis colligere est. Intellexi per *rupem* ipsam *Divinam Christi naturam*, & *altare* hic respexi tanquam *partem offerentis*; & omnino existimo, id cæteris partibus hujus typi omnium optime convenire. Sic enim recte explicabimus quomodo *ignis* de

singulare habet, quod *ignis eductus sit ex rupe*, & *sacrificium absumpserit*.

Altaris in sacris duplex respectus mysticus.

Qui ad præsentem casum applicatur.

Ignis quid in hoc typo figuret?

a Jud. VI. 21.

de petra prodierit ad *attactum Angeli*, quod eæteroquin obſcurius fuerit. Ne igitur longiore circuitione utar, ita putemus, *Ignem* in his caſibus, deſignare *ſanctiſſimam* puriſſimamque *Voluntatem Divinæ Chriſti naturæ*, qua *humanam* Deo Patri devovit in victimam. Paulus docet Heb. IX. 14. Chriſtum *ſe ipſum Deo obtuliſſe διὰ* Πνεύματος *αἰωνίȣ* per Spiritum Æternum. *Æternus* ille *Spiritus* eſt Chriſti Jeſu præſtantior Natura. Illius *Spiritus voluntas* erat *ſancta*, juſta, ſeria, Dei Patris ſuamque gloriam & electi ſeminis ſalutem *ardenter cupiens*, ac proin recte & apte proponitur per *ignem*. Hæc autem *Voluntas Divinæ Chriſti naturæ* eſt cauſſa, quod humana *abſumpta*, hoc eſt, morti tradita ſit. Utique enim *Filius* Dei ut electorum ſponſor, hoc ſacrificium *corporis ſui* [a] Patri Deo propoſuit in conſilio gratiæ ad *Patrem ſuum* pro peccatoribus ſervandis ſanctificandum; quando Deus Pater Filii ſui ſponſionem acceptam habuit, ipſe *humanam naturam* in tempore excitavit, & ad paſſiones illas ſubeundas tum præparavit, tum animavit; ipſe in *humana natura* ſanctam, ſeriam, & conſtantem operatus eſt voluntatem ſe diriſſimis malis devovendi pro Dei Gloria & fratrum ſuorum conſervatione; atque adeo intenſiſſima ipſius & ſancta *voluntas* cauſſa fuit *ſacrificii corporis ipſius* in Dei *gloriam abſumpti*. Ipſa quoque *Voluntas Patris*, fateor, cui hoc *ſacrificium* oblatum eſt, fuit in cauſſis mortis humanæ Chriſti naturæ: ſed cogitemus, *Voluntatem Patris* eandem eſſe cum *Voluntate Filii*. Utraque enim Perſona, tam Pater quam Filius, voluerunt *ſanctificationem Divini Nominis* in Gratiam electorum. niſi tamen quod ſtrictiori interpretationi hujus typi magis conveniat, ut Voluntas Filii per *ignem* hic primo & directe intelligatur. Atqui eo jam ſimul ſatis expoſitum eſt, quomodo *ignis* proruperit *de petra*, quia nimirum *per petram* intellecta præſtantiore Natura Chriſti & *per ignem* illius *Naturæ Voluntate*, facile perceptu eſt, illam *Voluntatem* ſe in ſacrificio corporis ipſius tradendo potenter ac efficaciter *exeruiſſe*.

Oblatio à Filio Dei in extremis peracta.

Modus ſacrificii hujus offerendi deſcribitur ex hiſtoria.

X. Ad Modum harum oblationum duo referimus. 1. Quod ſacrificia *tota* fuerint aris *impoſita* & in illis *abſumpta*. 2. Quod ſingulari *modo incenſa ſint*. Quod ad *prius*; Sacrificia Angeli apud Gi-

a Pſ. XL. 9.

Gideonem & Manoam fuerunt de genere עולות *holocaustorum*; quia Christi erat Domini se *totum* Deo devovere in sacrificium, totum & integrum cruci affigendum, absque fractura ossium ad exemplum *Paschalis agni* [a]. *Posterius* majorem adhuc meretur animadversionem, quippe de quo ipsa Historia ait, Angelum הפליא לעשות *mirando modo fecisse*. *Extendit* nimirum Angelus *extremitatem scipionis*, quem manu sua tenebat, & *attigit carnem* & *azymos*, atque *ignis* ad illum tactum de petra *prosiliit*. *Baculus* sive *Scipio*, quem Angelus manu tenuit, spectari poterit vel ut *fulcrum*, & munimentum *Angeli*, cujusmodi usum Legatis viatoribus præbent scipiones, (unde vocabulum משענת in hac oratione:) vel ut *symbolum auctoritatis potestatisque Angeli*, *Legati*, qualem usum *Mosi* suus fecit *baculus* [b]. Si *priore modo* baculum sumere volupe est, tum hic per *Baculum* intelliges *Verbum Dei de Christo*, sive omnes *Prædictiones* & *promissiones*, quotquot de Christo in Scriptis Testamenti Veteris per Spiritum Sanctum editæ sunt, manifestantes certum & immutabile Dei *de Christo consilium*, quę vere sunt *Basis* & *fundamentum* apparitionis ejus in mundo & totius ministerii *Sacerdotalis* [c]. Hoc *Verbo* & Spiritu, illud intimante, Christus Dominus per universam vitam suam *nixus*, *hoc Verbo* suffultus & in tentationibus se consolatus est; hoc Verbo se *vindicavit* contra adversarios, quotquot *διακονίαν* ejus oppugnabant; atque adeo *hoc Verbum* ipsi præstitit *vicem scipionis*, hoc est, fulcri & subsidii [d]. Quod autem *hunc scipionem* Angelus admoverit *sacrificio*, ut instrumentum vel signum ignis educendi de petra: quidni id significet, Christum Jesum ad *evidentem demonstrationem necessitatis* passionum suarum juxta *promissiones* & *prophetias*, sibi per Spiritum Sanctum hora passionis efficaciter intimatam, se tradidisse Deo, & *Voluntatem Divinæ Christi Naturæ* secundum illas prædictiones & promissa *operatam* esse *in humana* ad illam consumendam? Compara obsecro, Joan. XIX. 28. Si *posteriore modo* per *baculum* intelligas *potestatem* Christi sive summam illius *auctoritatem* (imo & *potentiam* & *prudentiam* ejus; quę singula per *baculum Mosis* intelligere licet, & alias etiam per *scipionem* non incommode desi-

Scipio Angeli quo hic venit respectu?

Alter illius aspectus.

a Joan. XIX. 36. b Exod. VII. 9. X. 13. c Luc. I. 70. XXIV. 26. d Ps. XXIII. 4.

designantur [a]:) tum hæc *admotio baculi ad sacrificium*, quam sequuta est sacrificii absumptio, significabit, *Christum* ipsum *Sacerdotem* non tantum nomine & auctoritate Patris sui, sed *sua* etiam *potestate* ac *auctoritate vitam suam deposuisse*; ipsum, inquam, Christum Sacerdotem auctoritate & potestate sua, sibi à Patre concessa, *sacrificium corporis sui accendisse*, hoc est, se ipsum *sanctissimæ voluntati* Divinæ consumendum tradidisse. Illud idem mysterium volo, de quo ipse apud *Joannem* [b]: *Nemo tollit* ILLAM (vitam) *à me, sed ego depono illam ἀπ' ἐμαυτοῦ* A ME IPSO. POTESTATEM HABEO ILLAM DEPONENDI ET POTESTATEM HABEO ILLAM REASSUMENDI. *hoc mandatum à Patre meo accepi.* Hoc autem vere fuit ADMIRANDUM, tam in *typo*, quam in *antitypo*. In *typo* quidem, quia, etsi quandoque *ignis cælitus descendens* victimas extra ordinem consumpserit, nunquam tamen alias factum legimus, ut *ignis* de *altari* proruperit & sacrificia comederit. In *Antitypo* autem, quia quid mirabilius, quam *ipsum Filium Dei* humanam naturam sibi ut victimam pro peccatore præparasse eamque *sua & Patris sui voluntate*, juxta *vaticinia* & *promissiones*, dirissimis passionibus consumendam tradidisse, imo illius consumendæ auctorem fuisse? Id vere est *admirandum in oculis nostris* [c].

Singularitas hujus typi.

XI. CONSEQUENS jam sive CONCOMITANS *hujus oblationis* in Historia Manoæ est, *Angelum Domini* עלה ASCENDISSE *in flamma altaris* [d]. Id vero quid aliud notet, quam Christum Jesum καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν δι' αὑτοῦ ποιησάμενον *purificatione peccatorum nostrorum* PER SE IPSUM *facta*, ASCENDISSE *in cælos* & illius *sui sacrificii* virtute *sedisse ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς ad dextram magnificentiæ in cælis* [e]? Sic est. Officii erat Christi Domini post peracta in terris jussa Patris sui, inter quę præcipuum fuit sui ipsius oblatio, repetere cœlos & *eo ascendere, unde descenderat* [f]. De aliis *Consequentibus*, quę & ipsa utilissimis meditationibus materiam præbent, nihil nunc dicere statutum est.

Consequens Oblationis *Ascensio in flamma* oblati & consumpti sacrificii.

Mysterium hujus rei.

XII. Quando autem omnia in *his typis* ad *mysterium illud sacrificii Christi* adeo amice concurrunt, & ipsi illi *typi*, rari certe & singularis notæ, nos per se ducunt ad eorum excellentissimam expli-

Mysticæ interpretationis commendatio.

a Jes. x. 26. Mich. VII. 14. b Cap. x. 18. c Ps. CXVIII. 23. d Jud. XIII. 20. e Heb. I. 3. f Joan. III. 13.

explicationem investigandam: quis dubitet, quin hæc nostra explicatio per ipsum Dei Spiritum intenta sit? Nam *testimonium Christi* est *spiritus* non *Prophetiarum* tantum sed & universæ Scripturæ Testamenti Veteris: Vel, si in singularibus partibus horum typorum exponendis forte erraverimus, (etsi non putemus errare:) quis saltem ambigat, quin rei nucleum, quem quærebamus, assequuti fuerimus? Id vero nobis hic suffecerit.

XIII. Id unum adhuc expediendum erat, ut ostenderemus, *explicationem typorum*, quam dedimus, *bene convenire Circumstantiis*, in quibus exhibiti sunt. Nempe prænunciaverat Angelus *Gideoni*, ipsum electum esse *Imperatorem* & *liberatorem populi Dei*, nulla habita ratione miserrimæ constitutionis populi Judaici & *tribus* aut *familiæ Gideonis*: *Angelus* pariter prædixerat *Manoa* ejusque uxori *nativitatem Filii*, destinati Liberatoris Judaici populi, *Simsonis*. Uterque tam *Gideon* quam *Simson* variis respectibus repræsentarunt Christum, promissum prænunciatumque per Prophetas, singulari Dei Provindentia suscitandum ad populum Dei ab hostibus ejus liberandum. Uterque autem *Gideon* & *Simson* per *Spiritum* & *Verbum Dei* erant *accendendi*, ut se Deo devoverent in *holocausta*, hoc est, præsentissimis mortis periculis, imo & *morti ipsi* (quod locum habuit in *Simsone*:) committerent ad vindicandam Gloriam Dei, & redimendam *salutem populi* ejus. Convenientissimum itaque, & si quicquam aliud, hoc sane è re erat, ut per externum aliquod symbolum ipsis indicaretur, extiturum aliquando *unum* de Abrahami posteris, qui *se ipsum* pro Gloria Dei & salute populi ejus *totum*, modo longe perfectiore, *devoveret*, cujus illi imaginem tantum & typum gererent; & qui *sua morte* populo Dei adferret *αἰωνίαν λύτρωσιν Redemptionem æternam*. Hic subsistemus, pluribus sponte præteritis & omissis. Deus faxit, ut virtutem & fructum sacrificii Christi Domini ad abnegationem nostri & abolitionem veteris nostri hominis in nobis experiamur, & ipsi quoque nos, *Christo Domino*, ut rupe salutis nostræ, *nixi*, per *Spiritum* & *Verbum ejus accendamur*, ut holocausta, ad *Gloriam* Nominis ejus & Ecclesiæ nostramque salutem promovendam!

Quæ accurate quoque respondet *Circumstantiis*, quibus typus editus est.

Quod evincitur.

Caput XVI.

Certis evincitur rationibus, Petrum Apostolum in Epistola *Ejus* Posteriore, Capite tertio, *adstruentem quendam Domini Adventum ad supplicium de impiis sumendum per* Ignem, *non esse intelligendum de* Excidio Hierosolymorum *per Romanos: quæ Britannorum quorundam Theologorum est sententia: sed de* Adventu Christi novissimo ad omnes judicandos mortales, & Conflagratione hujus Mundi spectabilis, *eum consequutura,*

Locus Petrinus de *Conflagratione* Mundi, 2 Ep. III. 10.

PEtrus Apostolus sub finem *Epistolæ posterioris*, quæ eum præfert Auctorem, clarissime meminit cujusdam ***Adventus Domini*** ad puniendos homines impios, & totam cœlestem atque terrestrem machinam ingenti cum fragore concutiendam, & ope ignis destruendam. Coeli secundum Apostolum, eo, de quo agit, tempore novissimo, *cum stridore* PRÆTERIBUNT, ELEMENTA ÆSTUANTIA SOLVENTUR, TERRAQUE, *& quæ in ea sunt opera*, EXURENTUR. qua dictorum summa fidem illam suam explicat *Cap.* III. 10. præter alia, quæ de illo argumento ibidem habet plura, mox producenda.

Vett. Ecclesiæ Doctorum sententia, loqui Petrum de novissimo Mundi tempore.

II. Antiquæ Ecclesiæ Doctores passim putarunt, Apostolum hac oratione graphice depingere Conditionem rerum novissimi temporis, atque Adventum Domini, qui in his verbis memoratur, & Ignem, Adventus Domini comitem, interpretantur de postremo Adventu Christi Jesu glorioso, quo tanquam Mortuorum & Viventium Judex ex Cœlo proditurus & de improbis supplicium ultimum sumpturus, simul novam huic Universo inducturus est faciem. Ex vetustioris Ævi Doctoribus videbis in hac sententia esse Tertullianum [a], & vel maxime Augustinum [b], qui de hoc argumento fuse disserit in Libris de *Civitate Dei*. Ex Commentatoribus Divini Verbi, recentioris

a Adverf. Marc. Lib. IV. Cap. XVII. b Lib. XX. de Civitate Dei, Cap. XVI. & XVIII.

ris temporis, liceat mihi nunc solummodo notare Calvinum [a], Piscatorem, & ex Remonstrantibus Vorstium. Plures enim huc adducere supervacaneum fuerit.

III. Quam eandem hypothesin adeo tanquam certam & veram probavit qui novissime *Theoriam Telluris Sacram* erudite atque ingeniose instruxit Vir. Pl. Rev. Thomas Burnetus, ut copiose differens de *Conflagratione Mundi*, ne quidem, quantum observare potui, ullibi in dubium vocaverit, an hic Petri locus de ultima illa totius hujus Globi terrestris Conflagratione intelligendus sit, sed id ubique veluti quoddam inconcussæ veritatis thema suæ illi Dissertationi substraverit. imprimis ubi data opera hanc Petrinæ Epistolæ Pericopam exponit [b]. Consensus Viri cujusdam Eruditi.

IV. Et tamen non defuerunt hoc sæculo, nec desunt hodieque Docti & Literarum Divinarum peritissimi Viri, qui hanc Digressionem Apostoli Petri neutiquam intelligunt de Novissimo Christi Jesu Adventu Illustri ad sententiam pronunciandam de vita moribusque omnium hominum, & hunc nostrum orbem, qui vanitati & impietati humani generis ut plurimum servivit, sive destruendum, sive immutandum: sed potius de *Judicio* particulari à Deo exercendo in Judæos incredulos & impios, & Adventu Domini ad eorum Rempublicam, sive *Politiam Ecclesiasticam*, subvertendam. quod factum à Romanis. Utique inter Theologos Anglos aperte favent huic sententiæ eamque propugnant Ligtfootus [c], Owenus [d], & Caveus [e]. Imo & Hammondus [f], cujus tamen hic est opinio singularis. Aliorum diversa sententia, qui Petrum loqui putant de Excidio Hierosolymitano.

V. Hammondus ea est sententia, directe quidem *hoc Capite* agi de *Excidio Hierosolymorum*. Illum enim *Adventum Christi Judicialem* à Profanis hominibus illius temporis irrisum esse. ℣s. 4. quem proinde Petrus adstruit à ℣s. 8. usque ad finem Cap. Mediis tamen *versibus* 5, 6, 7. putat Petrum *indirecte* mentionem facere ultimæ illius *Mundi Conflagrationis*. Refellit enim Petrus *illis commatibus* secundum Hammondi judicium quasi per *παρένθεσιν*, *rationem*, qua profani irrisores ℣s. 4. suam impietatem ad- Hammondi sententia singularis.

Aaaaaaa 2 struere

a In Commentariis in h. l. b Theor. Tell. Sacr. Lib. III. Cap. IX. p. m. 205. c Op. Part. II. in Chron. Tempor. p. 116. d Theolog. Lib. III. Cap. I. §. I, II. e In Vita Apost. Petri, Cap. X. §. VI. f Comm. in h. l.

ſtruere conati erant: *omnia* nimirum, *à quo Patres obdormierant*, EODEM MODO *ſe in hoc Mundo habuiſſe*. quam profanorum hypotheſin Petrus ex Hammondi ſententia primo refutat ex *Diluvio*, deinde ex *Conflagratione Mundi noviſſima*. quando rurſus ad rem ipſam venit, & Credentium ſpem de Hieroſolymitanæ Reipublicæ ſubverſione vindicat. Sed eſt hæc manifeſta orationis Petrinæ ϛρέβλωσις in re plana & liquida, quam diligenter notavit & docte atque ſolide hoc loco refutavit Cl. Clericus[a]. ut verbum addere nos opus non habeamus. Petrus loquitur in *hoc Capite* de uno & unius generis Adventu Chriſti Jeſu ad judicium exercendum in hoſtes ipſius, & Cœli ac Terræ faciem immutandam. Quem Adventum vel oportet eſſe Adventum Chriſti ad *Sacram Judaeorum Politiam* deſtruendam, judicio in eos exercendo per Romanos; vel *Adventum noviſſimi diei* ad impios & ſceleratos homines omnes, ipſius hoſtes, judicandos atque ſevere plectendos; & hunc, quem colimus, orbem inquinamentis ſcelerum & malitiæ expurgandum. Poſterior ſententia nobis videtur certiſſima: quam, ſalva eorum exiſtimatione qui adverſam tuentur, nunc pro virili adſtruere laborabimus, ut dehinc de ſenſu nobiliſſimæ hujus pericopæ inter eos qui verum amant, clarius conſtet.

Ab aliis refutata.

Sententia vulgata adſtruitur, argumento primo petito ex verſ. 3. Petrus loquitur de *Irriſoribus* qui venirent *extremo dierum*.

VI. *Prima* mihi ratio eſt, quia Petrus exerte ait, *Irriſores* illos, qui illuderent ſpei credentium de Adventu Domini, non *veniſſe*, ſed demum VENTUROS ESSE ἐπ' ἐσχάτυ τῶν ἡμερῶν SUB EXTREMUM DIERUM. cum utique, ſi Petrus per τὸ ἔσχατον τῶν ἡμερῶν *extremum illud tempus* intellexiſſet *tempus extremum OEconomiæ Veteris*, dicere debuiſſet, illos Irriſores jam *veniſſe*, quia Apoſtolus hanc Epiſtolam haud dubie ſcripſit paucis annis ante ſubverſam Rem Judaicam per Romanos. quo tempore jam *veniſſe* oportebat *Irriſores* illos, ſi omnino aliqui ante Excidium Reipublicæ Judæorum expectandi eſſent. Judæi enim illo tempore jam impliciti vel mox implicandi fuerunt Bello cum Romanis gerendo, quod Reipublicæ illorum funeſtum & exitio fuit.

Phraſis illa latiorem admittit interpretationem.

VII. Concedo itaque hic, τὸ ἔσχατον τῶν ἡμερῶν, *extremum dierum*, *indefinite* ſumptum, poſſe notare, quod alterius ſententiæ Patroni cupiunt, *tempus extremum OEconomiæ antiquæ*, quod

a Annot. in Hammond. b Verſ. 5.

quod terminatum est in Excidio Hierosolymorum per Romanos; vel in genere etiam *tempus* OEconomiæ *Novæ*, in quo terminatur *OEconomia Vetus*: sed nego hoc in loco illam admitti posse interpretationem, quia Petri oratio sibi secundum hanc expositionem non constaret. Petrus scripsit hanc Epistolam non longo tempore ante fatum illud, quod ipsum manebat. Id subiit (*duobus* an *quatuor*:) annis ex Doctiorum sententia ante Rempublicam Judæorum à Romanis eversam: quo tempore Judæorum res jam vel erant turbatæ vel mox turbandæ. Quomodo itaque tum scribere potuit, VENTUROS *esse irrisores sub extrema tempora*? Loquitur Petrus manifeste de re eventura post non exigui temporis moram intervenientem.

Nec tamen id infringit vim nostri argumenti.

VIII. Quod hic suppono, *Petrum hanc Epistolam scripsisse brevi tempore ante eversam rem Judaicam*; certissimum esse putem. Constat enim ex hac ipsa Epistola, Petrum *fatum suum* prænunciasse tanquam quod jam immineret [a]. *Scio* ait, ὅτι ταχινή ἐςιν ἡ ἀπόθεσις τȣ̃ σκηνώματός μȣ· CITO FUTURUM UT DEPONAM MEUM TABERNACULUM, *sicut Dominus noster Jesus Christus mihi declaravit*. Non itaque longe ante mortem hanc Epistolam scripsit. Esse autem Petrum *crucis supplicio* (secundum prædictionem Christi Domini [b]:) *affectum* ultimis annis Imperii Neronis, Chronologi Præstantissimi Veteres & Recentiores, sive ex traditione Ecclesiæ Veteris, sive ex παραλληλία historiæ, concordi sententia afferunt. Eusebius quidem Petri μαρτύριον refert ad Annum Neroniani Imperii *quartum decimum* [c], sive ultimum, qui connectitur cum Anno Christi Jesu secundum Æram Natalium ejus vulgatam 67. & 68. quam sententiam Onuphrius, Baronius, & inter alios peritissimus harum rerum Judex, Cestriensis [d], sequuntur. Epiphanius vero Petri mortem figit in Anno Neronis XII [e]. Coss. *Nerva Siliano* & *Vestino Attico*: cui favet Veterum Pontificum Catalogus, & inter Eruditos nostri ævi Henschenius [f], Papebrochius [g], Pagius [h], & Toynardus [i], qui

Petrus hanc Epistolam scripsit *brevi tempore* ante Excidium Hierosolymorum: quod evincitur.

Diversa Doctorum judicia de Anno *Exitus Petrini*.

a Cap. I. 14. b Joh. XXI: 19. c Chron. p. 162. d Pearson. in Annal. Paulin. p. 25. e Hæres. XXVII. p. 51. f Primo Tomo Sanctor. mensis April. g Propyl. ad Acta *Sanctorum* Maji. h Critic. ad Annal. Baron. Ann. 68. i Not. In Lactant. de Mort. Pers. p. 34.

Mortuus est *senex.*

qui Annus est Christianæ Æræ 65. Certe Petrus secundum prædictionem Christi *senex* mortem obire debuit. Ὅταν γεράσῃς, ait Dominus [a], QUANDO SENUERIS, *extendes manus tuas & alius* TE CINGET, (manibus nimirum revinciendis ad transversum crucis stipitem, quando crux ab ipso portanda esset ad locum supplicio ipsius destinatum, ut jam à Doctis Viris est notatum:) *& ducet quo noles.* Probabile itaque, illum vitam ad ultima Neronis produxisse. Et præterea cum tam ex Epistola Clementis [b], quam præcipue ex hac Prophetia Domini, & illius interpretatione à Joanne Apostolo adjecta, constet, Petrum vere ad exemplum Domini sui *in cruce vitam finiisse:* quis animum cum ratione credere inducat id factum ante Persecutionem Christianis à Nerone intentatam? quę utique secundum conjectationes Eruditorum probabili ratione nixas (hic non recensendas, ne prolixior in hoc argumento sim, quam par est:) non accidit ante Annum Neronis *decimum.* quo eodem anno, si quis cum Rev. Caveo [c] statuere vellet Petrum suum quoque obiisse fatum, illud mihi vere in hac disputatione fere perinde fuerit: etsi media sententia, quę Petri mortem in Annum Neronis XII. conjicit, mihi maxime placet.

Posterioribus annis Neronis.

Quo tempore inceperint motus fatales Reipublicæ Judæę?

IX. Ponas jam licet, quod à Pagio recte demonstratum est, Motus Bellicos, qui exitio fuerunt Judæis, incidisse in Annum Neronis *tertium decimum*, J. Ch. 66. & Hierosolymam à Tito expugnatam & cum Templo dirutam, A. Æ. V. 70. tum quidem Petrus secundum Eusebii calculos hanc Epistolam scripserit ipsa jam funesti belli face inter Judæos accensa; si vero Epiphanium sequaris, dices eandem hanc Epistolam uno; si Caveum, tribus Annis ante illud exitiale bellum à Petro editam esse. Quod si ita vere se habeat, an loqui potuit in hac Epistola sua Petrus de *Irrisoribus ultimi temporis* tanquam maxime *post hoc tempus manifestandis?* Petrus nimirum vult credentes *primum scire*, ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται· VENTUROS ESSE IRRISORES *extremis diebus*, qui dicerent, ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ· *ubi est pollicitatio adventus ejus.* Erant haud dubie jam tum multi & fuerant dudum inter Judæos, לצים IRRISORES [d], qui spem Christianorum ridebant, & fræna laxabant impie-

Applicantur superiora ad urgendum argumentum, supra propositum.

a Joh. XXI. 18. b Ad Corinth. p. 15. Cap. XXI. 12. c l. c. d Ps. 1, 1.

impietati. Erant inter ipsos Christianos, qui à fide in Christum sum defecerant & se dederant libidinibus. quorum exemplum tum extare incipiebat in Gnosticis, procedente tempore tius detegendis. Sed illo *biennii*, *quadriennii*, aut, si vis, *ii* spatio, quod præcessit Fatum Reipublicæ Judææ, nulxistimo, *novi* illius generis homines erant in lucem proc proinde, si Irrisores & Impios illius temporis respeus, dixisset potius, ejusmodi *Irrisores* jam *esse* in Mune juxta prædictionem Christi & Apostolorum, quam *esse extremo dierum.* nec convenisset his *Irrisoribus* est *pollicitatio adventus ejus* ad Politiam Judaicam quo tempore Judæa iis jam ardebat motibus, res omnes facile videbant perniciem allaturos tamen, quod vel maxime huc pertinet, non verum etiam in *sequente contextu* Petrus de *Die* loquitur tanquam qui minime *instaret*, sed *longam* ceretur *moram*. Quorsum enim alias tendit, quod ait . *Unum vero hoc ne lateat vos, dilecti, quod unus dies apud Dominum sit ut* MILLE ANNI, & MILLE ANNI *ut unus dies.* Quid opus habebat Petrus exemplum ducere à mora *mille annorum*, ut nimirum languescentem Credentium spem fulciret, si sciret ipse, quod ut Apostolus Christi scire & præsumere poterat, Fatum Reipublicæ Judaicæ intra brevissimum temporis spatium expectandum esse? Quare non potius plane dicit, non esse quod Irrisores illi expectationi Credentium illudant ex nimia illius Divini Judicii mora, cum ille Adventus Domini vere instet & Irrisores illi intra paucos annos vindicem Dei manum sint experturi? Cl. Coccejus[a], qui passim eandem illam sententiam, quam ego in hac Dissertatione defendo, in *suo* in hanc Epistolam *Commentario* supponit & adstruit: (quod equidem non dissimulem gratum mihi hic accidere:) in hanc rem recte scribit, *Petrum* vs. 8, 9. *innuere*, LONGAM MORAM INTERVENTURAM; *& se intelligere illum diem, quo longanimitas Dei finietur.* Id ipsum est quod nos contendimus & urgemus.

Inter tempus scriptæ hujus Epistolæ & excidium Hierosolymorum, nulli novi prodierunt *irrisores.*

Cl. Cocceji judicium.

X. *Prima* huic meæ rationi, satis jam, ut opinor, illustratæ, succedat *Altera*, quod nimirnm *Objectio, quam hi profani Irri-*

Alterum argumentum petitur ex materia irrisionis,

a Com. in vers. 7. §. 45.

profanorum, de quibus Petrus loquitur.

Irrisores adversus Credentes inferebant, & *Responsum*, *quod illi à Petro aptatur*, *hypothesi Eruditorum Virorum*, *qui à recepta sententia hic recedunt*, *non conveniat*, *nec facile cum ea possit conciliari.* quod ordine nobis demonstrandum erit.

Objectio illorum, à condito Mundo usque ad sua tempora *omnia eodem stetisse statu.*

XI. Objectio, quam profani hi Irrisores inferebant adversus spem Credentium de *Adventu Domini ad Judicium exercendum*, & *Cœli ac Terræ σχῆμα immutandum*, his fere verbis à Petro concipitur [a]: *Ubi est pollicitatio Adventus ejus?* ἀφ' ἧς γὰρ οἱ Πατέρες ἐκοιμήθησαν, πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως· A QUO ENIM PATRES OBDORMIERUNT, OMNIA ITA (eodem in statu:) PERMANENT A PRINCIPIO CREATIONIS. Per *Patres*, *qui obdormiisse* dicuntur, haud dubie intelligendi sunt Patriarchæ (inter quos Enoch & Noach:) & Prophetæ, (inter quos David, & Jesaias, cujus verba Petrus in *consequente contextu* orationis adducit:) qui putabantur ejusmodi *generale* Dei *Judicium* de omnibus hominibus habendum, & *Mundani hujus Schematis destructionem*, prænunciasse. Ajunt autem hi Irrisores, ab eo tempore quo Patres hi fato functi sunt, à primis usque mundi natalibus, universam naturam rerum eodem loco atque ordine stare; ac proinde vanam esse spem Credentium de *majore ejusmodi aliqua rerum immutatione*, & *notabili Judicio*, quæ pii Christiani in commodum & salutem suam expectabant. Videamus jam, an hæc *Objectio* magis conveniat *nostræ*, an *adversæ hypothesi.*

Quæ non convenit hypotheli de *Judicio particulari.*

XII. Quid? an speciem habet hæc Objectio, si ponamus, Petrum in hoc *Capite* loqui de μερικῷ sive *Particulari Judicio*, quale fuit Judicium Dei in Judæos exercendum, & de *subversione particularis cujusdam Politiæ*, qualis omnino fuit Politia Judaica, licet singulari quodam modo à Deo formata? *An à condito Mundo omnia permanserunt in eodem statu*, respectu habito ad *Rem Civilem* aut *Sacram* plurium & majorum quoque Rerumpublicarum, quas Mundus à tempore Fundatorum Imperiorum vidit florentissimas? Tantum abest ut id verum sit: ut è contrario nemo nisi infans negare possit in Mundo extitisse plurima atque horrenda exempla Judiciorum à Deo in subvertendis Imperiis maximis & potentissimis, nedum Minoribus Politiis & Civitatibus, qualis Judaica fuit, & Urbibus, qualis Hierosolyma,

a Vers. 4.

lyma, edita. Ninive, Tyrus, Capua, Saguntus, Thebæ, Carthago, an non sustinuerunt fata simillima illi Hierosolymorum, cujus urbis excidio involuta fuit *subversio Ecclesiastica Judæorum Politiæ?* Imo quis Irrisorum illorum, licet vel maxime profani animi hominum, ignorabat vel negabat, *Judæorum Politiam institutam fuisse a Mose*, & *jam semel eversam à Babyloniis?* An itaque cum respectu ad hanc Politiam dicere potuerunt, *omnia in eodem statu permanere ab initio creationis?* An novum iis videri poterat, Judæorum Rempublicam destrui à Romanis, quę jam ante eversa erat à Babyloniis? Imo an Prudentiores inter Judæos, licet profani animi homines, non metuerunt, & facile præviderunt, quod eventus docuit in fatis fuisse? Quod si autem nobiscum ponas, Petrum in hoc *Capite loqui* de *generali judicio* à Deo novissimo tempore *instituendo*, & futura *immutatione σχήματος mundani*, non figurate sed proprie sic dicti: facile cuique patet vis hujus Objectionis. Vos Christiani, dicebant Irrisores, jactatis & expectatis *Cœli* (Sublunaris:) *& Terræ Conflagrationem*, cum *Adventu Christi de Cœlo ad judicium* in omnes homines solenniter pronunciandum. sed illa fidem vix merentur, quandoquidem Mundus eodem loco & ordine jam perstiterit per complura Annorum sæcula, absque variatione & mutatione notabili, & longum jam sit tempus, ex quo Patriarchæ & Prophetæ, qui illa prædixerunt, fato functi sint. quorum prædictiones cum hactenus implementum sortitæ non sint, probabile non est, in posterum id eventurum esse.

Multi extiterint casus similes fato Hierosolymorum, quod ad speciem.

Et poterat exemplum peti ex ipsa historia Judaica.

Sed favet objectio hypothesi de *Judicio Universali.*

XIII. Videamus jam, quid ad hanc Objectam difficultatem Petrus respondeat. *Illud enim*, ait [a], *volentes illos fugit*, COELOS *jam olim extitisse per Dei sermonem*, *& terram ex aqua & per aquam consistentem*, δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο, *per quas* (aquas tam inferiores quam superiores: ut hic recte Hammondus:) *Mundus qui tunc erat aqua innundatus interiit.* Quasi diceret Petrus; quid objiciunt nobis illi Irrisores, naturam rerum suum semper ordinem absque extraordinaria aliqua & notabili immutatione conservasse: cum utique tam ex sacra quam profana historia notum sit, ipsum illum orbem telluris, quem inhabitamus, olim horrendo & memorabili Dei judicio totum

Responsio Petrina pariter supponit *generalem* status Orbis *mutationem.*

a Vers. 5.

aquis fuisse submersum, ut Deus pœnam sumeret de omnibus impiis & sceleratis terræ incolis? Quis itaque cum ratione admodum miretur, credere nos & profiteri, terrestrem hunc globum novissimo tempore ejusmodi aliquod fatum subiturum per *ignem*, quale jam ante expertus est per *aquam*?

Responsum Petri non quadrat hypothesi de destructione figurati σχήματος OEconomiæ Mosaicæ.

XIV. Pone autem, Petrum loqui de destructione *figurati* Σχήματος *Cœlestis & Terrestris*, quæ est abolitio OEconomiæ Ecclesiasticæ per Mosem Dei jussu institutæ: tum sane hæc verba Petri longe minorem vim atque emphasin habebunt. Dicet nimirum Petrus, secundum illam hypothesin, absurdum non esse creditu, Deum aboliturum OEconomiam Legalem, à Mose institutam, & subversurum Rempublicam impiorum Judæorum, quia jam olim *Mundus aquis submersus interiit*. Si enim vel maxime hic per *Mundum* intelligas ipsos homines, *Mundi incolas*: quid opus habebat Sanctus Apostolus tam longe petere quod obviam & in propatulo erat? Primo enim non erat ulla ratione aut rationis specie absurdum creditu, Romanos destructuros Rempublicam Judæorum, vel Deum severe animadversurum esse in Judæos, profanos & impios. Deinde, si quis tamen eam rem absque omni ratione creditu absonam putaret: quid facilius fuisset Petro quam exemplum petere à Judæorum Politia jam ante eversa per Babylonios? Quid opus recurrere ad Diluvium, in quo etsi Deus impios & sceleratos homines severe puniverit, (quo respectu fateor typum gessisse Judicii in Judæos exerciti:) *Politiam* tamen *Ecclesiasticam*, quæ figuratum schema Cœli & Terræ facit, nullam subvertit aut destruxit. Sed dubium, an non *Mundus* hic vere notet *compagem Mundi sublunaris*, & ipsam inprimis *hanc nostram terram*, de qua loquutus fuerat. quam Petrus dicit *interiisse*, quod vere ad tempus *aquis inundata periisse visa sit*, & nova deinceps atque alia quasi facie post Diluvium apparuerit. Quę si fuerit mens Petri in hoc loco, tum sane hæc ipsius verba prorsus non possent conciliari cum hypothesi adversæ sententiæ. *Figurati* enim *Cœli & Terræ* destructio quid commune habet cum interitu Cœli sublunaris & Terræ proprie sic dictæ?

Quod ostenditur.

Tertia ratio, quod Petrus de cœlo &

XV. Id ipsum vero est, quod *Tertiam rationem* pro sententia nostra adstruenda nobis suggerit. Nimirum *Petrus Apostolus* loqui-

loquitur de Cælo & Terra, ejusdem generis, cujus fuerunt Cæli, sermone Dei producti, & Terra aquis Diluvii mersa: ac proinde per Cælum & Terram hic intelligi non vult Ecclesiasticum Σχῆμα *Judaici Populi.* Sic habent verba Petri in consequente contextu [a]: Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ COELI *autem &* TERRA, *quæ* NUNC SUNT, *eodem sermone reconditi, asservantur in diem damnationis & exitii impiorum hominum.* Contradistingui hic & opponi vides à Petro *Cælos* & *Terram*, quę NUNC sunt, *Cælo* & *Terra*, quę OLIM fuerunt. *Cælum* autem & *Terra*, quę *olim* fuerunt, sunt ipsa illa Cœlestis & Terrestris machina Mundi, ut, sermone Dei producta, extitit ante Diluvium. quippe quod patet ex ℣s. 5. *Illud enim volentes illos fugit, Cælos* ἔκπαλαι *jam* OLIM *extitisse per Dei sermonem, & Terram, ex aquis & per aquas, consistentem.* Quod si verum & certum, ut sane certissimum est: quomodo hæc ἀντίθεσις Apostoli sibi constabit? quomodo *Cæli* & *Terra*, quæ mystice sic dicuntur, opponentur *Cælo* & *Terra*, proprie & vere sic dictis? *Oppositio* enim esse debet *rerum unius generis.*

terra, sermone Dei productis.

Quod probatur ex contextu.

XVI. Nec præterea facile etiam mihi persuaserim, Petrum stylo plano & epistolari, qualis est & esse debebat hujus Epistolæ dictio, *OEconomiam Mosaicam* sic simpliciter absque ulla adjecta discriminis nota vocaturum *Cælum* & *Terram*. In Prophetia, cujus ornatus constat fictione emblematum, id fit apposite; ut vere OEconomia Mosaica hoc nomine venit apud Haggæum [b], à Paulo explicatum [c]. Sed alia omnino ratio est Epistolarum, quę dictionem amant perspicuam, planam, & intellectu facilem. nisi quis forte Epistolas quasdam Apostolicas, ut sunt Jacobi, & Joannis, convertere velit in Prophetias, Fata Ecclesiæ Novi Testamenti ordine enarrantes, ut quibusdam ingeniis nostro tempore in interpretando Divino Verbo ludere placet. Sed id plane est, ut ego quidem existimo, ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν.

Nec convenit expositio stylo Epistolari.

XVII. Tandem ne plura, quę huc referri poterant, adducam, observemus *quarto*, Petrum Apostolum *de illo Adventu Christi Domini in hoc contextu loqui, ante quem omnes electi, ex consilio Dei perducendi ad salutem, ad communionem bonorum gra-*

Denique Petrus loquitur de Adventu Domini, ante quem omnes colligendi erant electi.

a Vers. 7. b Hag. II. 7. c Heb. XII. 27.

tia vocati, & illi sua vocationi obsequuti fuerint. qui proinde non potest esse Adventus Christi ad Politiam Judaicam destruendam, sed esse debet novissimus Christi Jesu adventus ad Judicium ferendum de omnium hominum conditione & moribus. Sic omnino rem se habere hæc nos docebunt Petri verba ẏs. 9. *Non tardat Dominus promissionem (ut nonnulli tarditatem hanc esse ducunt:) sed patiens est in nos animo*, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι· NOLENS ULLOS PERIRE, SED OMNES AD RESIPISCENTIAM TENDERE. Erant qui criminabantur, Dominum diu differre Adventum illum suum gloriosum, qui salutem piis, exitium impiis adferret. Christiani enim illius temporis multi imbuti erant opinione de Adventu Domini instante: & Irrisores præ se ferebant, nullam esse rationem, quare Dominus illum suum Adventum procrastinaret. Est ratio, inquit Petrus. Deus non vult, ULLOS *perire*, sed πάντας OMNES perducere vult *ad resipiscentiam*. Quæ Petri verba tam bene & recte conveniunt hypothesi de extremo Adventu Domini ad Judicium generale de omnibus hominibus ferendum, quam prorsus non conveniunt sententiæ adversæ. Expende enim, obsecro, an sibi constet oratio Petri, *Christum* hactenus *Judicium non exercuisse in Judaeos improbos*, quia *neminem vult perire*, sed *omnes* per *resipiscentiam ducere ad salutem?* An enim post pœnam sumptam de Judæis impiis multi novi homines per prædicationem Evangelii perducti non sunt ad salutem? Quomodo igitur exequutio Consilii Divini de vocandis electis moram adferre potuit Adventui Christi ad plectendos Judæos? Sed ais; Petrus hic non loquitur promiscue de omnibus hominibus ad salutem ducendis ex consilio Dei, sed de *solis Judæis*. Ut adeo sententia Petri sit, Christum tarde venire ad Judæos castigandos, quia nolebat ullos Judæorum, quibus salus destinata erat, perire, sed omnes cupiebat perducere ad salutem. Bene est: fac id ita esse, etiamsi vere oratio Petri prorsus non sit restricta, sed amplissimam admittat interpretationem. Verum experiamur, an stare possit sententia Petri, Deum pœnam Judæis incredulis infligendam differre, quia non vult *ullos Judæos perire*, sed *omnes* (Judæos, ex consilio Dei efficaciter vocandos:) *per resipiscentiam ducere ad salutem.* An hæc, inquam, stare potest Petri sententia? An enim

Verba vers. 9. exponuntur.

Et expositio applicatur ad nostram hypothesin.

Pugnat autem cum hypothesi adversa.

post

post severitatis Divinæ exemplum editum in subversa Republica Judæorum, nulli *Judæi* ad Christum Jesum amplius conversi sunt, vel conversi duci potuerunt ad salutem? Quot non Judæorum millia circa illud ipsum tempus, quo Romani Judæorum Cananæorum rebellionem castigarunt, in Ægypto, Asia, & Græcia, sedes suas fixerant? An nulli ex illis, post excisam Judæorum Rempublicam in Canaane, ad resipiscentiam ducti sunt? Imo an id verum etiam est de ipsis Judæis Canaanæis? Contra probabile est, fuisse ex Judæis, qui cum viderent fallere illam spem, quam repositam hactenus habuerant in Templo, & Hierosolymis, suæ veluti Religionis Arce, hac ipsa ratione inducti sunt ad fidem in Christum Jesum amplectendam. Non possunt igitur verba Petri cum hypothesi adversæ sententiæ commode componi. Sed cum nostra egregie. Constat enim satis, post novissimum illud & generale Judicium, quod Christianismus expectat, nullum amplius resipiscentiæ locum futurum esse. Omnes electi ex Divini Consilii præscripto tum temporis jam erunt vocati & ducti ad resipiscentiam. Quod igitur illum suum Adventum Dominus in longius tempus differat, fit sane ut consilium suum de omnibus electis ad salutem perducendis exequatur. quę verborum Petri clara & plana sententia est. Post illud tempus *finita erit omnis Dei longanimitas*, ut Cl. Coccejum optime dicentem audivimus.

Quæ collectio amplius urgetur.

XVIII. Argumentorum satis pro nostra hypothesi: quibus tamen alia adjicere levis fuisset operæ. Videamus nunc brevibus, quid adversus eam ab Eruditis Viris inferatur. Sunt autem illa non unius generis. Alia ex ipsa Petri oratione, de qua hactenus egimus, promuntur; alia ex re ipsa, quæ quibusdam humanæ studiosis rationis difficilior perceptu atque expositu videri queat.

Transitur ad objectiones, quæ adversus hanc sententiam moventur.

XIX. Ex *oratione* Petri duas nectit difficultates Eruditus Vir, Joannes Owenus [a], quas ipsius verbis integras hic exhibebimus, ne quid de earum pondere nobis pereat. „Duplicis „mundi, ait, hic meminit Apostolus; Veteris illius, qui per „aquam perierat, atque tum temporis præsentis per *ignem* con„sumendi; post cujus interitum *tertii* ingressum prænunciat

Duæ repetitæ ex verbis Viri cujusdam docti.

Bbbbbbb 3 versu

a Theolog. Lib. III. Cap. V. §. 11.

„ *versu decimo tertio:* καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐ-
„ τοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ. De aspectabili cœlo terra-
„ que respectu substantiæ, neutro in loco agit Apostolus. Mun-
„ do enim Veteri per aquam destructo, mansit nihilominus
„ cœlorum terrarumque compages. *Mundus* ideo iste fuerunt
„ homines in mundo degentes. Eis per diluvium deletis, *mun-*
„ *dus* alius, ad Dei cultum rite peragendum, erigi debuit. Hu-
„ jus autem mundi fundamenta posuit Deus in familia *Noachi*:
„ totam fabricam perfecit *Ecclesiæ Judaicæ* erectio atque ornatus.
„ Atque is mundus erat, quem illico igne dissolvendum prædi-
„ xit Petrus; stylo nempe *Prophetico*. Ita legimus apud *Esaiam*[a];
„ *Ego Dominus Deus tuus, scindens mare, ut personent fluctus ejus.*
„ *Dominus Exercituum nomen ejus: & posui verba mea in ore tuo,*
„ *& in umbra manus meæ protexi te; ad plantandum cælos & fun-*
„ *dandum terram, & ad dicendum Sioni: Populus meus es tu.*

Prima in hanc resolvitur, Petrum loqui de Mundo, qui periit.

XX. Momentum rationis, qua Vir Doctus suam sententiam adstruit, in id videmus recumbere, quod Petrus loquatur de *Mundo*, qui *periit*. per quem *Mundum* ait non posse intelligi ipsam *compagem Cæli & Terræ*, quippe quæ per Diluvium destructa non est, sed potius *homines* ipsos, qui Diluvio interierunt, & post id tempus puniendi erant per *ignem*. Ad quę observamus 1. Consecutionem illam Viri Docti: *Petrus per Mundum, qui Diluvio interiit, intelligit homines; proinde non loquitur de Mundo aspectabili:* prorsus non procedere, nec à nobis admitti. Petrus enim, de Diluvio Veteris Mundi agens, non adhibet hic tantum vocem *Mundi* (quę forte tam late hic sumi possit, ut simul comprehendat *homines:*) sed loquitur exerte de Coelis, qui olim erant sermone Dei subsistentes, & de *terra, ex aquis & per aquas consistente*, quæ Diluvio mersa est. Vir Cl. id sponte præteriit: quod fieri non debuisset. Quinam sunt illi *Cæli*, olim producti & subsistentes *sermone Dei*? quænam est illa *terra*, quę olim *ex aquis* & *per aquas* constitit? An non ipsa *Cæli* & *Terræ compages*? An per illos *Cælos* & *Terram* possunt intelligi, vel homines, *qui in Diluvio interierunt*, vel *schema Ecclesiæ* Ante-Diluvianæ? Nemo rationis amicus, ut opinor, illud dicet; nec ausus est aperte dicere Vir Cl. Quare igitur ait, *de*

Ad quam respondetur.

Allata ratiocinatione Petrina.

a Cap. LI. 15, 16.

de aspectabili Cœlo & Terra Apostolum non agere? Imo certe agit plane & perspicue de *aspectabili Cœlo* & *Terra* Apostolus. 2. Etiamsi absque ullo caussæ nostræ detrimento omnino concedere possem, *Mundi* vocem hic tam late sumi ut simul complectatur homines, Diluvio absumptos: ex vera tamen animi mei sententia non putem, Petrum illam vocem hic tam late acceptam velle. Mihi alte sedet, Petrum per *Mundum* hic intelligere ipsam *Mundi Sublunaris compagem*, quam in *antecedente versu* vocaverat *Cælos* & *Terram*. Sed Compages illa *Cœli* & *Terra* in *Diluvio* non *interiit*, ait Vir eruditus. Imo vero, inquam ego, vere *interiit*, secundum mentem & sententiam Petri. Petrus enim simpliciter vult dicere, *turbatum* tunc fuisse *ordinem naturæ*, & *compagem Sublunaris Mundi* tum veluti fuisse dissolutam. *Aquæ*, quæ hactenus steterant intra limites ipsis à Deo assignatos in prima hujus Universi Creatione, ex abyssis terræ magna vi eruperunt & vastitatem longe lateque circumtulerunt. *Nubes*, quæ aquas ex vaporibus collectas hactenus ceperant & continuerant magno humani generis commodo, illas in hanc terram tanta effuderunt copia, ut expansum Cœli destructum dissolutumque videretur. *Terra*, quæ supra aquas imperio Dei hactenus caput extulerat, nunc cum altissimis montibus aquis immersa tota visa est periisse, ut vere perierat. Sic prorsus inversus & turbatus veluti fuit naturæ ordo, usque quo Deus suæ satisfecisset severitati. quod impii homines, qui circa Noachi ætatem vivebant, prorsus non putabant unquam eventurum esse. *Substantia Cœli Sublunaris* & *Terra* non *periit*, fateor. Sed id quoque non vult nec curat Petrus. Non fiet illud quoque novissimo tempore *per ignem*. Substantiam enim ipsam, sive materiam Cœli & Terræ, per *ignem* aboleri & destrui non posse, certissimum est. quam si destruere vellet Deus, ignem non adhiberet. Sed hoc vult Petrus, *Deum*, quod semel per *aquam* facere instituit, ut improbos perdat & terræ à sceleribus purgatæ novam inducat faciem, idem illud novissimo tempore, ordine naturæ eodem fere modo veluti turbato, facturum per *ignem*. Flammæ tum omnia occupabunt & lustrabunt ad terrorem impiorum. Alia, quę in hac περιοχῇ Cl. Viri à me notari & discuti poterant de *Novo Mundo* ejusque *Fundamentis*, nunc quod brevitati studeam, non attingam.

Petrus per *Mundum* hic intelligit *Compagem Mundi sublunaris.*

Quam illa mutationem subierit tempore Diluvii?

XXI.

Alterum arg. petitur ex loco Jes. LXV 7. à Petro allato.

XXI. Pergit Owenus, & novum pro sententia sua argumentum petit ex verbis *Jesaiæ*, à Petro adductis, quibus Deus Ecclesiæ promittit *Cælos Novos* & *Terram Novam*. quę de *Cælis* & *Terra* proprie sic dictis intelligi non posse contendit, sed manifeste agere de statu Ecclesiæ sub OEconomia Nova. „*Alium autem Mundum*, ait [a], quoniam nondum adesset τῦ „αἰῶνος συντέλεια, novos cœlos, novamque terram secundum „Dei promissum, fideles expectare jubet Apostolus. Promis-„sum illud extat *Jesaiæ* Cap. LXV. 17. atque iisdem verbis Cap. „LXVI. 22. *Ecce*, inquit, *ego creaturus sum cælos novos & ter-„ram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in „animum.* Eccelsiæ statum post adventum Christi Propheta in „locis depingit, nempe quo tempore Deus assumpturus esset „ex Gentibus in *Sacerdotes* & *Levitas*, uti verba se habent, „commate *vicesimo primo* Capitis ultimi, hoc est, instituturus „esset Ministerium Evangelicum. Inde is status Ecclesiæ ante „Mundi istius secundi Conflagrationem, *seculum venturum* & „*mundus futurus* indigitabatur [b]. Periit itaque per aquæ Dilu-„vium *primus* ille, seu vetus mundus; *secundum* tum temporis „præsentem per ignem periturum prænunciat Apostolus; *fu-„turum* autem ad consummationem usque sæculi duraturum con-„firmat.

Urgetur objectio, variis rationibus.

XXII. Imo certe Petrus ait, se cum Christianis vere credentibus, post illum Domini adventum ad impios novissimo die per ignem perdendos, *expectare novos cælos & terram novam, in quibus justitia habitet*, & quidem κατὰ τὸ ἐπάγγελμα τῦ Θεῦ *secundum promissum Dei*; apud Jesaiam nempe locis modo notatis. quod cum nostra hypothesi non videtur posse conciliari. Primo enim Jesaias in illis locis non loquitur de statu rerum, qui sequuturus sit ultimum Judicium, sed potius de *statu Ecclesiæ sub OEconomia Nova*. unde sequi videtur, Adventum Domini à Petro hic loci descriptum, qui illos Novos Cœlos & Terram à Deo producenda præcedere debet, non esse Adventum novissimi temporis ad omnes homines judicandos, sed aliquem Domini Adventum illo priorem. Deinde, de *terra* novissimo tempore per ignem destruenda vastandaque dici posse non videtur, *in ea habi-*

a § 111. b Heb. 11. 5. Cap. VI. 5.

habitaturam justitiam. Terra enim hæc non est locus ille, in quo Deus gloriam & salutem electorum suorum est consummaturus. Sancti resuscitati cum Christo *rapientur* in *aërem*, & transferentur in eum *locum*, quem Scriptura τὸν τρίτον ὀυρανὸν & παράδεισον vocat. Hæc est spes credentium. Si igitur *terra habitanda* sit à *justis*: justi & sancti in ea de novo à Deo videntur producendi esse. quod prorsus probabile non videtur.

XXIII. Non inficior, hanc objectionem præferre vim & speciem. quam proinde si repulerimus, in cæteris non facile hærebimus. Velim igitur ad eam observari, 1. Ex nexu totius orationis Petri abunde constare, Petrum locum illum Jesaiæ de *novo cælo* & *terra*, à Deo olim producendis, accepisse de tali *rerum immutatione*, olim futura, quæ inferret, *Cælum* & *Terram* à sceleribus & sceleratis hominibus aliquando penitus purgatum iri. Petrus, inquam, loca illa Jesaiæ sic intellexit, ad vim & emphasin promissi divini, illis locis contenti, pertinere καταργησιν *abolitionem* omnis impietatis, & eam statum hujus Universi instaurationem in melius, quę bonos & sanctos videret omnium rerum dominos, & *cælos* ac *terram* nulli amplius vanitati propter peccatum subjecta. quod non fiet nisi novissimo tempore. Non nego interim, loca illa Jesaiæ omnium primo esse intelligenda de OEconomia sive conditione Ecclesiæ aliqua in his terris in aliam meliorem mutanda; sive jam hæc sit *OEconomia Legalis*, de qua Owenus hæc loca intelligit; sive *Papalis Romana*, de qua Coccejus. Sed hoc animadvertendum est, Petrum, pro more Scriptoribus Novi Testamenti recepto, Beneficium Ecclesiæ in his locis promissum in τελειώσει sua considerare, absque qua τελειώσει illud beneficium non posset consistere, & absque cujus respectu illud Ecclesiæ non potuisset ea dictionum amplitudine & copia, quæ apud Jesaiam occurrit, promitti. Nimirum omnia beneficia, quę Deus Ecclesiæ in his terris præstat ad statum illius perficiendum & consummandum, suum accipient ἀποτέλεσμα *complementum* in perfectissimo & consummatissimo illo statu Ecclesiæ, qui revelandus erit novissimo tempore. Quicquid igitur Ecclesiæ in his terris promittitur magna cum amplitudine & majestate verborum, vere illi promittitur cum respectu ad illum statum τελειώσεως: & prorsus

Ad quam distincte respondetur. Doceturque, quo modo Petrus locum Jesaiæ acceperit.

Petrus promissum Jesaiæ accepit in τελειώσει sua.

ſus nobis ita videtur, Spiritum Sanctum uſurum non fuiſſe tam amplis & emphaticis phraſibus in illis beneficiis deſcribendis, ut facit tam in his *Capitibus*, quam in Cap. XXXII. XXXV. XLIX. LX. LXI. aliiſque locis Prophetiarum tam Veteris quam Novi Fœderis multis, niſi Spiritus reſpexiſſet ad hanc Eccleſiæ τελείωσιν. Quod cum viderit Petrus multo certe clarius quam nos illud nunc intelligimus: mirandum non eſt, illum hoc vaticinium referre ad ἀποτέλεσμα illius ſtatus, ad cujus principia hoc vaticinium proprie ſecundum mentem Jeſaiæ referendum eſt. Unico exemplo illuſtrabo, quod hic ſuppoſui. Joannes in Apocalypſi mox in initio ſic ſcribit de Chriſto [a]: *Ecce venit cum nubibus cæli, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent coram eo omnes tribus terræ.* Certum eſt, Joannem hic loqui de noviſſimo Domini adventu. Non minus certum eſt, Joannem hæc verba mutuatum eſſe à Zacharia [b]. Zachariæ tamen ille locus omnium primo minime eſt referendus ad noviſſimum Judicii diem, ſed ad tempus aliquod OEconomiæ Novæ, illum præcedens. Quid itaque? An Joannes illum locum allegavit præter mentem Zachariæ? Non facile dixerim: licet Vir quidam Doctiſſimus [c], qui in Apocalypſin egregie commentatus eſt, probabiliter diſputet, Joannem verbis Zachariæ alio ſenſu uſum ac Prophetam illum. Nos illud dicere opus non habemus. Sufficit ex noſtra dicamus hypotheſi, Joannem referre ad ſuum ἀποτέλεσμα, quod Propheta Zacharias affirmat de tempore aut ſtatu Eccleſiæ præcedaneo, qui complementum ſuum in ultimo illo ſtatu accepturus eſſet. 2. Quod Petrus hic addit; ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ· *in quibus* (Cœlis Novis & Terra Nova:) *juſtitia habitat:* ſic plane eſt accipiendum, noſtro judicio, quod in illis Novis *Cœlo* & *Terra nulla injuſtitia* locum haberet. quod vanitati amplius ſubjecta non eſſent. quod ab omni inquinamento ſcelerum & impiorum ac profanorum hominum liberanda ſint. quod Paulus de eodem argumento diſſerens vult in Epiſtola ad Romanos [d]. *Affirmative* enunciatur quod *negative intelligendum.* ut *quædam vice verſa negantia affirmative interpretanda*, optime notavit Glaſſius [e]. Exemplum unicum

In oratione Petrina implementum prophetiæ perfectum & completum ab inchoato & incompleto distinguendum eſt.

Exempla quæ hunc canonem illuſtrant.

Locus Apoc. I. 7. expoſitus.

Verba Petrina: *in quibus juſtitia habitat:* negative exponuntur.

a Cap. I. 7. b Cap. XII. 10. c Launæus. d Cap. VIII. 21.
e Tract. III. Can. XIX. & Tract. V. Can. XX.

unicum dabo ex verbis Domini ad Satanam apud Jobum[a]: *Et dixit Jehova ad Satanam; Ecce ipse sit in manu tua: verumtamen animam ejus* שמר CUSTODI, seu SERVA, h. e. ut Glassius optime monuit, *vitam ejus ne attingas, vel ei adimas.* Affirmante sententia enunciatur, quod ἀῤῥητικῶς accipiendum est. Cœli (Sublunaris:) & Terra non amplius suberunt *vanitati* τῆς φθορᾶς. Hæc certo scimus, & nobis hic debent & possunt sufficere. etsi plus etiam cogitari & dici possit ab iis, qui ingenio suo hic volunt indulgere: & satis certum sit, Apostolos de OEconomia rerum, quę futura sit post novissimum diem, aliquanto plus scivisse & affirmare potuisse, quam nos, qui magna hac parte obsepti sumus ignorantia. — Exempla similia à doctis notata.

XXIV. Tandem 3. à Viris quibusdam Doctis adversus vulgatam interpretationem infertur, quod *nova* videatur *res*, & à communi perceptione remotior, Cœlum & Terram proprie sic dicta, eum in modum *per ignem* esse *interitura*, quem nos defendimus, nec Scripturam aliis in locis huic hypothesi favere. Ad quæ paucis. 1. Hypothesin de ultima illa Terræ hujus *Conflagratione* minime abludere à ratione, non probabili modo sed & facili, abunde demonstratum jam à Cl. Burneto. Certe totius Antiquitatis constantissima traditio & fides tulerunt, id ita aliquando esse eventurum, quod Grotius jam probavit[b]. &[c] nos pluribus exequi possemus, si res dubia esset aut incerta. 2. Tantum abesse, ut hæc hypothesis aliena sit ab aliis Divini Verbi partibus, ut è contrario jam clare satis & explicite habeatur in antiquissimo monumento Historiæ Mosaicæ. Nimirum mox post Diluvium dixit Deus[d], כל ימי הארץ OMNIBUS DIEBUS TERRÆ *sementem & messem, frigus & æstum, æstatem & hiemem, diem & noctem, non cessatura. Terra* hic *sui dies*, suum tempus statuitur: quod, ut passim ab Interpretibus hujus loci observatur, certo indicat quendam *Terræ interitum*, & aliam quandam rerum in Mundo hoc Sublunari immutationem, novissimo tempore expectandam. Quando vero Deus mox Symbolo *Iridis*

Tertia objectio: doctrinam novam videri de cœlo & terra, *interituris* tempore novissimo.

Ad quam varie respondetur.

Fides de interitu hujus terræ jam satis antiqua.

Locus Gen. VIII. 21.

a Cap. II. 6. b Annot. ad Lib. I. de Ver. Rel. Christ. p. m. 219. & ad Lib. II. p. 43, 44. c Vide Senec. Consol ad *Polyb.* Cap. XX. Consol. ad *Marciam* Cap. XXVI. & per totum Lib. d Gen. VIII. 21, 22.

Noachidis post Diluvium obsignavit longanimitatem in eos postmodum exercendam, exerte cavit Deus monuitque [a], se terram amplius non esse *destructurum aquis Diluvii* generalis. in quibus ipsis verbis non obscurum indicium est, futurum id aliquando esse *per ignem*. Quæ fides per *traditionem* in Vetere Ecclesia conservata [b], & ab ipso Christo Jesu Domino nostro confirmata est [c].

a Cap. IX. 11. b Job. XIV. 12. Psl. CII. 27. Jes. LI. 6. c Matth. V. 18.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.





INDEX PRÆCIPUORUM *LOCORUM* SCRIPTURÆ SACRÆ,

QUÆ


In hisce LIBRIS illustrantur, aut explicantur.

INDEX.

8.

I N D E X.

I AD



INDEX

VOCUM aut PHRASIUM Hebræarum & Græcarum, quæ in his Libris exponuntur.


Pag.

INDEX.



I N-


INDEX.



INDEX
VOCUM aut PHRASIUM Hebræarum & Græcarum, quæ in his Libris exponuntur.

Pag.

INDEX.



I N-



INDEX RERUM PRÆCIPUARUM, QUÆ Hisce in Libris pertractantur.

Affe-



INDEX RERUM PRÆCIP[...] QUÆ Hisce in Libr[...]

A.

B.

Bapti-

Bapti-

D.

Ne-

Præ-

Re-



L. S.

MEnda, si quæ irrepserint & in hisce Libris denuo recensendis fugerint oculos, quæ spero non fore ex gravissimis, pro benevolo affectu tuo excusabis & corriges. Non licet enim, aliis occupationibus districto, opus sæpius jam lectum relegere. *Indices* quatuor *Librorum* ad novam hanc Editionem accommodavit doctrina & virtute Ornatissimus Vir, C. F. Scheurerus, Anhaltinus, in auditoribus meis, ut mihi charus, sic in me optime affectus, cujus accurationi & peritiæ fidere potui. Est præterea aliud de quo te monitum volebam. Ut in hac *Editione* Libri primi paucula his illis locis ad illustrandas hypotheses meas accesserunt: sic desiderabis in ea (maximam partem,) *suo loco*, (Diss. I. Cap. IX. §. VII, VIII.) quæ in *Editione tertia* adscripseram ad vindicandam sententiam vel conjecturam meam de significatione genuina vocum שפה & דברים in Pericopa Historiæ Mosaicæ, Gen. Cap. XI. 1. 6. 7. illis *thesibus* declaratam, à *censura* quadam Cl. Viri, quam deprehenderam in *Dissertationibus* de *Originibus Babylonicis*, quæ id temporis in celebri Athenæo Batavo publice ventilabantur. Cum enim nihil certi mihi hactenus liqueret de consilio Viri Celeberrimi de illis Dissertationibus forma *Libri* iterum vulgandis; & facile contingat, ut Academicæ Exercitationes vel disjectæ non longum durent; vel in pauciorum perveniant manus: commodum videbatur ea quæ ibidem in *Editione tertia* leguntur, cum Liber nunc rursus typis describeretur, inducere. Accedebat etiam illud, quod mihi injucundum acciderit, misceri concertationi cum Viro, cujus eruditionem & merita ut par est, colo, & amicitiæ quod mihi superest, servare cupio; & quod vere non sim de illo hominum genere, qui sententias suas de rebus obscurioribus tam mordicus tenent & acriter defendunt, ut non patiantur se ab iis divelli, & meliora, si quæ ostendantur, amplecti recusent. Omne mihi verum placet; &, si id verius sit, quod Vir Cl. hic pro communi interpretatione hujus loci disputavit; id etiam ego quam maxime verum esse velim, & vincere cupio. Interim eruditæ illæ Dissertationes iterato prodierunt in lucem, in quibus cum Viro Cl. placuerit non tantum immutata relinquere, quæ in *priore* earum *Editione* legebantur, verum etiam præcipua responsi mei argumenta repetere ac refellere, paulo quam voluissem acrius: consultum duxi, ne quis mea illa in hac *Editione* desideraret, eadem, ut ibidem leguntur, hic primo subjicere; deinde aliqua, ut commodum visum fuerit, ad sententiam meam illustrandam ac defendendam observatu necessaria addere. Ad prima verba: §. VIII. Cap. IX. *Quin etsi nolimus negare:* hæc adscripseram sequentia:

Vidi Virum Cl. in Dissert. V. de *Origin. Babyl.* §. XV. cum in eo esset ut adstrueret, vocem שפה omnino in hac historia sumendam esse significatu *Linguæ* aut *Dialecti*, hæc mea verba notasse virgula censoria. Scripsisse me ait in *Priore Editione* Primi *Observationum mearum* Libri, *distingui apud Hebræos significationem vocum* שפה & לשון / & hoc *vocabulo* sermonis idioma, *seu* dialectum, *notari*, illo sententiam; imo dicere me, *haud arduum mihi fore evincere*, *vix ulla occurrere sacris in Literis testimonia*, *ex quibus cum ratione inspectis significatus hicce* dialecti *seu* idiomatis, *adeo huic voci ab omnibus adscriptus*, *possit urgeri*, cum tamen seq. Cap. adferens locum Jesaiæ XIX. 18. *Illo die erunt quinque Civitates in Ægypto loquentes* שפת כנען LABIO CANAANIS, dicam, *Neminem dubitare*, *quin per* Labium Canaanis *intelligenda sit* LINGUA *illa*, *qua Deus mysteria sua Israëlitis revelaverat.*

quibus

quibus locis ipse addit Jes. XXVIII. 11. Ps. LXXXI. 6. coll. cum Deut. XXVIII. 49. Subjungit deinde, *rectius itaque me in Secunda Editione Observationum mearum noluisse negare, vocabulum* שפה *posse habere significatum Linguæ & dialecti: sed tamen quia certissimum sit, esse hunc significatum in Scriptura infrequentiorem* (contra Cl. Coccejus: *Pro* dialecto SÆPE *dicitur:*) *& Scriptores Sacros &c.* Hactenus Vir Cl qui sibi integram potuisset habere laudem ἀκριβείας, etiamsi forte quod in *Prima* hujus Libri *Editione* minus accurate à me scriptum fuerat, à me ipso in *Editione Secunda* vel emendatum vel accuratius expressum, tam solicite non protraxisset in lucem. Nec enim res videtur esse tanti: & in invidiam mihi verti non debebat, quod *Secunda Editione* correxerim ipse, quæ forte *Prima* à me ἀμελεστέρως tradita erant. Intellige tamen, Lector, si res illius momenti tibi esse videatur, quænam mihi ratio fuerit, quod steterit consilium in prima illa mea scriptione. Inter loca, quæ proferri solent in Lexicis pro illa significatione vocabuli שפה / qua capitur pro *Lingua*, sive *Dialecto*, vix ullus mihi tum obversabatur, qui illi significationi magis faveret quam locus ille *Jesaiæ* XIX. 18. Atqui illo in loco ut negare non poteram, per vocem שפה primo intelligi *Linguam* & *Dialectum:* (quod deinceps aperte professus sum:) sic certum est, plus in eo loco hac voce notari, h. e. *ipsas* quoque *res* & *sententias*, per *Linguam* proferendas. *Quinque urbes in Ægypto loquerentur* שפת כנען LABIO CANAANITARUM: h. e. dissererent de rebus divinis, eodem modo quo Judæi, quibus mysteria veræ fidei Lingua Hebræa, sive Canaanitica, tradita erant. quomodo apud Zephaniam dicitur, Deum ad gentes *versurum esse* שפה ברורה LABIUM PURUM: Doctrinam veræ Religionis. Quod autem ad reliqua loca attinet à Viro Cl. pro hac sententia allegata, ut sunt Jes. XXVIII. 11. Ps. LXXXI. 5. fateor; in *posteriore illo loco* Ps. LXXXI. 6. videri vocem שפה commode pro *Dialecto* sumi, sed in priore, nempe Jes. XXVIII. 11. per לעגי שפה *Labium irridendum* & לשון אחרת *Linguam peregrinam* plus significatur. etsi ad *Linguam* quoque & *Dialectum* respici; saltem illam vocum illarum significationem ibi quoque intendi; ex Apostolo liqueat. Nempe cum Judæi claram & simplicissimam Doctrinam Gratiæ, à Christo & Apostolis expositam, spernerent: minatur iis Deus, futurum esse, ut ipsorum Doctores Doctrinam ipsis proponant ridiculam, cujus partes non cohæreant. cujus fere generis sunt Gemaristarum in Talmude disputationes. Ego cum considerarem, paucissima extare loca in Scriptura, in quibus vox שפה *Linguæ* & *Dialecti*, vel saltem solam *Linguæ* & *Dialecti*, significationem habeat; scripsi, VIX ULLA *extare* hujus significationis testimonia. qua in re non video magnum à me commissum esse peccatum. Sed ne in *Secunda* quidem *Editione* ejusdem hujus Libri, in qua liberius concessi, vocem שפה habere posse *significatum Linguæ*, videor Viro Docto satisfecisse, quando subjeci, *esse hunc significatum vocis* שפה *infrequentiorem.* Objicit enim mihi per παρέργως auctoritatem Cl. Cocceji, qui contra in *Lexico suo* notaverit, SÆPE hoc significatu venire vocem שפה. Ego vero non video rationem, cur novam mihi hic invidiam parare voluerit Vir Cl. qui cum haud dubie in *Lexicis* aut *Concordantiis* satis diligenter quæsiverit loca, in quibus שפה venit significatione *Linguæ*, adeo multa non invenit, in quibus absque controversia hic significatus voci שפה tribuendus sit. Ut paucis absolvam: Vox שפה occurrit in Scriptura plus quam *centies* & *septuagies*; & tamen inter tot loca vix plura observavi quam *quinque*, (excepto loco controverso Gen. XI. 1.) quæ faveant illi significationi vocis, de qua agimus. ut sunt Jes. XIX. 18.

18. XXVIII. 11. XXXIII. 19. Ezech. III. 5, 6. Pſ. LXXXI. 6. Uter ergo hic majorem curam adhibuit, an qui vocabulum hoc *ſæpe* dixit illo venire ſignificatu, an qui *infrequentius*? Deinde ſub finem hujus §, ſubter verba: *Sequitur quoque hunc loquendi modum Apoſtolus in priore ad Corinthios Epiſtola*, Cap. XIV. &c. hæc extant: Nihil iis, quæ hic trado, certius, quantum hactenus ſcire potui. Idem tamen ille Vir Doctus ſomnum denuo ſcribenti obrepſiſſe putat, ubi negavi, Paulum voce χεῖλος uti ſignificatione *dialecti*, aut *Linguæ*. *At vero*, ait, *idem Apoſtolus in eadem Epiſtola, & eodem Capite* §. 11. (§. 21.) ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ. Subjicit: *Quicquamne diſertius in contrarium haberi poteſt?* Ego vero hanc cenſuram legere vix potui abſque indignatione. Vel enim ipſe Vir Cl. hic minus fuit attentus, vel ex quacunque demum alia cauſſa me nihil tale hic merentem nova onerare voluit invidia. Ergo repetam hic diſertius: Paulum in toto Capite *quarto decimo* prioris Epiſtolæ ad Corinthios nunquam uſurpare vocem χεῖλος ſignificatione *Linguæ* aut *Dialecti*, ſed conſtanter adhibere vocem γλῶσσα: Verba autem, quæ Vir Cl. ex *illo Capite* produxit, non eſſe verba Pauli, ſed Jeſaiæ, ab ipſo Græce converſa ad imitationem tum phraſis Hebrææ, tum ſtyli LXX Interpretum, qui vocem שפה apud Jeſaiam per χεῖλος tranſpoſuerunt. Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται, inquit, ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις, &c. An igitur nunc videt Vir Cl. *omnino quicquam diſertius in contrarium haberi poſſe*?

Contra hæc diſputans Vir Celeberrimus, (Cap. IX.) *ſecius me ea accepiſſe*, ait, *atque ideo in repetita* Obſervationum *Editione longam ſatis querelam cum indignatione quadam adjeciſſe*. Quam *longa querela* ſit, ex ea hic inſpecta quiſque videre poterit. Quod ad *querelam* ipſam attinet: non nego, ita mihi viſum eſſe, Virum Cl. qui conſentientis ſibi variis partibus harum *Diſſertationum* non meminit; (& poterat jure, cum fœtus eſſet ingenii primæ ætatis, idemque valde imperfectus;) diſſentientem etiam à ſe potuiſſe negligere; vel, ſi omnino negligere nollet, ita inſtituere potuiſſe, ut ne crederent alii, (quod nolim:) nullam inter nos vel nunc eſſe, vel olim fuiſſe, conjunctionem animorum. Ubi jam in ſequentibus qualemcunque invidiam querelæ meæ à ſe amolitur, & ſua defendit: cauſſam quidem ſuam magna ſatis cum ſpecie tuetur, & tamen difficile non eſſet ad ſingula pro more diſputantium aliquid reponere, & forte etiam non abſque ratione: ſed quo fructu? Concertationes enim ejuſmodi pariunt παροξυσμὸν, & exeunt tandem in minutias & λεπτολογήματα, de quibus abſurdum ſit Viros jam confirmatæ ætatis inter ſe litigare: veluti quod, cum ego ſcripſiſſem, eſſe ſignificationem illam vocis שפה / quam ipſe urget, *infrequentiorem*; ipſe contra mihi objeciſſet auctoritatem Cocceji, *ſæpe* hoc ſignificatu venire dicentis; demonſtraſſem autem ex cenſu locorum, *paucioribus* locis tantum pro *ſermone verbali* uſurpari: ASTUTE dicat, quod *pace mea dictum velit, me hic agere videri*. Dictum illepide. vox enim eſt ambigui ſenſus, nec optimæ notæ, in cujus ſignificatione quod vitii ineſt, in me non agnoſco, candorem indolis ubique profeſſus. Si de ſignificatuum vocis cujuſque *frequentia* judicandum ſit: omnes illius ſignificationes diverſas in cenſum venire oportet, nec *aſtutiæ* eſt eas vel recenſere, vel recenſitas quod ad numerum *locorum* inter ſe comparare. quorum *locorum plurima* cum ipſe, ut dictum tueatur, ex hoc *numero eximenda eſſe* ſcribat, & *tantum computanda hic* PAUCA ILLA, *in quibus ea vox* de *Sermone*, ſive verbali, ſive reali, *reperitur*; nihil æquum poſtulare videtur. Cur enim, ubi in univerſum judicatur de *frequentia* ſignificationis *vocis*, non omnes inter ſe ſimul

com-

comparabo, & aliquas hoc *numero eximam*? cujus id fecerim arbitrio, & qua lege? Quando itaque addit: *Sic frequens satis in illa* PAUCITATE *deprehendetur hujus vocis usus in significatu Linguæ aut pronunciationis.* nihil contranitor. Si mihi detur, esse *pauca*; (quod dicere volui:) patior dici alio respectu, esse *frequentia*, si hæc duo inter se recte consistant. Alterum ejus generis est, quod Vir Cl. in progressu *Dissertationis* scribit in hæc verba: „Non distinguit Vir Doctus inter Sermonem certæ Linguæ, veluti Hebraicæ, Græcæ, &c. & Sermonem naturalis „locutionis qualicunque Lingua. Nec enim nos volumus, ut שפה hic notet certum *idioma*, ut ait, quum nondum extaret tunc diversus Sermo aut Lingua in „Orbe terrarum; sed sensus est, quod omnis Terra usa fuerit pronunciatione oris „eadem, & verbis iisdem, seu quod sermo, qui ex omnium hominum ore audiebatur, erat unus & idem quod ad *formam* & *materiam*. Certe vel meus hic stupor est, vel Vir Doctissimus se hic loci ipse impedit. Etenim, α. Sive vox שפה hic sumatur de *Lingua*, sive de certa aliqua *forma* enunciationis alicujus qualiscunque Linguæ: omnino significare debet *Linguam certam*, vel *certam oris enunciationem*. *Genus* enim nullum, quod sic appellant Logici, existit nisi in aliqua sua certa *specie*. Fac, hominem unum existere in Universo: erit tamen ille *certus* homo, licet nulli alii illius generis contradistinctus. Pone, qualicunque *Lingua* usos esse Ante-diluvianos: oportet fuisse Linguam *certam*, idioma certum & definitum. β. Si vox שפה hic significet non tam *Linguam*, quam *enunciationem Linguæ*, sive *formam enunciationis verborum*, quibus Lingua qualiscunque constat: tum primo deseritur illa significatio vocis שפה/ pro qua Vir Cl. tam acriter pugnat; & dein Historicus Sacer inverso ordine loqui infertur. Dicet enim secundum hanc sententiam, homines illius ætatis *eodem modo* & *forma* voces *enunciasse*; & iisdem *vocibus* & *verbis* sive notionibus usos esse. quod vere minus videtur probabile, ut mox evincam. esset enim dictum præpostere. Porro cum ægre ferat, me argumentum pro mea sententia adstruenda producere ex usu vocis χεῖλος apud Græcos, quippe quæ ab iis non sumatur significatione *Linguæ* aut *idiomatis*, perinde ac vox γλῶσσα; *res profecto mira est*, ait, *Viros Doctissimos ac limato satis judicio præditos uti argumentis, quæ, si illis inesset vis, æque, imo magis, suam ipsorum, quam adversariorum oppugnarent sententiam. debuisset itaque Vir Cl. vel non protulisse* INANE *hoc argumentum*, &c. Sane quidem, Celeberrime Perizoni, facilius longe est alios hic reprehendere, quam eos non imitari. Quotusquisque enim est, qui demonstrationis calore abreptus subinde etiam ad firmandam sententiam non advocet subsidia leviora, quæ per se stare non possent, sed aliis adjuncta, aliquantulum juvant; & si se ipse recognoscat Vir Cl. forte in suis etiam talia deprehendet. Novi Viros me doctiores & judicii acrioris, (si hujus facultatis aliquid in me agnoscam, de quo modestissime me sentire par est, quod facio:) qui non infrequentes Josephi testimonium adducunt in dirimendis controversiis Historicis, de quibus Josepho ex antiquis monumentis nihil explorati liquere potuit; & qui tamen eundem Josephum rursus aliis locis à se dissentientem refellunt; & sunt exempla hujus generis complura alia. cujusmodi argumenta si quis alius *inania* appellare vellet, forte Vir Doctissimus ipse id minus æque ferret. Si mihi hac ætate Dissertatio de hoc argumento instruenda esset: fortean aliqua eorum displicerent, quæ prima ætate blandiebantur; alia haberem in rem graviora, quæ iis supponerem: nihil tamen caussæ esse vidi, cur argumentum illud negligerem ac plane abjicerem, aut cur magis *inane* di-

catur quam plura de [illegible] cum *Linguarum* [illegible] a-[illegible] con-tra. an. D [illegible] quod me scri-psisse ait, [illegible] hanc interpre-pretationem [illegible] α. [illegible] meam sic [illegible] tamen sensu u-surpaverit vocem χεῖλος, certum est, [illegible] Non scripsi *ab-lute*, Paulum [illegible]; etsi eadem re [illegible] Legimus, *verba Jesaiæ a Paulo Græce conversa esse ad imitat.* [illegible] HEBRÆÆ, *tam ipsius LXX Intt. qui vocem* שפה *apud Jesaiam per χείλη transposuere* [illegible] quod omnimode verum est. Cæterum ne quis, ubi hanc sententiam meam tam severe proscriptam videt, sequius de ea opinetur, quam æquum est: pauca mecum habeo, quæ ad eam, rationesque ejus declarandas, facient, præter ea quæ in ipsa *Dissertatione* produxi. Et quidem α. Sententiam meam, qua vox שפה (Gen. XI. 1.) sumitur de *sermone reali*, non *verbali*, (quibus notionibus compendii caussa utar:) non fundari à me in hac hypothesi, quod vox שפה non sumatur stylo Scripturæ S pro *Lingua* vel *Labii* motu sive enunciatione: id enim ne quidem in *prima Editione Dissertationis* hujus *absolute* negavi, licet ibi per commune vitium ἀμετρίας τῆς διαλέξεως, quod disputantibus frequens adhæret, meticulose nimis & illiberaliter processerim. Sufficit mihi plane, sumi pariter pro *sermone reali*, ut patet ex locis quæ adduxi, & satis notum est. Significatio hæc vocis *secundaria* est, fateor; sed id nihil obstat, quo minus hic, ut in aliis locis, obtineat. Definiendum itaque illud unice est ex *circumstantiis* orationis, an obtinere debeat. Quid? an non ipse Vir Celeb. vocem שם in hac ipsa *Dissertatione* sua sumpsit significatione prorsus peculiari, quam ægre ex usu vocis in Codice Biblico demonstrare potuit, hoc inductus argumento, quod secundum vulgatam vocis interpretationem orationis Historicæ sensus & nexus commode expediri nequeant? quem tamen conatum doctum & laudabilem nemo ei vitio verterit. Nec alia mihi fuit ratio, ut mox dicam. Nollem itaque *interpretationem* innocuam, tanquam hoc fundamento nixam, proscriptam ut *falsissimam*, quod durissime, nec satis humaniter, dicitur. Quid si enim *falleret* mea hæc interpretatio: sensus nihil *falsi* habet. Primos enim illos mortales, exstruenda turri Babylonica occupatos, *unius fuisse sermonis realis*, h.e. idem sensisse & loquutos esse, eademque agitasse consilia, verissimum est. quod si hic minus significetur: quid in eo tanti erroris est & vitii? quid evictum, si simul significetur, illos *eadem usos esse Lingua*? quod ego non nego. β. Me neutiquam communem interpretationem præfracte rejecisse quin, cum facile præviderem, fore qui judicarent, *meam* illam minus convenire *stylo Historico*: in explicanda *confusione Labii* ostendi modum, quo censeri posset facta esse secundum communem expositionem *Contextus Mosaici*, qua *Labium* sumitur pro *Lingua* aut *enunciatione*. Lib. 1. Cap. IX. § XV. ut adeo hic positus sim extra culpam & invidiam omnem. γ. Rationes interpretationis esse ejusmodi, ut earum me nullo modo pudeat, neque etiamnum mihi indecorum censeam eas proferre aut commendare. Prima est, quod nemo Interpretum, qui in hac historia non agnoscit *originem variarum Linguarum*, in qua sententia ipse quoque est Vir Eruditus, hactenus liquido potuerit declarare, qua re constiterit illa *Labii Confusio*.

fusio. omnes hic hærent. Medelam aliquam ostendi, fateor. ostendit quoque non plane dissimilem Vir Cl. sed adversus utramque superest quod excipiatur. Verum si *confusio Labii* exponatur de discordia animorum, & hinc orto dissidio, & sermonis atque consiliorum discrepanti. & divortio: nihil superest difficultatis. Secundo, Interpretes, qui nihil plus in verbis Mosis agnoscunt, vere hærent omnes in exponenda *Præfatione* hujus Pericopæ historiæ Mosaicæ, de cujus sensu cum maxime agitur. Verba Historici sacri sunt: *Et erat tota terra* UNIUS LABII, & UNORUM VERBORUM. Si *Labium* hic explices de *Lingua:* quid illud est quod additur, *unorum verborum*? An enim, si *verba* hic sint *voces* sive *notiones ipsæ* quibus *Lingua* constat: id non tantum idem est, imo *minus* est, quam quod significaverat Historicus per *Linguam*? *Lingua* enim constat *verbis* & *verborum enunciatione.* Quare igitur *minus* quod est, *majori* subjiceret? Οὐ γὰρ ἂν τὸ γένος προθεὶς, τὸ εἶδος ἐπήνεγκε· *Neque enim* GENERE *posito*, SPECIEM, (sive τὸ μέρος *partem*) *intulisset*, ut cum Strabone loquar Lib. I. p. 26. quod huc rectius, quam ad Homeri locum, de quo disputat, applicatur. Sed fac, *Labium* hic significare *formam enunciationis*, & *Verba* ipsas *voces* ac notiones, quæ *materiam* sermonis faciunt, quod Vir Cl. vult: præpostere *forma* obtinebit locum *materiæ*. Historicus enim, si nihil aliud voluisset, scripsisset, ut videtur; *Et erat terra tota unorum verborum & unius labii.* Quod cum observarent docti Paraphrastæ, & viderent, majorem emphasin esse in voce דברים / subjunxerunt: *unius consilii.* ex nostra mente. Quin profiteor, si vel maxime largirer, per שפה *Labium* hic commodissime & simplicissime *Linguam* intelligi: me tenaciter inhærere huic sententiæ, voce דברים / secundum genuinam ejus significationem, plus significari. Tertio, verba vers. 6. huic sententiæ favere videntur. Sic habent: *Et dixit* DOMINUS: *Ecce Populus unus sunt*, & LABIUM UNUM *omnibus iis*, & *hoc est quod facere instituunt*, & *nunc an non præscindetur iis omne id quod facere* COGITANT? An non facilior est intellectus & cohærentia hujus sententiæ, si per *unitatem Labii* hic quid plus intelligatur quam *conformitas enunciationis*? Accedit, historiam mythicam, ex reliquiis veteris traditionis haustam, hic similia nostræ interpretationi, licet fabulose, tradere. Obstant tamen interpretationi duo: & quidem α. Simplicitas styli historici, cui significatio vocis שפה / qua pro *Lingua* sumitur, melius videtur convenire. β. Quod additur vers. 7. אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *Ne quisque audiat labium proximi sui.* ubi *audire labium*, phrasi Hebræa, rectissime declarari videtur per *intelligere sermonem.* certe est facilior interpretatio. Prius superari potest, nec me vehementer moraretur. Stylus enim antiquorum *Fragmentorum Historicorum* aliquid habet mystici & allegorici, sæpe etiam ubi simplicissimus videtur. Exemplum nunc cape unum ex Gen. XXXIX. 6. ubi de Potiphare scribitur in simplicissima narratione historica: *Et reliquit omnia in manu Josephi*, & *nullam non rem cum ipso communem habuit*, *præter* PANEM *quo vescebatur.* dictum eleganter & *historice*, sed stylo mystico. Posterius itaque unum est quod me gravat, quod quo modo expedire conatus sim, in ipsa videri potest *Dissertatione.* Quid plura addo? Conjectura innocua est, primæ ætatis, levandæ difficultatis causa proposita; quam, si nihil de vero trahat, patior reprobari, & refelli quoque; sed absque acrimonia, æquo animo, amica manu, siquidem id obtineri queat. Vale, L. B. & studiis meis, si ita videtur, fave.

CAMPEGII VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM

LIBRI SEX,

DUOBUS VOLUMINIBUS
COMPREHENSI.

TOMUS. II.

CAMPEGII VITRINGA


OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBRI
QUINTUS & SEXTUS

IN QUIBUS

De Rebus varii argumenti, & utiliſſimæ inveſtigationis, *Theologicè* ac *Criticè*, diſſeritur; *Sacrorum* imprimis *Librorum* Loca multa obſcuriora novâ vel clariore luce perfunduntur.





FRANEQUERÆ,
Ex Officina WIBII BLECK Bibliopolæ,
MDCCVIII.



Dictum Κυριακὸν aut Αποστολικὸν in Monumentis Veteris Ecclesiæ conservatum:

ΓΙΝΕΣΘΕ ΔΟΚΙΜΟΙ ΤΡΑΠΕΖΙΤΑΙ.





LECTURO SALUTEM
IN
CHRISTO JESU
CAMPEGIUS VITRINGA.



Tiamsi studia Literarum cum olim, tum præcipuè proximis hisce sæculis, ab hominibus præstantibus & acris judicii in omni disciplinarum genere magnâ contentione ingenii, & cum profectu insigni, certatim sint exculta: restat tamen ubique infinita ferè utilissimæ exercitationis materia; non sanè longè quærenda, sed obvia, &, ni oculos claudas, ante pedes. Quid? si addam, necessariæ. In omni enim Scientia supersunt obscura, ambigua, incerta, benè multa, huc usque non expedita, neque expedienda absque improbo labore; qui non rarò etiam hic incassum impenditur. Est autem res pulchra profectò, & exercitatio omnium, ad quas se mortales applicant, nobilissima, atque imprimis jucunda; investigatio Veri: *quod est acsi Deus quibusdam in casibus ab intellectu nostro remotius esse voluit, ut tantò magis studium atque industriam nostram in eo indagando acueret atque accenderet.* Intellectus *quidem noster, Divini ac cœlestis muneris facultas quâ homines à cæteris dividimur animantibus, per naturam suam non minore in* Verum *desiderio fertur quàm oculus in lucem, & quæ lux in oculum admiranda infert. Huic*

ne pabulum deesset, *Deus* Se *ipse contemplandum objecit*, Veritatem æternam, *cum omni excellentia suæ perfectionis*, *in imagine sui quam in tabella* Conscientiæ *omnium mortalium descripsit: tum quoque* Opera *sua*, *quorum* homo *ipse partem facit spectabilem; summi ingenii Exempla*; *ordine*, *varietate*, *nexu ac structurâ caussarum ab invicem pendentium*, *planè admirabilia; nec non* Gesta *atque* Eventa *temporum*, *Rectoris Universi Virtutes; Sapientiam*, *inquam*, *Justitiam*, *Imperii Jurisque amplitudinem*, & *Longanimitatem ejus*, *illustratura. His*, *qui Divinæ benignitatis quidam cumulus est; adjecit* Oracula *sua*, *per sanctos Viros longo sæculorum tractu*, & *tandem per Filium suum*, CHRISTUM JESUM, *edita*, & *cum humano genere per literas communicata*, *tum ut Naturam suam*, *ejusque Bonitatem* & *Præstantiam*, & *veras Consiliorum ac Moliminum suorum rationes mortalibus clarius explicaret; tum ut miseris ostenderet immensas* opes suæ gratiæ, & magnam spem Vocationis Cœlestis, *viamque monstraret*, *quâ per incerta*, *lubrica*, *tristia*, *hujus vitæ ad æternam itur gloriam. In his qui ingenium suum exercet homo*, *hominem se esse sentit*, *ad magnarum rerum contemplationem natum: nec tamen ubique inoffenso pede procedit. Necessaria cognitu*, *quæ non nisi cum dispendio spei melioris vitæ ignorantur*, *quarumque rerum intelligentia veram* & *propriam hominis* Sapientiam *facit*, *in illis terris*, *quas Doctrina Evangelii collustrat*, *omnibus patent*, *quos suæ salutis cura angit*; *nemini obscura sunt*, *nisi sui negligenti*, *aut osori lucis. Sed benè multa sunt alia*, *in Divinis etiam Literis*, *scitu tam digna quàm utilia*, *quæ altiorem poscunt indaginem*, *atque inspectionem accuratiorem*; *nec diligentiam tantum* & *laborem*, *sed laboris quoque adsiduitatem ac patientiam*; argenti & thesaurorum instar perquirenda & scrutanda *. *Sunt quibus lumen propius est admovendum*; *in quorum*

* Prov. II. 4.

quorum gratiam accendenda est lampas, & verrendæ ædes; *nec* inveniuntur *nisi* solicitè * quæsita † *vestigataque. Hebescit etiam subinde ipsa mentis acies, licet Divina manus homines verè finxerit amplæ cognitionis capaces*; & *visum fallit, quod vel Deus in hisce terris perfectè sciri noluit; vel intelligentiæ nostræ facultas non attingit; vel ob incertitudinem aut defectum principiorum, ex quibus petenda est cognitio, operam omnem respuit. Certè* puteus *Divinæ Sapientiæ est* profundus, & *multis deest* haustrum ¶. *Tu tamen, si sapis, tenta modestè, animo Dei ac veritatis reverente, qualescunque ingenii tui vires*, & *experimento disces*, Res accendere lumina rebus, *ac ipsam sæpè exercitationis pertinaciâ vinci desperationem. Nec absterreant te in gravioribus prima conamina, si fortè non responderint voto. Etenim ut metalla, quæ apud homines in pretio sunt, è visceribus terræ magno labore producta, non placent primo aspectu, suis involuta* & *commixta sordibus; nec nitent; sed opus habent semel iterumque*, & *tertiò etiam, igne subigi*, & *à fæcibus purgari; deinde quoque operâ fabrili expoliri, ut nativum suum decus aliis ostentent: sic raro accidit, ut* Verum *tibi adprima* & *operosissima etiam tentamina occurrat absque fæce erroris; sed sæpè* & *à diversis ingeniis exploratum, excoctum, subactum, splendescit ita, ut pretium, præstantiam, puritatemque suam omnibus facilè commendet. Hoc mihi placet studium*; & *cum aliàs semper voluptatem attulerit; tum nuper etiam solatio fuit. Equidem proximis hisce annis, quibus soles mihi orti sunt minus candidi, à Divina licet manu gravius pressus*, & *luctatus cum adversis, (in quibus ô Docte* & *Dilecte Fili*, HORATI, *in ipso ætatis tuæ flore immaturâ morte subducte amori meo* & *non vulgari expectationi Eruditorum, quantam mihi reliquisti veri atque acerbi luctus materiam! etsi ego, memoriæ tuæ honorandæ causâ hæc interfa-*

* ἐπιμελῶς. † Luc. xv. 8. ¶ Joan. iv. 11.


tus, Te cum maximè in pace quiescere cupiam; nec tuæ invidens felicitati, nec Voluntatis Divinæ imperio rebellis:) non putavi tamen, projiciendum esse animum: *sed cum observarem ex vestigiis Divini favoris, qui labores meos interea temporis benignè prosequebatur, non videri hactenus Domino propositum esse*, lampadem meam extinguere, & τὸν καταβαλλόμενον ἀπολέσαι*; *tantò diligentius, (sæpe, quod non dissimulo, adversus contrarium naturæ nisum:) me applicui ad Divinarum Literarum investigationem; tum officii memor & ævi brevis; tum experturus, an labor* callum quoddam obduceret dolori; *quam illi vim inesse alibi scribit* Tullius. *Quod dum ago, versatus in Opere majoris moliminis & usus: si animo & voluntati Dominus parem addat gratiam, valetudinem, vires: en* lucellum *succisivi* temporis, *quod nunc tecum communico*, OBSERVATIONUM, *sive* DISSERTATIONUM SACRARUM *Libros* Quintum & Sextum, *in quibus de rebus argumenti utilissimi, quæ Eruditioni Sacræ promovendæ faciunt, modestè & candidè disputatur. Audeo illos cum aliqua fiducia in publicum mittere, quod priores digni visi sint qui legerentur ab his, qui de Literis nostris, hujusque Scientiæ veris incrementis, rectè judicant; & nuper etiam* Commentarius, *quem instruxeram in* Apocalypsin Joannis Apostoli, *insigni exceptus favore hominum doctorum & Verbi Prophetici amantium, in tanto frigore quantum multos hoc tempore obsidet & fere exanimat. Videbis, si æquo judicio locum facis, huc me tendere & meas convertere cogitationes, ut in dubiis & tenebricosis rebus ad certam veri intelligentiam ipse perveniam, &, si pote, alios perducam; quod non esse contemnendum studium, modò præfatus sum. Id verò ita exequor, ut in discutiendis Quæsitis, quæ curâ meâ digna censeo, præsentium sententiarum aut hypothesium potiores, à Doctis Viris in medium prolatas, sub liberum mittam examen,*

xamen,

* 2 Cor. IV. 9.

xamen, sed modestum; meisque qualibuscunque Observatis vel confirmem & illuminem quæ ab iis bene & ad rem monita sunt; vel, si dissentiam, aliquid ex meo expromam ingenio & penu, quod meâ sententiâ ad dubia illa expedienda prudentius admovetur. Subinde etiam in hisce Libris accidit ut disseram de Argumentis novis, quæ ab aliis tangi, certè tractari non memini; aut disputando me misceam cum quibusdam nostri temporis Viris Eruditione celebribus, sive jam fato suo perfunctis, sive etiam superstitibus. Hâc unâ parte deprecor invidiam; nec enim ullâ aliâ peccasse puto; si etiam hic peccaverim. Quid enim me indignum, aut in alios injurium, committo, si per plures jam annos versatus in studiis Literarum, ab ejusdem professionis Viris dissentire ausim, & dissensus mei rationes cum Orbe docto communicare? Quin sanè id fieri utile est, ut diversarum sententiarum comparatio faciliorem reddat dijudicationem caussæ: qui certus est honestæ fructus disputationis, quæ non ex ambitione aut petulantia, sed amore veri instituitur. Nec enim hic ingenium cum ingenio, doctrinam cum doctrina, sed rationem cum ratione contendi velim; quod verè docti, qui animi vanitatem & fastum primæ ætatis deposuerunt, in sequiorem partem non interpretabuntur. Plura præfari non erat animus. Tu vale, Lector, & mecum in communione Sancti Spiritus, & amore studioso veritatis, atque cultu sinceræ pietatis, perge meditari quæ faciunt ad veram & solidam ædificationem Ecclesiæ Christi Jesu, cui voluntate, nexu, officio, me devinctum & consecratum esse indignus profiteor. Deus propitius secundet meos labores, & benefaciat Tsioni pro suo beneplacito! *Amen.* Franekeræ A. D. VI. Id. Oct. CIↃIↃCCVII.

L E M-



LEMMATA CAPITUM LIBRI QUINTI.

CAP. I.

QUæritur & diſputatur, an Matthæus Evangeliſta Oraculum de *Puero Immanuele*, ex *Virgine* naſcituro, *Jeſ.* VII. 14. *directè* & *immediatè*, an verò *indirectè* & per modum *alluſionis typicæ* tranſlatum voluerit ad ortum Chriſti hominis ex Virgine Maria, *Cap.* I. 22, 23. Priori autem ſententiæ, quæ hic eligitur, cum duæ obſtent difficultates notabiles, quarum *Altera* ex *antecedente Prophetiæ contextu*, *Altera* ex *conſequente* naſcitur: *priori* expedieudæ hic opera datur; ſimul diſcutitur & rejicitur hypotheſis, à Cl. Coccejo paſſim inculcata, & ad hanc partem Pericopæ Propheticæ applicata, quæ infert, *Damaſcum circa tempus nati inter homines Chriſti fuiſſe caput Judææ.*

CAP. II.

Altera difficultas, quæ tenebras offundit Oraculo Jeſaiæ de *Immanuele naſcituro ex virgine*, ſi Oraculum illud directè referatur ad benedictum noſtrum Servatorem, Chriſtum Jeſum, petita ex *verſ.* 16. ubi dicuntur *Syriæ* & *Ephraimitidis Reges*, Rezin & Pekah, prius eſſe interituri *quàm Immanuel Puer* pervenisset ad *ætatem prudentiæ*; ita ſolvitur poſt aliorum Interpretum ſententias diligenter expenſas, ut Propheta doceat, *non eſſe plus lapſurum temporis hinc uſque ad interitum illorum Regum*, quàm flueret à *Natali* Immanuelis uſque ad *ejus Adoleſcentiam.*

CAP. III.

Cum in Sacris Libris obviæ ſint phraſes animadverſione dignæ; HÆREDITAS GENTIUM; HÆREDITAS TERRÆ, & apud Paulum ad *Rom.* IV. 13. HÆREDITAS MUNDI; quæritur, quis iis ſubſit ſenſus? Et primò quidem definitur demonſtraturque, *Hæreditatem Gentium* & *Mundi* eandem eſſe rem: non diverſas; ſed ab utraque diſtinctam eſſe *Hæreditatem terræ*, ſecundùm genuinam mentem Spiritus S. Deinde phraſis *Hæreditas Mundi*, hoc accepta ſenſu, ex *Chaldæa Paraphraſi* aliiſque Diſciplinæ Judaicæ Monumentis illuſtratur.

CAP. IV.

Sententia Viri Cl. Ludovici de Dieu, quæ HÆREDITATEM MUNDI ſtatuit eſſe MUNDUM ipſum cum *Jure externis & corporalibus Mundi bonis fruendi*, quod Credentes in Chriſtum nacti ſunt in ejus Communione, examini

mini subjicitur, & discussa improbatur, ac rejicitur. Non admittitur etiam hypothesis satis recepta, quæ hominibus qui sunt extra Christum *Dei respectu* negat omne *Jus* beneficiis Naturæ bonisque hujus Mundi honestè utendi.

CAP. V.

Præclarum Beneficium HÆREDITATIS GENTIUM, à Judæis occupandarum & possidendarum tempore MESSIÆ REGIS, cujus in Promissis Abrahamo datis & Oraculis Prophetarum frequens mentio est, describitur, declaratur, atque illustratur, tum respectu ipsarum *Gentium*, quæ hic *passivè* veniunt nomine *Hæreditatis*; tum respectu *Modi*, quo à Judæis *possidendæ* sunt. De *hoc* quæritur, an Prophetiæ doceant, fore ut *Gentes* à Judæis *modo externo*, *corporali*, *Civili*, aut *OEconomico* possideantur, iisque subjiciantur; an potius *interno* & *spirituali*, naturæ *Paternitatis* Abrahami conveniente? *Prius*, quod suspensos habet animos *Judæorum carnalium*, eorumque spem lactat, refellitur; *Posterius* validis argumentis ex ipso Verbo Prophetico depromptis evincitur atque adstruitur.

CAP. VI.

HÆREDITAS TERRÆ quid distinctum diversumque notet, stylo Scripturæ S. ab HÆREDITATE MUNDI & GENTIUM, investigatur. Sententiæ Interpretum de loco *Matth.* v. 5. & usu hujus dictionis in *Ode Davidica tricesima septima* explorantur; finiturque, per *Hæreditatem terræ* ipsam intelligi *Tellurem* à sanctis sub Regno Messiæ, circa finem præcipuè Sæculorum, longum tempus pacatè & feliciter possidendam; idque Beneficium non esse *proprium*, *essentiale*, & *universale Bonum Novi Fœderis*, sed *accessorium*, *accidentale*, & *privum* certi temporis. Intersperguntur aliqua de notabili phrasi; TERRA VIVENTIUM.

CAP. VII.

In discutiendo Quæsito, *An Communio Credentium in Christum Externa* sit *absoluta* an *hypothetica*: COMMUNIO ipsa, quæ inter Christianos intercedit, describitur, & ex rei natura ac Verbo Dei adstruitur; tum deinde species illius *Communionis* recensentur, doceturque, esse eam tam PASSIVAM quàm ACTIVAM, & utramque tam EXTERNAM quàm INTERNAM; *Passivam* autem VERAM ac *Propriam*, & SYMBOLICAM ac *Figuratam*. Inter hæc de usu vocis *Communionis* in prima Ecclesia Christiana ex *Albaspinæo* disseritur, & evincitur adversus *Anonymum*, Christum Jesum inter alia *Cœnam Sacram* hoc etiam scopo instituisse, ut sustineret *figuram symbolicam* Communionis, ad quam profitendam & inter se colendam Christiani vi disciplinæ & societatis suæ obligati sunt.

CAP. VIII.

Propius acceditur ad Problema de *Communione* Christianorum *Externa*, *absoluta* an *hypothetica*, resolvendum. Quare ipsæ notiones *Communionis* ABSOLUTÆ & HYPOTHETICÆ in antecessum explicantur, & similibus, huic rei congruentibus, illustrantur. Deinde post propositum *Statum* qui dicitur *Controversiæ* de hoc gravissimi momenti Dogmate, in genere monetur, *primæ Ecclesiæ Christianæ* Doctores omnes ABSOLUTAM supposuisse & ursisse

ursisse *Christianorum Communionem*; HYPOTHETICAM ignorasse, vel de ea minus explicitè scripsisse; nec tamen alios acrius hanc hypothesin tuitos esse *Donatistis*. Quod ut pateseat: systemata Doctrinæ Veterum de *Ecclesia* & *Christianorum Communione* ante tempora Donatistarum, ex *Tertulliano* præcipuè & *Cypriano*; tum ipsorum *Donatistarum* sententiæ de ipso hoc argumento ex ipsorum & *Augustini* Libris; & denique ipsius *Augustini*, distinctè & cum aliqua cura exhibentur. De Augustino speciatim observatur, discrimen *Ecclesiæ Externæ* & *Internæ* illum non fugisse.

CAP. IX.

DONATISTARUM primò, deinde AUGUSTINI hypotheses de *Ecclesia*, & *Communione Christianorum* ad examen revocantur, & quid in iis desideretur, liquidò demonstratur atque edisseritur. Summa disputationis est, Notiones *Ecclesiæ internæ* & *externæ*, & utriusque *attributa* à Donatistis non diligenter observata & inter se passim confusa esse; ejusdemque erroris vitio factum, ut *Communionem* cum Ecclesia *externa* passim urserint *absolutam*, quæ verè non est nisi *hypothetica*; Augustinum quoque ipsum non satis prudenter sibi ab hoc errore passim cavisse, atque adeò non semper æquè feliciter cum *Donatistis* esse congressum; cuique ex Doctrina de *Ecclesia externa Catholica* [illegible], & *adjuncta Christianorum Communione* cum *Ecclesia externa Catholica* omnes ferè manasse errores de *Ecclesia*, quos Pontificiæ [illegible] [illegible] [illegible] quæcunque de causâ [illegible] à *Communione Ecclesiæ*

Romanæ, quam illi *Catholicam* vocant, observante erudito Viro, *Joanne Claudio*. Tandem evicto, Christianorum *Communionem externam* singulorum cum singulis, & singulorum cum *Universis* qui Ecclesiam faciunt, verè esse *Hypotheticam* & *Conditionatam*: species hujus Communionis declaratur; dubia quæ adversus hanc sententiam inferri possunt, expediuntur; & tam *Necessitas* hujus Doctrinæ quàm illius *utilissima Consectaria* in omni disputatione de Ecclesia, multis partibus obscura & perplexa, sigillatim recensentur.

CAP. X.

Joannem Apostolum non *Epistolas* tantùm *suas* ita instruxisse, ut iis refellerit quorundam sui temporis Doctorum pravas sententias, sed & PROLOGUM sui EVANGELII iisdem opposuisse, firmatur auctoritate *Irenæi*, ejusque hypotheseos probabilitas ex *Prologi* illius argumento evincitur. Quod tamen jecit *Hieronymus*, *Joannem* hic speciatim respexisse *Ebionem* & *Cerinthum* tanquam qui negaverint *veram* Christi *Divinitatem*, in hoc *Prologo* adstructam, dextrè accipiendum esse docetur, cum propriè *Cerinthiani* & Ebionæi *veram* Christi Θεότητα negasse non videantur, & contrarium ex ipso *Irenæo*, probè lecto & exposito, liqueat. Emendatur itaque Hieronymi hæc traditio ex *Irenæo*, qui *Cerinthum* à Joanne notatum esse docuit, *Gnosticum* nimirum; sive probatur eorum sententia inter Doctos, qui hunc *Prologum* adversus Gnosticos illius temporis institutum fuisse volunt ad illorum sibi mira [illegible] sive refellenda sive emendanda.

CAP.

Cap. XI.

Sententia Eruditi cujusdam Viri, quæ statuit, Joannem in *Prologo Evangelii sui* respexisse *Philonem* Judæum; & Christianos sui ævi, qui scripta ejus *lectitabant*, voluisse docere, quo modo *phrases* de *Deo*, & ΛΟΓΩ, Filio Dei Primogenito, quas Philo usurpat, *rectè intelligerent*, modestè expenditur; eâque occasione disquiritur, an *Doctrina Christiana* cum *Platonica* de *tribus* in Deo, quæ sunt *Unum*, omnimodè conveniat; Veterum & Recentiorum Doctorum opinationibus hoc de argumento in medium productis & discussis.

Cap. XII.

Hypothesis, quæ Joannem in *Evangelii Exordio* Gnosticos respexisse infert, eorumque Doctrinam emendare voluisse, illustranda sumitur. Quo consilio illorum errores de *Mundi* hujus *Conditore*, *Carne Christi*, variisque *Emanationibus*, inter Deum & hunc Mundum mediis, doctrinæ Joannis oppositi, recensentur, & ex Basilidis, Valentini, aliorumque systematibus strictim demonstrantur. Porrò docetur tum ex Monumentis antiqui temporis tum ex Epistolis Joannis, *Gnosticorum* qui dicuntur *Dogmata* ævo ejus jam viguisse, & suos nacta esse Patronos; eosque præcipuè notare voluisse Apostolum in Epistolis, quando quosdam sui temporis *Hæresiarchas Christianos* ait negare, Jesum esse Christum, & Christum venisse in carnem; quæ quomodo ex disciplina Gnosticorum intelligenda sint, indicatur. Proponitur tandem conjectura de *Simone*, Gnosticorum Principe; per quem *Simonem Magum* Veteres Christiani falsò intellexisse videntur.

Cap. XIII.

Tertia Gnosticorum *Hypothesis* de variis Perfectissimi Entis Emanationibus, sibi invicem subordinatis, quam *Prologo* sui Evangelii respexisse videtur S. *Joannes*, speciatim in lucem protrahitur; & *primò* quidem supponitur, illam quoque Doctrinam jam id ætatis, quâ vixit *Joannes*, à quibusdam Philosophis Christianis speciosè fuisse commendatam; imo & à *Paulo* Apostolo in *ultimis Epistolis suis* notari; *deinde* in originem illius Doctrinæ inquiritur, quæ auctoritate *Jamblichi* repetitur à *Philosophis Ægyptiis*, qui simplice *Platonis* doctrina de *Duabus* Dei *Emanationibus*, Mente & Anima *Mundi*, non contenti, plures illis adjecerint; *caussis* quoque, quibus impulsi id sustinuerint, adscriptis. *Postea* scalæ *Emanationum Basilidis*, Apostolorum temporibus proximi, & Ὀγδοάδος prioris *Valentini*, in schemate exhibentur; & *denique* distinctè demonstratur, quomodo *Prologus Evangelii Joannis* secundùm omnes suas partes *Gnosticorum Doctrinæ* fuerit oppositus.

Cap. XIV.

Declarando mysterio Facis Igneæ, quæ Castris Israëlitarum in *Deserto Arabiæ* præluxit; illius præmittitur investigatio, & tam de *Materia*, quàm de *Figura* & *Usibus* Divinæ hujus *Lampadis* distinctè differitur. In quibus Eandem à *Columna Nubis* distinctam, & ante *castra Populi Dei mota* processisse, demonstratur.

CAP. XV.

Excursus fit ad investigandum ingenium soli DESERTI illustris ARABIÆ PETRÆÆ, in quo Israëlitæ per quadraginta annos vagati sunt. Varium illud & triplex esse demonstratur ex Scriptoribus antiqui & recentioris temporis, & interiorem illius partem, quam pererrarunt Israëlitæ, minimè fuisse fabulosam; illustratis locis Scripturæ S. in quibus hujus *Solitudinis* mentio fit. Interspergentur multa alia de *Chavila* hujus *Deserti*, eamque cum *terra Chavilæ* sive *Cuschi* sive *Jectanis* posterorum sedibus confundendam non esse, evincitur; & de horum veris *Locis*, ut & de sede *Chaulotæorum* adversus sententias Eruditorum Virorum diversas disputatur.

CAP. XVI.

Columnam sive FACEM illam IGNEAM, quæ Israëlitis præluxit in *Desertis Arabiæ*, alterius rei nobilioris figuram sustinere, & mysterium aliquod condere, supponitur, & suppositum, adstruitur. Investigatur illud mysterium, & evolvitur ex hypothesi, assumpta vindicataque, *Filium Dei*, veræ consortem Divinitatis, magnum *Angelum Fœderis*, excellentes suas perfectiones gloriamque suam hoc corporali *Symbolo*, quod symbolum est Divinæ Naturæ, voluisse explicatam & conspiciendam dare Ecclesiæ; præcipuè quà se manifestum facit in *OEconomia Gratiæ*, & olim manifestaturus erat in *Carne*. quorum *primum* hâc dissertatione ostenditur.

CAP. XVII.

FACEM IGNEAM præcipuè figurasse FILIUM DEI, quatenus se manifestum faceret, & fecit in *OEconomia Gratiæ*, tam Israëlitis, ab hoc *Angelo* ductis, rectis, defensis, quàm vel maximè Ecclesiæ Novi Fœderis, quæ *gloriâ ejus obumbratur*, ut *Doctoris*, *Regis*, *Mediatoris*, instar *Columnæ*, à terra in cœlos protensæ, terram cœlis jungentis; distinctius exponitur, variisque meditationibus, ex natura Symboli, cum re figurata comparati, & Doctrina Scripturæ, illustratur. In his obiter quoque declaratur, cur Moses ad *posteriora Dei* videnda admissus sit; *à fronte Deum videre & contra intueri*, illi sit negatum.

CAP. XVIII.

Duplex cum sit PERFECTIO hominis, vel PHYSICA, vel MORALIS: utraque describitur. *Moralis* cum sit *conformitas hominis* cum LEGE; *Lex* autem vel NATURÆ vel GRATIÆ; *Gratiæ* vel MOSAICA vel EVANGELICA: hæc definitur, demonstraturque consistere in ABNEGATIONE SUI IPSIUS, & OBSEQUIO quod est ex FIDE, respectu tum *Communium Officiorum*, quæ illâ Lege omnibus Christi subditis perinde mandantur, tum *Specialium*, ad quæ obligantur in variis & diversis *Vitæ Statibus*; unde *Moralis* Christiani hominis *Perfectio* in ABSOLUTAM & RELATIVAM distinguitur. Utraque non perfunctoriè explicatur, & in *Exemplis* exhibetur; tum quoque in *Gradum* illius *Perfectionis*, quatenus in hac vita obtineri potest, & *Media* ejus obtinendæ inquiritur, & quidem an in illis censendus sit CÆLIBATUS, ac PAUPERTAS SPONTANEA; expromiturque judicium de *Statu vitæ Monastico*. In universum *Perfectionis Relativæ* hominis Christiani summus Gradus ostenditur in *Ministro Evangelii Cælibe*.

LEMMATA CAPITUM

LIBRI SEXTI.

CAP. I.

Via sternitur instruendæ Dissertationi adversus paradoxam interpretationem Oraculi *Danielis* de LXX HEBDOMADIS, expectationi MESSIÆ præfinitis, quam ingenio & eruditione suâ commendavit Illustris MARSHAMUS. Quare post præfationem de præsenti instituto, *Oraculum* ipsum *recensetur*, in partes suas *resolvitur*, & brevi *Paraphrasi* illustratur secundùm hypothesin eam, quæ initium illarum LXX *Hebdomadarum annuarum* repetit ab Anno XX *Artaxerxis Longimani.* Quæ hypothesis cum hâc unâ præcipuè gravetur difficultate, paulò minus temporis *inde* esse lapsum usque ad XV *Tiberii:* Eruditorum Virorum sententiæ de ea expedienda discutiuntur, quæriturque, an hic intelligendæ sint *Hebdomadæ Annorum Lunarium*? vel, an statuendum, *Artaxerxem* cum Patre suo *Xerxe* per *novennium* regnasse?

CAP. II.

Continuatur disputatio de VERO INITIO ARTAXERXIS LONGIMANI; quo *regnare incipiente*, cum Præstantiores Scriptores Veteris ævi tradant Themistoclem, fugâ elapsum, in Asiam venisse; historia Themistoclis in medium producitur, & inde evincitur, initium *Artaxerxis primi* per aliquot annos esse anticipandum, & Imperio *Xerxis* minus esse dandum temporis, quàm *historia vetus*, aut *Astronomorum Canon* illi tribuit, laudato *Usserio.* Examinantur deinde sententiæ Eruditorum Virorum, qui in contrarium nituntur, & Thucydidis *traditionem hanc historicam de Themistocle* cum *traditione vulgata de Annis Imperii Xerxis* componere laborant; quas inter præcipuè *Annales Thucydidei*, nuper admodum studiosissimè instructi. Denique tempora *Pausaniæ* & *Themistoclis*, quæ apud *Diodorum Siculum* vitiosè digesta sunt, commodius ordinantur, & cum hypothesi de *vero initio Artaxerxis primi* componuntur.

CAP. III.

Interpretatio *Oraculi Danielis*, quam fecit MARSHAMUS, summatim exhibetur; observaturque, laborare eam notabilibus vitiis, tam quod ad ipsam *Expositionem* verborum Prophetæ, quàm respectu *Hypothesium*, in quibus fundatur. *Exegesios* ipsius *vitia* primò ostenduntur, & ex illis evincitur, coactam & violentam esse.

CAP. IV.

MEDO-PERSARUM REGNUM, cujusmodi fuit in mente Illustris Marshami, describitur, illiusque & MEDICI, *Successio* in *Schemate* exhibetur. Quæritur deinde & disputatur, an vestigia illius Regni in Scriptoribus antiqui temporis deprehendantur? Quod cum negandum videatur: loca *Æschyli*, *Herodoti*, & ipsius quoque *Xenophontis* historia, hunc in finem à Cl. Viro laudata, in medium proferuntur, explicantur, & diversæ sententiæ favere, non adversari, evincitur. *Suidæ* quoque non negligitur de *Dario*, *Hystaspidâ* antiquiore, testimonium;

& quæ ex Prophetarum Oraculis de *Elam*, five *Elymaïs*, ad hypothesin Regni *Medo-Persici* accommodantur, quo modo accipienda sint, docetur.

CAP. V.

Transit disputatio ad DARIUM MEDUM, cujus mentio occurrit in historia *Libri Danielis*, quæriturque an hoc nomine intelligendus sit Rex aliquis sive *Medo-Persarum* sive etiam *Medorum* ASTYAGES, Cyri Avus; ut inter Veteres aliqui opinati sunt. Sententia illorum rectè proponitur; origo ejus investigatur; & quantum ab ea *Marshami* distet, ostenditur. Pariter illud discutitur, an *Astyages* aliquis *Medo-Persa* Rex expugnatâ Urbe *Susis*, *Susianam* Regi Babyloniæ ereptam, suo adjecerit Regno, & num faveat huic traditioni, quæ est inter Illustris Viri hypotheses, *Æschylus*? idque an evenerit Anno à *desolatione Templi* XXI? Terminatur hæc dissertatio.

CAP. VI.

Communis Judæorum & Christianorum Doctorum sententia de DEFECTU PROPHETIÆ post *Malachiæ* ætatem proponitur, & proposita confirmatur ex *Josepho* primum, cujus insignis locus ex *priore Libro* adversus *Apionem* explicatur; dein ex *Maccabaicis*, & *Historicis* atque *Chronologis Hebræis* recentiorum temporum; ubi ἐν παρόδῳ ad *Chronologiam* illorum de duratione *Monarchiæ Persicæ* quædam observantur. Adduntur aliqua quæ aggravandæ huic sententiæ faciunt de DEFECTU SPIRITUS S. & silentio *Oraculi*, quod URIM & THUMMIM dicitur, ex opinione Magistrorum, illustrato rursus *Josephi* loco in argumento posteriore.

CAP. VII.

In ÆTATEM MALACHIÆ, Canonicorum Prophetarum OEconomiæ Veteris ultimi, diligentius inquiritur, firmaturque post diversas Doctorum opinationes de ea discussas sententia, quæ eam restringit ad tempus postremum Imperii *Artaxerxis Longimani*, cum aliis argumentis, tum prophetiâ *Malachiæ* cum historia Libri *Nehemiæ* collatâ. De ipso deinde *Malachia* agitur, & liberæ quædam conjecturæ de significatione *Nominis* hujus, aliisque quæ ad *personæ* ejus notitiam faciunt, proponuntur.

CAP. VIII.

Rationes, quæ vulgatam sententiam de *Defectu Prophetiæ post Malachiam* commendant, in medium proferuntur; nec tamen hanc sententiam ita accipiendam esse docetur, acsi Deus sanctos, qui medio tempore inter *Malachiam* & *Joannem Baptistam* vixerunt, nullis planè dignatus esset *extraordinariis Revelationibus suæ Voluntatis*, cum *Historia Evangelica*, *Josephus*, & *Talmudici* ipsi contrarium passim testentur; atque adeò, communem illam opinionem non esse admittendam absque quibusdam TEMPERAMENTIS, in sequentibus producendis. Quare *specimina* EXTRAORDINARIARUM REVELATIONUM, quę apud *Josephum* occurrunt, absque expresso *Revelationis* modo, primo loco exhibentur atque illustrantur, & quæ ad notitiam piorum hominum, quos *dono Prophetico* instructos *Josephus*

phus laudat, JUDÆ, Efſeni, POLLIONIS, SAMEÆ, MENAHEMI, faciunt, adſcribuntur.

CAP. IX.

Inter *Extraordinarias Revelationes*, quarum *factarum modus* in hiſtoria adſcribitur, in medium proferuntur ſpecimina ALLOQUIORUM aut *Vocum*, ſilentio auditarum, quibus *Deus* ſanctis quibuſdam Viris, medio tempore inter *Malachiam* & *Joannem Baptiſtam*, voluntatem ſuam, & præſentis aut futuri temporis arcana, revelavit; tam ex *Joſepho* quam *Talmudicis*, qui de בת קול / FILIA VOCIS, quam vocant, frequentes loquuntur.

CAP. X.

Occaſione eorum quæ proximè adducta ſunt de illa *Revelatione Cœleſti*, quæ à Judæis vulgò בת קול FILIA VOCIS appellari ſolet; digreſſio inſtituitur ad hanc *Revelationis ſpeciem* curatius inveſtigandam. Quare primò de FORMA hujus VOCIS COELESTIS, cum aliis *Vocibus Dei* aut *Virtutum Cœleſtium*, quarum uſus fuit in *Divinis Revelationibus*, comparata, diſſeritur, finiturque, fuiſſe vocem *veram*, non *imaginariam*, adverſus Maimonidem; & quidem VOCEM *altam*, GRAVEM, *ſonoram*, HUMANA MAJOREM, in aëre formatam, & publicè exceptam. Illuſtrantur interea benè multa Scripturæ S. loca, in quibus de *hoc* aut *affinibus argumentis* agitur.

CAP. XI.

Quæritur, quare genus illud *Divinæ Revelationis*, quod Magiſtri volunt *Prophetiæ* ecſtaticæ ſubſtitutum VOCE factum eſſe *Cœleſti*, ab iis non tantum Vox, ſed בת קול FILIA VOCIS appelletur? Proferuntur Doctorum Virorum ſententiæ, placetque his ſubſcribi, qui ſic dictam volunt hanc *Revelationum*, quod paſſim cum murmure fracti aëris, quale illud *tonitrui* eſt, *Vox* edita, & inde veluti nata ſit.

CAP. XII.

Aliæ *Species Revelationum Divinarum* illius temporis, quod inter *Malachiam* & *Joannem Baptiſtam* intercurrit, ex hiſtoria recenſentur, quales illæ APPARITIONUM *Angelicarum*; SOMNIORUM, Divinitus immiſſorum; & *Divini* INSTINCTUS, aut *Afflatus*, qui dicitur; exemplis maximè petitis ex *Maccabaicis*, & JOSEPHO. De his hactenus nihil definitur.

CAP. XIII.

Poſt congeſta ex Hiſtoriis Exempla *Revelationum Propheticarum*, ætate *Malachiæ* poſteriorum: ipſum tandem *Problema*, de hac re ſupra propoſitum, ſolvitur, definiturque, *in univerſum* dicendum non videri, *tempore*, *quod interfluxit inter Malachiam* & *OEconomiam Novam*, *Extraordinarias Revelationes Divinæ Voluntatis penitus defeciſſe*. Adſtruitur ſententia *argumentis* primò indubiis, quæ ex Scriptis Novi Fœderis petita ſunt, etſi ad ſtatum Eccleſiæ Veteris OEconomiæ verè referenda ſint; ubi inter alia de *prophetia Cajaphæ* agitur, & adverſus *Ligtfootum* diſputatur; deinde diſquiritur, quantum fidei *Maccabaicis*, *Joſepho*, & *Talmudicis* etiam, de ſua FILIA VOCIS loquentibus, deferendum ſit, & notabilis difficultas, quæ reſidere videtur in loco *Joh.* v. 37. ubi Judæi *vocem Dei Patris* nunquam dicuntur *audiviſſe*, commodè

expeditur. Interſperguntur alia, animadverſione non indigna.

CAP. XIV.

Clauditur tandem hæc diſſertatio, conceſſo, PROPHETAS OEconomiæ Veteris CANONICOS, quorum characteres hic diſtinctius recenſentur, POST MALACHIAM DEFECISSE, idque futurum eſſe, ipſum *Malachiam* præmonuiſſe; tum præterea inveſtigantur Divini hujus Conſilii rationes, adductis Judæorum & Chriſtianorum Doctorum ſententiis; quibus ſubjicitur Ἐπίκρισις, veras cauſſas hujus *Oraculorum Defectus* certius demonſtrans.

CAP. XV.

Opera datur inveſtigandæ NATURÆ PECCATI, in qua deſcribenda fluctuare ſolent qui *Rationalem Diſciplinam* tractant. Proferuntur itaque in anteceſſum variæ *Peccati Definitiones*, à variis productæ, earumque eligitur optima. *Peccati* verò notio cum involvat notionem LEGIS, & SUBJECTI RATIONALIS LIBERI, per Legem *obligabilis* ad quid *agendum* aut *omittendum*: docetur primò quid ſit LEX, deinde quodnam ejus FUNDAMENTUM, SUBJECTUM, OBJECTUM; *Objectum* verò *Legis* cum duplex ſit, ACTUS & ACTUUM MODI, obſervatur circa utroſque *Legem* duplice *modo* verſari vel *Præcipiendo*, vel *Vetando*: unde petenda diſtinctio *Peccatorum* in *Delicta Omiſſionis* & *Commiſſionis*. Singula hæc transferuntur ad LEGES DIVINAS, & ſubſternuntur ut fundamenta accuratiori inquiſitioni de *Peccati Natura*.

CAP. XVI.

In ipſam PECCATI NATURAM ſive ESSENTIAM accuratius inquiritur, diſcuſſo ventilatoque themate in *Philoſophorum* & *Theologorum* noſtri temporis Scriptis ſatis vulgato, *Peccatum eſſe Nihil*, ſive *Nihil privativum*. Evincitur, vitiosè id affirmari de *Peccatis Commiſſionis*, quæ verè ſunt *Actus*, adverſus Legem commiſſi, qui *Actus* omni homini, ſive docto ſive indocto, de *Peccato* cogitanti & loquenti, *Peccata* dicuntur; vitium autem in eo eſſe, quod adverſa ſententia *Peccatum* ipſum, quod eſt *res concreta*, h. e. ACTUS *vitioſus*, cum *Ratione formali peccati*, ſive *vitioſitate*, quæ eſt *res abſtracta*, confundat. Poſt quæ diſputata *Natura* utriuſque generis peccati *Commiſſionis* & *Omiſſionis* clarius demonſtratur.

CAP. XVII.

Cum Paulus Apoſtolus apertè doceat in *Epiſtola ad Romanos*, CREDENTES IN CHRISTUM ſub OEconomia Gratiæ LIBEROS ESSE à LEGE Moſaica non tantum *Rituali*, ſed & MORALI, eaque paradoxa & in rationem incurrens videatur aſſertio: commodum viſum eſt hanc partem *Doctrinæ Paulinæ* ſecundum veras Ejus, & Novæ OEconomiæ Hypotheſes illuſtrare. Ne tamen fundamento careat hæc diſſertatio; in anteceſſum adſtruitur, Paulum Apoſtolum ſic verè de χίοις Chriſtianorum ad *Legem* ſentire & docere, ut hic ſupponitur.

CAP. XVIII.

Recta itur ad *Problema*, modò propoſitum, diſcutiendum, & *Libertatem Credentium N. F. à Lege Moſaica Morali* declarandam. Docetur igitur, Apoſtoli hanc ſententiam *abſolutè* intelligi, abſurdum eſſe & à ratione refelli,

ſelli, idque evincitur; accipiendam itaque eſſe *reſtrictè* ſecundum aliquos *Modos* & *Reſpectus* quibus LEX *Moſaica* Paulo obverſata eſt. Inter hos autem *Primus* producitur, Apoſtolum LEGEM ſumpſiſſe propriâ, verâ, & ſtrictâ ſuâ ſignificatione pro *Complexu* plurium *Legum*, maximam partem INTERDICTORUM, graſſantibus & dominantibus *vitiis* oppoſitorum, eademque imperioſè *vetantium*; inſcriptorum in *Tabulis Æneis* aut *Lapideis*, publicè proſtantibus, & *Sanctionibus* munitorum; qualem *Legem* non ferre *naturam OEconomiæ Novæ*, evidenter demonſtratur.

CAP. XIX.

Additur, Paulum loqui de *Lege imperante*, *dominante*, in *cujus datæ modo* fuit argumentum Divinæ *ſeveritatis* & demonſtratio *Peccati* nondum *expiati*, vim ſuam publicè oſtentantis; tum præterea agere de *Lege*, quà eſt INSTUMENTUM FOEDERIS SINAITICI, multis aliis Legibus involuta, non tantum *non conjuncta cum Spiritu*, ſed & *irritante ad concupiſcentiam*; quæ, ut imperioſus *Maritus* Eccleſiæ, opponitur *Chriſto Jeſu*, ex mortuis reſuſcitato, per *Spiritum* ſuum blandè influenti in animos *credentium*, eoſque efficaciter *obliganti*, abſque *externa Litera Scripta*, ad ſerviendum juſtitiæ, & tales in iis producenti affectus, quales Lex olim *imperabat* fruſtraneo niſu; non efficiebat aut præſtabat.

CAP. XX.

Brevis inſtituitur diſſertatio de *Studii* Scripturæ Divinæ *allegoricè* interpretandæ *ſoliditate* & *præſtantia* antequam typi *Joſephi*, & *Catuli Leonis à Simſone diſcerpti*, declarentur. Subjiciuntur quidam hujus *Studii* rectè excolendi *Canones*; colluſtratis ſimul quibuſdam locis Codicis ſacri, hoc argumentum contingentibus.

CAP. XXI.


Hypotheſes, in quibus *Myſtica* Hiſtoriæ *Joſephi* Interpretatio fundatur, *primò* in medium producuntur, & demonſtrantur; dein JOSEPHUS ut *Typus* cum *Antytipo* ſuo CHRISTO JESU comparatur. Inſperguntur quædam de duplice Judæorum Meſſia, FILIO JOSEPHI, & FILIO DAVIDIS.

CAP. XXII.

Myſterium *Simſonis*, primum' virtutis ſuæ ſpecimen edentis in diſcerpendo LEONE JUVENE, in cujus *cadavere* deinceps congregatum eſt EXAMEN APUM, *ibidem* MEL *parantium*; inveſtigatur. Quo fine *res geſta* illuſtratur ex hiſtoria; probatur eſſe *typica*; *myſticæ* interpretationis *hypotheſis* monſtratur, & ſecundum eam τὰ ἀντίτυπα inter ſe comparantur.


CAP. XXIII.


Quæritur diſputaturque, an *Sagan*, Vicarius *Pontificis Hebræorum*, ſano & commodo ſenſu dici queat *ſummus Sacrorum Templi Præfectus*; quâ occaſione de *Officio* & *Dignitate* SAGANIS plura ex Statutis diſciplinæ Hebræorum adferuntur, non indigna aliquâ animadverſione. Sub finem diſcutiuntur duo loca *Hiſtoriæ Lucæ*, Euang Cap. III. 2. Act. XXIII. 2. & diſquiritur, an ſecundum Eruditorum quorundam Virorum ſententiam *Saganatus* Munus in iis demonſtrari poſſit?



Ecclef. VII. 16.

ΜΗ ΣΟΦΙΖΟΥ ΠΕΡΙΣΣΑ, ΜΗ ΠΟΤΕ ΕΚΠΛΑΓΗΙΣ.





C. VITRINGA OBSERVATIONUM *SACRARUM* LIBER QUINTUS.

Caput I.

Quæritur & disputatur, an Matthæus Evangelista Oraculum de Puero Immanuele, *ex* Virgine *nascituro*, Jes. VII. 14. directè & immediatè, *an verò* indirectè & *per modum* allusionis typicæ *translatum voluerit ad ortum Christi hominis ex Virgine Maria*, Cap. I. 22, 23. *Priori autem sententiæ, quæ hic eligitur, cum duæ obstent difficultates notabiles, quarum* Altera *ex* antecedente Prophetiæ contextu, Altera *ex* consequente *nascitur*: priori *expediendæ hic opera datur; simul discutitur & rejicitur hypothesis, à Cl. Coccejo passim inculcata, & ad hanc partem Pericopæ Propheticæ applicata, quæ infert*, Damascum circa tempus nati inter homines Christi fuisse caput Judææ.



Qui Oraculum Dei apud Jesaiam, *Cap.* VII. 14. de *Immanuele*, nascituro ex *Virgine*, cum Apostolo Matthæo, *Cap.* I. 23. exponunt de CHRISTO JESU, Assertore nostro, ex Mariâ Virgine in hanc lucem edendo & edito, duabus potissimum se sentiunt premi difficultatibus, quarum altera petita est ex *antecedente*, altera

ex *consequente* orationis Propheticæ *contextu*. Primo enim loco dubium maximè & obscurum hîc est, quo modo Messias Immanuel, nasciturus ex *Virgine*, possit esse *signum* illius rei, de qua in Oraculo illo agitur. Pollicitus fuerat Deus Achazo Regi, & Judæis, Liberationem repentinam à gravissimo malo, cujus metu illo tempore angebantur. Reges enim Syriæ & Israëlis conspiraverant in Excidium Reipublicæ & Regni Judæorum. Achaz, & Judæi, his hostibus, longè se potentioribus, non erant pares. Erant igitur in maximo metu calamitatis sibi impendentis. Deus nihilominus per Jesaiam Prophetam validâ oratione illorum animos erigit, & metum illorum discutere studet certâ pollicitatione salutis, quam in hoc casu Populo suo præstaret. quos cum Propheta animadverteret verbis suis diffidere: jubet Achazum nomine Dei *signum petere certitudinis hujus promissi* qualecunque cuperet *ex superioribus* vel *inferioribus*. quod tamen Achaz, affectans modestiam, sed verè ex incredulitate ob minimè probabilem orationis speciem, agere renuit. Hujus rei pertæsus Propheta, Dei plenus, Jehovam ipsum ait iis vel invitis *signum* daturum esse in *Prole* aliqua *mascula*, *nascitura ex Virgine*, quæ appellanda esset *Immanuel*. Quomodo verò? *Immanuel* ille, si sit Jesus noster Messias, demùm proditurus ex Virgine erat post aliquot secula. Is itaque quî potuit esse *signum Liberationis*, quam Deus illâ tempestate instantem Judæis pollicebatur? Quo modo Judæi illius temporis in *Immanuele* habere poterant argumentum beneficii, sibi promissi, quem *Immanuelem*, post lapsum plurium ætatum demùm extiturum, nemo illorum videret, nemo ex virgine ortum cognosceret?

II. Deinde non videtur cum hac interpretatione Oraculi consistere *consequens contextus*, in quo ejusmodi aliqua adscribuntur *Immanueli*, quæ ad Christum Jesum Immanuelem non satis commodè videntur posse applicari. Postquam enim dictum esset, natum ex virgine Immanuelem *comesturum esse butyrum & mel*, hoc est, florente Judææ Reipublicæ statu & omnium rerum copiâ educandum esse, (in his enim, in quibus aliqui difficultatem quærunt, verè nulla est:) mox additur, ℣s. 16. *Certè antequam* הנער PUER HIC *sciverit reprobare malum, & eligere bonum, deseretur terra illa, quæ tibi nunc tædio est*, (hoc est, *Syria* & *Canaa-*

naanaa:) *à duobus suis Regibus*. Quid verò hoc est rei? Propheta in animo habet Judæis promittere Liberationem instantem, suo tempore & quidem brevi expectandam, cum subversione Regnorum Syriæ & Israëlis. Et verè Syriæ & Israëlis Regna brevi post tempore ab Assyriis subversa sunt, ut ex Historiâ liquet. Quid igitur hic ad rem pertinebat, illam liberationem restringere ad *tempus pueritiæ Immanuelis*? Immanuel enim puer post aliquot demum secula erat nasciturus, & deinde sibi comparaturus peritiam illam & maturitatem judicii, quâ *bonum à malo*, utile à noxio, sciret *discernere*. Et si omninò voluisset Propheta restringere promissum illud suum ad Messiæ apparitionem, longo post tempore futuram: (etsi semper frigida videatur oratio & parum ad rem facere:) quare eam restringit ad *pueritiam* sive *adolescentiam Immanuelis*, & non potius ad illius *nativitatem*, de qua loquutus fuerat? Poterat enim multò commodius ita dicere, ut videtur: *Immanuel nasciturus est ex virgine: sed antequam nascatur, deseretur terra illa*, quæ tibi nunc negotium facessit, *à duobus suis Regibus*. Quid opus habebat Propheta *Epocham* illam temporis, cum quâ tempus liberationis promissæ comparat, adhuc longius absque necessitate extendere, & ita dicere ut facit: *Antequam Immanuel natus ex virgine pervenerit ad annos adolescentiæ, Syriæ & Israëlis Reges perituri sunt*. Hæ difficultates, ut quisque sentit, non sunt ex levissimis: & urgentur, ubi id fert occasio, à Judæis fidei nostræ hostibus ad interpretationem Matthæi Evangelistæ erroris convincendam. Nostrarum autem partium Interpretes: ut in obscuris & dubiis rebus, imo & in claris sæpè, evenire solet: non eadem hic, nec omnes æquè feliciter, ad eas respondent. Ex obviis sententiis quasdam excutiemus, additâ utrobique nostrâ ἐπικρίσει.

III. Sunt ex Doctis hujus Prophetiæ Commentatoribus, qui de integra caussæ victoria veluti desperantes, Judæis concedunt, Oraculum de *Immanuele* ad Christum Jesum non *directè* & *immediatè*, sed per modum *allusionis typicæ* esse referendum. Primum enim Literæ sensum nihil aliud inferre, quam *Fœminam nubilem florentis ætatis*, quam עלמה appellari volunt, edituram prolem, quæ denominanda esset *Immanuel*. h. e. DEUS

 NOBIS-

NOBISCUM, in *signum* instantis liberationis, quam Propheta pollicitus fuerat. qui *Immanuel* antequam ad *pueritiæ* vel *adolescentiæ* ætatem perveniret, extirpanda esse Syriæ & Canaanis Regna. Grotius præ se fert hanc sententiam, Interpres certè Prophetiarum nimis γραμματικός: nec tamen solus. Præter alios enim, qui huc fortè adduci possent, Pellicanus, (quod quis meritò miretur:) has eligit partes, & ex Pontificiæ sectæ Eruditis Commentatoribus Tirinus huc videtur propendere. De Crellio enim, cujus extat docta, & cætera non spernenda, ad hunc locum lucubratio, nemo fortean miretur.

Comm. in Matth. h. l.

IV. Sed sanè qui ita instituunt, quicunque tandem illi sint, prorsus labefactant vim auctoritatemque Matthæi Evangelistæ: ut facile est demonstratu. Matthæus enim probare nisus est ex hoc Oraculo, Jesum Christum ex *Virgine* nasci oportuisse, congressus virilis nesciâ. Id verò ex prophetia Jesaiæ omnino demonstrari nequit, si vox עלמה in illa prophetia non necessariò *virginem*, tori nesciam, significet. Non significabit autem, si aliam quamcunque *mulierem juvenculam* notare possit, ætate Achazi & Jesaiæ extituram: ut Eruditi illi Viri volunt. Si illâ ætate, quâ Achaz & Jesaias floruerunt, virtute hujus vaticinii ex Virgine per miraculum editam esse constaret prolem masculam, eaque tulisset nomen *Immanuelis*: probabiliter hic disputarent Doctissimi Viri. Sed cum ea de re nihil constet, ac proinde necesse habeant Docti illi Viri hic per עלמה *primo* & *literali sensu*, intelligere *Conjugem Jesaiæ*, aut aliam aliquam illius ætatis *Juvenculam*, quæ ex congressu virili prolem ederet: nihil egit Matthæus Evangelista, ubi ex hoc loco confirmare voluit puros Christi ex virgine natales. Nupta enim Mulier non potest esse typus *Virginis*: nec partus ex congressu virili susceptus, ætate Jesaiæ, figuram sustinere *partus* ex Virgine edendi per operationem Spiritus Sancti.

V. Imo verò ipsi illi Viri Docti ut Matthæi Apostoli auctoritatem labefactant: sic omninò enervant ipsum oraculum Jesaiæ de Immanuele. Secundum ipsos enim Jesaias ita intelligi voluit à Judæis, *quamcunque mulierem florentis ætatis illius temporis*, vel potius *conjugem Jesaiæ*, *enixuram esse masculam prolem*, quæ ferret nomen *Immanuelis*. Id verò an Judæi illius temporis magnæ

rei

rei loco habere potuerunt? Polliceri autem Prophetam hic rem magnam, ex universo liquet contextu. Mulierem ex congressu virili utero concipere & excludere fœtum, qui appellandus sit IMMANUEL: an existimari potest *signum* adeò esse *memorabile*, *ex superioribus* petitum & *inferioribus*? an dici potest אות SIGNUM PRODIGIALE? De *Miraculo* enim & *prodigiali signo* hic agi, patet ex ℣ſ. 11. & ex ipsis quoque hujus Oraculi verbis, quibus Propheta Judæos ad attentionem provocat voculâ הנה ECCE. Deinde, si hæc obtineat interpretatio: quæ vis erit in voce עלמה? Vim verò esse in hac voce, & orationis pondus in illam recumbere, cuique verba obiter inspicienti manifestum est. *Ecce*, ait Propheta, עלמה ALMA *concipiet & pariet Filium.* Certè si totum *signum*, hic à Propheta datum, constet nomine *Immanuelis*, quo insigniendus esset natus puer: quare Propheta *Immanuelem* illum עלמה *Almâ* nasciturum affirmat? Perinde enim tum erat, ex quâcunque demum muliere nasceretur Immanuel. Dic verò sensum Oraculi esse, proditurum ex *Virgine*, purâ & castâ, absque congressu Viri, Filium, qui appellandus sit IMMANUEL, quia esset HOMO DEUS: omnia erunt salva. Est enim hoc *Signum*, omni animadversione dignissimum: & quidem אות SIGNUM PRODIGIALE, petitum ex SUPERIORIBUS & INFERIORIBUS, (℣ſ. 11.) ob mysterium conjunctionis *utriusque naturæ*. Rectè igitur & optimè se habet Matthæi interpretatio, qui hoc Oraculum *directè* & *immediatè* ad Christum transtulit, & nos in verum illius sensum duxit. Demonstrarunt insuper Eruditissimi Viri, vocem עלמה tam quod ad ἔτυμον, quam quod ad usum Scripturę Sanctæ, aliam non admittere notationem, quam *Virginis*: & proximè quidem Huetius, & Wagenseilius: quos tamen meritò miramur difficultates illas notabiles, quas modò produximus, non tetigisse. Demonst. Evang. Prop. IX. Cap. IX. Tel. Ign. Satan. p. 381.

VI. Ergo si nodus hic non secandus, sed solvendus sit: aliud hic tentandum est. Suppositâ igitur hypothesi, Jesaiam hic *directè* vaticinari de *ortu* Christi Jesu *ex virgine Maria*: videndum, quid ad utramque difficultatem, quam modò producebamus, ritè expediendam, commodissimè in medium adferri queat. Quod igitur ad *Priorem* attinet, quæ infert *Nativitatem Messiæ ex Virgine*, post aliquot demùm secula eventuram,

non potuisse esse signum atque argumentum Liberationis, quam Deus circa illam ætatem Judæis pollicebatur; sunt ex peritis Scripturarum Interpretibus, qui rem hac ratione expediunt: potuisse omninò *Nativitatem Messiæ ex Virgine* adduci in argumentum Liberationis Judæis illo tempore promissę, quia illi Messiæ natales involvebant conservationem Familiæ Jessæę, ac proinde Reipublicæ Judæorum usque ad illa tempora salvę atque incolumis; utique non subvertendę, ut adversorum Syrię & Canaanis Regum decretum erat. Statuerant enim Regnum Judæ vel exscindere, vel alterius stirpis & suę factionis Regem ei præficere: saltem Achazum ejusque posteros de throno dejicere. Propheta itaque, secundum hos Interpretes, ait, immeritò Achazum tantâ curâ præsentis rerum status angi, cum post aliquot secula nasciturus esset in Judæa Messias, Genti promissus, ex Davidis Familia oriundus, qui hoc tempore argumento esse posset, consilia hostium ex voto ipsis non esse successura. Sic † Theodoretus jam olim instituit, & in Commentariis Jesaiæ, aut dissertationibus Doctorum de hoc loco conscriptis, nihil legas vulgatius.

VII. Sed ut verum fatear: hæc respondendi ratio, ut ut communis & recepta, mihi prorsus non satisfacit. Certè quidem Nativitas Messiæ, quæ expectabatur post longum temporis tractum, argumento & *signo* esse poterat Achazo, Familiam Davidicam usque ad illud tempus superfuturam. Verum illud ad rem præsentem parùm faciebat. Non constat enim, hostes consilium cepisse de extirpandâ Familia Davidica, hoc est: omnibus qui Davide sati erant melioris sexus posteris: (id enim, cum posteri omnes Davidis, ex variis stirpibus orti, per

† Theodoretus *Excerpt. in Jesaiam:* Ταύτην μέντοι προφητείαν, οὐχ ὡς ἔτυχεν ἐπὶ τοῦ παρόντος προσήνεγκεν· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐδεδίεσαν τῶν πολεμίων τὴν προσβολὴν, καταλύσειν ἀπειλούντων τὴν Δαβιδικὴν βασιλείαν, ἀναγκαίως διδάσκει ὡς ἀδυνάτοις ἐπιχειροῦσι. Δεῖ γάρ φησι φυλαχθῆναι τὸ Δαβιδικὸν γένος, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ ἀπόκειται, καὶ παράσχῃ τὴν προσδοκωμένην εὐλογίαν τοῖς ἔθνεσι· *Hanc itaque Prophetiam non temerè hoc loco protulit, sed quia hostium impressionem metuebant, qui regnum Davidicum se destructuros minabantur, aptè docet, illos quæ fieri nequeunt tentare. Oportet enim, inquit, Davidicam stirpem conservari donec veniat quod repositum est, & expectatam Gentibus salutem præbeat.*

per Judæos sparsi essent, fortè non adeò commodè fieri poterat:) sed voluisse *Rempublicam Judæorum subvertere* aut labefactare, & *Achazum de throno deturbare*, ut constat ex ℣s. 6. Utrumque autem fieri potuisset salvâ promissione de *Christo* ex Virgine Jessęæ Gentis orituro. Quid enim ex casibus sequentium temporum clarius? Nonne Syri & Ephräimitę illo tempore æquè potuissent Regnum Judæ exscindere, & Familię Davidicę Reges dignitate suâ spoliare, ac posteà id egerunt Babylonii, salvâ promissione Messiæ suo tempore suscitandi? Superesse enim poterat familia Davidica, etiamsi non regnaret. Occupari poterat Regnum Judæę ab hostibus, & exscindi etiam Respublica ad aliquod tempus, salvis Oraculis Vatum de Messia suo tempore prodituro. Non potuit igitur hoc signum Virginis parituræ Messiam Achazum & Judæos, secundum hanc interpretationem, in præsenti illo casu consolari. Addo, nullum indicium hujus sensus esse in verbis Oraculi. Si enim id quod Interpretes illi cupiunt, intendisset Propheta: haud dubiè dixisset, *Virginem*, DAVIDIS STIRPE PROGNATAM, *édituram esse partum Immanuelem.* Tota enim vis Oraculi tum non adeò in id recumberet, an *Virgo*, sed an *Virgo Familiæ Jessææ*, suo tempore datura esset Immanuelem. Sed eâ de re nihil extat in Oraculo.

VIII. Cl. Coccejus, qui multa ad hunc locum illustrandum & vindicandum rectè & eruditè protulit, inter alia, ad difficultatem hanc removendam facientia, hæc duo adduxit, nostrâ animadversione digna, *α. Ex signo Christi ex Virgine nascituri* hoc saltem *apodicticè* colligere potuisse Achazum & Judæos, *interim non posse Regnum & Rempublicam Judaicam à Deo abalienari, ut constituatur Rex Gentilis Hierosolymis, qui cærimonias sacras aboleret, & efficeret, ut Populus Judaicus fieret instar reliquarum Gentium.* β. Signum Messiæ ex Virgine orituri inter alia vel maximè inserviisse confirmandæ illi Prophetiæ superioris parti, quâ dictum erat, *Damascum* fore *caput Syriæ*, ℣s. 8. hoc est, secundum Celeberrimi Viri mentem, *Judæam ante natum Christum ex Virgine non fore subjectam Damasco*, sive *Syriæ*. Eventus enim id illustravit: quippe ex historia constat, post natum demùm Christum *Judæam Syriæ accensam, & subjectam esse*, Archelao Viennam relegato, & Judæâ in formam Provinciæ redactâ. *Quandoqui-*

dem

dem Deus, ait, *per Jesaiam dixerat*, *Damascum fore caput Syriæ & non Judææ*, *& tum subnectit hoc signum*, *Virginem pariturum: sensus est*, *Non prius futurum esse*, *ut Damascus fiat caput Judææ*, *quàm Virgo peperisset*; *ideoque poterant certi esse de Prophetiâ*, *quandiu hoc factum non esset*. Liceat nobis ad utramque illam observationem quædam modestè reponere.

IX. Et quidem quod ad *Priorem*: fateor ex *promisso partu Virginis*, suo tempore futuro, Judæos potuisse colligere, *Regem Gentilem interim constituendum non esse Hierosolymis*, *qui cæremonias sacras aboleret*, & in universum *Populum Judaicum faceret instar reliquarum Gentium*. Sed nimis longè id petitum videtur. Judæi enim hoc tempore non necessariò metuebant malum omnium maximum, quod hic proponitur à Cl. Coccejo. Poterant metuere mala minora, & calamitates satis adhuc graves & acerbas, salvâ fide de Messiæ ortu ex Virgine: etiamsi fortè hoc omnium maximum & gravissimum malum non metuissent. Poterant Rezin & Pekah Syrorum & Ephraimitarum Reges, Achazum dignitate Regiâ spoliare, Rempublicam opprimere, alium Judæis Regem dare, stragem in populo & nobilibus edere, alios ex iis in exilium captivos abducere: quæ mala satis gravia sunt: absque quo *cæremonias sacras abolerent*, & *Gentilismum in Judæam inducerent*. Hæc verò mala Judæis erant metuenda, & omninò illa metuebant. De *abolitione cæremoniarum Sacrarum* & *Judaismo cum Gentilismo commutando* nihil ex Jesaia colligas. Nec conveniebat id moribus illius temporis. Religio enim illo tempore non erat objectum invidiæ & æmulationis inter Gentes. Colebat quisque quod vellet Numen, & quo placeret ritu: ut verè per Orientem suos quæque Gens Deos & sacra habuit. Non videntur igitur Syriæ & Israëlis Reges tam cogitasse de Religione, quàm de supprimendo vel subvertendo statu Reipublicæ. Tum prætereà etiam concedam, id consistere non potuisse cum implemento Oraculi de Partu Virginis Immanuele, ut in universum Judaismus exscinderetur vel cum Gentilismo commutaretur: potuit tamen verè consistere cum implemento hujus Oraculi, ut Rex Gentilis occuparet Hierosolymam, Cæremonias & Sacra Judæorum *ad tempus* aboleret, Præfectum Genti Judææ daret pro arbitrio, Judæos spoliaret, expilaret, magnâ afficeret clade, & abduceret

ret in exilium: hæc, inquam, tanta mala consistere potuerunt cum fide Oraculi de Messia ex Virgine suo tempore orituro: ut sanè tempora Antiochi Epiphanis abundè testantur. Quidni itaque Rezin & Pekah, Syriæ & Israëlis Reges, id ipsum quoque hoc tempore potuissent tentare & efficere? Et si id potuerint, salvo hoc Oraculo, tentare & efficere: quomodo potuerunt Judæi ex hac *Prophetia de Partu Virginis* spem concipere Reipublicæ hoc tempore conservandæ? In universum Judaismus, salvâ Oraculi fide & implemento, non potuit exscindi: sed præter hoc malum omnium maximum & gravissimum quævis alia mala & calamitates Judæis poterant obvenire, & obvenerunt verè sequentibus temporibus, salvâ fide, quam Deus hoc Oraculo dederat.

X. Posterior observatio Cl. Viri majorem præfert speciem, & non tam longè petita videtur. Et patet satis Cl. Coccejum in ea maximam posuisse fiduciam. Omni enim commodâ occasione eam inculcat, & ferè solam, reliquis neglectis, proponit. Sic ipse exertè in Scholiis ad Matthæum: *Scopus Jesaiæ est confirmare Achazum & Populum, maximè fideles, in fide illius verbi, quod dixerat,* DAMASCUM NON FORE CAPUT JUDÆÆ, SED TANTUM SYRIÆ. *Ad hoc explicandum dicit, fore aliquando, ut Virgo pariat Filium* Θεάνθρωπον. *Tacet autem hic Jesaias, quod eventus comprobavit, nempe quod Damascus facta esset caput Judææ, cum Christus natus esset: nempe cum Archelaus relegatus, & Judæa, petentibus Judæis, Syriæ contributa est.* Post Coccejum verò multi ex Eruditis Viris alii hoc Cl. Viri observatum commendarunt & descripserunt; & volupe quoque nobis esset illos imitari, nisi graves obstarent & certæ rationes. Ad vers. 23. Cap. 1.

XI. 1. Si omninò certò constaret, *Syriam*, sive *Syriæ* Reges, ante Christum Jesum natum Judæos sibi subjectos non habuisse: de quo mox videbimus: an *Syria* dici commodè poterit *caput Judææ* ob hanc rationem, quod *Præsides Romani*, quorum summa erat in Syria & Judæa potestas, in *Syria* potius quam in *Judæa* resederint? An ob hanc, inquam, caussam *Syria*, sive *Damascus*, dici poterit *Caput Judææ*? Id verò ego summo jure nego. Quo tempore Archelaus Viennam relegatus est, Syria fuit *Provincia Populi*, vel *Imperii Romani*. Subjecta erat

 Au-

Augusto, (erat enim inter Provincias, quas Augustus sibi servaverat:) qui ad eam administrandam *Præsides* mittebat, & in Judæam *Procuratores*, Præsidibus illis subjectos. Præsides illi, fateor, resederunt in Syria. Sed an ideò Judæa dici potest *Syriæ*, vel *Damasco*, fuisse subjecta? Sanè enim potestas, quam exercebant Præsides illi in Judæam, non erat *Syrorum*, sed *Romanorum*. *Damascus* non fuit *caput Judææ*, sed *Roma*. Syrorum æqua erat cum Judæis conditio. Utrique Archelao in exilium misso, gemebant sub jugo & imperio Romanorum, & avarorum Præsidum, à quibus regebantur. Et rectè omninò Josephus ait, *Judæam factam esse* προσθήκην τῆς Συρίας, quasi tu dicas, *Appendicem Syriæ*. Non fuit *Syriæ* subjecta *Judæa*, sed *cum Syria* Romanis.

Antiq. Libr. XVIII. Cap. 1.

XII. 2. Certò constat ex historia, hypothesin, in qua Vir Cl. interpretationem suam fundavit, vacillare. Contendit ubique, *Damascum non fuiße caput Judææ ante natum ex Virgine Messiam*. Ex historia autem liquet, omninò fuisse. Antiochus Magnus, (ad aliquod tempus:) Epiphanes, Eupator, Demetrius Soter, Alexander Bala, Demetrius Nicator, Syriæ Reges, an non subjectam sibi habuerunt Judæam? Quando Epiphanes Hierosolymam per Duces suos occupavit, Judæorum multa millia cæcidit, Templum & Sacra profanavit, pro imperio Pontifices quos voluit Genti præfecit, & totam Gentem tributariam & sibi obnoxiam habuit: nonne tum verè *Syria fuit caput Judææ?* Reges, Antiochum sequuti, eandem exercuerunt in Judæos summam potestatem, usque quo Simon, Judæ Maccabæi & Jonathanis frater, Gentem vindicavit in libertatem. Hæc clara sunt & manifesta: nec tamen persuadere potuerunt Cl. Interpreti, ut hanc suam cogitationem missam faceret. Excipit nimirum, *Syriæ Reges*, qui Judæam sibi obnoxiam habuerunt, habitasse *Antiochiæ*, non *Damasci*; proinde *Damascum* illo tempore non fuisse *caput Judææ*. Sic ipse explicitè scribit ad ℣. 8. *Cap.* VII. *Nam ante hoc tempus* (quo Judæa ab Augusto redacta est in formam Provinciæ, & Syriæ attributa, de quo loquutus erat:) *Damascus non fuit caput Judææ. Nam vel sui Reges tenuerunt Judæam, vel Babylonii, vel Persæ, vel Seleucidæ, qui* ANTIOCHIÆ HABITARUNT, *vel denique liberi fuerunt Judæi. Tum*

autem esse cœperunt sub PRÆSIDIBUS ROMANORUM, qui DAMASCI HABITABANT. Vidit igitur Vir Cl. Judæos *ante natum Christum* aliquando subfuisse *Seleucidis*, *Syriæ Regibus*; sed excipit, illos habitasse *Antiochiæ*, non *Damasci*; ac ex eo infert, *Damascum* illo tempore non fuisse *Caput Judææ*. Sed, ut verum fatear: magis hic videtur Vir Cl. intentus fuisse literæ Oraculi, quam illius vero sensui. Ubi enim dicitur, *Damascum fore caput Syriæ:* haud dubiè id ita interpretandum est, *Regnum Syriæ*, cujus sedes illo tempore erat Damasci, extra Syriæ limites non esse extendendum, sed usque ad instantem illius Regni subversionem intra antiquos terminos suos constiturum esse. Non igitur hic tam ad metropolin Syriæ & sedem Regni quàm ad ipsum Regnum respicitur. Sensus Oraculi est, Damascenos Syros usque ad imminentem Reipublicæ suæ destructionem non esse pomœria sua ultrà antiquos Syriæ limites protensuros, nec proinde subacturos Judæam, cui inhiabant. Seleucidę igitur, Syriæ Reges, (etsi verè id Regnum potius Græcorum & Macedonum quam Syrorum fuit:) quantumvis habitaverint *Antiochiæ:* verè tamen *Damascus* tum fuit *caput Judææ*, quia Judæa *Regibus Syriæ*, ubicunque demùm illi in Syria habitarent, & sedem Regni sui collocarent, fuit subjecta. *Damascus* enim hic notat *sedem Regni in Syriæ*, quæ olim quidem *Damasci*, deinceps *Antiochiæ* fuit: sed, quod ad verum sensum Oraculi, prorsus perinde erat.

XIII. Quod autem addit Vir Cl. *Præsides Romanorum*, Syriam administrantes, sedem suam habuisse *Damasci*, non *Antiochiæ:* in quod verè tota hujus observationis vis recumbit: nescio quâ auctoritate confirmare queat. Hactenus enim nullam offendi. Mihi contrà ex historia liquet, *Præsides Romanorum*, qui Syriam administrarunt, postquam à Pompejo redacta esset in Provinciam, passim habitasse *Antiochiæ*, non *Damasci*, tam ante quam post relegatum Archelaum. quod si probavero, nihil video hic superesse exceptionis. Sic nimirùm Josephus de P. Scipione, Pompeji Socero, Syriæ Præside: *Scipio verò jussu Pompeji securi percussit Alexandrum, Aristobuli Filium, criminatus quod aliquando adversus Romanos rebellasset :* καὶ ὁ μὲν οὕτως ἐν Ἀντιοχείᾳ τελευτᾷ, *& ille quidem hac ratione* ANTIOCHIÆ *mortuus est*. Judica- Antiq. lib. XIV. Cap. XIII.

tus haud dubiè & mortuus, ubi Prætorium habebat Scipio. Pariter Josephus, narrans congressum Archelai cum Quintilio Varo, Syriæ Præside, qui accidit Cæsareæ, antequam Romam profectus est post obitum Parentis, hæc habet verba: Ἐπεὶ δ' ἐκπλεῖ μὲν ἐπὶ τῆς Ῥώμης Ἀρχέλαος, Οὐάρω δὲ ἐπ' Ἀντιοχείας ἐγένοντο κομιδαὶ, καὶ τὰ ἑξῆς: *sed postquam Archelaus Romam navigavit, Varus autem* ANTIOCHIAM *abiit:* &c. Antiochia itaque sedes administrandæ Provinciæ, & curandorum negotiorum, non *Damascus*. Rursus, Archelao adhuc Romæ hærente, de seditionibus à Quintilio Varo in Judæa sedatis agens: *Itaque Varus rebus compositis, & relictâ Hierosolymis eâdem Legione in præsidio,* ἐπ' Ἀντιοχείας ἠπείγετο, ANTIOCHIAM *reversus est.* Antiochia igitur Præsidis sedes. De Vitellio similiter, Syriæ Præside sub Tiberio, longè jam post relegatum Archelaum: Ἐπὶ τούτοις Οὐιτέλλιος μὲν ἐπ' Ἀντιοχείας ᾔει, Ἀρτάβανος δὲ ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας· *Posthac Vitellius* ANTIOCHIAM *rediit; Artabanus in Babyloniam.* Deinde in eundem rursus modum: Καὶ Οὐιτέλλιος μὲν ἐπ' Ἀντιοχείας ἀνεχώρησε· *Et Vitellius quidem* ANTIOCHIAM *repetiit.* Sic Josephus constanter. Cicerò pariter in Literis ad Caninium Sallustium, de *Præside* Syriæ *Bibulo*, ita scribit, ut manifestò supponat, illum fuisse Antiochiæ. *Permulti enim ad me detulerunt*, ait, *cum magnus* ANTIOCHIÆ *metus esset, & magna spes in me atque exercitu meo, solitum dicere, quidvis se perpeti malle quam videri eguisse auxilio meo.* Bibulus successerat Crasso, qui infeliciter cum Parthis congressus miserè perierat. Nec de alia urbe quàm Antiochia intelligo, *quod idem* Cicero ad Cornificium, cui mandata à Cæsare erat Syriæ administratio. *Quod si*, ait, *pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se* OPPIDO MUNITISSIMO ET COPIOSISSIMO *tandiu tenuit, quandiu in provincia Parthi fuerunt.* Intellige *Antiochiam.* Consentit Strabo ubi hanc urbem describerat: Καὶ δὴ καὶ μητρόπολις ἐστὶν αὕτη τῆς Συρίας· καὶ τὸ βασίλειον ἐνταῦθα ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας. *Urbs hæc metropolis Syriæ est, &* QUI REGIONI IMPERANT, *hic regiam habent.* Respicit haud dubiè sua etiam tempora, quibus Syria à Præsidibus Romanis regebatur. Imo certè Damascus post Archelaum Viennam relegatum, ultimis nimirum Tiberii, subfuit Regibus Arabum. Liquet illud ex diserto Pauli testimonio in *Posteriore ad Corinthios: In*

Antiq. Lib. XVII. Cap. XI.

Antiq. Lib. XVII. Cap. XII.

Antiq. Lib. XVIII. Cap. VI.

Antiq. Lib. XVIII. Cap. VII.

Epist. ad Famil. Lib. II. Epist. XVII.

Lib. XII. Epist. XIX.

Geog. Lib. XVII. p. 516.

Cap. XI. 32.

DA-

DAMASCO ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τῦ βασιλέως ἐφρύρει τὴν Δαμασκηνῶν πόλιν, *Ethnarcha Aretæ Regis præsidio tenebat Damascenorum Urbem, cupiens me prehendere.* Aretas itaque, Arabiæ vicinæ Rex, cujus Josephus in historia sua non semel meminit, Damascum, Arabiæ conterminam, hoc tempore habuit in potestate: quod Grotius doctè confirmat, Cl. Coccejo hic nihil aliud, quod ad rem nostram attinet, monente, quam *Damascum alioquin fuisse Syriæ metropolim.* Imo certè antiquissimis temporibus. Rectè igitur Carolus Sigonius, ubi est in recensendis Provinciis Populi R. cum novissimè de illius egisset Præsidibus: ANTIOCHIÆ *verò* CONVENTUM CELEBERRIMUM *fuisse, præter cæteros facilè crediderim.* Nullas tamen adscripsit auctoritates. De Antiq. Jure Prov. Lib. I. Cap. XII.

XIV. Fateor tamen, me timidè hic disputasse, cum Cl. Interpres, idemque Literarum peritissimus Vir, id, quod ego mihi negandum sumpsi, ubique tanquam rem certam & minimè dubiam affirmet. Nolim igitur hic plus fidei mihi tribui, quam locis à me in contrarium adductis debetur. Non ignoro interim, Scaurum, Pompeji in Oriente Legatum, (mox etiam successorem:) *Damasci* aliquandiu egisse, longè ante exilium Archelai; & ipsum Pompejum *Damasci* diremisse litem, quam infeliciter coram ipso agitabant Hyrcanus & Aristobulus: quippe de quo explicitè scribit Josephus: sed illius rei manifesta erat ratio, quod Damascus propior esset Judææ, quæ circa illam tempestatem bello & seditionibus ardebat, & in maximo erat motu. Cæteroquin satis constat, Pompejum, dum in Oriente erat cum exercitu, confecturus bellum cum Mithridate, eumque persequutus, certam & stabilem sedem non habuisse: quam tamen, si aliqua fuerit, probabilius est Antiochiam fuisse quàm ullam aliam Syriæ urbem: & videor id ex hoc etiam indicio posse colligere, quod Demetrius, Pompeji libertus, qui ab eo singulari indulgentia fovebatur, cum aliis Pompeji familiaribus & domesticis, *Antiochiæ* in Syria egerit, Pompejo cum exercitu absente. Patet enim illud ex gemino loco Plutarchi, lepidum narrantis casum, qui Catoni apud Antiochiam accidit. Summa tandem eorum, quæ dixi, huc recidit, *Signum Messiæ ex Virgine nascituri in hac Prophetia speciatim non referri ad conditionem Syriæ Damascenæ.* Regnum enim illud Syriæ Damascenæ vel per Assyrios penitus sub-

Antiq. Lib. XIV. Cap. V.

In Vitâ Pompeji p. m. 640. & Caton. Min. p. 765.

versum & destructum est; vel si censeri debeat renatum & instauratum esse in Regno Seleucidarum: verè Damascus fuit Judææ caput sub quibusdam Seleucidis: neutiquam verò fuit, vel nullo majore jure fuit, sub Præsidibus Romanis.

XV. Quid igitur tandem nobis post has ambages restat ad hanc difficultatem expediendam? Id paucis, & quantum licet, clarè exponam. Consilium Dei fuit in turbulento hoc rerum statu, quo Judæa erat sub Achazo, Rege impio, animos Judæorum erigere valida consolatione. Pollicetur itaque iis, non dubia asseveratione, liberationem à magno illo malo, quod iis certò videbatur impendere. tantum enim abesse, ut Reges illi, qui consilium ceperant de subvertenda Judæorum Republica, id efficerent, ut contrà ipsorum Regna brevi spatio temporis sint subvertenda. His dictis Achaz & Judæi vix videbantur fidem habere. Jubet igitur Achazum *signum prodigiale* petere tanti beneficii, certò præstandi. Renuit Achazus. quod cum molestum esset Prophetæ, ipse in sequentibus *duo* agit, *α. Piis* in Israële dat *signum* hujus Liberationis, ℣s. 14. 15. 16. *β. Achazo* incredulo & malè in Deum affecto Regi, & Judæis aliis, ipsi similibus, prænunciat mala, procedente tempore iis eventura, non per hos Reges Syrorum & Ephräimitarum, qui Judæis nunc molesti erant, sed per *Assyrium* & *Babylonios*, à ℣s. 17. & seqq. Hæc qui ad contextum attenderit, manifestè videbit ab invicem distingui. *Piis* verò dat *signum prodigiale*, quo majus & præstantius iis dare non poterat, *Messiæ* nimirum suo tempore *nasciturì ex Virgine*, & *appellandi* nomine IMMANUELIS, h. *e.* Dei in homine habitaturi & hominem Deo reconciliaturi, & *perfectam adducturi liberationem*, quam pii & sancti inter Israëlitas ardenter expetebant. ut adeò sensus sit, tam certò quàm Deus à piis credi velit, suo tempore *nasciturum esse Immanuelem* & quidem *ex Virgine* per miraculum suscitandum, qui adduceret *liberationem* & *salutem perfectam*, per tot secula expectatam: tàm certò etiam *Deum* hoc tempore præstiturum, imò veluti per miraculum *producturum*, Judæis *liberationem temporalem à magno illo malo subvertendæ Reipublicæ*, cujus metu nunc maximè cruciabantur. Hæc interpretatio nihil habet obscuritatis, nihil relinquit difficultatis: quam ego mihi privam nec habeo nec vindico. Quod ad sum-

ad ſummam rei, legi poteſt apud Calvinum, & Piſcatorem. Calvini oratio hic quidem egregia, ſed paulò prolixior eſt. Piſcatoris deſcribam: *Eſt autem vis hujus documenti in exemplo ſimili per ratiocinationem à minore, in hanc ſententiam: Deus certò præſtabit promiſſionem de Chriſto ſuo tempore naſcituro: ergo multò magis præſtabit promiſſionem hanc liberationis, quæ minoris momenti eſt, quippe de ſalute corporali ac temporali, cum altera ſit de ſalute ſpirituali & æterna.* Ad verſ. 14. Cap. VII. Jeſ.

XVI. Ad hanc ſententiam illuſtrandam & confirmandam hoc unum obſervari velim: Prophetas paſſim omnibus promiſſis quorumcunque beneficiorum, que in Oraculis ſuis edunt, ſubſternere fundamentum fidei & ſpei Eccleſię de *Meſſia*, ſuo tempore per gratiam & potentiam Dei ſuſcitando. Huic enim fundamento omnes Prophetię, omnes qualescunque promiſſiones, inædificantur. Ab hoc argumento incipiunt, in hoc deſinunt. Nullam enim Deus unquam Judæis præſtitit *liberationem*, niſi cum reſpectu ad maximam hanc *liberationem* & *ſalutem*, ſuo tempore certò adducendam cum demonſtratione inſignis ſuæ potentiæ & gratiæ. Hæc igitur *liberatio*, cum illius accidentibus, erat אות SIGNUM, quod inſtar Fundamenti ſubſternendum erat omnibus promiſſis. Nec poterat ullum aliud *ſignum* dari illuſtrius, præſtantius, & piis gratius. Hoc SIGNUM enim ſi falleret: de omnibus Dei promiſſis & prophetiis actum erat. Eleganter id monitum à Calvino, cujus verba, etſi cæteroquin prolixas citationes fugiam, hic adſcribenda duxi. *Notanda eſt*, ait, *conſuetudo Prophetarum, qui cum ſpeciales promiſſiones confirmant, hoc fundamentum conſtituunt; nempe Deum miſſurum eſſe Redemptorem. Hâc generali fulturâ Deus ubique confirmat, quicquid ſpecialiter populo ſuo promittit. Et certè ut opem & auxilium quis ab eo expectet, perſuaſum eſſe neceſſe eſt de paterno ejus amore. Quomodo autem propitius eſſet niſi per Chriſtum? in quo & electos gratis adoptavit, & veniâ uſque ad finem proſequitur. Hinc illud Pauli, omnes Dei promiſſiones eſſe in Chriſto Etiam & Amen. Quoties ergò veteri populo opitulatus eſt Deus, ſimul in Chriſto ſibi reconciliavit. Ideoque quoties de fame, peſte, & bello ſermo habetur, ut ſpem levationis faciat, Meſſiam ſtatuit ante oculos.* Nihil in his eſt quod non probem & laudem: nec video, ſi hanc viam ineamus, Comm. in h. l.

mus, quicquam effugii supereffe Judæis. Quod enim aliqui illorum insuper excipiant, *Signum desumendum fuisse à re præsente, non à futura:* dudum iis est satisfactum. Nihil enim certius, quam *signa*, ad confirmandas promissiones aut minas data, sæpius à casibus futuri temporis desumi, ut fit *Exod.* III. 12. I *Sam.* II. 34. *Es.* XXXVII. 30. aliisque exemplis, quæ diligenter congessit Cl. Spanhemius. Sed possunt quoque ex hoc ipso loco confutari. *Signum* enim *Fæmina paritura Immanuelem*, quocunque etiam modò accipiatur, erat *futuri*, non *præsentis temporis*. Et possent hic plura moneri, si curæ nobis non esset vitare prolixitatem.

Dub. Evang. Part. I. Dub. XXXIV. p. 315.

CAPUT II.

Altera difficultas, *quæ tenebras offundit Oraculo Jesaiæ de* Immanuele nascituro ex Virgine, *si Oraculum illud directè referatur ad benedictum nostrum Servatorem, Christum Jesum, petita ex* ℣s. 16. *ubi dicuntur* Syriæ & Ephraimitidis Reges, *Rezin & Pekah, prius esse interituri* quàm Immanuel Puer *pervenisset ad* ætatem prudentiæ; *ita solvitur post aliorum Interpretum sententias diligenter expensas, ut Propheta doceat*, non esse plus lapsurum temporis hinc usque ad interitum illorum Regum, *quàm flueret à* Natali *Immanuelis usque ad* ejus Adolescentiam.

Sic tamen nequaquam operâ nostrâ defuncti sumus. Pressius enim videmur urgeri ab *Altera* illa *difficultate*, quam in superioribus movimus *ex* ℣s. 16. ubi Jesaias *Liberationem* hanc, quam Deus hic Judæis pollicetur, brevi post tempore præstandam, comparat cum tempore, non *nativitatis* tantum, sed & *pueritiæ*, vel potius *adolescentiæ Messiæ*. ANTEQUAM, ait, HIC PUER SCIVERIT *eligere bonum, & reprobare malum, deseretur terra illa, quæ tibi nunc negotium facessit*, A DUOBUS SUIS REGIBUS. Patet ex toto orationis contextu, Prophetam id velle dicere & confirmare, *Syriam & Canaanem brevi admodùm temporis spatio Regibus suis esse desti-*

destituendas. quod & eventus probavit. Illius verò brevitatem temporis ut illustraret: comparationem instituit inter *tempus adolescentiæ nati Immanuelis pueri*, & *tempus Syriæ & Canaanis à Regibus suis deserendarum*. Quæ comparatio quomodo facere potest ad rem præsentem, si per *Immanuelem* intelligatur Christus? Christus enim post aliquot secula demùm nasciturus erat. An duo casus, inter quos tanti temporis spatium interjacet, quantum est *inter destructa* vel *labefactata Syriæ* atque *Canaanis Regna*, & *nativitatem* vel *adolescentiam Messiæ*, inter se commodè, ratione *temporis*, comparari possunt? Imo an non potius vel frigida videri queat hæc comparatio, vel scopo Prophetæ prorsus adversa, si per *Immanuelem* Christus intelligatur? Propheta enim hâc oratione pios docere voluit, Subversionem Regnorum Syriæ & Ephraïmi brevi instare. Quomodo verò id colligere poterant ex verbis Prophetæ, si dicat, *Reges Syriæ & Israëlis perituros ante tempus adolescentiæ Messiæ*, post octo secula demùm expectandi? Et si omninò id dicere voluerit Propheta: quare non potius dixit, id eventurum ante tempus *Messiæ nascituri*, quàm *Messiæ adolescentis*? Adolescentia enim Messiæ longius adhuc aberat à Casu periturorum Syriæ & Canaanis Regum, ac proinde comparationem hanc adhuc reddit difficiliorem.

II. Negari certè nequit, difficultatem hanc esse maximam. quare nemo miretur, peritissimos etiam Divini Verbi Interpretes hic hæsitare, & fluctuare, ac si incerti essent quo se converterent. Sunt ex illis non pauci, iique magni nominis, qui respondent, PUERUM ILLUM, (הנער) de quo mentio est in ℣s. 16. non esse IMMANUELEM, ex *Virgine* nasciturum, de quo loquutus fuerat Propheta in *duobus commatibus antecedentibus*, sed alium aliquem *Puerum*, jam natum, Filium nimirùm Jesaiæ *Schear-Jaschubum*, qui Jesaiæ aderat, dum hæc verba ad Achazum Regem profabatur: acsi Jesaias postquam finivisset orationem suam de *Immanuele*, novum *signum* priori adjunxisset, & digito demonstrans Filium suum *Schear-Jaschubum* Achazo dixisset; *Antequam* HIC PUER (הנער) *sciverit eligere bonum, & rejicere malum*, hoc est, ad annos adolescentiæ & judicii maturitatem pervenerit, *terra* Syriæ & Canaanæ *à duobus illis Regibus*, qui te nunc vexant, *deseretur*. Speciem probabilem huic suæ sententiæ con-

ciliant ex ℣s. 3. ubi dicitur, Deum exertè jussisse Prophetam, convenire *Achazum*, assumpto secum Filio *Schear-Jaschubo*: cujus tamen Filii nullæ in hoc actu partes fuerint, si ℣s. 16. ad ipsum non referatur. Sic ferè mentem suam hic exponunt Tre-
Annal. p. 51. mellius, Piscator, Usserius quoque, & plures alii. Calvinus in eo solùm dissentit, quod הנער hic accipiendum putet non præcisè de *Schear-Jaschubo*, sed *specificè* de quovis alio *puero tenerioris ætatis*: ut sensus sit, antequam *puer aliquis*, qui nunc est ætate teneriore, vel qui nunc nascitur, pervenerit *ad annos adolescentiæ, Syria & Canaanæa à duobus Regibus suis deserentur.* Spanhemius
Dub. Evang. Part. 1. Dub. XXXIV. §. X. Pater in copiosa de hoc loco dissertatione utramque hanc interpretationem tolerari posse judicat, arbitrio alterutrius eligendæ relicto lectori. *Etsi fatendum est*, ait, *minus coactam, & longè probabiliorem esse illorum sententiam, qui versus hos distrahunt, & de* DIVERSIS SUBJECTIS *intelligunt*, ה הרישו *hic sumpto non ἐξοχικῶς de Messia nasciture ex Virgine, sed vel δεικτικῶς & individualiter de Schear-Jaschub, Filio Prophetæ, vel specificè & distributivè de quibusvis qui tum ætate pueri erant: cum non dicat Propheta* הנער הזה *, quod tamen videtur dicturus fuisse, siquidem eundem in individuo puerum designatum voluisset.* Cl. Coccejus ipse quoque hanc expositionem amplectitur in *Lexico*: ubi cum disseruisset de vario usu præfixæ Literæ ה / & ex locis quibusdam adstruxisset, subindè notare *individuum vagum*, addit; *Hinc interpretamur, quod est Jes.* VII. 16. *Antequam cognoscat* PUER *reprobare malum, & eligere bonum. Neque enim respicit ad Filium Immanuel, de quo* ℣s. 14. *Id apparet ex Cap.* VIII. 3, 4. Sed in *Majoribus Curis in Jesaiam* ita instituit, ut hanc quidem sententiam non improbet: attamen mox aliam illi subjungat, in qua magis videtur acquievisse. *Quadantenus*, inquit, *dubium est, idem ille Puer Immanuel, an alius intelligatur. Et sanè potest alius notari, sive, ut* ה *sit δεικτικὸν, & demonstret* CERTUM PUERUM, *videlicet Schear-Jaschub fortassis: sive notet individuum vagum, & dicat* QUEMVIS PUERUM: & quæ seqq.

III. Verum aliter nos persuasi sumus. Coacta hæc videtur & dura expositio, quantumlibet magnis subnixa patrociniis. Nemo attentè legere potest contextum Orationis, qui continetur *commatis* 14, 15, 16. quin mox perspiciat, illum sensum esse

esse simplicissimum & facillimum, qui unum hic demonstrat subjectum; violentum & coërcitum esse, qui duo. Et verè nemo unquam verba Jesaiæ legens hic de duobus cogitaret *subjectis*, nisi qui in arctum compulsus putat se aliâ viâ non posse elabi. Rationes sunt, *α.* Quia videmus *attributum aliquod Pueri Immanuelis*, quod est in ℣s. 15. mox repeti, & iisdem verbis tribui illi *puero*, de quo mentio est in ℣s. 16. Vide, obsecro, quam arctè hæc *duo commata* inter se cohæreant. ℣s. 15. *Butyrum & mel comedet*, (Immanuel:) *usque quo sciat* ELIGERE BONUM & REPROBARE MALUM: ℣s. 16. *Nam antequam* HIC PUER SCIVERIT REPROBARE MALUM & ELIGERE BONUM, *deseretur hæc terra* &c. Quis non videt de uno eodemque agi *puero Immanuele*, cui *in utroque commate* vindicatur idem attributum *scientia boni & mali*? Tremellius hoc sentiens incommodum, ipsum quoque ℣s. 15. retulit ad Filium Jesaiæ *Schear-Jaschubum*, cum tamen in ℣s. 15. nulla nota vel indicium sit ab *Immanuele* ad aliud ὑποκείμενον transiri: & repudiatur passim hæc sententia à Doctis, tanquam quæ manifestam vim inferat orationi Jesaiæ. quod ipsum argumento est, verè in duobus his *commatis* unam eandemque demonstrari personam, *Puerum* nempe *Immanuelem*.

IV. *β.* ה δεικτικὸν, præfixum voci נער manifestè significat ipsum illum *Puerum* hic intelligendum esse, de quo mentio fuerat facta in *commate antecedente*. In oratione Jesaiæ legitur: *Nam antequam* הנער Hic *puer sciverit reprobare malum*, &c. Puer nimirùm, de quo in superioribus actum erat. Si enim *individuum vagum* hic intelligi voluisset Jesaias: scripsisset fortè: נער *absque præfixo*. Si verò *alium puerum* hic designare voluisset, quàm *Immanuelem:* opus fuisset præfatione aliquâ historicâ, ex qua colligi potuisset, de alio illum puero agere, quàm de *Filio Immanuele*, de cujus *pueritia* proximè disseruerat. Quod autem hic excipiant Eruditi Viri, ה *præfixum* subinde etiam notare *individuum vagum*, & Prophetam, si *Immanuelem Puerum* hic intelligi voluisset, haud dubiè scripturum esse, הנער הזה: sanè non nego, Signum ה, vocibus præfixum, quandoque adhiberi ad notandum *individuum vagum*, sed, (ne hic committamus vitium λογομαχίας:) non ejusmodi aliquod, quod *absolutè vagum* aut *incertum* est, verum quod ad *certum subjectum* cogitatione animi

restringitur, etiamsi *subjectum ipsum* cujusmodi sit, non definiatur, vel describatur in oratione. Sic v. gr. Gen. VIII. 7. *Et dimisit* Noa את הערב *Corvum aliquem*. h. e. *Certum quendam Corvum*. Belg. **Een seeckere raven.** Gen. XIV. 13. ויבא הפליט *Et venit profugus aliquis*, h. e. *certus* aliquis homo, cogitatione mentis conceptus, sed in oratione non expressus, qui per fugam evaserat. **Een seeckere ontkomene.** Sic Matth. v. 1. εἰς τὸ ὄρος *in certum quendam montem*. Act. XVII. 1. *Ubi erat* ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων *certa* quædam *Synagoga Judæorum*. Et licet illud ad reliqua quoque applicare exempla, quæ ejusdem sunt generis. Sed alia sunt *individua*, absolutè *vaga*, sic dicta, quæ existimem rarò præfixam sibi habere notam ה. Ut v. gr. ubi Deus dicitur Israëlitas adduxisse in *regionem* זבת חלב ודבש *fluentem* LACTE & MELLE, ut *Ezech*. XX. 15. Lac & mel hic sunt *individua*, absolutè *vaga*: proinde minus commodè hic diceretur החלב והדבש: **seeckere melck en honich**: cum *nullum* certum lac aut mel hic designetur. Ubi igitur *subjectum* aliquod *certum* nec *mente* concipitur, nec *oratione* exprimitur, minus appositè adhibetur Litera ה. quæ, ut Buxtorfius rectè monet, *rem certam & notam* designat. Secundum Interpretes verò illos, quibuscum nobis nunc res est, נער significaret *subjectum absolutè vagum*, nec mente conceptum, nec verbis descriptum: quod non putamus hic commodè obtinere posse. *Ad Alteram objectionem*, quæ hic volebat scribendum esse, הנער הזה / facili operâ respondetur. Litera enim ה sola, voci præfixa, *certum subjectum* satis demonstrat, etiamsi vocula זה orationis emphasin non augeat. Cape exempla ex Ps. LXVIII. ℣s. 17. ההר חמד אלהים HUNC *montem concupivit Deus*. ac si scriptum fuisset, ההר הזה / ℣s. 21. האל לנו אל למושעות Hic *Deus nobis est Deus salutum*. prorsus quasi scriptum esset, האל הזה. Et videtur planè in ea dictione singularis quædam inesse elegantia.

V. γ. Si omninò הנער hic commodè accipi posset pro qualicunque *alio puero*, vel ipsum notare Filium Jesaiæ *Schear-Jaschubum*: quis sibi absque necessitate persuadeat, Prophetam tam facilè subjectum nobilissimum, de quo verba faciebat, deserere, & ad aliud transire ignobilius? tum quoque, quod majoris momenti est, *duo signa* hic inter se commiscere & confundere,

dere, cum *unius* tantum *signi* in superioribus mentionem fecisset? Certè *signum* piis datum in *Immanuele* abundè sufficere poterat & debebat ad ipsorum consolationem, nec videtur illud decorè in eodem actu cum alio *signo novo* conjungi & commisceri potuisse. Nimis enim erat nobile & illustre. Quod autem Jesaias, Achazum salutaturus, jussu Dei secum sumpserit Filium suum *Schear-Jaschubum*, sic videtur intelligendum. *Achazo* & *Judæis* constitit, Nomen Filii Jesaiæ *Schear-Jaschub* (שאר ישוב RELIQUIÆ REVERTENTUR:) fuisse mysticum, & ad Judæorum consolationem, jussu Dei, illi datum: proinde, Jesaias hunc Filium suum exhibendo Achazo & Judæis, in memoriam illis revocavit amplissimum promissum, quod Deus nomine hujus Filii Jesaiæ veluti *sacramento* obsignaverat: ut pariter factum in nomine *alterius Filii Jesaiæ*, MAHER SCHALAL CHASBAZ, quod occurrit *Cap.* VIII. 1, 2, 3. Ergo *retinemus hoc, quod sine dubio simplicitas textus, & litera saltem una vult*, HUNC PUERUM, de quo in ℣ſ. 16. mentio est, ESSE IPSUM IMMANUELEM. Sic rectè, & in rem nostram, Sebastianus Schmidius.

VI. Longè igitur magis nobis arrisit alia quædam Cl. Cocceji docta meditatio ad hæc verba, quæ se magnâ specie commendat. Summa illius est, tempus *Nativitatis* & *Adolescentiæ Immanuelis*, quod hic proponitur à Propheta, ex scopo Prophetæ non esse comparandum cum solo illo casu *Syriæ & Cananææ deserendæ à suis Regibus*, qui memoratur ℣ſ. 16. (ut passim faciunt Interpretes:) sed simul cum omnibus illis casibus & eventibus, quos Propheta enarrat usque ad *finem hujus Capitis*. Jesaias enim in *consequente contextu orationis* continuâ serie vaticinatur de magnis quibusdam casibus, qui Judæis essent eventuri ferè usque ad nativitatem Messiæ: nempe, tam Familiam Davidicam, quam Judæam, etiamsi nunc à Syriæ Rege liberarentur, magnâ tamen procedente tempore afficiendas esse clade à Regibus Assyriæ, qui Familiam Jessæam omni suo decore & ornatu essent privaturi, & Judæam usque adeò populaturi, ut instar *deserti* à paucissimis hominibus solummodò incoleretur; deinde etiam passim deserta repleretur *sentibus* & *vepribus*, ubi Judæi per Babylonios, Assyriæ Reges, abducti sunt in *exilium*; quando tandem Deus, memor sui Fœderis, res illorum in melius instaura-

ret, & iis *benediceret* juxta promissa, Patribus facta: ut accidit novissimis temporibus, quæ Reditum Judæorum ex Exilio consecuta proximè præcesserunt tempus *Nati Messiæ Immanuelis ex Virgine*. Sententia igitur hujus loci erit; *Antequam Messias pervenerit ad annos adolescentiæ, omnia hæc Judæis eodem ordine & serie eventura esse, quæ Propheta usque ad finem Capitis recenset, & ferè decurrunt usque ad tempus nati Immanuelis*. Verba Cl. Interpretis: *Non est una aliqua particula hujus Oraculi vellicanda, quasi solùm hoc dicat Propheta, Syri & Ephräimitæ deportabuntur ante Christi annos discretionis:* sed OMNIA SUNT CONJUNGENDA, *tota nimirùm tela & series rerum antecedentium id tempus*.

VII. Cognata huic & affinis est interpretatio Cl. Altingii, nisi quod ille huic observationi novam addat. Existimat ille, hoc *commate decimo sexto* rationem reddi illius, quod dictum erat ℣s. 15. *Messiam Immanuelem comesturum esse butyrum*, sive *cremorem*, & *mel*, h. e. educandum esse humillimâ vitæ conditione, & tenuissimo usurum victu, qualem *pauperum* esse colligi posse putat ex ℣s. 22. quod argumento esset, *Familiam Jessæam* consequente tempore esse collapsuram, regiâ dignitate privandam, & ad humillimam sortem inter Judæos esse abjiciendam: quod opinatur Jesaiam in *sequente contextu orationis* confirmare, ubi exponit mala gravissima, quæ Deus Achazo per Assyrios infligeret. Secundum ipsum itaque hæc erit συνάφεια Orationis Propheticæ. Prænuncio quidem Vobis natales Illustris Personæ Immanuelis, ut signum liberationis instantis, quàm Vobis nomine Dei addixi: sed scitote simul, Messiam hunc, postquam natus fuerit, *butyrum & mel comesturum*, h. e. vili & abjectâ fore conditione. Deus enim decrevit, Familiam Jessæam per Assyrios severè castigare, & eam de dignitate sua dejicere: ut in sequentibus narratur. Quare etiamsi *terra hostilis ante nativitatem vel adolescentiam Messiæ à Regibus suis sit deserenda*: quod futurum promisi: per Assyrium tamen Regem Deus in hanc Domum severè animadvertet.

VIII. Ego vero non inficior, pleraque horum longè hic moneri probabilius, quàm alia quæcunque, quæ ab aliis huc adducuntur: nec tamen ejusmodi sunt, ut nullam relinquant difficultatem. Quod enim ad interpretationem Cl. Cocceji, *a*. Nititur

titur illa hâc hypothesi, Prophetam describere fata rerum sequentis temporis, quæ decurrerent usque ad *nasciturum Immanuelem*. Sed de illa hypothesi prorsus persuasus non sum. Propheta ex meo sensu Judææ vastationem & populationem per Assyrios describit usque ad *finem hujus Capitis*, & in ea oratione *Prophetia hæc* terminatur: & pertinent quoque secundum meam sententiam huc verba ℣f. 25. quorum sensus est, loca, florente statu Judææ, vineis destinata, & magnâ curâ custodita & obsepta, post populationem Assyriacam tam *inculta* fore & *neglecta*, ob incolarum Judææ paucitatem, ut *boves* & *oves* liberè in ea immitti, & in iis vagari tutò possint. β. Si vel maximè certum esset, Prophetam hic recensere eventus rerum majores usquè ad natum Christum; non potest ratio dari, quare non potius dicat: *Antequam natus fuerit Immanuel*, quàm; *Antequam Immanuel pervenerit ad Annos discretionis boni & mali*. Quæ enim in *consequente contextu* describuntur, qualia qualia sint, saltem implementum sortita sunt ante tempus *nati Messiæ*. ad rem igitur non facit, ejus *adolescentiam* hic memorari. Ad quam difficultatem cum respondeat Cl. Interpres: dubito, an omnibus sit satisfacturus. Nobis non licet omnia excutere.

IX. Quod ad observationem Cl. Altingii: incumbit ea præcipuè huic hypothesi, *comedere butyrum & mel*, indicium esse status humilis & abjecti. Pauperum enim & tenuioris sortis hominum esse hunc cibum, ut patere putat ex ℣f. 22. Sed ab hac sententia longissimè discedimus. Tantum abest, nostro judicio, ut dictio hæc notet statum vitæ abjectum & humilem, ut contrà in Scripturâ ubique, nullo loco excepto, notet *copiam & abundantiam necessariorum bonorum*, quæ ad sustentationem & delectationem hominis in vita temporali faciunt: ut vel patere potest ex clarissimis locis *Deut.* XXXII. 13, 14. *Prov.* XXVII. 27. *Job.* XX. 17. & recepta phrasi in sacris de terra Canaan, *fluere eam lacte & melle*. Cum enim duo sint, quæ maximè palatum delectant: *pinguia* & *dulcia*; illorum *lac*, horum *mel*, symbola sunt. Nec favet huic interpretationi Cl. Viri ℣f. 22. ubi oratio continuatur de *vastatione Judææ per Assyrios*. Verba Jesaiæ: *Et fiet die illo, si quis vivam conservaverit buculam, & duas oves; & fiet ob copiam lactis, quod facient, comedet butyrum. Nam* BUTY-

RUM ET MEL COMEDET *omnis reliquus in medio terræ.* Sensus est, Judæam post populationem Assyriacam ab incolis desertam fore & vacuam, adeò quidem ut ex paucis illis in terra superstitibus qui *unam* reservaverit *buculam* & *duas oves*, abundè sibi ad summam copiam & abundantiam comparaturus sit victum. Terrâ enim incolis destitutâ, & agris relictis, *pascua* illis *paucis pecudibus* ubique paterent: proinde subministrarent possessoribus suis amplissimam lactis copiam. Sed poterit de hac phrasi consuli Bochartus, qui eam eruditâ operâ illustravit. Rectè Jarchius: חלב ודבש יאכל הילד שתהא ארצנו מלאה כל טוב BUTYRUM & MEL COMEDET *Puer*, *quia* TERRA NOSTRA OMNIBUS BONIS ABUNDABIT.

Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XLV. Ad vers. 14.

X. Quæ hactenus pro ingenio meo liberè disputavi, citra ullam invidiam, & salvâ existimatione Cll. illorum Interpretum, quibuscum mihi res fuit, dicta velim. Ubi enim vero investigando studemus: sententiæ Præstantium Virorum temerè negligendę non sunt. Tantùm mihì cavendum erat, & fortè quis metuat, ne illorum sententias refellendo vel seponendo caussam communem, cujus vindicias suscepi, difficiliorem reddiderim. Nolim tamen illud vitium mihi accidisse; quare tandem exponam, quid ad hoc dubium resolvendum mente meâ conceperim. Propheta, hoc *commate*, cujus verum sensum nunc indagamus, *piis* inter Judæos nomine Dei nunciat, ipsos illos Syrorum & Ephräimitarum Reges, qui ipsos nunc vexabant, *brevi* esse interituros: cujus temporis *brevitatem* amplius declaraturus, comparationem instituit inter *tempus interitus horum Regum* & *ætatem pueritiæ* vel *adolescentiæ Immanuelis*, docetque *interitum horum Regum* præcessurum esse *ætatem pueritiæ* vel *adolescentiæ Immanuelis*. In qua comparatione ratio docet diligenter attendendum esse ad *terminum à quo*, & qui dicitur, *terminum ad quem*, illius temporis, cum pro Propheta *tempus interitus amborum illorum Regum* confert. *Terminus ad quem* hic est *ætas illa Immanuelis*, quâ *noverit reprobare malum* & *eligere bonum.* quod tempus haud dubiè admittit aliquam latitudinem: sed in qua re nulla hic residet difficultas. Potest enim hæc phrasis vel *pueritiam* vel *adolescentiam Immanuelis* designare, prouti illam facultatem *scientiæ boni & mali* latius vel strictius interpretatus fueris. Utique constat ex historia Lucæ, Christum singulari exemplo jam ante

annum

annum ætatis suæ *duodecimum*, hanc facultatem possedisse. Et id nobis hic potest sufficere, quia hâc parte nullâ premimur difficultate. Verum *terminum à quo* hujus Intervalli videntur mihi passim minus feliciter definivisse Interpretes & Commentatores hujus loci. Vulgò enim statuunt, *Terminum à quo* in hac comparatione utriusque temporis esse *ipsum illud tempus*, quo Jesaias hæc verba ad Judæos proloquebatur; ac si sensus esset: *Prius Syriæ & Canaanææ Reges interituri sunt quam Immanuel* AB HOC IPSO TEMPORE, *quo hæc verba apud vos edo*, *pervenerit ad adolescentiam suam.* quo sensu si Jesaiæ hanc orationem acceperis, & simul per Immanuelem *Christum* Jesum ex Maria Virgine nasciturum intellexeris: fateor, me non videre, quo modo hæc verba facere possint ad scopum Jesaiæ, vel cum prudentia Spiritus S. consistere. Tantum enim abest, ut *brevitas temporis* imminentis interitus Regum illorum ex hac comparatione illustretur, (quod tamen Propheta certò intendit:) ut potius subvertatur, & Judæorum spes in longissimum tempus protrahatur. Nihil igitur superest, meo judicio, nisi ut dicamus, *Terminum à quo hic esse* non ipsum illum temporis articulum, quo Jesaias hæc verba fatus est; sed *tempus concepti, & nati Messiæ ex Virgine*; de quo casu proximè loquutus fuerat. atque adeò Jesaiam his verbis dicere voluisse; NON MAJUS TEMPORIS INTERVALLUM EFFLUXURUM ESSE *inde usque ad interitum amborum illorum Regum*, QUAM EFFLUERET A TEMPORE IMMANUELIS INFANTIS *ex Virgine nati* USQUE AD ÆTATEM EJUS PUERILEM, *quâ scientiâ præstantium rerum & judicii necessariâ prudentiâ esset instructus:* quod intervallum temporis utrinque esset paucorum annorum. ut verè Syrorum & Ephräimitarum Reges illi, Rezin & Pekah, paucissimis post annis miserè perierunt: de quo videri poterit Usserius. In hac expositione, commodâ & facili, nihil obscuri & coacti, nihil etiam est ambigui sensus: potestque ex ipsa Jesaiæ oratione validè adstrui & confirmari. Jesaias enim in *superiore* ℣. 15. qui *hunc* nostrum *versiculum* ἀμέσως contingit, exertè descripserat *Intervallum illud temporis*, quod laberetur ab *Immanuele nato* usque ad *Immanuelem puerum* vel *adolescentem.* Natus ex Virgine, ait, *butyrum & mel comedet* USQUE QUO *sciverit reprobare malum & eligere bonum.* Pergit au-

Luc. II. 42. 43. 44.

Annal. p. 51.

tem:

tem: Antequam *verò sciverit eligere bonum & reprobare malum, ambo illi Reges Regnis suis excutientur.* Quid clarius, quàm tempus illum putare *à nato Immanuele* usque ad *Immanuelem puerum*, & cum illo Intervallo, quod inter *utrumque illum terminum* effluereret, comparare brevissimum illud temporis Intervallum, quo illi Reges tollendi essent?

XI. Verbis non indigeo pluribus ad hanc *Expositionem* vel adstruendam vel illustrandam. Potest enim ea absque ulla alia ope aut subsidio consistere, etiamsi nihil aliud undecunque ad eam commendandam huc adferatur. Quid vetat tamen majoris lucis gratiâ id unum adhuc observare, Prophetam Jesaiam, cum oraculum hoc ederet de *Immanuele, ex Virgine nascituro*, in raptu ecstatico, Prophetis familiari, de Casu hoc, post longum temporis Intervallum demùm futuro, loquutum esse tanquam de *præsente*; non aliter sanè acsi *Virgo* illa, quæ Immanuelem illum olim utero conciperet & eniteretur, jam *præsens* inter Israëlitas adesset. Ecce, ait, *Virgo* concipit (non, concipiet, & pariet) & parit *Filium*, qui appellandus est *Immanuel.* Repræsentans igitur sibi *Immanuelem* raptu & fictione Propheticâ, ut jam *præsentem*, ait; Antequam *hic Puer sciverit reprobare malum & eligere bonum, deseretur terra, quæ tibi nunc negotium facessit, à duobus suis Regibus:* in hunc sensum, acsi dixisset Judæis; Fingite vobis mecum, *Virginem*, quæ olim utero concipiet & edet Immanuelem, *jam inter Vos præsentem adesse*; affirmo Ego Vobis nomine Dei, *non longiore temporis Intervallo Reges illos Syrorum & Ephraimitarum, qui Vos nunc affligunt, esse in Regnis suis superfuturos, quàm elapsurum est ab Immanuele illo in lucem edito usque ad tempus adolescentiæ ejus, quo pervenerit ad maturitatem judicii sui.* Fictiones hujusmodi ecstaticæ Prophetis sunt familiares; quod nemo, in illorum phrasi quodammodò exercitus, ignorat. Solent enim passim de *futuris* loqui ut *præsentibus*, & ante eventus magnarum rerum res ipsas veluti *repræsentare*, ut tantò major dictis illorum adhibeatur fides. Unum insigne hujus rei documentum adferam ex hujus ejusdem Prophetæ sermonibus, quod occurrit *Cap.* LXIII. I. Verba sunt: Quis hic est, *qui venit ex Edom*, (חמוץ בגדים) *tinctus veluti acuto colore vini rubri fermentescentis in vestibus suis, ex Bozra? habitu reverendus? procedens in copia*

copia vis sua? Ego, qui loquor in justitia, cui ampla servandi facultas est. Quare rubrum est vestimentum tuum, & vestes tuæ sunt ut calcantis in torculari, & seqq. Propheta hic describit Christum longissimo post tempore vindictam sumpturum de hostibus suis, ut constare potest ex loco parallelo *Apoc.* XIX. 13. 15. quem tamen in Viso Prophetico ita sibi *veluti præsentem* contemplatur, ut cum eo tanquam cum *præsente* sermonem misceat, eumque ad sua interrogata faciat respondere. Sic pariter Propheta in hoc ipso casu ipsam *Virginem Mariam* vividissimâ imaginandi specie coram se statuit, & repræsentat: Ecce, ait, *Virgo* הרה concipit, & ילדת parit *Filium*, & *vocabis nomen ipsius* Immanuel. In Vocabulo ילדת *præsentis* esse *temporis* indicium, nemo dubitat. Est pariter in voce הרה. Notat enim *gravidam præsentis temporis*, estque *Participium Præsens in Kal fœminina terminationis* ab obsoleto themate הרי. Ab הרי est הָרִיָּה/ ut à קום/ est קָמָה קָם. Cl. Viri Coccejus & Altingius monent הרה esse *nomen*, vertuntque per *gravidam*. Rectè quidem sed *participiale*, ut monui, à *themate obsoleto*. Participia enim apud Hebræos induunt *formam Nominum*. Propheta itaque cum eam veluti *præsentem* contemplaretur: ait, Syrorum & Ephraimitarum Reges citius esse interituros, quam ipse Immanuel, si hoc tempore fingeretur concipi & nasci, (videbat enim Propheta illum in ecstatico raptu jam veluti conceptum & natum:) puerilem attigisset ætatem: utique *de alio non loquitur temporis intervallo, quàm quod inter tempus nati Immanuelis & ejus pueritiam intercederet*. Sic videmur tandem cavillationes Judæorum ad hunc celeberrimum locum aliquantò felicius posse retundere, quàm Christianismi antiquioris ævi Doctores, qui necessariis quibusdam subsidiis destituti his armis non adeò feliciter usi sunt, ut exemplum est in Tertulliano.

In Lex. ad h. v.
In Parallelismo Locor. V. & N. T. pag. 5. col. 2.
Advers. Judæos, Cap. IX. Adv. Marcion, Lib. III. Cap. XIII.

Caput III.

Cum in Sacris Libris obviæ sint phrases animadversione dignæ; Hæreditas Gentium; Hæreditas Terræ, *& apud Paulum ad* Rom. IV. 13. Hæreditas Mundi; *quæritur, quis iis subsit sensus? Et primò quidem definitur demonstraturque,* Hæreditatem Gentium & Mundi *eandem esse rem: non diversas; sed ab utraque distinctam esse* Hæreditatem terræ, *secundùm genuinam mentem Spiritus S. Deinde phrasis* Hæreditas Mundi, *hoc accepta sensu, ex* Chaldæa Paraphrasi *aliisque Disciplinæ Judaicæ Monumentis illustratur.*

QUàm longè Divina & Cœlestis sapientia distat ab humana & carnali: tam singularis & paradoxa est ratio Sancti Spiritus in revelando interpretandoque Dei consilio, secundum quod Ecclesiam suam in hisce terris administrat. Prophetiæ enim, de eventibus futuri temporis à Sanctis Viris editæ, eum in modum effatæ & literis consignatæ sunt, ut carnales ho-
Zach. XI. 17. mines, quibus *oculus dexter*, hoc est, *spirituale judicium*, deerat, nihil in iis sapuerint, nihil intellexerint; *videndo nihil viderint, audiendo nihil perceperint:* contrà verò eas in sensus à scopo Spiritus S. alienos infelici conatu detorserint, atque adeò, quod
Jes. XXVIII. 8. Propheta ait, *omnes mensas*, vult dicere Suggesta Synagogarum & Cathedras Scholasticas, *suis repleverint excrementis.* So-
Hos. XIV. 10. lorum חכמים *sapientium* & משכילים *prudentium* hominum fuit; quo-
Dan. XII. 10. rum ingenii vis & perspicacitas divino afflatu erat excitata, Verbi Divini *spiritum* contemplari *veritatemque*, & in ipsam Cœlestis sapientiæ penetrare medullam.

II. Ejus generis imprimis fuerunt prophetiæ de *Regno Christi*, *Hæreditate Mundi* & *Gentium*, *Locorum Desolatorum instauratione*, *Possessione Orbis terrarum*, & affinibus argumentis, quæ in tabulis Instrumenti Veteris extant multæ & sanè nobilissimæ; sive promissorum beneficiorum amplitudinem atque excellen-

tiam; sive dictionis vim, ornatum, majestatemque consideres. Est enim in *Verbo Prophetico*, quod sacris Voluminibus continetur, quoddam ὕψος inimitabile, quod Rhetorum Epicorumque dictionis gravitatem, pondus, elegantiam, longis intervallis superat; iis maximè periochis, quibus novissimorum temporum beneficia & prærogativæ describuntur. Judæi, qui illa *Oracula* in manibus habebant, arcanos illorum sensus passim non assequebantur, & πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν, *Doctorum multi judicio de horum Oraculorum sensu erraront*; ut alibi ipse hic omnium turpissimè delusus fatetur Josephus. (De B. J. Lib. VII. Cap. XII.) Legebant apud Prophetas, destinatum esse suæ Genti, postquam gravissimis defuncta esset calamitatibus, imperium gloriosum in universum orbem, quo viderent cultiores terræ Populos, veneraturos Deum Abrahami, sibi obsequiosè subjectos, suisque commodis studiosè servientes, quod Beneficium temporum Messiæ illi vocabant שעבוד מלכיות *Servilem subjectionem Regnorum Mundi*. (Sanh. Fol. XCI. Col. 2. l. c.) Josephus: Ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τὶς αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης· *Oraculum quoddam* AMBIGUI SENSUS *in sacris inveniebatur Libris, circa illud tempus* (initia innuit Vespasiani:) *ex ipsorum regione exoriturum esse aliquem cui* ORBIS *obtingeret* IMPERIUM. Respicit haud dubiè Vaticinium Danielis de *Regno Lapideo*. (Cap. II. 44.) Recentiorum temporum scriptor, R. Machir, *Decem Consolationes* (הנחמות) *Ævi Messiæ, Davidis Filii*, recensens, *sextam* earum his verbis consignat; (Afkat Rochel apud Hulf. T. J. Lib. I. Part. I. p. 195.) שעתידים ישראל למלוך על כל העולם כולו משפה לשפה שנא׳ כי הגוי וגו׳ *Israelitas habituros* IMPERIUM IN *totum quâ patet* ORBEM, *secundum id quod Jesaias cecinit: Nam Gens & Regnum, quæ tibi non servierint, peribunt*. (Cap. LX. 12.) Alia hujus generis ubivis obvia sunt. Et nos sanè Genti, olim à Deo amatæ, eximiam hanc prærogativam non negamus aut invidemus; tantùm operam dabimus, ut Oraculorum hujus argumenti vera in lucem producatur vel adstruatur interpretatio, quæ Judæos olim fefellit. Quippe cum illi, *sublatâ* CLAVI COGNITIONIS, (Luc. XI. 52.) quæ est *hypothesis de Regno Christi spirituali ejusque Regni Justitia*, in *litera* & *cortice* horum Vaticiniorum hærerent, atque adeò Messiam præstolarentur Heroëm & Triumphatorem augustum, qui instar Alexandri vel Cæsaris armis sibi vindicaret imperium Orbis, &

 ipsos

ipsos Romanos Judæis cogeret servire: in gravissimum impegerunt scandalum, seque præcipites dederunt in profundissimas tenebras, in quibus nihil micat veræ lucis. Qui enim hic errat, nullibi in Verbo Dei sapit; ubique impingit & cæcutit. Quare etiam cum per experientiam discerent suâ se falli opinione & in crasso versari errore: aliqui illorum, in quibus *fructificavit radix toxici & absinthii*, magnam illam & gloriosam *spem*, quæ Patres illorum per tot aluerat secula, profanè abjecerunt; alii & longè plures eam extenuarunt: ne dicam, inventum esse qui implementum præstantium Oraculorum de *Regno Christi* adulatoriè demonstraverit in Imperio *Vespasiani*, in Judæa suscepto. quæ impietas in homine Judæo extremæ indicium est desperationis. Nos per divinam gratiam meliora edocti sumus & rectius sapimus; etsi ne sic quidem vel Oracula hujus argumenti quâ par est diligentiâ à multis consulantur & expendantur; vel eorum sensus omnibus genuinus patescat. Utique nemo negaverit, utilissimam operam iis interpretandis impendi: quod hoc tempore agere propositum est.

Deut. xxix. 19.

Josephum, l. c.

III. Sunt autem *Oracula Prophetarum* hujus argumenti in duas distincta classes. Alia Populo Dei sub OEconomia Nova spem faciebant *Hæreditatis Gentium* sive *Mundi*; alia etiam *Hæreditatis terræ*. Inter quæ Beneficia licet affinitas sit: confundenda tamen non sunt. Et quidem *Possessio Gentium* & *Terra* cum occurrat nomine *Hæreditatis*; *Hæreditas* autem omnis involvat notionem *hæredis*, cui *Testamento* Bonum aliquod liberè decernitur: liquet ex Verbo Dei, *Possessionis Mundi* & *Gentium* in Tabellis Dei Testamentariis scriptos esse Hæredes varii generis, qui *suo* quique *modo* in communionem hujus Beneficii vocarentur; Principem quidem omnium, *Christum*, Filium Dei; inde Abrahamum & qui ex *posteris ejus* vestigiis Fidei ejus insisterent; tum denique, sano sensu, *omnes* in universum *homines*, quarumcunque Gentium, qui per veram *Fidem Evangelicam* Christo insererentur, & ob eam caussam mysticè mererentur appellari *Filii Abrahami*. *Hæreditas* itaque *Mundi* & *Gentium* pertinet ad *Abrahamum* ejusque *Semen mysticum*, estque, ut ex sequentibus patebit, *Bonum spirituale & universale*, cujus possessione nemo eorum, qui in Christo sunt, excluditur. Sed non

perinde

perinde se res per omnia habet cum *hæreditate Terræ*, si hoc Beneficium amplissimo exponatur sensu. Id enim nec *catholicum est Novi Testamenti Bonum*, nec *merè spirituale*; sed certi & singularis temporis, quo *sancti Mundum judicarent*. quod diligenter 1 Cor. vi. 2.
observasse, lucem dabit huic argumento. Sæpè enim Prophetæ de *Hæreditate Gentium*, quod beneficium *spirituale* est, figuratè differentes, orationem suam ita construunt, ut non nisi exercitatis pateat, eos cœleste & spirituale bonum depingere; non externum & corporale; ac proinde eos verè loqui de *Hæreditate Gentium*, ubi loqui videntur de *Hæreditaria Possessione Terræ*. Sed hæc & plura, quæ huc pertinent, ex ipsa hac nostra dissertatione clarius intelligentur.

IV. Notio Hæreditatis Gentium in Oraculis Prophetarum antiquorum satis frequens occurrit, ut ex locis, deinceps allegandis, abundè constabit. Sic est in Verbis Dei apud Je- Jes. liv. 3.
saiam, erigentis Ecclesiam Judæam afflictam in meliorum temporum spem : וזרעך גוים יירש *Et semen tuum* Gentes hæreditario jure possidebit. Ipsa autem hæc *Hæreditas Gentium*, quæ sic dicitur Prophetis, à Paulo vocatur *Hæreditas* Mundi. quod cum passim in hac dissertatione supponam : in antecessum demonstrandum est, ne quis *Hæreditatem Mundi* cum *Hæreditate Terræ* confundat. Verba Pauli sunt ad Romanos, ubi differit de *modo* quo Abraham consequutus est *justitiam coram Deo*, & perductus in excellentium Bonorum *spem*, Cap. iv. 13. *Non enim per Legem promissio obtigit Abrahamo, aut semini ejus*, τὸ κληρονόμον ἀυτὸν εἶναι τȣ̃ κόσμȣ *esse* vel *fore illum* Hæredem Mundi, *sed per justitiam fidei*. Phrasis Pauli est singularis, quam non putem alibi extare. Nec obscurum tamen quid significet. Attendenti enim ad orationem Pauli facilè patet, Apostolum per *Mundum* hic non intelligere vastam hanc creatarum rerum compagem, quam nostris Deus subjecit oculis, vulgò hoc nomine nobis notam; minus verò *terram Canaan*, sic metonymicè dictam; sed *Gentes*, per terram sparsas, Orbis incolas. Est enim in eo ut declaret insignem illam Abrahami prærogativam, quâ ex Divina constitutione esset *Pater Gentium*, secundum promissum illi solenniter à Deo datum; אב המון גוים נתתיך *Patrem* universitatis Gen. xvii. 5.
Gentium *constitui te*. Hoc Beneficium omnium, quorum fides

facta

facta est Abrahamo, Apostolus ait esse maximum; & clarissimum argumentum Divini favoris, *justitiaque* quam nactus erat *purâ fide*, *absque operibus Legis*. Ut enim in se majus & gloriosius est, *esse Patrem omnium totius Orbis Gentium*, Linguis & moribus divisarum; quàm *unius* alicujus *Populi*, cui Regnum in *Palæstina* obtingeret: sic sanè ex re ipsa non obscurè mox colligebatur, esse hanc *Paternitatem Gentium* non corporalem & propriè sic dictam, sed *spiritualem*, mysticè sic appellatam, illâ *Abrahami Paternitate*, quæ respicit *semen quod haberet ex Sara*, *subjiciendum Legi*, longè nobiliorem; in qua demonstratione Apostolus oberrat à ℣. 12. usque ad ℣. 19. ipsis illis verbis Divini promissi, quæ nos modò producebamus, aliquoties repetitis.

V. Nihil igitur certius, & ex collatione totius Paulinæ digressionis clarius, quàm Apostolum per *Mundum* hoc in loco intelligere *Gentes*, sive potius, quod apud Mosen dicitur, המון גוים *Universitatem Gentium*; τὸ καθόλον τῶν ἐθνῶν. Fateor itaque, me non assequi illorum rationes qui hic per *Mundum* vel spectabilem Cœlorum & Terræ machinam, vel etiam Canaanææ terræ glebam designari opinantur, metonymicè scilicet sic dictam. Neutrum consistit cum nexu Paulinæ disputationis; & posterius etiam scopum illius manifestè subvertit; etsi illa sententia, quod vehementer miror, inter alios placuerit Viris in sacra Crisi egregiè exercitatis, Glassio & Fesselio. Paulus utique hâc suâ digressione id agit ut demonstret, Abrahamo per Dei gratiam obtigisse promissum non *unius*, sed *duplicis Seminis* & quidem diversissimi generis, *Carnalis* & *Spiritualis*, *Servi* & *Liberi*, *Legalis* & *Evangelici*. Sic ipse exertè ℣. 16. *Propterea ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam; ut firma sit promissio* παντὶ τῷ σπέρματι TOTI SEMINI, *non* EI *solum* QUOD EST EX LEGE, *verum etiam* EI QUOD *est* EX FIDE ABRAHAMI, *qui est* PATER OMNIUM NOSTRUM. Promissum igitur, Abrahamo datum, quo declaratur *Pater multarum Gentium*, pertinet ad *semen* quod non ederetur ex *utero Saræ* sed ἐκ πίστεως EX FIDE; quod proinde esset *semen Abrahami spirituale*: in quo censentur omnes cujuscunque generis & ortus homines, qui *vestigia Fidei* Abrahami *legunt*, & *cum Abrahamo* τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης *donum justitiæ* obtinent *in Christo*, *Abrahami Filio*. quod magnum beneficium Abrahamo obsignatum est duplici

Rhet. Sac. Tract. I. Cap. XVI. p. 457.
Advers. Sac. Lib. III. Cap. II.

duplici ſignaculo, *mutati nominis* אברם in אברהם / quod nimirum eſſet, אב המון גוים / & *Circumciſionis*; ſed quod neutiquam confundendum eſt cum *Beneficio Hæreditatis terræ Canaan*; quod alterius erat Teſtamenti Bonum, & ab hoc magno Beneficio ſolicitè apud ipſum Moſen diſtinguitur. Quin ſanè in hoc ipſo loco Apoſtoli quem tractamus, per *Hæreditatem Mundi* intelligitur *ἐπαγγελία promiſſio*, ſive *beneficium* aliquod *promiſſum*, quod non obtinetur *διὰ τοῦ νόμου per* LEGEM, ſed *διὰ δικαιοσύνης πίστεως per* JUSTITIAM FIDEI: cum tamen conſtet, *Hæreditatem terræ Canaan*, Beneficium corporale & externum, abſque conditione *Legis* adiri non potuiſſe. Impingunt igitur palam in claras hypotheſes Doctrinæ Paulinæ, qui per *Hæreditatem Mundi* intelligunt *Hæreditatem terræ Canaanææ*; & verè illa expoſitio non eſt ferenda. Tolerabilior paulò eſt altera illa, fateor, quæ *Mundum* hic interpretatur de tota compage Cœleſtis & ſublunaris Mundi, ejuſque qualiſcunque generis Beneficiis, quorum Abraham à Deo ſcriptus fuiſſet hæres: quam ſententiam ſibi perſuaſit Ludovicus de Dieu, mox ſubjiciendam examini, ubi in hoc *Beneficium* uberius explanandum digrediemur; ſed quæ tamen ipſa quoque à mente Pauli & orationis ipſius ſimplicitate longè diſcedit: etiamſi cætera ego non inficier, Abrahamum ejuſque Semen commodo aliquo ſenſu dici poſſe *hæredes Mundi*, omniumque *Mundi* & *Naturæ Beneficiorum*. Paulum enim legenti ejuſque orationem abſque judicii *προλήψει* expendenti, mox occurrit, *Hæredem Mundi* apud ipſum idem valere quod *eſſe Patrem univerſitatis Gentium*; *Mundum* itaque Paulo eſſe *Gentes*, non hujus cujus nos tenet admiratio ſpectabilis Mundi fabricam; *Hæreditatem* itaque *Gentium* eſſe *Beneficium*, non *corporale*, ſed *ſpirituale*, mox declarandum, quod cum *Hæreditate terræ* neutiquam commiſcendum eſt; ut Vir Doctiſſimus inſtituit.

Gen. XVII. 5. Gen. XVII. 9. Verſ. 8. Animadv. in Epiſt. ad Rom. h. l.

VI. Etſi verò hæc phraſis apud Paulum ſit ſingularis uſus: interpretatio tamen illius, quam nos damus, non abludit ab analogia dictionis Spiritus S. & fortè ipſa quoque locutio nova non eſt, neque ab Apoſtolo primùm ficta. Quod enim ad analogiam attinet: quid frequentius & magis obvium in Scriptura N. T. quàm ut per *Mundum* intelligantur *Gentes*, contradiſtinctæ *Judæis*? Extat Cl. Altingii Diſſertatio erudita & elegans de

Caput IV.

Sententia Viri Cl. Ludovici de Dieu, quæ Hæreditatem Mundi *statuit esse* Mundum *ipsum cum* Jure externis & corporalibus Mundi bonis fruendi, *quod Credentes in Christum nacti sunt in ejus Communione, examini subjicitur, & discussa improbatur, ac rejicitur. Non admittitur etiam hypothesis satis recepta, quæ hominibus qui sunt extrà Christum* Dei respectu *negat omne* Jus *beneficiis Naturæ bonisque hujus Mundi honestè utendi.*

SI itaque pedem fixerimus in solido, & *Hæreditatem Mundi* rectè interpretati simus de *Hæreditate Gentium:* consequens est, eorum rejiciendam videri sententiam, qui Beneficium *Hæreditatis Mundi* exponunt non de *Gentibus, spirituali modo occupandis & possidendis*, sed potius de *Possessione* ipsius illius *Mundi*, cujus nos partem facimus, cujusque usuram Deus nobis in Regno Christi *novo* quodam *titulo* liberaliter indulget. Cum enim caussâ peccati *terra* illa, in qua nascimur & alimur, subjecta esset *maledictioni*; ac proinde *jure* excidissemus bonis hujus telluris & totius Mundi, quatenus nostris servire potest commodis, utendi, fruendi: Christus Jesus suâ morte & meritis nobis denuò impetravit *jus* & imperium in omnes Dei creaturas, quæ secundum Divinæ Providentiæ & Societatis humanæ Leges nobis subjiciuntur; & hoc ipso nos veluti misit *in hæreditatem* & *possessionem Mundi*. Sic rem putavit Doctissimus Vir, Ludovicus de Dieu, cujus meditationes, ab aliis qui hoc argumentum tractant, laudatas, hic excerpam, ut lectori constet intrà quas consistant lineas. Postquam itaque ille sententiam Bezæ de *Hæreditate Mundi*, quæ quod ad summam rei à nostra nihil differt, studuisset refellere; suam his verbis exponit: *Sicut enim peccatum eo ipso quod nos à Deo separavit, ejusque maledictioni subjecit, extorres nos & exhæredes fecit, adeo ut non vel in minimam creaturam spirituale ac filiis Dei dignum jus dominiumque haberemus: sic*

Animadvers. in h. l.

contra

contra eo ipso quod Deus sit Deus noster, nosque ipsius benedicti, restituimur tanquam filii in jus & dominium omnium paternorum bonorum: quumque præter Deum & Mundum nihil sit, hæredes Mundi simus, terrestris, cœlestis, præsentis, futuri. Unde I *Cor.* III. 21. OMNIA *vestra sunt:* & *inter ea omnia nominatur* ℣ſ. 22. MUNDUS, *& quæcunque in eo sunt* PRÆSENTIA *&* FUTURA.

II. Ego verò etiamsi sano sensu concedam, quæ Vir Eruditus in hac sua commentatione supponit: non tamen existimo ea ab ipso feliciter applicari ad hunc locum Apóstoli, quo Abrahamum facit *Hæredem Mundi*; aut assequutum illum esse veram Pauli sententiam, quam in superioribus produximus. Paulus enim *Hæreditatem Mundi*, Abrahamo promissam, ipse explicat de *Hæreditate* sive *Paternitate Gentium*, quæ *in præputio* ipsius sequerentur exemplum *fidei*, & illius vi fidei participes evaderent *justitiæ*, sibi gratuitò *imputandæ*. Nimis id manifestum est in Oratione Pauli, quàm ut negari, aut in alium flecti sensum, queat. Paulus itaque vocem *Mundi* in hac phrasi non accepit sensu illo vulgato & familiari pro scena hujus spectabilis Mundi, & quæ in eo sunt Bonorum ad necessitatem & delicias hominum paratorum; sed *Mundi* notionem accepit sensu restricto & Scripturario pro *Gentibus*, & quidem in Christum Jesum vi promissi Abrahamo dati credituris. *At id minus conveniens videtur*, ait Vir Doctus, *quia eadem hæreditatis Mundi promissio dicitur quoque facta semini ejus: &* ℣ſ. *seq. dicuntur hæredes omnes fideles. Quod enim Cl. Beza excipit, eo mutuam solummodi Patris & filii relationem innui, quâ fiat, ut, cum Abrahamo pollicetur, fore eum Patrem multitudinis Gentium, simul polliceatur multitudini Gentium fore ut Abrahamum habeat pro Patre: adeoque hæredes dici* ℣ſ. 14. *qui censentur in hæreditate Abrahami; id non sit verisimile. Hæres enim est qui possidet; at qui in hæreditate censetur, is possidetur. Abraham hæres dici potest Gentium, quatenus earum Pater possidet eas: at Gentes, quatenus possidentur ab Abrahamo, non sunt hæredes, sed ipsa hæreditas.* Sed absque caussa hic hæret Vir Cl. & Bezam refellere nititur quâ parte sanam Verbi Dei doctrinam optimè declarat. Estne verè in eo difficultas, *Gentes*, quæ Abrahamo datæ sunt in *hæreditatem*, ipsas quoque, Abrahami filios spirituales, in partem hujus *hæreditatis* venire; atque adeò eas diverso respectu esse *hæ-* Verſ. 11. 12.

redes & *hæreditatem*? Estne quid absurdi in hac sententia, *Gentes quæ ab Abrahamo spirituali modo possidentur*, *easdem quoque se mutuò spirituali modo possidere* vi communionis conjunctissimæ quæ inter membra mystici corporis Christi intercedit; ac proinde esse illas *hæreditatem* respectu *Abrahami*, & *hæredes* respectu *sui Corporis*? An minus possidet Abrahamus in Gentibus, quàm possideret, si Gentes *se mutuò* non possiderent? Vel, an mysticæ Communionis ratio non permittit, ut una eademque res, diversis conspecta faciebus, modò *hæredis*, modò *hæreditatis* nomine veniat? Utique nos *Dei hæreditas* & ipsius *hæredes* appellamur. Sumus *hæreditas Christi*, & tamen συγκληρονόμοι τȣ̃ χριςȣ̃ *cohæredes Christi*; *subditi* ipsius sumus, & tamen *cum ipso regnamus*; *discipuli* ipsius, & tamen omnes *Prophetæ*; *victimæ* ipsi in fide oblatæ, & tamen ipsi quoque *Sacerdotes*; *Liberi Christi*, & *Conjux* ejus; & sunt alia hujus reciproci usus phrasium Verbi Dei, ubi de *mystica Christi & Credentium communione* agitur, argumenta plurima. Sed sic, ais, actum est de Abrahami prærogativa. Si enim Gentes *se ipsæ* quoque mutuò *ut hæreditatem possideant*: quid minus habent Abrahamo, & quare itaque ille speciatim appellari meruit *hæres Mundi*? Ego vero; si *Gentes* veniant *in partem hæreditatis Christi*: quod Paulus totidem verbis affirmat: an inde consequetur, nullam esse Christi præ fratribus suis prærogativam in Regno Cœlorum? *Gentes possidentur* ab Abrahamo, Christo, Judæis Credentibus, & à Se ipsæ, *modo* quidem ubique *spirituali*, sed *variante*. Est quidam *modus*, quo Abrahamus *Gentes* possidet ut *hæreditatem*, quo Gentes *se mutuò* non *possident*. Est *modus* aliquis, quo Christus Gentes possidet, ipsi proprius; & *Judæi* quoque in Christum credentes, exempla & auctores nostræ fidei; (Apostolos & Evangelistas respicio:) Gentibus neutiquam communis. In *his variantibus possidendarum Gentium Modis* singulorum hæredum Mundi consistit prærogativa: quorum explicatio è penetralibus Sanctuarii Dei petenda est. Spiritualia cum spiritualibus hic accuratè conferenda, & spiritualiter discernenda sunt. quod qui non fecerit, in gravi hoc argumento, veræ consolationis pleno, facilè sed crassè errat.

Jer. x. 16. Rom. VIII. 17. Psal. xvi. 6. Rom. VIII. 17. Apoc. I. 6.

III. Christus Servator *possidet Gentes* ut earum *Rex* & *Dominus*,

nus, cui subjectissimi servitii debent obsequium. *Abrahamus* ut earum *Pater moralis* sive *spiritualis*, qui eas *genuit* virtute *verbi promissionis* de *vocandis Gentibus*, sibi commissi, & prætereà Fidei, & salutis per eam viâ gratiæ obtinendæ *Exemplo* fuit ac Documento; hoc nomine in Ecclesiis Gentium summo opere amandus, reverendus, & pro Legibus spiritualis OEconomiæ colendus. *Apostoli*, tanquam *Legati Christi*, magnâ instructi auctoritate, qui tanquam Præcones & Administri Gratiæ cum *Gentibus* eam ipsam persuaserint *fidem*, quam ipsi profitebantur, eas per ὁμολογίαν sive *consensum* in eandem *fidem*, sibi spirituali modo *subjectas* habuerunt, & ad omnia officia charitatis, honoris, & obsequii, quæ iis quà Legatis Christi debentur, in spiritualibus, sibi obligatas. *Judæi* reliqui primi temporis, in Christum credentes, tanquam per quos ut *rivulos* & *canales* gratia Dei, & *benedictio*, derivata est ad Gentes, & qui hoc ipso nomine quod *Gentes* eam amplexæ sint *fidem*, quam illi docebant & ad eas ferebant, hoc tanto beneficio *Gentes* ita sibi obstrinxerunt, ut eas sibi *in Domino* ad omnia amoris & grati animi officia habuerint obnoxias. Qui enim meam sequitur in Religione sententiam, eamque veram: eatenus *meus* est & mihi in *Domino* subjicitur, quatenus tanto devinctus beneficio nihil carum habet, si recto animo sit, quod non meis commodis & usibus lubenter impendat. *Gentes* denique *se ipsæ* mutuò possident ut *hæreditatem*, *quatenus* vi communionis ejusdem fidei, ad mutua honoris & charitatis officia sunt devinctæ; sive, ut Apostolus ait, tenentur διὰ τῆς ἀγάπης ἀλλήλοις δουλεύειν *in charitate* SIBI MUTUÒ SERVIRE.'

Act. III. 26.

Gal. VI. 13.

IV. Expedivi difficultatem, mihi à Cl. Viro objectam: propero nunc ad sententiæ ipsius examen. Si res omninò ita se habeat, ut Vir ille eruditus existimat: per *Hæreditatem Mundi*, Abrahamo promissam, ipsum intelligi *Mundum*, *præsentem*, *futurum*, cum qualibuscunque *Beneficiis*, quæ Mundus electis Dei adfert, quatenus Christus Dominus jus paravit omnibus in se credentibus hunc Mundum omnesque quas capit creaturas sibi subjiciendi, & in suos vertendi usus; vel per *Hæreditatem Mundi* oportet ipsum hunc *Mundum* intelligi, quatenus usibus nostris inservire aptus est; vel *Jus* hujus Mundi possidendi. Duo

illa inter se miscere videtur Vir Doctus; sed per partes ibimus, ut rem, non satis, ut videtur, explicitam, planam faciamus. Quod ad *Mundum* ipsum, & varii generis corpora quæ complectitur, usibus nostris inservientia; ut v. gr. Ætherem, qui nos illuminat, fovet, recreat; Aërem, quem bibimus, necessarium vitæ nostræ subsidium; Tellurem hanc, quæ nos sustinet & nutrit: nego pertinere ad Bona Regni Christi, propriè sic dicti, aut Communis Testamenti Gratiæ, aut ad *Hæreditatem Mundi*, Abrahamo promissam. *Hæreditas Filiorum Dei* sub OEconomia Nova, quæ vera est Abrahami hæreditas, est *spiritualis*. Hoc verò bonum est externum & corporale. Hæreditas Filiorum Dei priva iis & propria est: hoc verò Bonum, si in se spectes, Filiis Dei cum aliis Mundi incolis, & ipsis quoque Brutis animantibus, quatenus illius sensu afficiuntur, commune est. In promissis Testamenti Novi non est, Deum nobis uberes proventu agros, pinguia arva, fœtam pecudem, terras latè patentes, prosperam longi ævi valetudinem, Cœli serenitatem, vernas & autumnales pluvias, opum & divitiarum thesauros, & quæ hujus generis alia, esse præstiturum; sed *Legem* suam animis nostris esse inscripturum; aquâ purâ obedientiæ Christi ad veram sanctimoniam nos adspersurum; delicta nostra esse condonaturum absque commemoratione peccati; donis Spiritus S. & scientiâ profundiore viarum suarum repleturum; sui reverentiam & amorem in nobis suscitaturum; ab omni servitute in negotio Religionis nos esse vindicaturum; & quæ alia spiritualia beneficia sunt ejusdem generis. De *temporalibus* nos monuit Dominus, esse spiritualium *προσθέσεις adjectiones*. Cum enim fœdere Gratiæ nobis polliceatur Dominus, *se nobis futurum esse in Deum*: certi sumus, ipsum nos tanquam filios suos hâc etiam parte non esse destituturum, sed paternâ suâ providentiâ nos benignè esse curaturum: verùm ita ut ex majore vel minore sorte, quę nobis obtingit in bonis hujus Mundi, nec nobis nec aliis judicium ferendum sit de *majore* vel *minore sorte* quam *habemus in Domino*. Secus autem esset, si hæc bona verè censenda essent in *Bonis Regni Christi*. Sanè enim tum sequeretur, Christum Jesum plus possidere in iis, quibus ex Dei liberalitate amplæ in hoc Mundo possessiones obtingunt, & larga naturæ munera, quàm

quàm in pauperibus, afflictis, miseris quod ad exteriorem vitæ conditionem, quales benè multi sunt in Regno Christi. Sic fieret sanè ut Principes & Reges Mundi, terris & terræ thesauris divites, quibus ampla in hoc mundo imperia & dominia obtingunt; si fortè supponas eos verè esse in communione Christi; *plus* possiderent in *hæreditate Abrahami* quàm Paulus, Petrus, aliique *Apostoli*, veri Abrahami Filii & scripti *hæredes Mundi*, quorum fuit dicere: *Aurum & argentum nobis non est.* Act. III. 6.
Quid jam dicam de *terris*, quas Principes & Divites Mundi extrà communionem Christi nunc possident & olim possederunt, quibus constat nullam esse partem & sortem in *communione Christi* & *Abrahami*? Quin, ut paucis absolvam: nihil verè certius est, quàm Christum Jesum in nobis nihil propriè possidere nisi quod *spirituale* est, & *quà tale*, aut *respectum* habet *spiritualem*. Non tantum *Regnum Dei* non est *cibus vel potus*, ut Apostolus ait; sed nec ipse homo qui est in communione Christi, quà Rom. XIV.
edit, bibit, agros & terras possidet, à Christo possidetur. *Vita* 17.
enim Christi in credentibus non est *animalis*, sed *spiritualis*. Ne quidèm id obtinet in Officiis aut Exercitiis externis, quæ locum habent in Ecclesia, & quorum cæteroquin maximus ad Regnum Christi respectus est. Fac esse Doctorem Evangelii, Divini Verbi Præconem, Ecclesiæ Presbyterum, qui munere illo publicè fungitur: si *Spiritum Christi non habeat*, nihil in ipso Jud. vers.
possidet Christus; nihil ipse in Christo. Est instar cadaveris 19.
vitâ cassi, quod à Christo non animatur. Nullam sortem habet in *Benedictione Abrahami* & *Hæreditate Mundi*. Abraham enim non videt in hoc homine suam *imaginem*; nec proinde illum agnoscit pro filio suo. Christi igitur sumus & à Christo possi- Jes. XXIX.
demur, quatenus Christus Jesus nos ut peculium suum per Spi- 22. 23.
ritum suum occupat: cætera hic excluduntur.

V. Si igitur *Mundus* ipse, h. e. ipsa illa Tellus quæ nos nutrit, vel vasta rerum creatarum moles quà usibus nostris inservit, non sit illa *hæreditas* Abrahamo *hoc titulo* promissa: in quo nostra desiit disputatio: videamus, nùm illud potius secundum Cl. Viri hypothesin accipiendum sit de *Jure* Rebus Mundanis & terrestribus utendi fruendique, quo *Jure* videmur per peccaexcidisse, *terrâ* hac à Deo percussâ sententiâ maledictionis;

 quod

quod *Jus* dum Christus Jesus, Abrahami Filius, suâ nobis recuperavit morte & obedientiâ, est acsi nos miserit in *hæreditatem Mundi*. Utique non nego, id majore cum specie dici: an tamen rectè & ad rem huc adferatur, liceat modestè disputare.

VI. Et quidem (α.) Non nego, inter *Beneficia*, quæ Christus Jesus suâ morte nobis impetravit, dari Beneficium aliquod illius generis quale Vir Cl. hic describit, *Jus possidendi Mundi*, *terræ*, *rerum creatarum*, quatenus earum usus nobis secundùm Leges Divinæ Providentiæ dispensatur: quod *Jus* non inficior nos Christo Jesu debere. *Jus* illud pertinet ad Beneficium Gratiæ, quod Scriptura ΥΙΟΘΕΣΙΑΝ Adoptionem Filiorum appellat, ejusque est annexum & consequens. Quam primùm enim transeo in Familiam Dei, ejusque & Christi arctam com-
1 Cor. iii. 22. munionem: omnia Dei & Christi Bona *mea* fiunt, *quatenus* æternæ meæ saluti conducere eamque promovere possunt. Nec tantum: sed ipse etiam *usus* illarum rerum mihi sanctificatur,
1 Tim. iv. 5, 6. quatenus *Gratiam* mihi præstat Deus per suum Spiritum *rebus hujus Mundi* secundum suam voluntatem utendi ad gloriam suam. Hæc verò *Beneficia* sunt *spiritualia*, & possunt adeò esse *subjectum Hæreditatis Christi* & *Abrahami*. Quicquid enim in me spirituale est, à Christo Jesu in me possideri potest & possidetur. Et illud absit negem; quin ultrò largior. Sed, quod caput rei est: (β) longè absum à sententia quæ statuit, hoc *Jus* possidendi Mundum & hujus Telluris nostræ Bona, id esse quod Paulus Abrahamo promissum esse affirmat nomine *Hæreditatis Mundi*; non ob eam tantam rationem quam modò adferebam, quod oratio Apostoli, *Mundum* disertè per *Gentes* explicantis, hanc interpretationem refellat; sed quod res ipsa rectè inspecta eam non commendet. Inter Beneficia enim Gratiæ, quæ Christus Jesus suâ morte nobis impetravit, non censeo hoc esse maximum, & præ aliis eximium, quod per ipsum consequuti simus *jus* & *dominium* in res creatas; quæ nobis in hoc Mundo usui esse possunt. Illud enim Beneficium est majoris Beneficii consequens; nec tam per se quàm propter quid aliud majus & exellentius in nos confertur. Hominibus, qui sunt extrà communionem Dei & Christi, non ausim negare *jus* utendi & fruendi creaturis, quas hic Mundus capit, quia Deus vi Consilii suæ Longanimitatis id
omnibus

omnibus Noæ posteris liberaliter indulsit: quo *jure* non privantur gravissimi etiam peccatores quandiu Deus illos suâ longanimitate tolerat, etiamsi beneficiis illis vel maximè se indignos gerant. Illa tamen indignitas & damnabilitas non privat illos *jure* & *dominio* in creaturas, quandiu Deus, interveniente judicio, illos de illa possessione non deturbat, & ipso actu demostrat suæ longanimitatis terminum. Habebant itaque illi omnes, qui fidem in Christum susceperunt, *jus* aliquod possidendi Mundi ex Consilio Divinæ Longanimitatis, antequam hanc status sui mutationem subierint. Quod ubi factum est: fateor, *novum* iis *Jus novumque Titulum* esse collatum, eumque ampliorem & pleniorem, quo creaturæ omnes in qualescunque usus iis subjectæ sunt: sed cum per se satis pateat, & experientia doceat, usum rerum corporalium in Regno Gratiæ minus curari & non magno haberi pretio ab iis qui sunt in communione Christi; non potest quoque hoc beneficium ab iis tanti fieri, nec verè tanti faciendum est, si cum præstantioribus Bonis Testamenti Gratiæ comparetur; nec proinde probabile sit, hoc esse insigne illud & præclarum Beneficium, quod Abrahamo tanta cum emphasi promissum fuit. Plura non addo, quia anticipare nolo, quæ mihi de *Hæreditate terræ* suo loco disputanda sunt.

Gen. IX. 1, 2, 3.

VII. Tantùm negligenda mihi non est difficultas, quæ hoc argumentum meditanti, vel meditationes nostras ad animum revocanti, suboriri queat. Paulus enim scribit ad Hebræos, Christum à Patre *constitutum esse κληρονόμον πάντων Hæredem* OMNIUM, nullâ planè re exceptâ; docetque in consequente Epistolæ contextu ex verbis Davidis, OMNIA *ἁπλῶς pedibus ejus esse subjicienda*; estque hæc constans Apostolorum, & Prophetarum quoque, doctrina. *Christi verò hæreditatem* cum participent Credentes in conjunctissima Christi communione, quippe de quibus Apostolus; *Omnia vestra sunt:* quid agimus, quod amplissimam illam Hæredidatem *Christi*, *Abrahami*, ejusque *Seminis*, angustis adeò finiamus limitibus, ut ad *Gentes* solummodò, *in Christum verè credituras*, & *fidei Abrahami pressuras vestigia*, eam restringamus?

Cap. I. 2.
Cap. II. 8.
Psal. VIII. 7.
1 Cor. III. 21.

VIII. Paucis expediam in re minimè obscura. Magna illa Gloria, Christo Jesu Mediatori à Patre decreta, quam Scrip-

Luc. xxii. tura *Regni* nomine insignire solet, in duas dividitur partes;
29. quas nobis appellare liceat Regnum Gratiæ, & Providentiæ universalis. *Regnum Gratia*, quo Christus *Rex est super*
Ps. ii. 6. *Montem Zionis*, propriè & in emphasi est *Regnum Christi*; cujus subditi non sunt nisi *electi*, *vocati*, *fideles*, *pacifici*, *humiles Populi*, in quibus Christus Jesus per Spiritum suum vivit, tanquam in membris mystici & spiritualis Corporis, cujus ipse *Caput* est; quosque ut Dominus sibi vindicavit *in peculium*, tanquam in quibus & cum quibus æternum erit glorificandus. Hoc verum, proprium, & eximium est Christi Jesu Regnum, *Hæreditas Gentium* à *Christo* per *Spiritum* occupanda & in omnem possidenda æternitatem. Sed huic *Gloria* insigni, Christo à Patre decretæ, docet Verbum Dei accessisse cumulum & complementum aliquod, quod est *Regnum Providentia Universalis*,
Matth. quo ipsi ἐδόθη πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς *data est omnis po-*
xxviii. 18. *testas in cælo & in terra*. Pater enim Filium mactaturus Gloriâ, quâ nulla amplior & augustior concipi posset, non tantum illum voluit esse *Regem Ecclesia*, sed & *Regem totius Mundi*, Dominum & Principem totius naturæ rerum; & quicquid in his terris est, quicquid creatarum rerum visibilis & invisibilis, corporalis & spiritualis, Mundus complectitur, ipsi subjecit: quod
Vers. 8, 9. David in *Psalmo octavo* sub mysticis & figuratis loquutionibus eleganter enarrat. In hoc itaque Regno omnia sibi Dominus
1 Cor. xv. absolutè, nullo nisi *Patre* excepto, subdita & obnoxia habet,
27. suæ tandem servitura Gloriæ; ipsos quoque Dæmones, Tyrannos hujus Mundi, & omnium malorum hominum & dæmonum Principem Diabolum. Et cum inter Christum, & eos qui Christi sunt, arctissima sit conjunctio: hanc quoque gloriam participant Credentes. Honori enim ipsis & consolationi cedit maximæ, Christum Jesum, Dominum & Principem suum, suumque Assertorem & Liberatorem, de cujus in se affectu certis argumentis persuasi sunt, eundem suo imperio totum hoc regere universum secundùm æternum Patris sui Consilium; certi quippe, non passurum illum esse ut quicquam sibi eveniat saluti
Rom. viii. suæ æternæ verisque commodis suis non conducibile. Et hoc
28. sensu neutiquam nego, *Christum Jesum esse hæredem omnium rerum*, & *in ipsius Communione Credentes*; estque hæc veritas testatissima

tissima quæ solidum adfert solatum iis qui sunt in Christo. Nego tamen præfractè, id fuisse in mente Pauli quando Abrahamum dixit scriptum esse *hæredem Mundi*. *Hæreditas* enim illa *Mundi*, quam Paulus Abrahamo vindicat, ab ipso arcessitur ex promissis Abrahæ factis: *Ego posui te Patrem ingentis Copiæ Gentium*; &; *In Te benedicentur omnes familiæ terræ*: ex quibus promissis elici non possunt quæ modò de *Regno Providentiæ Universalis*, Messiæ deferendo, tradebantur; quod tamen conatus est facere Ludovicus de Dieu, sed infeliciter & invitâ ratione. Utrumque promissum manifestè respicit *Regnum Messiæ*, quod *Gratiæ* dicitur, strictè sic dictum, proprium Messiæ Bonum, idemque *Bonum Abrahami* & *veri Seminis* ipsius longè præstantissimum. Abraham haberet *semen spirituale* inter Gentes, in quo videret *suam imaginem*, qualis ipse erat κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον. Gentes in fide Abrahamum appellarent Patrem suum, suæ exemplum fidei, & Beneficiorum Gratiæ in se collatorum vario respectu auctorem. Nihil Deus Abrahamo majus polliceri potuit & excellentius: cum quo si cætera Deus commiscuisset quæ ad Hæreditatem rerum omnium, latiore & minus proprio sensu sic dictam, attinent: ipsum hoc illustre Promissum non illustrasset, sed obscurasset sanè, & dubia fecisset atque impedita, quæ ab Abrahamo clarè intelligi, credi, & sperari voluit.

CAPUT V.

***Præclarum Beneficium* HÆREDITATIS GENTIUM, *à Judæis occupandarum & possidendarum tempore* MESSIÆ REGIS, *cujus in Promissis Abrahamo datis & Oraculis Prophetarum frequens mentio est, describitur, declaratur, atque illustratur, tum respectu ipsarum* Gentium, *quæ hic* passivè *veniunt nomine* Hæreditatis; *tum respectu* Modi, *quo à Judæis* possidendæ *sunt. De* hoc *quæritur, an Prophetiæ doceant, fore ut* Gentes *à Judæis* modo**

do externo, corporali, Civili, *aut* OEconomico *possideantur*, *iisque subjiciantur; an potius* interno & spirituali, *naturæ* Paternitatis *Abrahami convenient*? Prius, *quod suspensos habet animos* Judæorum carnalium, *eorumque spem lactat, refellitur;* Posterius *validis argumentis ex ipso Verbo Prophetico depromptis evincitur atque adstruitur.*

BEnè igitur habet, *Hæreditatem Mundi* Paulo idem esse quod Prophetis est *Hæreditas Gentium*, & in verbis Domini apud Mosen: *Esse Patrem Gentium.* Quod Beneficium his verbis *in genere* describo: *Hæreditas Gentium* sunt *ipsæ Gentes, per orbem terrarum sata, Abrahamo & Semini ejus communione spirituali ac mysticâ arctissimè conjunctæ, iisdemque ad qualecunque officium & obsequium, quod jura & leges spiritualis illius communionis inferunt, subjectæ, pro vario respectu spirituali, qui inter eas & Abrahamum ejusque semen intercedit.* Bonum igitur, tot Oraculis Prophetarum decantatum, sunt *Gentes ipsæ, spirituali obsequio hæredibus earum subjiciendæ*: quæ *subjectio* variat pro statu *Personarum*, quibus hæc *Hæreditas* est decreta. Ad quam itaque descriptionem explanandam faciet, tum ipsas contemplari *Gentes*, quæ hic propriè faciunt *Bonum, jure hæreditatis* occupandum, ut Abrahamo & Semini ejus *subjiciendas*, & ab iis *possidendas*; tum ipsarum *Subjectionis* & *Possessionis Modum*, quem diximus esse *spiritualem*.

II. Quod ad Prius: *Gentes* ipsæ hic sunt *hæreditas*; quæ in Scriptis Prophetarum hujus argumenti veniunt suo nomine
Jes. LIV. 3. גוים *Gentium*; המון גוים *Copiæ* sive *Multitudinis Gentium*; צבאות גוים
Gen. XVII. 5. Jer. III. 19. *Exercituum Gentium*; איים *Insularum*; אפסי ארץ *Finium terræ*:
Jes. XLII. 4. Ps. II. 8. משפחות הארמה *Familiarum terræ*; & mysticè, *Locorum Desolato-*
Gen. XII. 3. *rum.* quibus phrasibus constat designari *Populos* totius Orbis
Jes. LIV. 3. terrarum, Linguis moribusque divisos, Judææ Genti, sive Posteris Abrahami, ex Sara susceptis, & in *Jacobi* progenie definitis, contradistinctos. *Idumæi* itaque non minus, & *Arabes*,

bes, quorum multi ortum ex Abrahamo ducebant, quàm Syri, Ægyptii, Æthiopes, Libyes, Chaldæi, Assyrii, Persæ, Medi, Indi, Græci, Itali, Galli, Celtæ, Germani, Scythæ, & quicquid Gentium est in Orbe terrarum, nullâ omninò exclusâ, hic designantur: secundum ipsius Dei effatum ad Abrahamum: *In Isaaco tibi appellabitur semen.* quasi dixisset, solos *in semine* Abrahami consendos esse, qui Saram appellare possent matrem suam; reliquos Abrahami posteros eodem habendos esse loco quo Gentes reliquas, quarum natales ad Abrahamum referri non poterant. Inde *Idumæi*, ipsi licet ex Abrahamo per Isaacum orti essent, partem hujus *hæreditatis*, à Semine Abrahami *sensu spirituali* occupandæ, facturi dicuntur, apud Amosum. Ismaëlitæ itaque, Arabes Scenitæ, Idumæi, perinde ac omnes alii Populi, quibus Deus ex *Testamento* suæ *Longanimitatis* hujus Telluris habitationem & usum indulsit, *Semini Jacobi* contradistincti, *absque ullo discrimine*, *Abrahamo* ejusque genuino *Semini* dati sunt in *hæreditatem*; cujus possessionis fines longè sunt ampliores, quam in vastissimis Alexandri, Augusti, & Trajani, Imperiis temporalibus hactenus observavimus. Nullos enim huic Regno sive Hæreditati limites Deus dedit, nisi quos ipse huic quem colimus posuit orbi. Quod tamen non ita accipiendum, acsi omnes & singuli homines harum Gentium in hac *hæreditate* censeantur, & ad eam pertineant. Cum enim *hæreditas* hæc sit *spiritualis*, ut mox evincemus; quæ proinde supponit *spiritualia dona* & *beneficia Divinæ Gratiæ* in omnibus qui hanc *hæreditatem* constituunt; in Gentibus autem & Populis sub Oeconomia Nova cum aliqui sint, qui repulsâ Evangelii Luce in inveterata superstitione majorum suorum perstiterunt; alii qui Christi Jesu Nomen profitentur cum hypocrisi; & passim in Christianismo multi se in Filiis Abrahami censeri cupiant, *qui Abrahami vestigiis non insistunt:* per se patet, harum Gentium omnes & singulos ad Abrahami hæreditatem sub Oeconomia Nova referri non posse. *Semen* enim hoc Abrahami *spirituale* venit in communionem *justitiæ*, sibi *per fidem* ad Abrahami exemplum *imputatæ*. quæ doctrina est Apostoli. Sensus igitur Oraculorum & Promissorum hujus generis est: *diruto pariete intergerino*, qui Judæos & Gentes olim discreverat, sub Oeco-

Gen. xxi. 12.
Cap. ix. 11, 12.
Deut. xxxii. 16.
Rom. iv. 11.

Oeconomia Nova, *ex omnibus Gentibus*, per totum disseminatis orbem, secundum dispensationem Gratiæ quæ iis obtingeret *propriis* & *definitis temporibus*, (καιροῖς ἰδίοις) plurimos fore homines, qui, *susceptâ Abraham fide*, spirituali modo ipsi subjicerentur, & quos proinde ipse ut hæreditatem sibi promissam occuparet: quomodo Paulus ipse, hoc tractans argumentum,
Gal. III. 29. rem exponit in Epistola ad Galatas. Sic satis constat, fidem suam Deum in hoc promisso repræsentando hactenus liberasse: etsi prætereà certâ spe teneamus, ventura esse tempora, quæ historia Christianismi nobis hactenus non demonstravit, quibus universus Orbis terrarum Abrahami fidem & cultum sit professurus, & *Judæi*, ad illustre hoc specimen Divinæ Gratiæ & Misericordiæ reservati, in communione Christi Jesu, Fratris sui, à se tandem agniti, *Gentes* per totum Orbem sparsas spirituali modo gloriosè sint possessuri.

III. Sed *Gentes* illas, de quibus agimus, Promissa & Vaticinia nos contemplari jubent ut *Bonum Abrahami* ejusque *Seminis*, & quidem *Bonum* insigne & notabile, omnium Beneficiorum, quæ *Abrahamo* & *Semini ejus* promissa sunt, maximum. Non enim tantum Prophetæ eas *Hæreditatem* vocant, vi *Testamenti* donandam, cujus notionem *Bonum* inferre omnes sentiunt;
Ps. XVI. 6. sed & נחלת שפרה *Hæreditatem pulchram*, & נחלת צבי *Hæ-*
Jer. III. 19. *reditatem decoram* & gloriosam. Paulus quoque *promissum* illud illustre, quo Abrahamo facta spes est *Seminis in quo benedicerentur omnes Gentes terræ*, & cujus respectu *fieret Pater multarum Gentium*, tam eximio habet loco ut illud κυρίως insigniat nomine τῆς
Rom. IV. 16. Gal. III. 22. ἐπαγγελίας *promissionis*. quod nimirum *Bonum* sit præstans & excellens, quo in Promissis *Abrahamo* factis nullum majus & illustrius est. Cujus *Boni* naturam Prophetæ nobis declaraturi, perspicuè docent, *Gentes* Abrahamo & Semini ejus esse *subjiciendas* ita ut se totas Abrahamo ejusque *Posteris* devoverent *in servitium*, & quidem cum *obsequio voluntario*. Certè cum antiquis temporibus divitiæ & opes non tam auro & argento censerentur quàm peculio & familiâ Servorum & Ancillarum, qui Dominis suis ad omnem usum erant subjecti: sic pariter in effatis Prophetarum est, Gentes Judæis esse instar *servorum* & *ancillarum* subjiciendas, eorumque servituras usibus & commodis, & hac ratione ab

ab iis *mancipiorum* instar occupandas & possidendas esse. Vel etiam, quemadmodum Imperator Gentes adversarias bello victas sibi obsequiosè servire, suamque gloriam & commoda promovere cogit: sic pariter Messiam Judææ Gentis Principem Gentes omnes orbis terrarum sub jugum imperiumque suum missurum esse, ut sibi suæque Genti, hoc est, *Abrahamidis*, serviant, & humile præstent obsequium. *Subjectio* autem omnis servilis & obsequiosa, cum sit vel *externa* & *corporalis*, vel *interna* & *spiritualis*: dispiciendum nobis est, de cujusmodi *subjectione* & *possessione Gentium* Prophetæ in Oraculis hujus generis loquantur. Jes. XIV. 2, 3. Ps. XLV. 4, 5, 6.

IV. *Externa* & *corporalis subjectio* mihi dicitur, quâ quis quod ad *exteriorem vitæ suæ statum* sui juris & arbitrii non est, sed secundum alterius placitum, cui in se jus & imperium est, vitam, mores, & actus suos componere tenetur, illique facultatum bonorumque suorum usum præstare, & non suis, sed alterius servire utilitatibus. quæ rursus subjectio varii est generis pro vario genere *imperii*, quod in mundo locum habet, quod vel *absolutum* est, quale *Domini* in *servum*, nullos excipiens obsequii actus nisi *Religionis* & *Divinâ Lege*, cui humana omnis cedit, circumscriptos; vel *restrictum*, quod varia admittit temperamenta, & libertatem omnem hactenus non destruit & extinguit; cujus generis obsequium est quod in Civitate certis Legibus institutâ Regibus, Principibus, & Magistratui, præstatur, vel potius *Legibus* ipsis, quarum vindiciæ iis commissæ sunt. *Interna* jam & *spiritualis subjectio*, huic contradistincta, in solis nota Sacris paginis, est quâ quis *regimen facultatum animi sui nobiliorum*, *dotiumque* suarum *spiritualium*, & *affectuum*, & externorum quoque *suorum actuum* ac *bonorum*, quatenus interiorem animi statum respiciunt, secundum alterius sive *exemplum* sive *præscriptum* atque arbitrium, & ad illius *utilitatem*, componit. cujus generis subjectio præcipuè locum habet in *Cultu Religionis spirituali* & *Communione mystica* varii generis, quam *Religio* infert & secum trahit. Est, verbi gratiâ, qui alterius doctrinam aut exemplum *in negotio Religionis* sequitur; qui alterius judicium in negotio Divini Cultus sui judicii formulam facit; qui in alterius *justitia* suæ fundat spem salutis, & hoc nomine se ei *in servitutem* addi-

addicit; qui non externis tantum actibus, officiisque & bonis *corporalibus*, quæ sic appellare liceat, sed *dotibus* quoque *spiritualibus* alterius commoda spiritualia & salutem æternam pro virili promovet; qui *affectus suos* omnes alii in obsequium perenne obstringit: hic *mysticè* & πνευματικῶς alii dici potest subjectus & obnoxius esse; & longè sanè potiore jure & nobiliore sensu, quàm qui facultates suas exteriores & bona temporalia opesque & divitias suas alterius utilitati impendit, aut secundum illius præscriptum voluntatemque administrat. Quibus præmissis, quæro; de cujusmodi *subjectione* & *possessione Gentium*, & Judæorum in eas *Imperio*, Prophetæ loquantur?

V. Judæi passim, ut in initio hujus Dissertationis jam monui, hæc acceperunt secundum *literæ sonum*, & certò sibi persuaserunt, ventura aliquando esse tempora, quibus ipsi *omnes Gentes Mundi* sibi haberent obnoxias, subjectione *Civili* non tantùm sed & *servili*: in qua hypothesi omnes videntur consensisse. *Spiritualem* tamen prudentiores neutiquàm excluserunt. Oracula enim de Vocatione Gentium ad *Cultum* & *Communionem veri Dei* tam sunt clara & frequentia in scriptis Prophetarum, ut incredulitas & odii invidiæque pertinacia nihil invenerint quod ad ea exciperent. Non negant itaque, Gentes plerasque renunciaturas esse idololatriæ & suscepturas professionem Cultumque veri Numinis; & extant hac de re diserta illorum testimonia à Raymundo, & qui ei illustrando operam adhibuit, Voysinio collecta, à me non repetenda. Certè secundum *Disciplinam Juris sui* permittere non possent Judæi, ut Gentes suo subjectæ imperio persisterent in *Cultu extraneo* & alium colerent Deum quàm Creatorem hujus universi; abolitis ubique, dirutis, destructisque Templis, Delubris, Aris, Monumentis, Statuis, Signis atque Instrumentis omnibus quæ olim *Idololatriæ* servierant; de qua re alibi eruditè disputat Seldenus. Quod si verò Gentes insuper *jure Proselytorum*, susceptâ *circumcisione*, in sacra Judaicæ Religionis omnia transirent, &, secundum vaticinium Zachariæ, *se ad Jehovam adjungerent*: de quo Judæorum Doctores concorde sententiâ mentem suam clarè non explicant, etsi multi illorum probè viderint, Prophetas luculenter testari de *unius ejusdemque Religionis Judæos inter & Gentes communitate*:

Pug. Fid. Part. III. Diss. III. Cap. IV. §. II. III. & Cap. XX. §. XI. XII. XIII. Observ. in Procem. Pug. Fid. Fol. 131, 132. & seqq.

De Jure N. & G. Lib. II. Cap. II.

Cap. II. 15.

nitate: non exiſtimant tamen illi, communionem eorundem ſacrorum ſublaturam eſſe *corporalem* illam, de qua nos loquimur, *ſubjectionem*; potius ita ſtatuunt, ipſas illas Gentes, quæ integra Judaici Cultus ſacra ſuſciperent, nihilominus *ſervili conditione vita* Judææ Genti ſubjectum iri, eodemque ferè habendas loco quo Joannes Hyrcanus *Idumæos* habuit, & aliquos ex Moabitis, & Ammonitis, quos bello victos, & ſacra Judæorum amplecti, & civili eorum imperio ſe ſubmittere, hoc eſt, *corpore* & *animo* Judæis *ſervire*, coëgit. Utique ſecundùm diſciplinam Hebræorum nulli *Proſelyto* (de *Juſtitiæ Proſelytis* loquor, hoc eſt, veris & propriè ſic dictis:) magiſtratum aut præfecturam inter Judæos gerere permittebatur; tametſi ipſe, ſuſcepto Ritu Judaico, Genti, Cognationi, & Familiæ ſuæ penitus renunciaſſet. *Muneribus tam civilibus quàm militaribus ita arcebantur*, ait Seldenus ex Maimonide; *ut Originariis præeſſe ritè nequirent, nec Judicia, (ſaltem alia quam Triumviralia) exercere, idque tantummodò exteræ originis atque peregrinitatis retentæ ac inhærentis nomine.* Pone itaque, Gentes omnes per orbem terrarum in Ritus tranſire Judaicos: (etſi id verè alienum ſit à ratione:) & venire in communionem illius Religionis, quam Iſraëlitæ olim in Canaanæa profeſſi ſunt: communio tamen illa ſacrorum ſecundum earum opinionem non turbaret vel deſtrueret *ſubjectionem* ipſarum *corporalem*. Regendus itaque & gubernandus eſſet hic totus Orbis terrarum à Judæis. Præfecturæ Civiles, Judiciales, Eccleſiaſticæ, & Academicæ, per totum orbem ab iis adminiſtrarentur. Omnium Gentium terræ, opes, divitiæ, ipſorum ſubjectæ eſſent poteſtati. Ipſorum ita in omnia regnum eſſet & imperium, non ſpirituale tantum ſed & temporale, deſtructâ omni poteſtate hoſtili & adverſariâ. quam ſuæ Gentis ſpem explicat Baal Hatturim inſigni loco, quem ut negligam à me non impetro. Extat ad verba Cantici Moſis, *Cap.* XV. 18. יהוה ימלך לעלם ועד *Dominus regnabit in ſeculum & ſempiternum*; ubi in Lectione Maſorethica videre licet Virgulam *Peſik* inter voces יהוה ׀ ימלך interjectam; ad quam ſequentia ibidem obſervantur: יהוה ימלך פסק לומר לך כשיבא העת שיאמרו ייי מלך ייי מלך ייי ימלך לעלם ועד אז תפסק מלכות א״ה: *Inter voces Dominus & Regnat eſt virgula pauſalis Peſik, ut ea te doceat, tempore illo quo dicent: Dominus regnavit, Dominus regnat, Dominus re-*

Joſ. A. J. Lib. XIII. Cap. XVII.

De J. N. & G. Lib. V. Cap. XX.

Mich. iv. 7. *gnabit in seculum & sempiternum*, CESSATURA ESSE REGNA GENTIUM HUJUS MUNDI.

VI. Sed spes hæc Gentis, olim à Deo electæ, planè est imaginaria: nisi vel Deum dicas mutasse consilii sui rationes, postquam major Judæorum pars Christum Jesum non admisit; vel implementum horum Oraculorum, quale illi spe suâ anticiparunt, novissimis temporibus, quibus *Judæa Gens se ad Dominum convertet*, adhuc expectandum esse. Verum prius manifestè falsum est, & refelli non meretur; posterius ipsum quoque, nec probabile est, nec principiis Doctrinæ Verbi Divini de *Natura Regni Christi* & Statu Populi Dei sub OEconomia Nova consentit. Regnum enim Christi Jesu est *spirituale* & *cæleste*, secundum Joan. xix. 36. dictum Domini: *Regnum meum non est de hoc Mundo*. Regni autem illius natura nunquam mutatur. Quale illud à Christo Jesu descriptum, fundatum, constitutum est: tale erit usque ad finem Sæculorum. *Forma*, quam Christus Jesus Regno suo dedit, est æterna; nec proinde fieri potest, ut Judæi, fratres Christi secundum carnem, si olim nomen Christo daturi sint, *alio modo* in *Mundo regnent*, quàm ipse inter homines regnat Christus; alio Modo Gentes & Populos sibi subjiciant, quàm illos sibi subjicit, & subjectos habet ipse Christus, h. e. spirituali. Hic est verus Character *Regni Christi*; ac proinde certi sumus, & ita tenemus ac statuimus, Oracula Prophetarum, quæ de *Gentibus* agunt ut *hæreditate* à Populo Judæo *occupanda* non loqui de ejusmodi *subjectione* vel *servitute externa* & *corporali*, qualis obtinet in Imperiis & Regnis Mundi; sed de *spirituali*, qualem in superioribus descripsimus: quæ ipsa quidem *officia externa* & *subjectionem corporalem* non excludit, verum eam ex *aliis principiis*, & *alio modo* præstat, quàm sibi persuadebant Judæi carnales futurum esse. quod nostri nunc operis est rationibus evincere & demonstrare.

VII. Primò, Paulus hanc doctrinam proponit & validè inculcat in Epistolis ad *Romanos* & *Galatas*; cujus auctoritas cum à nemine eorum spernatur, qui Christi nomen profitentur, posset utique illa Christianis in hoc argumento sufficere: sed cum Paulo negotium intercederet cum hominibus, quorum multi ejus auctoritate non movebantur, quippe hostes puri Evangelii

Chri-

Christi; operam ipse dedit ut quod verum esse intelligebat in hoc negotio non *doceret* tantùm & exponeret, verum etiam *demonstraret*; estque demonstratio ejusmodi pro Apostoli acumine & sapientia, in qua nihil desideres. Disputat Paulus apud Romanos de *Modo* obtinendæ *Justitiæ coram Deo*; quam sub OEconomia Evangelii arguit consequi hominem *fide*, *absque operibus Legis:* cujus contrarium cum Adversarii ejus evincere niterentur ex exemplo Abrahami; ipse contrà ex *historia Abrahami* ejusque *exemplo* validissimè adstruit puram quam profitebatur Evangelii doctrinam. Docet itaque, *Abrahamum* esse *justificatum ex fide*, hactenus *non circumcisum*; *justitiam* illi *gratuitò* esse *imputatam*, non obtentam meritis Operum Legalium; ipsi hactenus non circumciso datum esse promissum, quo constitutus fuit *hæres Mundi*, sive *Pater Gentium*, ut argumentum & ornamentum Status *Justitiæ Fidei*; injunctum autem ipsi fuisse mandatum de *Circumcisione*, non ut eo præstito quicquam mereretur cujus jus plenum & perfectum non haberet ex promissis sibi ex gratia factis, sed ut in *Circumcisione* haberet *tesseram Sacramentalem* tum ipsius illius *Justitiæ* quæ per *Fidem* est, tum excellentium *Promissorum*, quorum ipsi facta erat spes: unde tandem arguit, obtineri coram Deo posse *justitiam per fidem absque operibus Legis:* in *Gentibus* autem id planè esse necessarium, quia Abrahamus constitutus est *Pater Gentium*, sive *hæres Mundi*, dum adhuc erat *in præputio:* quas cum oporteret *exemplum Abrahami* quo tunc erat statu, per omnia *imitari*; ipsas quoque ad ejus exemplum justificandas esse *ex fide*, *justitiâ* sibi *gratuitò* à Deo *imputandâ*, & quidem *in præputio*. In qua collectione Apostolus evidenter supponit, docet, demonstrat, quod nos volumus. Arguit enim, *Abrahami Paternitatem Gentium* earundemque *Filiationem* esse *Beneficium spirituale*. Abrahamum enim *Patrem* fore *Gentium* & *Gentes* in Abrahami *prole* censendas hoc sensu, quod *justitiam quæ est ex fide*, *gratuitò imputandam*, *cum omni benedictione spirituali ad ejus exemplum & in communione ejus consequerentur*. Esset igitur *Pater Gentium* earumque *hæres spiritualis*; quatenus Gentes *Justitiam Fidei* cum omni cumulo *Beneficiorum Gratiæ* in ejus obtinerent *communione*, & *eo* quidem *modo*, quo Abraham tanti boni compos factus fuerat. Gentes essent *filii Abrahami* quatenus

Rom. IV. 9. seqq.

Vers. 10.

Vers. 12. *fidei ejus premerent vestigia.* Quod ubi consequutus esset Abraham: satisfactum censeretur huic promisso. Etsi sanè quis neget, Populos qui tantum Patri suo beneficium deberent, ad omnia officia obsequii & reverentiæ ipsi obstringendos esse; sed qualia ab ipsis ut *Spiritualibus Filiis suis* expectare poterat, & tam Abrahami quàm suo statui conveniebat ipsi præstare. de quo mox plura monebo. *Hæredem* itaque *Mundi* esse Paulo est *Gentes sibi spirituali modo subjectas habere in communione ejusdem justitiæ & beneficiorum spiritualium ac cœlestium per fidem obtinendorum.*

VIII. Estne verò qui dubitet de hujus Paulinæ doctrinæ soliditate? Consideret is mecum attentè ipsius illius Promissi verba, quæ tantum beneficium complectuntur. Constat autem his paucis, sed amplissimi sensus: PATREM COPIÆ GENTIUM

Gen. XVII. 5. CONSTITUI TE. Hoc est eximium illud promissum *Hæreditatis Mundi*, quod spirituali sensu accipiendum esse, facili operâ evincitur. Abraham enim si olim evaderet *Pater Gentium*, quæ ortu & natalibus ipsum non contingerent: vel verba hujus Promissi sic sunt accipienda, fore ut Gentes omnes Orbis terrarum per *Adoptionem* sive *Arrogationem*, qualis Jure Civili & Gentium recepta est, olim solenniter suscipiantur & transferantur in Abrahami Familiam; vel fore ut eædem in Filios Abrahami adsciscantur *modo spirituali*, quatenus virtute promissi, Abrahamo dati, ipsius exemplum & præscriptum in negotio Religionis sequerentur, & in communione *Messiæ*, ex Abrahamo orituri, ipsi subjicerentur. Alterutrum horum hic obtineat, necesse est; tertium enim, quod video, non datur. Prius autem quis admiserit? Quàm enim hoc est parum probabile & ab omni abludit ratione, Gentes in nomen & familiam Abrahami per *Adoptionem*, Populorum jure receptam, *civili more* esse transituras? Quo enim argumento, quâ ratione inducerentur ut id fieri committerent? Quæ caussa, quis fructus, quis scopus ejusmodi *Adoptionis*? Num fundi aliqui terræ Canaanææ illis essent transcribendi, qui possessoribus carebant? An Abraham destituebatur prole, in quam nomen & jura familiæ ejus devolverentur, quæque in Bonorum ejus mitteretur possessionem? An Judæi quoque, Gentium victores & triumphatores secundum hypothesin Carnalium

lium hominum, eâ erunt indulgentiâ in Populos, à se devictos, ut *nomen Abrahamidarum*, quo uno maximè gloriantur, ejusque *Familiæ jura* & *prærogativas*, cum iis facilè sint communicaturi? Idque an fieri poterit absque manifesta profanatione Nominis Divini, & Abrahami vilipendio, si absit respectus Religionis? Gentes enim, perstantes in idololatria Patrum, suisque immersæ peccatis & vitiis, & à commercio veri Numinis sejunctæ, merebunturne unquam appellari *Filii Abrahami*; vel, an sic dici poterunt salvâ Abrahami dignitate, & ipsius veri Dei honore, qui Abrahamum *nomine Religionis* inter omnes homines insignem esse voluit? Quare cum omni modo absurdum sit hic cogitare de *Paternitate Civili*: nihil utique restat, nisi ut dicamus, Oraculo hoc ipsi consignatam esse *Paternitatem spiritualem*, qualem in sequentibus describemus. Estque certè ipsa illa dictio, quâ Deus in hac oratione usus est, comparata ad suscitandam in nobis notionem *subjectionis Gentium spiritualis*. Non dixit enim Deus Abrahamo: *Ego te facio* Regem, *Principem*, vel *Imperatorem Gentium*; sed Patrem, ait, *Gentium constitui te*. Vult dicere, Gentes olim ipsi subjectum iri non tam ut servos Domino & subditos Principi, quàm sicut *liberos Patri*, cum sincero in eum affectu & obsequio voluntario: fore proinde ut imago Abrahami in Gentibus olim pulchrè fulgeat, & Gentes virtute Divini promissi ad imaginem & exemplum Abrahami regenerentur; atque adeò ut idem de Religione sensus, idem de via salutis judicium, idem in Deum affectus, & quæ affectum voluntatis comitantur virtutes; iidem mores, secta, & institutum vitæ, in Gentibus conspiciantur, quæ Abrahamum olim ab aliis hominibus distinxerant atque ornaverant. Quin ait Dominus: נתתיך *Constitui*, *dedi*, posui *te Patrem copiæ Gentium*. Verba significant, *Divinâ Gratiâ* & *Potentiâ* Abrahamo suscitatum iri *semen spirituale*, quod non Abrahami tantùm sed & *Dei semen* esset. Quod mirabile videbatur & suâ nemo isthoc tempore assequi poterat cogitatione, futurum esse unquam, ut *Gentes* in Abrahami familiam adsciscantur, ejusque sectentur in negotio Religionis, fidem, judicium, ritus; & quod verè ab humana ope & virtute expectari non poterat; *Divinâ Gratiâ* suo tempore sisteretur & produceretur; hoc est: *imago Abrahami conspi-*

cua & gloriosè fulgens in Gentibus. Res hæc esset planè nova & eximia.

IX. Sed est fortè qui seriò dubitet, an non quod in Divino Promisso est, *Abrahamum fore Patrem multarum Gentium:* amplo nimis & liberali sensu à nobis accipiatur. Fortè enim verbis his nihil aliud subest, quàm *Abrahamum* secundum naturæ Leges fore Patrem non unius tantum *Populi*, *Ismaëlitarum* nimirum, quippe Ismaëlem jam ex Hagare susceperat; sed *Gentium plurium*, ex ipso procedente tempore oriundarum; *Arabum* quorundam ex Ketura, *Israëlitarum*, *Idumæorum:* ut adeò posteritas Abrahami non unâ constaret Gente, sed pluribus quæ ipsum appellare Patrem, quarumque ortus ad ipsum referri posset. Quod si esset: nihil ejusmodi his verbis comprehenderetur quod nos ex iis conamur elicere, & falleret etiam interpretatio Paulina. Sed est sanè hæc expositio præclari hujus Promissi falsissima, & poterit id à nobis liquidò demonstrari. Nempe Promissum illud, quo Abraham *constitutus est Pater multitudinis Gentium*, absque omni dubitatione comparandum est cum *Promisso* ejusdem generis, cujus ipsi data erat fides in Ure Chaldæorum, cum à Deo moneretur profectionem in terram Canaan suscipere, quod Moses exhibet, *Cap.* XII. 3. cujus complementum erat: *Et* BENEDICENTUR *in te* כל משפחות האדמה OMNES FAMILIÆ TERRÆ. Hoc Promissum alterum illud, de quo hactenus disseruimus, illustrat; estque, ut cuique patet, ejusdem argumenti & sensus. Hoc verò promisso Abraham à Deo constituitur *fons* & *auctor Benedictionis*, à se dimanaturæ ad *omnes terræ totius familias*, hoc est, Gentes omnes per totum sparsas Orbem, nullâ exceptâ. Estne verò qui dicere ausit, illas *omnes terræ familias* restringendas esse ad Arabes & Idumæos, qui natales ex Abrahamo ducerent? Absurdum illud dictu esset, si quicquam aliud: ne huc alia congeram. Patet itaque, Abrahamum sic fore *Patrem* המון גוים *Multitudinis*, *Turmæ*, sive *ingentis Copiæ Gentium*, (quæ genuina est hujus phrasis vis:) ut *omnes totius terræ Gentes* & *Familiæ*, nullâ hoc beneficio exclusâ, in ipso *benedicerentur*. Ex ipso autem hoc promisso, quod per omnia respondet Promisso *Paternitatis Gentium*, validè adstruitur nostra de *Hæreditate Mundi* hypothesis. Qualis enim hæc est *Benedictio*, talis

lis est *Paternitas Gentium* & *Hæreditas Mundi*. Quæro igitur & disputo, an *Benedictio* illa, quæ Gentibus destinata est *in communione Abrahami*, sit corporalis, sive *temporalis* & *externa*, an *spiritualis*? Si *temporalem* dicas: explica quæso, quænam *beneficia temporalia* ad *omnes* terræ *Populos* ex communione Abrahami *redundarent*. An Gentes beneficio hujus Communionis in novas ducerentur & beatiores terras ac colonias? Vel potius, beneficiis naturæ majore gavisuræ essent copiâ? Agri illarum in Abrami communione uberiorem daturi segetem & proventum? Pecudum grandiora essent ubera, major fœcunditas, & luxuriosior fœtus? Divitiæ & opes in ipsarum confluerent ædes? Ab incommodis & miseriis hujus vitæ vindicatæ beatum cum jucunditate & delectatione in his terris ævum agerent? Næ ineptus ille homo est, cui id in mentem veniat cogitare. Hæc enim naturæ beneficia neminem felicem & beatum reddunt, si sejuncta sint à *Beneficiis spiritualibus* & *cælestibus*, quæ viam sternunt ad salutem felicitatemque æternam. Gentes, quæ erant ὑπὸ κατάραν *sub maledictione*, & inter eas impurissimi & improbissimi homines, *æterni ignis* instar *stipularum* damnates, dudum his bonis gavisæ sunt absque Abrahami communione. Non egent Gentes Abrahamo ut his Beneficiis potiantur. Alia habet Deus bona in suis thesauris, quæ confert his quibus verè *benedicit*, quæ Scriptura vocat εὐλογίαν πνευματικὴν *benedictionem spiritualem*, quæ obtingit homini misero credenti ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ *in supercœlestibus in Christo*, Abrahami Filio. Quid? An alterius generis & naturæ esse potest *Benedictio*, quam Gentes consequuntur *in communione Abrahami*, quàm ipsa illa *Communio* est? *Communio* autem illa an ullius mortalis ingenio hic alia fingi potest ac *mystica* & *spiritualis*? Num verò mystica & spiritualis communio non producet Beneficia spiritualia & cœlestia, sed potius temporalia? Sic certè effectus caussæ suæ esset dissimillimus. *Spiritualis* itaque *Benedictio* virtute hujus promissi conferenda esset in *Gentes*; quam dum Abraham in ipsis acciperet Gentibus, diceretur Gentes *instar hæreditatis* occupare. Certa hæc nostra est collectio, & facilè consistit absque ullius Prophetæ aut Apostoli auctoritate. Et gratum nobis nihilominus accidit, Paulum in hac demonstratione conficienda nobis præivisse, & facem prætulisse Ephes. 1. 3.

tulisse in Epistola ad Galatas, ubi Divini & sublimis ingenii sui
Cap. III. 8. vires cum maximè explicat. Differit ibi Apostolus ad verba ipsius
hujus Promissi, ut ex iis evincat, Gentes *Justitiæ* Christi, *Beneficiorum Gratiæ spiritualium & Cœlestium*, & *Donorum Spiritus S. meliori OEconomiæ destinatorum*, virtute hujus Promissi compotes evasuras esse *in communione Abrahami*, *per solam fidem* absque *operibus Legis*, hoc est, observantia Ritus Mosaici. In qua tota
Vers. 5, 6, 6. disputatione supponit, quod nunc observasse ad nos attinet: per *Benedictionem* intelligendam esse *Justitiam Dei* Gentibus in Christum credentibus *gratuitò imputandam*, & *solâ* obtinendam *fide*, ad *exemplum* & in *communione Abrahami*, qui hoc beneficio, à Deo singulari gratiâ impetrato, in Historia Sacra insignis fuisse dicitur, & *amicus Dei* appellari meruit: quam εὐλογίαν *benedictionem* comitaretur ἡ ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος, *sive dona Spiritus S.*
Vers. 14. aliaque *beneficia Gratiæ*, olim *promissa*, virtute Justitiæ Christi in Ecclesiam conferenda. Sequitur igitur ex disputatione Apostoli, Gentes tum demùm verè *in Abrahamo benedici*, quando magnum illud Donum *Justitiæ Christi* cum omni *benedictione spirituali* obtinent in *communione Abrahami* per solam *fidem*. Quę *beneficia* ubi Abraham in *Gentibus*, sibi *spirituali modo* subjectis & per gratiam Dei ad ejus exemplum *regenitis*, & in filios Dei adoptatis, atque in communionem veræ Ecclesiæ & *Regni lucis* translatis, possidet: tum verò *Abrahamum* honorari ut *Patrem Gentium*, & consequutum esse *hæreditatem Mundi*, sibi promissam, & ipsius Dei jurejurando & tesseris sacramentalibus obsignatam. Hæc prima sit hypotheseωs nostræ demonstratio.

X. Secundò, ubi prophetias hujus argumenti consideratè expendimus, deprehendemus, nisi fallor, Vates pro more suo sub tropis & figuris *hæreditatem Mundi* descripturos verè in nobis suscitare notionem *Beneficii spiritualis*; utcunque carnalibus hominibus, & in phrasi illorum non satis exercitatis, agere videantur de *Beneficio Corporali*: etsi ego non inficior, non omnes prophetias æquè clarum sensum dare, & ex earum συγκρίσει maximè de hoc quæsito judicari velim. Quandoquidem verò mei instituti rationes non ferunt, ut illas omnes enarrem & excutiam: pauca solummodò, sed selectissimi generis, in medium producam locorum exempla, quæ communi præjudicio prę cæteris

videri

videri possent favere. Ejusmodi est quod occurrit apud Jesaiam in Vaticinio illustri de Casu Babelis: *Nam miserebitur Dominus* Cap. XIV. 1, 2
Jacobi, & eliget amplius Israëlem, & collocabit ipsos in terra ipsorum; & PEREGRINUS (הגר: Προσήλυτος:) *iis* ADJUNGETUR, *&* ADGLUTINABUNTUR DOMUI JACOBI. *Et* ACCIPIENT ILLOS POPULI, *& deducent eos in locum ipsorum;* והתנחלום בית ישראל *&* TANQUAM HÆREDITATEM ILLOS OCCUPABIT *Domus Israëlis in terra Jehovæ* לעבדים ולשפחות *in* SERVOS *&* ANCILLAS, *& erunt captivantes captivatores suos, &* IMPERABUNT EXACTORIBUS SUIS. Excute hoc Oraculum, & pondera, si placet, illius verba & sententias; & videbis proprium & genuinum illius sensum esse, fore ut Gentes olim veniant in communionem ejusdem Religionis cum Judæis, & *nomine Religionis*, obsequii genere voluntarii, non invitæ, Judæis subjiciantur, & ab iis instar hæreditatis spiritualis occupentur & possideantur. Omnia, inquam, quę hic dicuntur, respiciunt *Religionem*, ejusque *communionem*, & *obsequium*, quod Paulus alibi vocat τὴν ὑπακοὴν τῆς πίστεως, Religionis caussâ *Judæis* præstandum. Primum utique beneficium, Rom. 1. 5.
quod Judæis in terram suam ex exilio Babylonico reductis vel reducendis hic promittitur, est *accessio Proselytorum*, sive illorum *adcorporatio ad Domum Jacobi*, quam Solini phrasin in exprimendo hoc Beneficio hic eleganter adhibet Cl. Coccejus. Illud Beneficium est spirituale, notatque, Gentes non *invitas* & *coactas*, ut fecerunt Idumęi sub Joanne Hyrcano, sed *sponte sua* & *lubente animo* transituras esse in Ritum Judææ Religionis, quippe quod tum ex vi & efficacia phrasium, quibus Spiritus hic utitur, & consequentibus hujus orationis, de quibus mox disseram; tum ex παραλληλίᾳ aliorum Vaticiniorum ejusdem generis & argmenti clarissimè liquet. ut v. gr. apud Zachariam: *Canta & gaude Filia Zion, quia ecce ego venio, &* HABITABO IN MEDIO TUI, *dicit Dominus; &* ADJUNGENTUR (illo nempe tempore quo Deus inter Judęos habitaret) GENTES VALIDÆ sive MULTÆ *ad Dominum illo die, & erunt mihi in Populum, & habitabo in medio tui.* Zach. II. 14, 15.
Et apud Jesaiam: *Et postremis temporibus firmus erit mons Domus Domini in Capite Montium, & elatus erit suprà colles,* ונהרו אליו כל־הגוים *&* CONFLUENT AD ILLUM OMNES GENTES; *& ibunt* POPULI MULTI, *dicentque: Agite, ascendamus ad montem* Cap. II. 2.

Domini, ad Domum Dei Jacobi, ut doceat nos vias suas, & ambulemus in semitis ejus. Nihil his propheriis clarius in nostram sententiam, ac proinde parco verbis. Alterum, quod huic subnectitur beneficium, est; Populos illos, qui se adjungerent Judæis *caussâ Religionis*, illos esse accepturos, & deducturos אל־מקומם quod vel verti potest, *in locum suum*, vel *in locum ipsorum*. Secundùm priorem interpretationem sensus esset, Gentes illas, quæ se Judęis adjungerent, ipsos illos Judęos, si fortè cogerentur novarum calamitatum caussâ Canaanæam terram rursus deserere, *suis terris, Domino jam consecratis*, lubenter esse recepturas, & ibi necessaria omnia iis esse subministraturas, quę *jure communionis ejusdem Religionis* ab iis exigere possent; secundum posteriorem, sensus erit, *Gentes*, motas affectu reverentiæ in Deum & amoris verę Religionis, quę à se expectari poterant officia humanitatis charitatisque lubente animo exhibituras *Judæis*, terram suam *Religionis caussâ* repetituris, & in hoc proposito opem suam & necessaria subsidia illis ultrò laturas esse. Utraque interpretatio cum implemento hujus prophetiæ secundùm nostras hypotheses optimè conciliari potest: nec dubito tamen quin posteriorem sensum Vates hic verè intenderit, quippe quem partium hujus emblematis analogia requirit, & simi-
Cap. LXVI. 20. le planè oraculum Jesaiæ, in fine hujus Libri, ubi id ipsum quod hic dicitur uberius declaratur. Ad nostrum nunc scopum id solummodò observare attinet, *officium* illud, quod Gentes hic præstarent Judæis, respectum habere ad *Religionem*, ac esse *spirituale*. Judæis nempe quotquot animus esset Deum colere
Jes. II. 3. secundum præscriptum *novæ* illius *Legis & Doctrinæ*, quæ *novissimis temporibus exiret ex Zione*, subsidio essent Gentes, eorumque hoc laudabile institutum qualicunque modo promoverent. Tertium jam Beneficium his conjunctum, quod Judæis vindicat *possessionem illarum Gentium hæreditariam in servos & ancillas*, earumque *captivationem* & *subjectionem*; quo sensu accipiemus? Dicendumne, Gentes illas, quæ se adjungerent Judæis *religionis caussâ*, ab iis corporali modo esse occupandas, possidendas, ut *mancipia* habendas tractandasque, & *duro imperio* in officio continendas? Certè si id ita se haberet, vel statuendum est, omnes illas Gentes se ipsas liberè & volun-

voluntariè Judæis tradituras esse in servitutem, qualis Gentium jure recepta est; vel Judæos hoc obsequium servile sibi armis esse vindicaturos. Utrumque alienum est à ratione. Prius quidem, quia Proselytismus secundum Leges & disciplinam Hebræorum non infert *servitutem*; & absurdum creditu dictuque est, Gentes liberas sub dura illa & molesta conditione suscipere velle ritum Judaicæ Religionis. Posterius verò; quia credi nequit, Judæos Gentibus amicis, Religionis caussâ sibi jam conjunctis, & in societatem Civitatemque suam jam religionis caussâ adscitis: quod in hac prophecia supponitur: Bellum illaturos, ut durum hoc sibi in eas vindicent imperium. Sic sanè pessimè pensarent officia humanitatis & fraternæ conjunctionis, sibi à Gentibus præstita. Nihil igitur restat, nisi ut Beneficium hoc spirituali modo interpretemur de *subjectione* non *corporali*, sed *spirituali:* qualem ejusdem argumenti prophetiæ manifestò docent & declarant, & præcedentium Beneficiorum ἀναλογία necessariò postulat. Sic certè nos Christiani hujus Oraculi implementum eleganter demonstramus; in quo ostendendo miserè hærent Judæi carnales, scissi in partes. David Kimchi enim negat, quod hic promittitur impletum esse post reditum ex Exilio Babylonico, si prima verba exceperis; *Nam miseribitur Jehova Jacobi*, quæ à sequentibus divellit; sed fidem huic promisso demum constituram esse arguit *diebus Messiæ*. Historiam enim reditus Judæorum ex exilio iis quæ hic leguntur contraria tradere. Abarbanel contrà Kimchii sententiam ejusque rationes refellit, & implementum prophetiæ demonstrari posse ait in Idumæis, & vicinis Populis, ab Hyrcano coactis Judaismi Religionem amplecti, atque in eorum transire sacra. Verba ejus, prolixitatis vitandæ causâ, non describo; nec me illi pluribus miscebo. Falsi facilè convinci potest ex iis quæ modò ad interpretationem hujus prophetiæ anticipavimus. Nihil minus factum est tempore Hyrcani quàm quod hoc Oraculum sperare jubet. Er quænam, quæso, historia docet, Judæos Bello subegisse Babylonios & Assyrios, *Captivatores suos*, eosque *possedisse in servos & ancillas*? Rectè tamen arguit Abarbanel adversus Kimchium, id expectari non posse tempore Messiæ sui, quem hactenus frustrà præstolati sunt, quia Assyriorum illorum

Jes. XLIX. 22, 23. LX. 5, 6, 7. &c.

& Babyloniorum, qui Judæos in exilium egerant, dudùm destructa sunt imperia, & ipsi illi Populi amplius non supersunt. Quod ipsum nostram vehementer confirmat sententiam, qui hoc Oraculum spirituali modò intelligendum esse contendimus, ejusque implementum ex historia secundum analogiam aliarum hujus argumenti prophetiarum facilè monstramus.

XI. Transeo ad prædictionem aliam ejusdem argumenti quæ extat apud Amosum; cujus conciones convictoriæ terminantur oratione consolatoriâ, quâ piorum animos, postquam Divinæ satisfactum esset vindictæ, in meliorum temporum spem erigit, *Cap.* IX. II. *Illa die suscitabo tugurium Davidis collapsum, & sepiam rupturas illorum,* (murorum Hierosolymæ:) *& destructa ipsius suscitabo, & ædificabo illam* (vel *illud*) *ut diebus seculi:* למען יירשו את שארית אדום *ut* POSSIDEANT JURE HÆREDITARIO RELIQUIAS EDOMI, *&* OMNES GENTES *super quibus nuncupatum fuit nomen meum: ait Dominus, faciens hoc.* Hujus vaticinii illustris quis nobis præstet interpretationem ex aliis principiis quàm quæ nos supponimus? Hærent Judæi, & æternùm hærebunt quandiu hypothesibus suis pertinaciter insistent. Vident, implementum hujus prædictionis demonstrari non posse in *historia* Judææ Gentis post reditum ex Exilio Babylonico, si oratio Prophetæ *secundum exteriorem sonum* τῦ γράμματος accipiatur; & haud dubiè rectè judicant. Quippe *α. Tugurium Davidis collapsum* eo tempore *κατὰ τὸ γράμμα instauratum non est.* Verba enim hæc nihil minus significant, quàm *Regnum Familiæ Davidis*, labefactatum in discessione Decem Tribuum, & aliquo post tempore collapsurum in Exilio Babylonico, prisco decori & gloriæ esse restituendum: quod factum non esse, constat. Sic ipsi Judæi rem putant. Serubabelis enim Principatus res est nimis exilis quàm ut illius hic ratio haberi queat. β. Dicine possunt Judæi verè post illa tempora *possedisse Gentes*, & quidem *omnes Gentes super quibus nomen Dei nuncupatum fuerit?* Et quænam, quæso, illæ erunt *Gentes* si *Idumæos* exceperis, quos Joannes Hyrcanus in sacra suæ Gentis transire coëgit invitos? Quin sanè si quis ad verba prophetiæ animum advertat: videbit, *super Gentibus* prius *nuncupandum esse nomen Dei*, quàm fierent *possessio Judæorum*. Non *possiderentur à Judæis* nisi postquam *nomen Dei super iis appellatum esset*; hoc est, ipsæ de

nomine Dei nuncupata & in *Civitatem Populi Dei* religionis caussâ adscriptæ, ut æquè ac Israëlitæ *Filii* & *Populus Dei* appellari mererentur. Kimchius, hoc fugiens mysterium, verba Prophetæ existimat esse transposita, & hoc modo legi posse: *Ut illi super quibus nuncupatum est nomen meum, possideant reliquias Edomi & omnes Gentes.* Sed coacta est oratio, si hoc modo construatur. Vera sententia loci est, *Gentes amplexuras esse prius Religionem Judaicam, quàm à Judæis possideantur*; & quidem *Gentes omnes*, secundum Oracula antiqui temporis. *Possessio* igitur hęc esset *spiritualis*, quippe cujus jus ex communione Religionis nasceretur. Observantes itaque Judęi excellentiam hujus prophetię, spes suas differunt in novissima illa tempora, quibus illi Messiam suum expectant, & temporale sibi in Gentes promittunt imperium. Sed ubi nunc sunt Idumęi, Moabitæ, Ammonitæ, Phœnices, quos hâc prophetiâ imprimis designari ipsi existimant? Eruntne illi resuscitandi ultimis illis temporibus, ut à Judæis possideantur? Vel an *Possessio terræ illarum Gentium*, quod huc adferunt, (quàm verò res parva & vilissimæ spei?) erit *ipsarum illarum Gentium Possessio* quæ hic promittitur? Quin sanè cum Propheta hanc orationem consolatoriam exertè subjungat gravissimarum calamitatum interminationibus, quibus Judæi defungerentur in Exiliis Assyriaco & Babylonico: estne probabile, Prophetam, prorsus intermissâ mentione rerum post reditum Judæorum ex Exilio gerendarum, magno adeò commisso saltu, suam translaturum esse orationem ad extrema illa Mundi tempora, in quæ Judæi spes suas extendunt? Quid igitur illud est quod ait; ביום ההוא ILLO DIE, sive *circa* aut, *post illud tempus*? Quare vel dicendum est, fefellisse hujus prędictionis implementum: quod horrent dicere qui Verbum Dei reverentur: vel explicanda est Prophetia de *Christo Jesu*, ejusque *Regno spirituali*, *Davidi* olim promisso, in cujus communione Judæi Credentes, *verum* Abrahæ *semen*, *omnes Gentes*, de nomine Dei appellandas, hęreditario jure *modo spirituali* possiderent. In qua interpretatione nos non falli, certò nobis constat ex Oratione quam Jacobus Apostolus, Domini frater, habuit in Conventu Hierosolymitano, cujus historia conservata est in Actis. Ipsissimum enim hoc nostrum Vaticinium

Cap. xv. 16. nium illâ occasione produxit, ut ex eo demonstraret *Vocationem Gentium* earumque *Possessionem spiritualem* cum instaurato *Tugurio Davidis* in *Regno Christi Jesu*, veri Messiæ.

XII. Tertio, Judæi nunquam potuerunt sperare, se *Gentes* alio modo esse *possessuros*, ac eas possideret *Messias*, cui Gentes essent *subjiciendæ*, & cui tantum Beneficium ipsi debe-
§. xii. rent: ut jam in superioribus incepi monere. Quare ipsi ubique *hæreditariam possessionem Gentium* adjungunt tempori Messię. Atqui Messias *Gentes* non sanè *corporali*, sed *spirituali modo* possideret, quatenus Gentes se per fidem ipsi devoverent ad servile obsequium. Quin immo omnis possessio Gentium, Judęis promissa in Oraculis Prophetarum, Messiam respicit, tanquam Regem & Imperatorem Gentes sibi subjecturum: quod ipsi non negant. *Hæreditas* enim *Gentium* verè nihil aliud est quàm *Regnum Messiæ in Gentes*. Regnum autem Messiæ in Gentes esset
Zach. ix. 10. *universale*, *æternum*, *Divinum*: quę attributa non cadunt in aliud
Ps. lxxii. 17. *Regnum*, ac *spirituale* & *cœleste*; non *temporale*, quale est Gen-
Obad. vers. 21. tium Mundi. Sic uno ore Prophetæ, ex quibus id observare potuissent Judęi, si rerum carnalium & terrestrium amor eos non excęcasset. Sed ego nunc in hoc argumentum non expatiabor. Demonstrandum mihi in pręsenti est, *Messiam Gentes spirituali modo esse possessurum*: idque conficio ex vaticiniis Prophetarum inter se collatis. Iidem enim illi Prophetæ, qui Messiam faciunt *Regem* & *Hæredem Gentium*, illum faciunt *Doctorem* & *Servatorem Gentium*, *Fontemque Benedictionis* ab ipso ad omnes Gentes dimanaturæ. Sic est in Promissis, Messiæ datis,
Jes. xlix. 6. apud Jesaiam: *Et dixit:* (Deus *Servo suo* Messiæ:) *Vile est*, *esse Te mihi Servum ad erigendas Tribus Jacobi & asservatos Israëlis* (electos secundum Propositum Gratiæ) *reducendos*; *quin posui Te* לאור גוים *in* Lucem Gentium, *ut sis* ישועתי Salus Mea *usque ad*
Ps. lxxii. 17. *fines terræ*. Et in Canticis Davidis: *Erit Nomen ejus in Sæculum: coram Sole propagabitur Nomen ejus*: *& benedicent sibi in ipso*: Omnes Gentes יאשרוהו beatum ipsum prædicabunt. Quæ aliaque illius generis oracula multa respiciens Simeon, Christum ulnis exceptum, in doxologia, quam ipse à Spiritu S. affectus in
Luc. ii. 30, 31. Templo effudit, vocavit Lucem εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν *ad* Revelationem Gentium, & salutem *omnibus Populis à Deo paratam*,

tam, quippe qui *ipsius* תורה *Legem* sive *Doctrinam reciperent*. Quis Jes. XLII. 4.
verò mihi neget, in his aliisque Oraculis ejusdem argumenti Gentibus promitti beneficia spiritualia, per Messiam in eas conferenda? *Salus* enim, quam Messias Gentibus procuraret, an non est *salus vera* & *æterna*? Illustratio Gentium an alia erit ac *salutaris*? Quid enim prodesset Gentibus *Doctrina Christi* magis quàm Pythagoræ aut Platonis, si per eam non *illuminarentur ad salutem*? Quid curæ haberent Gentes Christum *beatum prædicare* & celebrare, si partem non haberent in *vera illa salute*, quam ipse humano generi præstaret? Qualia autem sunt beneficia, quæ à Christo conferrentur in Gentes; talis quoque est possessio & hæreditas Gentium à parte Christi. *Possiderentur* à Christo ut *discipuli* à *Doctore suo spirituali*, & ut *vindicati è potestate Diaboli & peccati* à suo *Assertore* & *Liberatore*: qui cum beneficia iis præstitisset spiritualia & cœlestia, obsequium ab iis stipularetur spirituale, quale est *obsequium fidei*, compositum secundum spiritualem Legem Regni Christi Scholæque ejus Disciplinam; non externum & corporale, quale præstari solet Regibus & Principibus hujus Mundi. Quæ nostra collectio si recte procedat: quid aliud dicemus promissum fuisse Abrahamo, & expectare potuerunt vel debuerunt Judæi secundum Oracula Prophetarum? An probabile est, Messiam vocaturum esse Gentes in spem magnæ illius salutis æternę à se paratæ, easque perducturum in communionem veri Populi Dei & omnium Beneficiorum spiritualium, & intereà eas *in duram & molestam mancipaturum esse servitutem*, quâ sibi & Gentilibus suis externo & corporali modo subjicerentur? Quàm hæc pulchra est idea Regni Messiæ? Noster certè Messias dixit, se in mundum venisse, ut *aliis ser-* Matth. XX.
viret, docuitque suos discipulos, nullum ejusmodi imperii & ob- 28.
sequii genus cum Regno suo consistere posse, quale in Regnis Luc. XXII. 25.
& Imperiis Mundi obtinet. Quid igitur sibi amplius Judæi promittant? Omne enim suum jus imperii in Gentes, si olim ad Christum sint convertendi, oportet arcessant ex communione Christi, fratres hosce suos vocaturi in communionem suæ hæreditatis; ex quo Christo ipsum quoque suum jus possidendarum Gentium haberet Abrahamus, Pater Gentium. Quod verò jus ipse Christus usurpare noluit, quod nimirùm id Regni

ipsius naturæ non conveniret: idne sibi vindicare poterunt Judæi, quocunque etiam tempore ad communionem Divinæ Gratiæ vocandi vel vocati? Procul absit hæc cogitatio ab iis, qui sanam doctrinam de vero & spirituali Regno Christi, Verbo Evangelii expositam, & eventu confirmatam, amant; cui Oracula Prophetarum, prudenter inspecta, suffragantur.

CAPUT VI.

HÆREDITAS TERRÆ *quid distinctum diversumque notet, stylo Scripturæ S. ab* HÆREDITATE MUNDI & GENTIUM, *investigatur. Sententiæ Interpretum de loco* Matth. v. 5. *& usu hujus dictionis in* Ode Davidica tricesima septima *explorantur; finiturque, per* Hæreditatem terræ *ipsam intelligi* Tellurem *à sanctis sub Regno Messiæ, circa finem præcipuè Sæculorum, longum tempus pacatè & feliciter possidendam; idque Beneficium non esse* proprium, essentiale, & universale Bonum Novi Fœderis, *sed* accessorium, accidentale, & privum *certi temporis. Intersperguntur aliqua de notabili phrasi;* TERRA VIVENTIUM.

ATqui HÆREDITAS TERRÆ ais, quam passim supposuisti distinctam diversamque rem esse ab HÆREDITATE MUNDI & GENTIUM, quid tibi tandem significaverit? Supposui illud, fateor, & gestio de eo dicere sententiam, quia eruditos etiam Scripturæ Divinæ Interpretes hic video fluctuare, vel quæ mihi alia videntur, pro una eademque re accipere & inter se commiscere. Erit igitur pretium operæ aliquid otii vero investigando impendere.

II. Sedes hujus nostræ disquisitionis est in verbis Domini
Cap. v. 5. apud Matthæum: BEATI MITES, *ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν, quia illi* HÆREDITATEM OBTINEBUNT TERRAM, sive, POSSIDEBUNT TERRAM. Sensus orationis simplex, planus, facilis est, si phrasin & sonum litteræ respicias; *Mites* sive *mansuetos* hanc

terram, quam mortales colunt, *occupaturos*, ejusque *bonis* ac beneficiis pacatè, tranquillè, feliciter *usuros*, gavisuros *esse*. Quem haud dubiè sensum omnes amplecterentur Interpretes, nisi ipsa hæc sententia παράδοξόν τι præ se ferre videretur, quod cum *experientia* & principiis *Doctrinæ Christi* ægrè concilietur. *Experientia* docet, orbem hujus terræ maximam partem occupari & teneri à *terræ filiis*, qui *copiæ suæ fidunt*, viresque & *opes suas am-* Pf. XLIX. 7.
plè extollunt. Tyrannos, feroces, superbos, audacis & callidi ingenii homines, manu promptos, non rudes scelerum, in hac scena præcipuas partes agere. armis, vi, raptu, dolo, injustitiâ, sibi amplas vindicare possessiones, regna, imperia. malè parta iisdem artibus, eâdem manu conservare, & ad posteros transmittere. delicias & beneficia terræ hujus illorum servire cupiditati & vanitati. hanc unam eos vexare curam, qui desideria sua terrestrium bonorum fruitione finiunt. contrà verò placidi & mansueti ingenii homines, quales hic à Domino laudantur, malorum expositos vexationibus, rapinis, persecutionibus, sæpè suis quæ justè possident spoliari, excuti, & non perturbari tantum, sed & de statu suo dejici. & quidem tantò magis & facilius, quantò minus affecti & parati sunt ad injurias sibi illatas vindicandas. imprimis discipulos Christi, quorum Religionis professio occasionem daret malis, injustis, avaris, illos opprimendi. Ex principiis autem *Doctrinæ Christi* amplius constat, Beneficia Novi Fœderis non esse *temporalia* & *terrestria*, sed *spiritualia* & *cœlestia*. non esse *Regnum cœlorum cibum & potum*, sed *justitiam*, *pacem*, *& lætitiam per Spiritum S.* terræ hujus bona fluxa, inania, esse exigui temporis & parvi pretii; *cœlestia* & *invisibilia æterna*. hæc desideranda, speranda, quærenda esse, ad exemplum sanctorum; cætera digna non esse, Matth. VI. 19.
quæ curam & spem nostram admodum exerceant. quin, se- Joh. VI. 27. 2 Cor. V. 18.
cundùm Legem divinæ Providentiæ, *per multas afflictiones ingre-* Col. III. 1. Heb XI. 9, 10.
di nos oportere in Regnum Dei. quod Apostolus generali dicto com- Act. XIV. 24.
plexus; *Omnes*, ait, *qui pietatis in Christo cultum sectantur*, *per-* 2 Tim. III. 16.
sequutionem patientur.

III. Atqui hæ ipsæ fecerunt rationes, ut Interpretes in diversissima iverint, & magna eorum pars, quod mihi hic scribere liceat, *terram* cum *cœlo* confuderint. Existimant nimirùm

illi, Christum Jesum nomine *terra* hic ipsum intelligere *cœlum*; sive *mystice* usus sit dicendi genere, quo *terra* vel *terra viventium* in *Odis Davidicis* subinde secundùm ipsos accipitur pro *loco* æterna Credentium felicitati destinato; sive *translate* & improprie, quod Christus Dominus hic imitatus phrasin Davidis in *Ode tricesima septima*, (de quo mox uberius disseram:) in qua *Ode* secundùm ipsos per *terram* intelligitur *Palæstina*; hanc vocem transtulerit ad *terram* sive verum *Locum* æternæ *habitationis Credentium*, qui stylo Scripturæ venit nomine *Novi Cœli* & *Novæ terræ*. Paradoxa me legere opinabar, cum hæc interpretatio me primo offenderet apud Faustum Socinum, & Johannem Ludovicum Wolzogenium; cum verè quidem mihi adhuc lateret, tot meliora nomina antiqui & recentioris temporis illi favere. Primus auctor, ut puto, Origenes [a], quem inter Græcos Athanasius [b] & Eusebius Cæsariensis [c], inter Latinos Hieronymus [d], sequuti sunt; *mystice* phrasin Domini [illegible] exponentes; dignaque [illegible], quam commemoraverit Cl. Heuuggerus [illegible] Poloni de [illegible] (non verba Davidis:) de cœ- [illegible] Ex nostris aliqui, inter quos Pisca-

(a) Origen. [illegible] p. 310. *Est ergò* QUÆ [illegible] *repromittitur*, [illegible] *Beati*. [illegible] ET HÆREDITES [illegible]

(b) [illegible] *Beatitud*. Tom. 1. [illegible]

(c) [illegible] Nova *Patrum* &c. quæ hoc [illegible]

(d) [illegible]

[illegible] [illegible]

Piscator & Belgæ, utrumque conjungunt, & promissi hujus fidem in *terra* primùm, dein in *cælo* liberari autumant.

IV. Non sedet animo, nec hactenus impetro à me ut in has discedam partes. Est enim verè quid ἀπροσδόκητον in hac expositione; etsi id mihi nunc minus videtur: ne quid dissimulem: quàm cum primùm ad has meditationes accederem. Quare enim Dominus de *Cælo* loqueretur sub nomine *terræ*? & quidem absque ullo adjecto *epitheto*, ex quo intelligi posset, mysticam, figuratam, aut translatam hic adhibere orationem? Quod enim huc adferant Interpretes dictionem *Cæli* NOVI & *Terræ* NOVÆ: verè aliud est. Per *cælum Novum* & *terram Novam* intelligitur *Mundus* aut mysticè *Ecclesia*, in aliam formam instauranda. Quod Ap. xxi. 1. autem Origenes & Hieronymus monent de phrasi TERRÆ VIVENTIUM: non nego elegantem esse observationem, & dignam animadversione. Gomarus contendit, & conatus est demonstrare, *terram* hanc, relatè ad τὸν ᾅδην, *terram* & *domum mortuorum*, passim & ubique appellari ארץ חיים *terram viventium*. Non est dubium, quin id in pluribus obtineat; sed ubique id obtinere, hactenus persuasus non sum: etsi satis constat, pertinaci adversario, si reniti velit, contrarium ejus extorqueri non posse. Opinetur quisque ut à sui afficitur judicii sensu. Ego cum de sapientia piorum & Divinæ Legis studiosorum hominum qui floruerunt in Judæa Gente circa ætatem Davidis & Salomonis, honestissimè sentio; tum certum habeo, in Schola sanctorum illius temporis Doctrinam de præmio *Felicitatis futuræ vitæ* & *Resuscitatione justorum* pressè inculcatam esse, magnam partem mysticis dictionibus expositam; cujus argumenta, si eam nunc rem agerem, ex Psalmis Davidicis, & Libro Jobi, circa idem tempus, ut puto, composito, luculenta producere possem; atque adeò neutiquam mirer, inter illas phrases hanc ipsam quoque ארץ חיים TERRÆ VIVENTIUM usurpatam fuisse, quatenus *Locus*, *consummandæ Credentium saluti destinatus*, quem posterior Schola *Paradisum* & *superiorem Hierosolymam* appellavit, τῷ שאול sive Ἅδῃ *Loco Mortuorum* & *tenebrarum*, sive τοῖς תחתיות ארץ *inferioribus terræ*, mysticè sumptis, contradistinguitur. Nec est hæc Origenis solius aut Hieronymi quædam conjectatio; etsi illorum ingenio lubens id laudis cedam. Veteres

Ad h. l. Op. Tom. 1. p. 47.

Hebræi ex traditione, ut videtur antiqui temporis, hanc interpretationem hauserunt; adstruxitque eam Kimchius, observante Cl. Coccejo, ad Pf. XXVII. 13. Meminit quoque Jarchius ✠ & derivat è Schola Veterum. Verba ibidem notabilia hæc leguntur: *Ne des me arbitrio hostium meorum, nam surrexerunt in me testes falsi, & index injuriosus. Nisi credidissem, me* VISURUM ESSE BONUM DOMINI IN TERRA VIVENTIUM! supple; *Despondissem animum*; vel, ut Cl. Coccejus; *Non potuissem subsistere.* Est huic similis alius locus, in quo tamen non negem, minorem esse demonstrationis vim, in *Ps.* CXLII. 6. אתה מחסי חלקי בארץ החיים *Tu spes mea*, PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIUM. Sed quic-

✠ Jarchius: לולא נקוד עליו למדרש שדרשו רבותינו אמר דוד להקב״ה יודע אני שאתה נותן שכר לצדיקים לעולם הבא אבל איני יודע אם יש לי חלק עמהם אם לאו: *Vox* לולא *superiore parte punctata est*, (cujusmodi voces *quindecim* extant in Codice V. T. Masorethico, de quibus videndus Buxtorfius:) *ut te moneat de sensu allegorico; quippe Magistri nostri ita commentantur: Dixit David Deo S. B. Novi ego probè, te daturum esse mercedem justis in futuro Sæculo, veruntamen nescio*, SI (לו) *mihi futura sit pars cum iis, an* NON (לא.) Respicit Jarchius Allegoristarum verba, quæ extant in *Bereschith Rabba* ad Gen. XXXII. 7. qui locus integer citatus & descriptus est à Raymundo, *Pug. Fidei*, Part. II. Dist. I. Cap. XV. §. VI. & prætereà extat in Gemara *Berachôth* Fol. IV. Col. I. sub finem. Argumentum orationis sive dissertationis in *Bereschith Rabba* est, nemini mortalium, justorum etiam & *sanctorum* hominum, licere, ut de *statu suo felice* post hanc vitam, ante eam depositam, certi quid fidenter affirmet; quippe dubia res sit, & soliciti plena timoris, an non fortè dum in vivis est, sit succubiturus *peccato* alicui graviori, quod merita superioris vitæ expungat; quod mysticè significari volunt voce לולא in duas לו & לא divisa. Sic illi pro suo acumine, passim in ineptiis desinente; quod hic nihil curamus. Contraria enim verè doctrina est in hoc loco, rectè exposito. Tantum id liquet ex hac observatione, illos per ארץ חיים *terram vitæ* hic πνευματικῶς intellexisse *Locum & Statum Beatitatis Cœlestis.* Ad eundem modum Paraphrastes in verba Jehiskiæ apud Jesaiam *Cap.* XXXVIII. 11. *Dicebam; non videbo Jah, Jah in* TERRA VIVENTIUM. אמרית לא אתחזי עוד קדם דחילא דיי בארעא בית שכינתיה די בה אריכות חיא *Dixi, non apparebo amplius coram reverendo Domino in* TERRA DOMUS GLORIÆ EJUS, (gloriosæ habitationis) IN QUA EST LONGITUDO DIERUM. qui locus non fugit quoque Doctissimum Raymundum, cum glossa Aben-Esræ ad Ps. CXLII. 6. in præcellente Opere *Pug. Fidei*, Part. III. Dist. III. Cap. XXII. §. VII.

Tiberiade Cap. XVII. & *Thes. Gramm.* Cap. V.

quicquid hujus rei ſit, de quo videant Docti: in notione *terræ*, nudè & ſimpliciter ſumpta, non eſt eadem poteſtas ſignificationis, quæ in dictione *terra viventium*; nec vellem proinde hæc inter ſe permiſceri.

V. Accedit aliud, quod nodum hic fortius ſtringit. Christus Dominus integram hanc ſententiam in ſuam orationem tranſtulit ex Pſalmo *ſeptimo* & *triceſimo*, in quo eadem ſæpius, quod ad ſenſum, recurrit. Verba Domini ipſa habes ℣ſ. 11. ענוים יירשו ארץ *&* MANSUETI POSSIDEBUNT TERRAM, *& deliciabuntur cauſſâ copiæ pacis.* Sed *ἰσοδύναμα* ſunt ejuſdem Cantici, ℣ſ. 9. *Quippe malefici exſcindentur, ſed qui Jehovam expectant*, יירשו ארץ POSSIDEBUNT TERRAM. ℣ſ. 22. *Quia benedicti ejus* (Domini) POSSIDEBUNT TERRAM, *& maledicti ejus exſcindentur.* ℣ſ. 29. *Juſti* POSSIDEBUNT TERRAM, *& habitabunt ſuper eam in perpetuum.* ℣ſ. 34. *Expecta Jehovam, & ſerva viam ejus, & exaltabit te* לרשת ארץ *ad* POSSIDENDAM TERRAM. Ex argumento autem elegantiſſimæ hujus Odæ liquidò videtur confici, per *terram* omninò hic intelligendam eſſe ipſiſſimam quam nos mortales colimus *tellurem* cum beneficiis, quæ eadem hominibus liberaliter ſubminiſtrat, *in pace* & *timore Domini* abſque perturbatione cum bona conſcientia utendis, fruendis. Summa enim doctrinæ Parænetica, ſive *moralis*, ſive *Prophetica*, (de quo mox videbimus;) quæ hoc in Pſalmo explicatur, eſt; pios, Dei reverentes, & tam ſenſu quàm moribus manſuetos, ſi videant malos, ſuperbos, feroces in his terris latè dominari, amplaſque ſibi vindicare poſſeſſiones, inſtruere principiis prudentis & moderati judicii de rationibus Divinæ Providentiæ, animoſque eorum munire adverſus pravos affectus *invidiæ* & *deſperationis*, quibus facilè locum facerent, ſi nullo muniti clypeo tela tentationis Satanæ exciperent. Principia recti & ſani judicii per hunc Pſalmum paſſim inculcantur; improbos, feroces, ſuperbos in hiſce terris non tolerari, nec tolli in altum, niſi ut tantò illuſtriora documenta præſtarent Divinæ juſtitiæ, & graviore ruerent lapſu; venturum eſſe tempus quo improbi Rectores Gentium exſcindendi ſint, cum terribili demonſtratione Divinæ ſeveritatis, eorumque locum in *poſſeſſione terræ* occupent manſueti, humiles, juſti Dei cultores, quibus *terra*, pacatè & placi-

placidè habitanda, absque metu, cum bonis suis omnibus ... deret; intereà *pauca* quæ in his terris possident *bona* cum conscientia honesta in timore Domini, longè præferenda esse invidiosæ, ut videtur, sorti improborum, qui amplissimas in his terris possessiones, injustè acquisitas, cum pessima conscientia, & quidem ad breve, sibi subjectas vident. Unde quid colligas certius, quàm *terræ* nomine omninò designari hanc ipsam tellurem, quatenus nos mortales alit, nutrit, & necessaria ad vitam nobis subministrat? Firmat hanc sententiam ỳſ. 3. ubi hæc phrasis in hac Oda primum occurrit: *Confide Jehovæ, & fac bonum*; שכן ארץ HABITA TERRAM, *& pascere* FIDE. *Terra* enim, quæ *fide* habitatur, ipsa illa *terra*
1 Cor. XIII. 8--13. est quam *Deus dedit filiis hominum* habitandam. *Fides* enim est
2 Cor. V. 7. hujus, *non futuræ vitæ*. Nec alius videtur esse usus hujus phraseos
Pſ. XXV. 21. Jeſ. LVII. 13. in locis parallelis, quæ mox inspiciemus, ubi sententiam nostram de hoc Psalmo, & similis argumenti Oraculis, uberius declarabimus.

VI. Imo verò non desunt Interpretes, qui ita existimant, notioni hujus phraseos *terrestre* aliquod & *temporale bonum* involvi; sed quorum rursus sensa & judicia diffident. Proponam illorum sententias & discutiam, quippe quam veri investigandi rationem teneo optimam & certissimam. Sunt itaque inter illos, qui conjiciunt, *hæreditatem terræ* eandem esse rem quæ *hæreditas Mundi*, Abrahamo promissa, & in superioribus à nobis exposita, quâ Gentes per orbem terræ sparsæ se mutuò tanquam *spirituales filii* & *filiæ* Abrahami cum omnibus suis facultatibus, inter quas quoque sunt terrestria & temporalia bona, quatenus ea communi & necessario usui credentium in Christum servire possunt, *in communione ejusdem fidei* & *fraternæ conjunctionis* possident. Hæc enim Lex est communionis & disciplinæ Christianæ. Cl. Coccejus (a) auctor est, quem Heideggerus, aliique sequun-

(a) Coccejus ad Pſ. XXXVII. 11. *Mansueti, exclusis impiis, hæredes terræ, h. e. Regni Dei cœlestis, quod per terræ Canaan possessionem præsignificabatur, vel mundi, cujus hæres est Christus.* RESPICITUR AD PROMISSIONEM, ABRAHÆ FACTAM; *de qua vide* Rom. IV. 13, 14. Ad eundem sensum in *hunc locum* Matthæi.

ſequuntur. Quin obſervavi, Athanaſium (b) quoque hanc expoſitionem cum ſuperiore confundere. Ego verò non inficior, inter has phraſes affinitatem aliquam intercedere; & illud quoque non invitus largior, metonymicam loquutionem, quâ *terra* ſumitur pro *terræ incolis*, non adeò abludere à phraſi & ſtylo Spiritus S. quippe omninò exiſtimo, Gentes à vera Religione alienas, quæ *fructum* nullum *ſpiritualem* proferebant Deo gratum & hominibus utilem, venire in Prophetiis nomine *Locorum* ſive *Civitatum deſolatarum*, à Judæis in Chriſtum credituris habitandarum: & tamen hic duo obſtant, α. Quod hactenus demonſtratum non ſit, vocem ארץ *terra* in deſcribendo hoc *ſpirituali beneficio*, quale verè eſt *hæreditas Gentium* & *Mundi*, à Spiritu S. alibi adhiberi; & ad illud deſignandum minus commoda videatur quàm voces & phraſes aliæ, quarum uſus eſt in Schola Sp. S. hanc doctrinam myſticam explicantis. β. Quod clariſſimè liqueat ex Pſalmo XXXVII, agi in eo de ejuſmodi aliqua *poſſeſſione terræ*, quam comitaretur *pax* & *proſperitas univerſalis*, poſt EXCISOS IMPIOS & *deſtructos deſtructores terræ* & Eccleſię. Patet id ex locis, modò à nobis deſcriptis, & patebit cuique eum attentè relegenti. Atqui *hæreditas Mundi* & *Gentium*, commune bonum Eccleſiæ Novi Fœderis, occupari & poſſideri debuit, occupata poſſeſſaque eſt inter varias & graviſſimas Eccleſiæ perſecutiones & afflictiones. Docuit illud experientia & prædixerat Dominus exertè apud Marcum: *Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mei cauſâ & Evangelii: quin accipiat centuplicia nunc* ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ HOC IPSO TEMPORE, *domos, & fratres, & ſorores, & matres, & liberos, & agros*, μετὰ διωγμῶν CUM PERSECUTIONIBUS, *& in* SECULO VENTURO (בעולם הבא) *vitam æternam*. Veriſſima hæc & propriiſſima eſt deſcriptio *Hæreditatis Mundi* & *Gentium*. quicquid enim ſancti, in Chriſtum credentes, amitterent in Judaiſmo; recuperarent & reperirent in *communione Gentium* & *Populorum* ſpirituali, qui jacturam rerum quam apud ſuos fecerant, ſive uſu jucundarum ſive neceſ-

Jeſ. LIV. 3.

Cap. X. 29, 30.

(b) Athanaſ. ad Pſ. XXXVII. 22. Ὅτι οἱ εὐλογοῦντες αὐτὸν κληρονομήσουσι γῆν] Ὅμοιον τὸ εἰρημένον πρὸς Ἀβραάμ. τοὺς εὐλογοῦντάς σε εὐλογήσω, καὶ τοὺς καταρωμένους σε καταράσομαι. Gen. XII. 3.

ſariarum, *affectu*, amicitiâ, liberalitate, qualem charitas Chriſtiana ſuadet, & ſpiritualium donorum communicatione, abundè reſarcirent.

VII. Placetne igitur potius, ut hanc ſententiam Domini accipias & interpreteris, non tam de promiſſo & præmio, quo Deus *manſuetudinis* affectum & exercitium in hac vita remuneraturus ſit, quàm de quodam naturali conſequente hujus *virtutis*, quod ratio ſuadet in Societate Civili, ſi quidem rectè ſe habeat & adminiſtretur, ab ea ſeparari vix poſſe. Cum enim manſuetioris ingenii homines injuriis ipſi alios non afficiant, & ſibi factas facilè tolerent; nec lædant alios, nec lædere velint; nec ſitiant vindictam; nec odia ſimultateſque inter ſe aut cum aliis gerant; quæ malorum inter homines graves cauſſæ ſunt; fieri ut ejuſmodi homines vitam hanc commodius & placidius tranſigant, *firmas atque conſtantes amicitias* pangant, & ſua pacatius ac tranquillius poſſideant. Huc equidem tendunt quę Grotius (a) & Hammondus (b) ad hunc locum adſcripſerunt; etſi poſterior, ſi pejor Reipublicæ ſtatus *præter ordinem* manſuetis hoc bonum in terris neget, defectum ſuppleri velit in cœlis. Atqui ego neutiquam nego, in Societate Civili, bonis Legibus conſtituta, cui boni Rectores præſunt, & Judices æqui atque animi inflexi, id ita ſe habere, & eſſe hoc ſive præmium ſive conſequens *manſuetudinis*, ut qui vel hâc præditi ſunt indole, vel qui animum ſuum ad hanc virtutem colendam induxerunt, paſſim majore in hac vita felicitate vel ſaltem tranquillitate, & felicitatis conſtantiâ fruantur, & res ſuas firmius ſtabiliant, quàm qui ſe iræ, odio, & cupiditati vindictæ omni occaſione temerè & imprudenter committunt, & ſimultates cum aliis gerunt, quarum eventus ſæpenumerò triſtes ſunt & pernicioſi. Imo id prætereà lubens cedo, Deum, virtutis omnis remunerato-

Comm. ad h. l.

(a) Grotius ad h. l. Τὴν γῆν *autem dicere videtur* FIRMAS ATQUE CONSTANTES AMICITIAS, *quæ in his terris longè optima eſt poſſeſſio. hæs autem comparare ſibi facilè ſolent qui miti placidoque ſunt animo: quanquam & ad alias res minores tuendas multum valet hæc virtus.*

(b) Hammond. *Paraph. Qui animo ſunt quieto & poteſtatibus parent, plerumque tranquillam vitam agunt, magiſtratuumque protectione fruuntur: & cum nec bona nec vitam cuiquam eripiant, diu plerumque & tranquillè hac in terra vivunt*; & ſeqq.

ratorem, arcanâ suâ providentiâ res humanas ita administrare, ut *virtus suos plerumque beet cultores*, & *qui aliis benefaciunt*, *benefaciendo non tantùm aliis*, sed & *sibi prosint*, eorumque sæpè longè sint stabiliores fortunæ, quàm ferocium & superborum hominum, qui iræ aut vindictæ habenas dum laxant, & aliis impotenter dominantur, sibi ipsis parant & accelerant exitium. ferè ut Parœmiastes: *Qui facit errare rectos in via mala*, *in foveam suam ipse cadet*: ותמימים ינחלו טוב *sed* INTEGRI *possidebunt bonum*. Quin nolim negare, sententiæ Psalmi XXXVII. & XXV. 12, 13. generalem hanc doctrinam moralem, quæ ex rationibus Divinæ Providentiæ petitur, & mille sententiis atque exemplis illustrari potest, involvi. Prov. XXVIII. 10.

VIII. Nec tamen à me impetro ut credam, Divinum illud Os Sapientissimi Doctoris cum in eo esset ut aurea & ad suam maximè disciplinam accommodata oracula funderet, nihil hic majus & sublimius dicere voluisse. Ne enim nunc in iis hæream quæ cuique facilè in mentem venit cogitare; paucissimas esse tam fortunatas Civitates, ut, si in bonis fundatæ sint & salutaribus Legibus, Rectores habeant, quorum virtus, auctoritas & providentia bonis & mansuetis præsidio, malis terrori sunt; plurimas contrà gemere sub feroci imperio malorum & corruptorum hominum, qui cum pietatem virtutemque ipsi oderint, ejus nullâ planè habitâ ratione tantò facilius innocuos opprimunt, & spoliant, quantò patientius id eos toleraturos norunt: quin, bonos, justos, mansuetos in hac vita, expositos vexationibus Satanæ, & Dei probationibus, non minus omni Reipublicæ statu sæpè conflictari cum incommodis & adversis vitæ quàm malos & pessimos: observari velim, α. Non fuisse vel Judæam Rempublicam, vel orbem Romani Imperii eo statu, quo tempore Dominus Jesus hanc orationem habuit, nec proximis sæculis eam futuram esse Christianorum in illo Imperio conditionem, ut mansuetissimi ingenii & morum homines sibi pacatam & prosperam rerum suam possessionem in longum promittere possent. Ad clavum Romanæ Reipublicæ sedebat Tiberius, quem proximi non paulò meliores, imo & pejores, exciperent successores. Provinciarum Præsides maximam partem inhumani, arrogantes, feroces, suæ servi libidinis, corradendis opibus & di-

vitiis per fas & nefas intenti, populos suę commissos potestati opprimebant, expilabant, spoliabant. Judæorum ferè Principum & Procerum, vitiis sui sæculi corruptorum, non aliud ingenium & mores. certè Christiani, quantumvis *mites* & *mansueti*, sive affectu animi, sive professione, non poterant sperare unquam, se in ejusmodi Republica *possessuros esse terram*, id est, eandem prosperè, pacatè, feliciter, esse inhabitaturos. Verbo expedio: *Quocunque statu Reipublicæ boni malos non superant, eademque non administratur à bonis, piis, justis, & veræ Religionis amantibus Rectoribus, qui bonos, & mansuetos, defendunt, protegunt, juvant, eorumque studia laudant, promovent, & prosequuntur præmiis & honoribus; ibi non possidetur terra* (φερωνύμως) *à mansuetis.* Hic canon est, hæc cynosura nostri judicii. *Ubi boni pauci inter malos plures vivunt, eorumque subsunt Regimini, etiamsi ad tempus pacatâ gaudeant bonorum suorum possessione & fructu: quod tamen rarò accidit: ibi mansueti & boni dici nequeunt terram ut hæreditatem possidere.* Id supponitur in Ode Davidis, & firmiter tenemus.

IX. β. Si vel maximè discipuli Christi, professione & moribus *mansueti*, nihil committentes adversus Leges Civitatis publicas, res suas in civili Societate Judęæ & Romani Imperii absque perturbatione possidere potuissent: prævidebat tamen Dominus, & clarissimè intelligebat, illos causâ *Religionis* quam profiterentur, per suam *mansuetudinem*, morumque innocentiam, id neutiquam esse impetraturos, quò minus incurrerent in odium tam Judæorum carnalium, contribulium suorum, quàm Gentilium, per universum Orbem Romani Imperii, & diras evitarent afflictiones, quas Divinum Consilium nascenti Christianismo destinarat. de
Cap. x. 16. quo ipse apud Matthæum: *Ecce ego mitto vos ut* OVES *in medio*
Vers. 22, 23. LUPORUM. & paulò post: *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & Pater filium, & insurgent liberi in Parentes, & morte af-*
Matth. xxiv. 9. *ficient eos*; καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου ET ERI-
Joan. xvi. 33. TIS EXOSI OMNIBUS PROPTER NOMEN MEUM. Consona sunt alia
Act. xiv. 22. loca, passim satis nota, ejusdem sententiæ. Eventus id docuit, & testatur historia atque experientia, veri magistra. Quod cum ita se haberet: quis credat, Dominum hac Oratione discipulis suis omnibus omnium temporum & locorum polliceri voluisse beneficium tranquillæ possessionis & fructus terræ, quo plurimos

mos ex illis, proximis Christianismi sæculis, gavisuros non esse secundùm vim & emphasin hujus phraseωs ipse optimè noverat? Etiamsi igitur id verum sit, homines mansueti ingenii aliis passim, ubi Respublica benè ordinata est & impietas ac morum corruptio humanitatem non extinxit, minus esse invisos, & ejusdem ingenii hominibus virtutisque cultoribus charos esse (a); in discipulis tamen Christi falleret hæc observatio, quod Christianismi professio, licet cum mansuetudine & omni alia virtute conjuncta, iis odium pareret & invidiam apud veræ Religionis hostes, & superstitionis paganæ patronos ac vindices.

X. γ. Temerè supponitur in omni hac & simili expositione sententiæ Domini, acsi ille tum de *omni mansuetudine*, quę hoc nomine venit in commercio humani sermonis loqueretur; tum quoque de *qualicunque possessione terræ*. Atqui id ego censeo à ratione & mente Christi alienum esse. Dominus hæc verba efferens unicè intentus fuit in Odam illam Davidis, quam jam demonstravimus, aliisque affinibus ejusdem soni & sensus locis, quæ mox proferemus, prædicavitque hic *felices* non omnis *mansueti ingenii homines*, quibus mitior indoles naturæ beneficio contigit, sed *ejusmodi mansuetos*, quales in illa Oda & similibus locis hoc nomine appellantur & laudantur; nec proinde *omnibus* mitis ingenii hominibus omnium temporum & locorum spondet sive consequens sive præmium *possessionis terræ*, quia jam demonstravimus abundè, & experientia docet, *terram* nec ab omnibus nec à *solis mansuetis possideri*, utut mansuetudo, humanitas, & civilitas morum hominibus, si inter bonos in Civitatibus non planè corruptis degant, in re sua tranquillè possidenda & augenda prosint. Quia tamen id sæpè fallit: non est probabile, Dominum cum *omni* qualicunque *mansuetudine ingenii* conjungere voluisse præmium sive consequens *possidendæ telluris*. Sententiam hic profert æternæ & exploratæ veritatis, quæ eo sensu accepta, quo eam accipi ipse vult, nunquam fallit. Vult igitur dicere Dominus, *mansuetos* ejusmodi, quales in Oda Davidica & affini-

(a) Cic. Lib. I. de *Nat. Deorum*, sub finem: *Censent autem*, (Stoici) *sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. nihil est enim virtute amabilius.* QUAM QUI ADEPTUS ERIT, UBICUNQUE ERIT GENTIUM, A NOBIS DILIGETUR. imò certè à bonis.

affinibus Spiritus S. dictis laudantur, felices esse & beatos, quod promissum *possessionis terræ*, cujus fides iis in illa Oda & similibus Oraculis Spiritus S. data est, certissimè sint obtenturi, non *omni*, sed *certo tempore*, consilio Dei præfinito, cujus temporis felicitas in illo Oraculo decantatur. Hanc emphasin habent verba summi Doctoris: Μακάριοι οἱ πραεῖς *Beati* MANSUETI ILLI, de quibus in Oda Davidica agitur, veri mei discipuli, quippe qui post *patientiam* non exigui temporis, exercitam in ferendis malis atque improbis Mundi Rectoribus, sanctorum Persecutoribus & oppressoribus, tandem compotes sint evasuri ad suam consolationem magni illius beneficii *possessionis terræ*, cujus tam in illo Psalmo, quàm in aliis Oraculis Instrumenti Veteris facta est Ecclesiæ promissio.

XI. Sententiam dixi; nec pœnitet. Nec enim statutum habeo pedem retrahere; quin spero facturum me, ope Divinæ Gratiæ, omnibus ut patescat, non futilibus rationibus subnixam esse; & quæ adversus eam moveri possunt dubia, commodè expediantur. Describo itaque *Hæreditatem* sive *Possessionem terræ* per *Beneficium singulare Divinæ Providentiæ*, *quo hæc terra, majorem partem*, à fæce malorum & impiorum hominum purgata, *à piis & sanctis veræ Religionis & mansuetudinis Evangelicæ Cultoribus sub cura & regimine Principum ac Magistratuum bonorum, pacis & veritatis amantium, pacatè, tranquillè, feliciter, in timore Dei ejusque nominis publica Confessione, cum luculentis indiciis Divini favoris & benedictionis non in spiritualibus modò, sed & temporalibus, longum tempus colitur atque habitatur, ita ut nemini noxæ & fraudi sit veram colere Religionem pietatemque; sed potius commodo & honori; nec tranquillitas publica à Principibus malis, furore bellico incensis; nedum tyrannis & Persecutoribus veræ Religionis, perturbetur.* Non eo nunc per partes, ut descriptionem hanc explicem, cum animi mei sententiam eâ satis clarè expresserim, & in adstruenda mea hypothesi: quod nunc ago: multa necesse habeam monere, & adducere, quæ ad eam uberius declarandam facere queant. Mearum itaque partium video esse, ut demonstrem, α. Inter bona Divinæ Providentiæ & Gratiæ, à Deo promissa Ecclesiæ, esse ejusmodi aliquod beneficium, quale hic descripsi. β. Illius beneficii significationem esse

esse in Psalmo *septimo* & *tricesimo*, & verbis Domini in eum locum reflexis. γ. De *tempore hujus Beneficii in Ecclesiam conferendi* sententiam dicam. δ. Dubia, quæ adversus hanc interpretationem inferri possunt, expediam.

XII. Quod ad *primum:* suppono ut rem exploratæ veritatis, Oraculis Prophetarum, & doctrinâ Christi Jesu, ejusque Apostolorum, comprehendi promissa de florente aliquo Statu Ecclesiæ Christi Jesu in his terris, quo Regna & Respublicæ hujus terræ futuræ sint in potestate *Rectorum* & *Judicum*, veræ pietatis, sanctimoniæ, ac proinde Evangelicę mansuetudinis studiosorum, qui operam daturi sint, Deo potente Gratiâ sui Spiritus rem perficiente & promovente, ut vera pietas, justitia, omnisque virtus per orbem terræ floreat, atque adeò *terra* à bonis pacatè & prosperè cum argumentis indubiis Divini favoris *habitetur*, *possideatur*, colatur; exterminatis impiis, publicis, Ecclesiæ, sanctorum, & virtutis hostibus, & qui illius ingenii supererunt, coactis *Christo & Ecclesiæ mentiri*, hoc est, cum hypocrisi se sanctis subjicere, & ad eorum mores ac disciplinam se conformare. Longa esset demonstratio, si singula, quæ huc pertinent, excuterem; quod propositum non est, quia benè multa hujus generis alibi produxi. Nunc itaque pauca solummodò delibabo. Primò Paulum appello in *Epistola ad Corinthios priore*; ubi reprehendens Corinthios, quod lites, quas inter se exercebant, deferrent ad tribunalia Judicum Gentilium; *An ignoratis*, ait, SANCTOS MUNDUM JUDICATUROS ESSE? cujus sententiæ hæc certa est interpretatio ex scopo Pauli; An vos latet, venturum esse tempus, quo Mundus hic regatur & judicetur à Principibus & Judicibus *Christianis* publicis, abolitâ superstitione & idololatriâ; excisis impiis; suppressâ injustitiâ? Quæ cum vos spes maneat, tot Oraculis Prophetarum confirmata: quare felicitatem illorum temporum vestro non prævertitis exemplo, & ipsi inter vos non potius judicia agitis & litem contestamini, quàm ut provocetis ad fora publica Gentium cum dedecore vestræ professionis? Ita est. Christiani enim passim in Sacris Scriptis illius temporis veniunt nomine ἁγίων SANCTORUM. Hic character, hoc sigillum est Christianismi.

Comm. in Apoc. x. 7. xi. 15. & in Cap. xx. 1, 2. seqq.

1 Cor. vi. 2.

Act. ix. 31. 32. xxvi. 10. Rom. xv. 25.

XIII. Lux clarior accedit huic dicto Paulino, estque major

Hor. Heb. in h. l. jor in eo vis demonſtrationis veri, ſi obſervemus cum Ligtfooto aliiſque, (eſt enim obſervatio hæc facilis, nec longè arceſſita:) Apoſtolum, ſic ſcribentem, manifeſtè alluderè ad Prophetiam Danielis de *quatuor* magnis *Imperiis*, quæ ſibi ſucceſſura in ſcena hujus orbis ordine exhiberentur; quorum ultimum ſive *quartum* illi conſpiciendum exhibetur ſub imagine terribilis & Cap. VII. 3. 4. &c. feræ *Beſtiæ Decicornis*, inter cujus *decem cornua* ſubnaſceretur *parvum* quoddam *cornu*, (Regnum ſive Imperium:) exiguâ primum ſpecie ſe oſtentaturum, ſed brevi tantum facturum incrementum, ut *tria* ſibi *proxima cornua* evelleret, eorumque occuparet locum; ſed quod Imperium planè exſcinderetur notabili Dei judicio; perinde ut reliqua Regna Chriſto Jeſu conſecrarentur, & ſubjicerentur *ſanctis*; de quo prophetia, cujus nunc hæc Vers. 27. pauca tantùm deſcribo, in hunc modum: *Et Regnum, & dominatus, & majeſtas Regnorum ſub omni cælo data eſt* לעם קדיש עלינים POPULO SANCTORUM EXCELSORUM (Populo *veri Dei*, Patris, Filii, & Sp. cultori, eique conſecrato:) *cujus* REGNUM REGNUM SÆCULI, & OMNIA IMPERIA ILLI SERVIENT & OBEDIENT. Vel nihil intelligis in hoc Vaticinio; vel ſpernis illud ſupinè & oſcitanter; vel cogitas de *Populo Chriſti*; cui vides id promitti beneficium in hoc præclaro Viſo, quo fieret ut omnia Regna Mundi ſecundùm ejus diſciplinam à *ſanctis* adminiſtrarentur, eorumque ſervirent commodis atque utilitatibus. Id hactenus non viderat Eccleſia. Loquitur enim de eo Paulus tanquàm de re futuri temporis. unde conſequitur, *animalia* hæc *quatuor* ſive totidem magna Imperia *ætate Pauli* nondùm diſparuiſſe. ſupereſſe ſaltem *quartum* adhuc, idque eſſe *Imperium Romanum*, ſub finem in *Decem* ferè diſtrahendum *Regna*; inter quæ necopinatò comparerent Ozmanidæ, minus ortu ſuo ſpectabiles, ſed cum tempore eorum *Imperiorum* ſive *Regnorum tria*, quæ ex ruderibus Romani in Aſia & Græcia ſupererant, deſtructuri, & ampliſſimam fundaturi dominationem. Atqui longius excurro, quàm debebam.

XIV. Paulo jungam Petrum in egregia illa oratione, quam Cap. III. 19. Lucas nobis in Actis ſervavit, in hunc modum diſſerentem ad Judæos: *Reſipiſcite igitur, & convertite Vos, ut deleantur peccata veſtra*, ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως UT VENIANT TEMPORE

REFRI-

REFRIGERII A FACIE DOMINI, *& mittat vobis* τὸν προκεχειρισμένον (sic lego cum pluribus Codicibus Græcis, & Vett. Doctoribus; non προκεκηρυγμένον:) *præordinatum vobis Jesum*; *quem oportet quidem cœli capiant usque* AD TEMPORA ἀποκαταστάσεως πάντων RESTITUTIONIS OMNIUM, *de quibus loquutus est Deus à seculo* PER OS OMNIUM SUORUM SANCTORUM PROPHETARUM. Beza hunc locum non admodùm feliciter tractavit. Particulas ὅπως ἂν vertit *postquam*; quæ tamen stylo Scripturæ N. T. reddendæ erant per *ut*, sive *finem* notent, sive *consequens* rei de qua facta fuerat mentio; ut Cl. de Dieu jam observavit. Alii Intt. rectius multò; *quando venerint*. inter quos Belgæ. Supponunt illi, TEMPORA ILLA ἀναψύξεως REFRIGERII esse *tempus Judicii novissimi*, quo credentes in Christum post *æstum afflictionum* & *laborum* hujus vitæ recepturi sunt παράκλησιν *consolationem*. quod idem tempus putant ab Apostolo appellari ἀποκαταστάσεως πάντων *exhibitionis* vel *restitutionis omnium*. Ego cum aliis Viris eruditis hic longè propensius cogitarem de *refrigerio*, quod nascitur ex *fide Evangelii*, aut *liberatione à molesto jugo Legis Mosaicæ*, nisi duo obstarent, α. Loqui Apostolum de *temporibus refrigerii* quæ nondùm *advenerant*. β. Ex coll. ℣ſ. 19, 21. liquere, ut videtur, TEMPORA *refrigerii* eadem esse quæ TEMPORA ἀποκαταστάσεως RESTITUTIONIS OMNIUM. Ne dicam, vocem ἀνάψυξις verâ & propriâ significatione accipi pro *respiratione à malis* & *calamitatibus externis*. De *die* autem *novissimo* Apostolum verba facere non putem, α. Quia loquitur de καιροῖς & χρόνοις TEMPORIBUS; quod rectius refertur ad *tempora* & *secula Mundi*, quàm ad DIEM ILLUM, יום הוא הגדול *Diem magnum*, qui *seculum* adferet, nulli mutationi, nullis vicissitudinibus rerum & status obnoxium; *Seculum æternitatis*, de quo proinde tempore Scriptores S. in *singulari* loqui consueverunt. β. Quia talis hic intelligitur ἀποκατάστασις *exhibitio* vel *restitutio omnium*, & talia illius ἀποκαταστάσεως *tempora*, de quibus vaticinati sunt *omnes* sancti *Prophetæ*. Atqui *sancti Prophetæ* an multis loquuti sunt, an propositum sibi præcipuè habuerunt loqui de *secundo adventu Messiæ*, *novissimo Judicio*, & *Gloria Cœlesti electorum*, illud subsequutura? An potius in prophetiis suis tanquam in tabellis descripserunt *fata Ecclesiæ* in his terris; casus & eventus rerum inter homines gerendarum;

Matth. VI. 5. Luc. II. 38. Act. XV. 17. Rom. III. 4.

Exod. VIII. 11. רוחה Lxx. Intt. ἀνάψυξις.

1 Thes. V. 4. 2 Tim. I. 12. IV. 8.

temporum vicissitudines, eorumque σημεῖα *signa*? Quid quærimus? *Tempora* ἀναψύξεως & ἀποκαταστάσεως πάντων, de quibus OMNES loquuti sunt Prophetæ, sunt *tempora consolationis*, *pacis*, prosperi, læti, & gloriosi status *Ecclesiæ* Christi Jesu *in his terris*, ante *consummationem seculorum* decursura; tempora חדוש *innovationis* & *restitutionis omnium rerum* in suum ordinem; (quæ vis est vocis ἀποκατάστασις (a)): proximè consecutura *veram conversionem Judæorum ad Deum* & *Regem suum*, *Davidem mysticum*. Inspice

(a) Non satis clarè liquet, quâ usus sit voce Petrus Hebræâ vel Syriacâ in hac sua oratione, quam Lucas reddiderit per ἀναψύξεως. Ligtfootus putat, conferri eam posse cum notionibus המקצוי vel קיצוי, quibus Magistros scribit designare *completionem* & *consummationem rei*; nullis adscriptis locis, quod factum voluissem. Ego mihi persuaseram, posse hanc vocem comparari cum Hebræa vel Rabbinica חדוש *innovationis*, essetque verè elegantior hoc in casu & efficacior, si ejus usum hunc adstruere possem. Occurrebat locus in *Præfatione Jachaidæ in Danielem*, quâ cum dixisset, se meditari Commentarium in Libros Ezræ & Chronicorum respectu summæ utilitatis, quæ ex eorum lectione & meditatione percipi queat, quippe exhibentium bonorum & vitiosorum Principum exempla; virtutis præmia; scelerum pœnas, ac præterea *generationes Mundi*; subjungit: שנשרש באמונת החדוש quæ Cl. l'Empereurius vertit; *Ita fiet ut radices agamus in credenda* RESTAURATIONE, *ac Deum pios esse remuneraturum & in credendo adventu Redemptoris*, &c. Sed vix dubitem, quin vox חדוש hic sit accipienda, ut vulgò solet Hebræis, pro *Creatione Mundi*, quæ Magistris passim hoc nomine חדוש vel חדוש העולם venit; ut videbis apud Maimonidem in *More* Part. II. Cap. XXVII. Sic Jagelius in *Catechesi*: *Quid caussæ est cur potius dixeris*, חדוש העולם NOVITATEM MUNDI *esse radicem fidei & Fundamentum Legis*, *quàm aliquem alium ex tredecim articulis*, &c. Vult igitur dicere Jachaides, meditationem *Generationum Mundi*, quas ostendimus in Chronicis, facere posse ut RADICEMUR (ἡ ῥίζα τῆς πίστεως *Matth.* XIII. 6. τῆς ἀγάπης Ephes. III. 17.) *confirmemur*, *in* FIDE CREATIONIS sive NOVITATIS MUNDI, & quæ seqq. Vox tamen aptissima est ad id significandum, quod nos cupimus, & rem ipsam habemus in Prophetia Joannis: *Et dixit ὁ qui insidebat throno: Ecce*, καινὰ ποιῶ πάντα OMNIA FACIO NOVA. (Cap. XXI. 5.) Intereà satis patet, quænam sit genuina significatio vocum ἀναψύξεως & ἀποκατασταθῆναι, Græcis usu satis *receptarum*. Vetus Interpres hic vertit per *restitutionem*; à quo Beza non discessit. Rectè & propriè. Ἀποκατασταθῆναι verè est *rem instaurare & in pristinum ac meliorem statum restituere*. Sic sumitur passim in Scriptis N. T. ut Act.

ſpice omnes Prophetas, Veteres, Recentiores; in his *temporibus pacis*, *refrigerii*, נחמתא *Conſolationis* (a) deſcribendis omnes illorum finiri videbis prophetias; & ſi vel ſic hæreremus: dubitare tamen nos non ſineret de ſoliditate hujus interpretationis prophetia *Apocalypſios*; in qua cum dictum eſſet ab Angelo: Cap. x. 15.

L 2 *Diebus*

Act. I. 6. *Domine*, *an hoc tempore* ἀποκαθιστάνεις RURSUS INSTAURABIS *Regnum Iſraëli*? Matth. XVII. 11. *Elias quidem veniet primum*, *&* ἀποκαταστήσει πάντα RESTITUET OMNIA. h. e. reſtituere incipiet. LXX. Intt. de Tyro Jeſ. XXIII. 17. Καὶ ἀποκαταστήσεται εἰς τὸ ἀρχαῖον. In Hebræo eſt vox שוב. Plura non adſcribo loca, nec ex profanis, quia in *Lexicis* proſtant. Rectè igitur Heſychius: Ἀποκατάστασις. πλήρωσις. *Inſtauratio rei in priſtinum*, ſive *melius*. *reſtitutio*. *conſummatio*. *major Revolutio à qua novus rerum ordo pertexitur*. *quies poſt res turbidas*. Confer Matth. XII. 13. Luc. VI. 10.

(a) Ut dubium quâ voce uſus ſit Petrus, à Luca expoſita per ἀναψύξεως: ſic non magis certum, cui Syro-Chaldææ aut Hebrææ (dialecto enim utebantur Judæi id temporis mixtâ:) reſpondeat ἀνάψυξις. Hammondus cogitavit de voce נחמתא CONSOLATIONIS, quam obſervavit Paraphraſtæ ſervire, ubi loquitur de *diebus Meſſiæ*. Animadverſio eſt erudita; & veriſſimum, phraſin antiqui temporis, in Schola Sanctorum frequentatam, illi favere. Ipſe Lucas de Simeone: *Et erat hic homo juſtus*, *&* *pius*, προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ, *expectans* CONSOLATIONEM *Iſraëlis*; quod mox mutatâ phraſi; προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. Magiſtris: הגאלה העתידה REDEMPTIO *futura*, התשועה העתידה SALUS *futura*, apud Abarbanelem, & paſſim. Ita eſt. Judæorum communis hæc eſt perſuaſio, *ſalutem*, ſibi promiſſam, circa extrema Mundi tempora, repræſentandam non eſſe, ante præcedaneas *afflictiones* & *calamitates graviſſimas*, quas illi חבלי משיח *Dolores Meſſiæ* vocant; quam ob rem *beneficia pacis*, quietis, proſperitatis, eas conſecutura, quæ in elegante Libello *Afkath Rochel* recenſentur *decem*, vocant נחמות CONSOLATIONES. Adſcribam locum qui uſui eſſe poſſit in vocibus ἀνάψυξις & ἀποκατάστασις inter ſe comparandis, ex Declaratione *Signi Decimi*, adventum Redemptoris præceſſuri: ויקים עלינו כל נחמותיו וכל הבטחותיו *Et* REPRÆSENTABIT (ἀποκαταστήσει pro καταστήσει quod Latinis eſt EXHIBEBIT; ut verè Tertullianus vocem ἀποκαταστάσεως per *Exhibitionem* reddidit; quem ſequitur Grotius; nec diſplicet ſententia Venerando Patruo affini, Cl. Leeuwenio, in docta hujus Libri *Paraphraſi*; & mihi ferè perinde eſt, utrum hanc an priorem interpretationem ſequaris:) *nobis* OMNES CONSOLATIONES SUAS, *&* *beneficia omnia promiſſa quæ nos ſperare voluit*; quaſi dixiſſet; πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ

Luc. II. 25. Præfat. in Jeſ. Lib. I. Part. I. Edit. Hulſ. p. 158. Pag. 143. Lib. de Reſurr. Carnis.

Diebus vocis Septimi Angeli consummatum iri MYSTERIUM DEI, SICUT ANNUNCIAVIT SERVIS SUIS PROPHETIS: subjicitur postmodum; clangente *Septimo Angelo*, *voces magnas editas esse in cælo*, Cap. XI. 15. *quæ ferebant*; MUNDI REGNA FACTA ESSE DOMINI NOSTRI ET CHRISTI EJUS, EUMQUE REGNATURUM IN SÆCULA SÆCULORUM. Hæc eadem sunt quæ leguntur in hoc loco Petrino, & illius continent expositionem. Nec obstat, quod Ligtfootus satis immodestè huic sententiæ opponit, tempus illud ex hac hypothesi longè abesse à temporibus Petri, qui tamen *illa tempora Refrigerii* & *Restitutionis* sive *Exhibitionis* omnium de quibus loquuti fuerant Prophetæ Judæis jam istoc articulo pollicebatur, modò fidem in Christum amplecterentur: quia in Oratione Petri nihil aliud latet, quàm *tempora illa Refrigerii* & *Consolationis universalis* expectari non posse ante *Conversionem Gentis Judææ ad Deum & Messiam*; quod est illorum temporum *Signum*. Sic sonant omnes Prophetiæ. Hoc tempore *missum* sibi Christum Judæa gens cum fructu & effectu læta excipiet, & Matth. XXIII. 39. *Regi* suo, sibi *revelato*, acclamabit: BENEDICTUS EST ILLE QUI VENIT IN NOMINE DOMINI. Plura non addo, quia nolo ut hæc mea dissertatio supra modum excrescat; & alibi hoc argumentum pluribus pertractavi. Teneo quod Tertullianus cum sanctis primorum Christianismi temporum: *Nam & confitemur* IN TERRA *nobis Regnum repromissum*.

Comm. in Apoc. h. l.
Lib. III. adverss. *Marc.* circa finem.

XV. *Secundò* mihi evincendum erat, ipsissimum hoc beneficium *pacis Ecclesiæ*, per hunc orbem terrarum, à sanctis & quidem Religionis Christianæ cultoribus maximam partem occupandum & possidendum, describi hoc in *Psalmo septimo & tricesimo* in quem oratio Domini reflectit. Id verò confecerim ex characteribus hujus *possessionis terræ*, qui in hac *Ode* occurrunt singulares. Primus est, intelligendam esse *possessionem terræ* post *excises*

αὐτοῦ Προφητῶν. Hesychius: Ἀνάψυξις. ἀνάπαυσις. *Quies* à labore & æstu afflictionum. Alluditur intereà hac voce ad loca notabilia V. T. Ps. CXXI. 6. *Interdiu* SOL *non feriet te*, *&* LUNA *de nocte*. Principes *Politici* & *Ecclesiastici* tibi graves non erunt. Jes. IV. 6. *Et* TUGURIUM *erit in Umbram de die ab* ÆSTU. Respondet si rem spectes quod Cap. VII. 14. est in Apocalypsi: *Hi sunt qui venerunt ex* AFFLICTIONE MAGNA. *non esurient amplius neque sitient*; *nec in eos cadet Sol*, *neque* ULLUS ÆSTUS. Liberi erunt à publica persecutione caussâ Religionis.

cisos impios, *tyrannos*, *persecutores* & *oppressores sanctorum*. Id ubique in hoc *Cantico* extat, & ex locis, superius allegatis, patet. Vers. 9. Vers. 20.
Secundus, *possessionem hanc terræ* conjungendam esse cum *universali pace*, ut ℣s. 11. *Mansueti hæreditabunt terram*, & DELICIABUNTUR PRÆ AMPLITUDINE PACIS. Tertius, *possessionem hanc terræ* in *longum* duraturam, ℣s. 29. *Justi hæreditabunt terram*, & *habitabunt in* PERPETUUM (לעד) *in ea*. ℣s. 27, 28. לעולם IN SÆCULUM, usque ad hujus Sæculi finem. Quartus, *terram* esse *possidendam* à *Justis* & *Mansuetis*, plenissimo jure, ita ut eam tanquam rem quandam *suam* instar *mancipii* sint occupaturi; quam vim esse in voce ירש *hæreditario jure possidere*, doctè monuit Grotius. Quintus, *possessionem* hanc *terræ* sequuturam esse afflictionem & oppressionem longi temporis, quo dominarentur *mali*, qui sanctos, ad minorem numerum redactos, conarentur *exscindere*, & neci devovere; quorum intereà erat se *pascere fide*, & sibi ab *invidia* ac desperatione cavere, ℣s. 31, 32, 33. Sextus, *possidendam* esse *terram* à ענוים MANSUETIS. Atqui hic verus character est verorum *discipulorum Christi* & *subditorum Regni ejus*, qui ubique in Prophetiis hoc nomine veniunt. in Prophetiis, inquam, quas certò constat pertinere ad tempora novæ OEconomiæ, ut Ps. XXII. 27. *Comedent* ענוים MANSUETI, & *saturabuntur*. Jes. XI. 4. *Et convincet cum æquitate* לענוי ארץ MANSUETOS TERRÆ. LXI. 1. *Spiritus Domini Jehovæ est super me propterea quod unxerit me Dominus ad læta nuncianda* לענוים MANSUETIS. Quæ *Mansuetudo* non est *mansuetudo ingenii naturalis*, sed *Virtus* sive *Affectus animi laudabilis*, *in homine productus per Spiritum Dei*, *ex sensu suæ indignitatis & summi beneficii Divinæ Gratiæ*, *sibi peccatori à Deo præstiti*, *quo cum debita modestia & moderatione se submittit omni Legi Divinæ Providentiæ*, *eademque cum moderatione animi & judicii se componit ad injurias*, *sibi ab aliis illatas*, *patienter ferendas*; *privatæ vindictæ renunciat*; *quin & ubi necessitas id postulat*, *suo jure alteri cedit*, *operam dans ut aliorum malitiam*, *odium*, *obstinationem suæ charitatis & humanitatis officiis vincat*. Atqui hæc virtus verè est Evangelica, nata ex modestia & *humilitate animæ*, sitientis gratiam Dei in Christo; vel sensu magnitudinis beneficii hujus gratiæ affectæ; ob quam rationem ᵽi ענוים *mansueti* unâ tantum literâ, & quidem affinis naturæ,

Vers. 22. Vers. 28. Vers. 34. Vers. 35. Vers. 39. Vers. 40.

Matth. v. 3. mutatâ, dicuntur עניים PAUPERES, *οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι humiliter de se sentientes*; nihil sibi, meritisque suis vindicantes; *non sectantes justitiam ex operibus*; cum agnitione & confessione suæ indignitatis omnem suam salutem à Divina gratia suspendentes. Zach. xi. 7. Ps. LXXII. 4. *Judicabit* עניי העם PAUPERES POPULI. Alibi : עניי הצאן INOPES OVIUM. Populus Messiæ, in quo Messia, Christo Jesu, imago veræ modestiæ, moderationis, humilitatis animi, (quatenus ea in ipsum cadere potuit) *mansuetudinis*, & veræ charitatis, tanquam in speculo lucidissimo perfectè est exhibita, ut Cap. ix. 9. apud Zachariam : מלך עני REX PAUPER; imo ענו *πρᾶος* MANSUE- Matth. xi. 29. TUS, ut sequitur; *Insidens asino*; non *equo*, ut bellatores Alexander, Cæsar, & his similes. Quod ubi disputo; non nego, hanc virtutem locum habuisse sub OEconomia Vetere. imo contendo, esse verum characterem hæredum salutis per omnia Ecclesiæ tempora; licet majore & minore gradu possideatur. Sed virtus illa fuit in paucis, & quidem instar *præludii* majoris copiæ hujus gratiæ & doni *Spiritus Christi*, sub ejus Regno; cæteroquin minus conveniens OEconomiæ Veteri, quæ ejus exercitium restrinxit; nec vindictam omnem exclusit, nec severitatem. Summa est; si aliæ prophetiæ concorditer ferant, sub Regno Messiæ expectandum esse aliquod satis longum tempus; Jes. xi. 9. quo *nemo malefaceret, neque scelus committeret in monte Dei sancto*; *Gratia & Veritas sibi invicem occurrerent*; *Justitia &* PAX *se mutuò oscularentur*; *Veritas ex terra progerminaret*; *Justitia è cælo prospectaret*; *simul Jehova* BONUM *daret*, *&* TERRA SUUM PROVENTUM; Ps. LXXXV. 11, 12, 13. *Justitia ante se procederet, & figeret in via pedes suos*; & *ex Regno Dei* OMNIA *colligerentur* SCANDALA, (publica scilicet!) *& qui* Matth. XIII. 41. *operant dant iniquitati* : probabile esse, Vatem in hoc Psalmo, Ps. xxv. 13. aliisque similibus locis, de hoc magno beneficio à Sanctis obti- Jes. LVII. 13. nendo ante Sæculorum finem spem suam voluisse explicare, at- In h. Ps. que adeò esse eum non *moralis tantum*, quod Muysius vult, sed & *argumenti Prophetici*. Implementum certè luculenti hujus promissi sub OEconomia Vetere si quæsiveris: non invenies nisi in *umbra* Regni piorum Principum qui præfuerunt Judææ Genti. Sed id parum est: sciverunt sancti, fuitque hæc traditio in Scholis Doctorum hominum recepta, majus quid & amplius in terris à Divina bonitate sperare posse qui Deo fidunt.

XVI. *Tem-*

XVI. *Tempus* jam si sciscireris, quo Ecclesia hoc beneficio gavisura esset: quod *tertium* κρινόμενον proposueram: primò certum est, ante illa tempora frustrà quæri repræsentationem hujus promissi, quibus Ecclesia à persecutionibus publicis liberata vindicataque est in Romano Imperio, florentissima parte orbis terrarum, per Constantinum. Hoc articulo temporis Deus *solitarios duxit* DOMUM, *& eduxit carceribus vinctos catenis*; & *invenerunt illi Urbem habitationis*; *fractis valvis aneis*, *& incisis vectibus ferreis*; sumpsitque verè vindictam Dominus de superbis & potentibus Ecclesiæ Persecutoribus, qui Christianæ disciplinæ sectatoribus (est autem illa disciplina virtutis & *mansuetudinis*:) decreverant excidium, brevi & contrà omnium expectationem prostratis. Si itaque licuisset Ecclesiæ, ab illo tempore sub cura & patrocinio piorum Principum longiore intervallo in pace non externa tantùm sed & intestina res suas promovere; si Christiani ipsi posteà in suum non conjurassent exitium; si calamitates publicæ undique non ingruissent in Romanum Imperium; si mores hominum non mutati in pejus, & veræ pietatis ac justitiæ cultus non constitisset intra paucos; si denique Orbis Christianus plures illius ingenii vidisset Principes, quales fuerunt ipse Constantinus, cui meritam laudem non nego; uterque Theodosius, Theophilus, Basilius Macedo, Leo Philosophus, Carolus Magnus, Maximilianus II, & vel maximè Georgius Anhaltinus & Fredericus Palatinus III; quæ nunc tantum exempla produco; possemus hic figere pedem, & spes nostras de beneficiis temporalibus Ecclesiæ promissis in futurum præcidere. Sed vel nos promissa Ecclesiæ data nostris cogitationibus nimis amplificamus; vel meliora expectanda sunt in futurum. Imo verò Prophetiæ omnes demonstrant *septimam* sive *ultimam* Ecclesiæ *Periodum*, quam præcessura sit terribilis conspiratio Principum Potentium ad exscindendos veræ Religionis & Pietatis Cultores; sed caritura effectu, & ipsis Tyrannis allatura exitium; ita ut in ipsa hac Ode dicitur; *quippe* אחרית EXTREMUM *illius Viri* (totius Corporis mansuetorum) *est* PAX. Illâ ætate, inquam, *pii possidebunt terram*, *& implebunt Orbem urbibus*; quę genuina interpretatio hujus phrasios est apud Jesaiam. Hoc tempus *pacis* & *quietis Ecclesiæ*, Regni *Justorum* & *mansuetorum*; floren-

Margin notes: Ps. LXVIII. 7. Ps. CVII. 4. Vers. 16. Vers. 37. Cap. XXV. 21.

rentis ſtatus Populi Dei cum acceſſione Judæorum & Gentium; cujus figuram Deus olim dedit in *Sabbathis Feſtorum*, & *Regno Salomonis*. Lege Pſalmum LXXII, & agnoſces hujus Sæculi characteres. Ut enim in Davidis Regno typum habemus luctæ Eccleſiæ; ſic in eo Salomonis pacis, quietis, & copiæ omnium
Matth. XIII. 14. bonorum eam comitaturæ. Chriſtus Jeſus ait: Ἐν τῇ συντελείᾳ τῦ αἰῶνος τέτε.

XVII. Obſtat, ais, *Novum Fœdus* non complecti promiſſa *temporalium*, ſed *ſpiritualium* & *cœleſtium bonorum*, ex hypotheſi,
Jer. XXXI. 32, 33. in ſuperiore *Diſſertatione* aſſerta. Non nego ſanè: nec *pacem hanc Eccleſiæ* externam, temporalem, ſive *pacatam terræ poſſeſſionem ſub Regimine Chriſtianorum Principum*, *florente juſtitiæ & pietatis cultu*, facio *eſſentiale Bonum Novi Teſtamenti*. Si enim hoc beneficium inter *propria* & *eſſentialia Bona Novi Fœderis* reputandum eſſet: fœderatis omnibus omni tempore OEconomiæ Gratiæ debuiſſet præſtari: quod ſecus ſe habere, docuit experientia. Dicendum itaque, ut res eſt, eſſe bonum *accidentale* temporis Eccleſiæ Novi Fœderis, quod reliquis beneficiis Eccleſiæ tanquàm *cumulus* & acceſſio quædam ex amplitudine Divinæ bonitatis & gratiæ in fine temporum *adjicietur*. Interpretem, imo auctorem, ſententiæ meæ ipſum adhibeo Dominum in vulgato
Cap. VI. 33. dicto apud Matthæum: *Quærite primò Regnum Dei, & juſtitiam Ejus* (Dei) καὶ ταῦτα πάντα προςεθήσεται ὑμῖν, & ISTA OMNIA (bona temporalia, victus, amictus, ad vitam ſuſtinendam neceſſaria) ADJICIENTUR VOBIS. Nec alio ſenſu Apoſtolus: *Pietas*
1 Tim. IV. 8. *ad omnia utilis eſt, ut quæ habeat promiſſionem* ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλέσης VITÆ HUJUS, & *futuræ*. Eſt igitur hoc Beneficium quædam πρόσθεσις ſive προσθήκη *Bonorum Novi Fœderis*, cæteris Beneficiis adjicienda, citra obligationem Pacti Novi, pro ſumma Dei bonitate illi decreta.

XVIII. Inſtas; cum *hæreditatis* nomine veniat hoc *Bonum*, cujus *Teſtamenti* vi Credentibus obtingat ſub OEconomia Nova; quæ eſt OEconomia *Novi Teſtamenti*, & omnis alterius *Teſtamenti* Bona videtur excludere? Si hic verè hæreas qui verum amas, operam dabo, ut tibi ſatisfaciam; non ita, ut reſpondeam, quod mihi integrum eſt, vocem ירש quæ vulgò vertitur, *poſſidere ut hæreditatem*, non eſſe tam ſtrictè accipiendam, ſed ſæpè in ſacris idem

idem valere quod *rem quamcunque possidere* firmâ & stabili κλήσει; sed absque ambagibus hanc difficultatem, quæ ex maximis non est, resolvendo. Teneamus igitur, Consilio illi, quo Deus Ecclesiæ in his terris destinavit duas, easque differentes & sibi contradistinctas *OEconomias*, secundùm quas eandem sapienter administrare voluit: quod *Consilium* Scriptura *duo* TESTAMENTA, &, si eorum executionem respicias, DUO FŒDERA, vocat; Gal. IV. 24.
subordinari, sive coördinari, tum *Generale Consilium Providentiæ* ex Decreto Divinæ *Longanimitatis*, secundùm quod reguntur Gentes, omnesque homines, à communione Dei alieni; tum *Speciale*, quo de variis casibus, eventibus, fatis Ecclesiæ sub utraque OEconomia, & statibus singulorum hominum, statuit & decrevit; quippe *omnia agens ex consilio suæ voluntatis.* Ephes. I. 11.
quod *Consilium Divinum*, in Deo unum & simplex, nos homines ut ordine aliquo nostris complectamur cogitationibus, pro *objectis* circa quæ versatur, in partes distrahere solemus, Scripturâ præeunte, & ad nostram se accommodante imbecillitatem. Jam ita habe; omnia *bona*, quę vel Ecclesię quod ad lætiorem suum & florentiorem statum in his terris, aut singularibus hominibus qui sunt in communione Ecclesię ad majorem suam perfectionem ex gratioso decreto *Particularis Providentiæ* dispensantur, Scripturæ stylo venire nomine *hæreditatis*; maximè si intervenerit *promissio*; quando illa pars Divini Consilii Scripturæ φράσει ברית διαθήκη vocatur. Cum prolixus esse nolim: unum tantùm vel alterum exemplum huc adferam. *Commune bonum* Veteris Testamenti fuit pacata *possessio terræ Canaan*, sub conditione *observandæ Legis Fœderis Sinaitici*. Huic bono adjecit Deus præter ordinem *subjectionem* & *possessionem Edomi*; quę esset reliquorum beneficiorum, quę propriè ad Veterem OEconomiam pertinent, quædam προσθήκη, non quidem occupanda ex *communi Testamento* illius OEconomiæ, sed *Decreto Providentiæ*, quo Deus fata & eventus illius OEconomiæ definiverat; & tamen quia bonum erat, ex gratia Dei in Ecclesiam Judæam conferendum, *hæreditatis* nomine passim in Scriptura venit; secundum illud; Num. XXIV. 18.
Et erit Edom ירשה HÆREDITARIA POSSESSIO. De singulari homine Amos. IX. 12.
exemplum vis: sume illud Davidis. Decreverat illi Deus, & decre- Obad. Vers. 17, 19.
tum promiserat, hoc magnum beneficium; *ex ejus lumbis oritu*[*rum*]

rum esse Messiam, & in hoc suo semine ipsum æternum *regnaturum*.
2 Sam. xxiii. 5. Id *decretum* & promissum ipse ברית vocat, *decretum Testamentarium*, promissione ratum. Nec tamen hoc bonum obtenturus esset vi *communis Testamenti OEconomiæ Veteris*, cujus promissis non continebatur, Messiam ex Davidis stirpe nasciturum; sed vi Decreti Divinæ Providentiæ, quo fata illius OEconomiæ & singularium Personarum descripta sunt. Ita planè se res habet cum hoc *bono accidentali*, quod Ecclesiæ N. T. Deus pro sua bonitate destinavit, & ante decursum Sæculorum repræsentaturum esse, spe certâ tenemus.

XIX. Infers tandem, non videri nostram hanc interpretationem conciliari posse cum scopo Domini in hac oratione, qui eò videtur tendere ut cum virtute *mansuetudinis* conjungat certum aliquod *bonum*, quod individuum consequens esset hujus virtutis in omnibus qui illi excolendę operam darent. Quod si certi, non omnis temporis, hoc sit beneficium: probabile non fieri, Dominum id *omnibus mansuetis* in genere promissurum esse. Sentio vim objectionis: respondeo, α. Quando Christus D. *mansuetos* hic *beatos* prædicat, iisque promittit *possessionem terræ*: id non esse ita accipiendum, acsi *mansueti* hoc beneficium *privè* sic possiderent, ut reliquorum bonorum, quę Dominus in hac oratione cum aliis *qualitatibus* sive *virtutibus* connectit, expertes essent *mansueti*; vicissim *lugentes*, *pauperes spiritu*, *misericordes*, possessione hujus beneficii excluderentur. Harum virtutum una omnes involvit; beneficia omnibus communia. Tantum cum in veris Regni sui subditis plures, sed cognatas *virtutes* requirat Dominus; promissa iis hâc oratione statuit earum convenientia naturæ, ut non minus liberalis dator beneficii, quàm officii & virtutis exactor videretur. Rectè igitur mentem Doctoris ita interpreteris; *Mansuetos* hoc amplius *beatos* & *felices* fore quod præter cætera beneficia Gratię à Divino favore suo tempore hoc etiam impetrarent beneficium, ut *possiderent terram*. β. Cum credentes in Christum omnes arctissimâ inter se devincti sint societate & communione: quisque eorum accipere censetur, non tantum quod in se, sed & in aliis accipit. Corpus enim & societatem hominum unam faciunt; cujus quę sunt beneficia, omnes sua esse, & ad se pertinere censent. Id enim nisi ita esset:

nemo

nemo promissa alterius temporis quàm sui curaret. Et tamen videmus, Deum per Prophetas omni casu piorum animos hâc fulcire consolatione, quod lætiora in futurum expectanda sint tempora, quibus gratiam suam Ecclesiæ uberiore mensurâ dispensaret. Quæ promissa tamen nemo sprevit, & in sui non vertit consolationem; quod scirent & intelligerent pii, se eadem in fratribus suis esse obtenturos, quæ iniquitas temporum & Divinæ Providentiæ rationes iis in præsenti negabant. Certè ubi David *mansuetis* per Spiritum addicit *possessionem terræ* post *excisos impios*: non potuit id ita ab iis accipi promissum, acsi omnes suo ævo quique impios & tyrannos interimi viderent; cum experientia doceat, multos ante ex fati sui Lege tolli, aut à Persecutoribus opprimi & ipsâ vitâ privari, quàm vindex Dei manus se exserat. Quod tamen cum scirent, fide sibi nomine Dei factâ, certò esse eventurum: acquieverunt in hoc promisso, *animasque suas Deo fido Creatori cum benefaciendi studio commendarunt*, exequutionem promissi Dei relinquentes consilio. Quid vetat jam, sententiam Christi, planè ad eam Spiritus S. quę in celebrata Oda Davidica extat, conformatam, eandem in oratione ejus vim obtinere, quam in oratione Spiritus S. apud Davidem? 1 Pet. IV. 19.
γ. Etiamsi promissi hujus repræsentatio plena secundùm omnem dictionis vim atque emphasin in ulteriora tempora differretur: non nego tamen, omni tempore Ecclesię sanctos & mansuetos aliquid ejus nancisci, quod Christus Dominus iis hoc in loco promittit, ubicunque iis licet *modica* etiam *bona*, quę Divina Providentia iis indulget, pacatè possidere; quod nimirum ea possideant cum *bona conscientia* & *tranquillitate animi*, *in fide* & *spe melioris vitæ*, cum *pleno jure filiorum Dei*; cum contra impios animus inquies & conscientia scelerum eâ privent verâ ac honestâ voluptate, quam ex beneficiis terræ cum sensu Divini favoris conjunctis pius homo percipit. Id Vates inculcat ubi ait, ℣s. 3. FIDE JEHOVÆ, *& fac bonum*, (stude virtuti) HABITA TERRAM, *& pascere* FIDE. intereà dum Deus tela parat, quibus impios prosternat. & ℣s. 16. PAUXILLUM JUSTI *melius est* COPIA *plurium* sive potentium *impiorum*. δ. Denique etiamsi mihi certissimè persuadeam, id ipsum, quod hactenus disputando conatus sum evincere, primo & proprio sensu verborum à Do-

mino eſſe intentum: non negabo præfractè, fieri poſſe, ut *Dominus* in ipſa hac oratione ſua *ſublimius* quid reſpexerit, quatenus pacatus & proſper ſtatus *Eccleſiæ manſuetorum* in his terris, quem ante ſæculorum finem expectamus, *typus* quidam & figura eſſet *beati* & *glorioſi omnium electorum ſtatus cœleſtis*, æterni *Sabbathi*, poſt noviſſimum diem, omnibus impiis exciſis, inchoandi,
Cap. lx. 1, 2. ſeqq. Cap. xxi. & abſolutè לעד *uſque*, & לעולם *in æternum* duraturi. Patet id ex Jeſaia & Apocalypſi, ubi ſtatus Eccleſiæ illius tam elegantium emblematum figuris, tantâque vocum ac phraſium ἐνεργείᾳ depingitur, ut multi Interpretes in cœlo etiamnum quærendum putent, quod Joannes *ex cœlo* vidit *deſcendere in terram*. Ita *terram poſſidere* eſt ſano ſenſu ipſum *poſſidere cœlum*. Et viderunt Judæi ipſi (a), omnibus ferè *promiſſis bonorum terreſtrium*, ſi in emphaſi accipiantur, *cœleſtium*, verorum, & æternorum *bonorum promiſſa* involvi. Nec vidiſſe ego etiam velim ſolus (b), quod hac in diſſertatione adſtruxi; etſi compilandarum auctoritatum, quæ

(a) Locus eſt verè inſignis Maimonidis in *Hilchoth Teſchuva*, Cap. VIII §. 1. הטובה הצפונה לצדיקים היא חיי העולם הבא והיא חיים שאין מות עמהן וטובה שאין עמה רעה הוא שכתוב בתורה למען ייטב לך והארכת ימים מפי השמועה למדו למען ייטב לך לעולם שכולו טוב והארכת ימים לעולם שכולו ארוך וזהו העולם הבא: *Bonum quod repoſitum eſt juſtis, eſt vita futuri Sæculi; & hæc eſt vita ſine morte, bonum cui nullum ad-*
Exod. xx. 13. *mixtum eſt malum. Hoc eſt quod ſcriptum extat in Lege*: UT BENE TIBI SIT ET PROLONGES DIES. *Ex traditione didicerunt: ut benè tibi ſit, intelligendum de* SÆCULO QUOD TOTUM BONUM EST, *& ut prolonges dies*; DE SÆCULO QUOD TOTUM LONGUM EST. *Atqui hoc eſt* SÆCULUM VENTURUM.

(b) Cl. Coccejus exertè poſt propoſitam ſententiam de *Hæreditate Mundi*, ad h. l. *Significatur tamen in hoc beneficio etiam* ALIQUID TEMPORALE, *in diſtinctis gradibus, nempe ut qui in terra ſunt, cogantur fidelibus mentiri; ut impii ab Eccleſia ſeparentur, ne dominentur in ea: ut denique totus Mundus ferat Eccleſiam, atque ita fides ex terra*
Apol. Verit. §. 72. p. 172, 173. ſeqq. *enaſcatur, & juſtitia è cœlo proſpectet*, Pſ. LXXXV. 12. Cl. de Raadt diſſerens ad promiſſum *Præcepti Quinti Decalogi*, & locum Pauli παράλληλον *Epheſ.* VI. 2, 3. poſtquam eruditè conatus eſſet evincere, illud *promiſſum* non ad ſingulares perſonas ſed ad totum *Corpus Societatis Iſraëliticæ*, nec ad hujus *Præcepti ſolius* ſed *totius Moſaicæ legis obſervantiam* referendum eſſe: dum in eo eſt ut Paulinum dictum cum hoc Promiſſo comparet, hæc adſcribit ad ſententiam ſuam con-

quę non ultrò se mihi offerebant, curam non habuerim in tanta materiæ copia.

confirmandam: *Majorem etiam difficultatem non habet, quod idem Apostolus loco commorationis felicis in terra Canaan substituat longævitatem* IN TERRA; *siquidem notum sit, Deum in N. T. hæreditatem universi orbis suis promisisse*, (sano sensu, quem jam declaravi. Aliàs certum, *Glebam hujus Telluris* non esse inter bona *Testamenti Gratiæ* illius quod *Veteri* contradistinguitur:) *quemadmodum Israëli in V. T. hæreditatem terræ Canaan promiserat ex hoc effato Christi:* Beati mites quia hæreditario jure possidebunt terram. *qua de re si plenius erudiri desideres: adi sis* Ps. XXXVII. 46, 47. Jes. LX. 1, 2. LXV. 17—25. Apoc. XIX. 1—9. XXI. & XXII. & quæ plura sequuntur.

CAPUT VII.

In discutiendo Quæsito*, An Communio Credentium in Christum Externa *sit* absoluta *an* hypothetica: COMMUNIO *ipsa, quæ inter Christianos intercedit, describitur, & ex rei natura ac Verbo Dei adstruitur; tum deinde species illius* Communionis *recensentur, doceturque, esse eam tam* PASSIVAM *quàm* ACTIVAM, *& utramque tam* EXTERNAM *quàm* INTERNAM; Passivam *autem* VERAM *ac* Propriam, *&* SYMBOLICAM *ac* Figuratam. *Inter hæc de usu vocis* Communionis *in prima Ecclesia Christiana ex* Albaspinæo *disseritur, & evincitur adversus* Anonymum, *Christum Jesum inter alia* Cœnam Sacram *hoc etiam scopo instituisse, ut sustineret* figuram symbolicam *Communionis, ad quam profitendam & inter se colendam Christiani vi disciplinæ & societatis suæ obligati sunt.

MAgnæ haud dubiè res est utilitatis & momenti, probè perspectam habere naturam *Ecclesiæ*, sive *Societatis* aut *Communionis Populi Christiani*; quippe quę neglecta longam sæpè post se traxit malorum seriem. Est equidem de hoc argumento mul-

to multis actum disputatumque, à quo tempore Christus Populum habuit in mundo: sed non ab omnibus æquè feliciter, & pro rei merito. Confuderunt multi, qui hanc materiam tractarunt, *Communionem* Christianorum EXTERNAM cum INTERNA, eamque statuerunt ABSOLUTAM, sive potius *absolutè* & ἁπλῶς consideraront, quam statuere debuissent HYPOTHETICAM & σχετικήν. utique, si fortè rem ipsam non adeò perceptu difficilem hic tenuerint, (ut negare nolim, Augustinum in variis Libris, quos edidit adversus *Donatistas*, aliquid illius vidisse:) discrimen tamen notabile, quod inter *Externam* & *Internam*, & *illam* quidem *Absolutam* & *Hypotheticam* Credentium *Communionem* intercedit, non satis clarè demonstrarunt & explicuerunt.

II. Inde verò, Boni! quot non in Christianismo paradoxa, absurda, & ἀνακόλουθα? Qui Donati partes olim in Africa sectabantur, pertinaciter contendebant, se solos veros esse Christianos, *veram Ecclesiam*, & *Populum Christi:* reliquos autem omnes Christiani nominis homines in *Africa* non tantum sed & per totum Orbem terrarum diffusos, quos suâ excludebant communione, simul suo quodam præjudicio excludebant spe æternæ salutis. Miltiadem, Ambrosium, Augustinum, aliosque iis similes, doctrinâ, zelo, & sanctimoniâ vitæ claros Viros, pro membris veræ Ecclesiæ non habebant *Donatistæ*, sive potius, *Donatiani*, (ut Cresconius Grammaticus illius sectæ homo Augustinum loqui docuit:) ut verè existimabant, neminem ex Christianis illius temporis, quotquot à sua communione secreti erant, sperare posse æternam salutem, nisi in ipsorum Conventibus *per baptismum* de novo Christianis adscriberetur. Idem ferè Ecclesię Pontificię judicium est de Protestantibus. Desperant illi de salute omnium Christianæ professionis hominum, qui externam Romanæ Ecclesiæ & illius sacrorum communionem refugiunt. Protestantium quidem, in varias partes distractorum, passim mitior est sententia de iis cum quibus externam mysteriorum Religionis Communionem non colunt: nec tamen *ad speciem* minus paradoxa. Non negabunt illi, (utique non agent id, qui inter illos moderatioris sunt ingenii:) posse æternam salutem obtineri in illorum Christianorum Communione

& Con-

& Conventibus, cum quibus externum ſacrorum commercium non habent: nec audebunt etiam aſſerere, in ipſa quoque Eccleſia Romana nullos habere Chriſtum, qui inter membra *corporis* ejus *myſtici*, hoc eſt, *veræ Eccleſiæ*, referendi ſint. Sacra tamen inter eos nihilominus, ut *externè* celebrantur, ſunt & manent diviſa. Ut enim nos in externam ſacrorum communionem non facilè recipiemus Romanæ profeſſionis hominem, qui Pontificiæ Eccleſiæ erroribus & ſuperſtitioni publicè non renunciavit: ſic Proteſtantes, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt, non facilè teſſeras amicitiæ & fraternitatis Chriſtianæ cum iis communicabunt Proteſtantibus, qui ſententiis de Cœna Domini aliiſque quibuſdam Doctrinæ Chriſtianæ Dogmatibus ab ipſis diſſident. quod, ut dixi, *ad primam ſpeciem*, paradoxum videtur. Cum enim externa Chriſtianorum Communio ſit veluti ſymbolum & repræſentamen quoddam Communionis eorum internæ & myſticæ: quid fugiunt Chriſtiani eorum Communionem *externam*, cum quibus fortè *internè* & *myſticè* tanquam unius Corporis ſpiritualis membra uniti ſunt Chriſto tanquam Capiti? Statutum itaque nobis eſt de hac re, quæ hactenus non ſatis videtur explicita, utique multis non intellecta, ſententiam noſtram proferre, & diſcrimen, quod inter *Chriſtianorum Communionem Externam* & *Internam*, *Abſolutam* & *Hypotheticam*, intercedit, quâ poterimus perſpicuitate exponere. quod ut, ſecundùm vota noſtra, ordine & feliciter fiat, *notiones prius ſunt explicandæ*, quibus Quæſitum in hac Diſſertatione diſcutiendum, conſtat; deinde *ſententia noſtra* de hoc argumento *proponenda*, tractanda, & ritè *adſtruenda erit*. Notiones autem, quas in hoc quęſito diſputando neceſſe habebimus adhibere, ſunt, *Chriſtiani*, eorumque *Communio*, *Interna* & *Externa*, *Abſoluta* & *Hypothetica*, ordine nunc declarandæ.

III. Christiani ſunt & dicuntur omnes qui Chriſto Jeſu nomen dederunt, eumque profitentur & colunt tanquam *verum Meſſiam*, Patribus promiſſum, *unctionis* Chriſti *ſpiritualis* & myſticæ per ejus Spiritum participes. Eſt igitur id nomen ſectæ in negotio Religionis, quod duas infert conditiones, Fidem animi, & Professionem oris. Has qui implet & præſtat, *Chriſtianus* eſt. Qui *ore ſuo Dominum Jeſum profitetur*, hoc eſt, Chri- Rom. x. 9.
ſtum

ſtum Jeſum profitendo caſtos præfert & Chriſtiano nomini ac fidei congruos mores; & *animo ſuo credit*, *Deum illum ſuſcitaſſe ex mortuis*; hoc eſt, qui à *Spiritu Sancto illuminatus* atque *affectus* ſincerâ ac rationali fide amplectitur Doctrinam Evangelii de Chriſto Jeſu per potentiam Patris ex mortuis ſuſcitato; quod Religionis Chriſtianę Dogma alia omnia de Chriſto Jeſu ad ſalutem credenda ſupponit aut involvit: *ὁ σωθήσεται* SERVABITUR. is verè *Chriſtianus* eſt, & per fidem in Chriſtum perducetur ad ſtatum gloriæ ac beatitatis ſempiternæ in ipſius commu-
In Cap. LXII. Jeſ. p. 134. nione. Theodoretus: Χριστιανοὶ γὰρ παρὰ πάντων καλοῦνται, οἱ τε διὰ τοῦ παναγίου βαπτίσματος τὸν Χριστὸν ἐνδυσάμενοι.

IV. Inter hos Chriſtianos eſt COMMUNIO: per quam intelligimus *Relativum* illud *Conſequens Status Chriſtianorum*, quo qui Chriſti Jeſu diſciplinam amplectuntur homines commercium aliquod (quod cujuſmodi ſit, mox definietur:) inter ſe habent & colunt. Illius *Communionis* clara eſt mentio in Sacris Literis. Utique Joannes Apoſtolus, poſtquam dixiſſet, Chriſtianos omnes *communionem habere cum Deo in Chriſto*, exertè docet eoſ-
1 Joh. I. 7. dem quoque *communionem inter ſe* habere: *Quod ſi in luce ambulemus*, ait, *ſicut ipſe eſt in luce*, κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων COMMUNIONEM HABEMUS INTER NOS MUTUAM. Nihil in hanc rem clarius doctrinâ Pauli. In *priore* ſua *Epiſtola* ad Corinthios tradit, Credentes omnes, cujuſcunque ſint conditionis, in *unum*
1 Cor. XII. 13, 14. *corpus*, unam coaluiſſe ſocietatem. *Etenim*, inquit, *per unum Spiritum nos omnes in* UNUM CORPUS *baptizati ſumus*, *& Judæi & Græci*, *& ſervi & liberi*. cui comparationi illuſtrandæ in ſequentibus inhæret. In *poſteriore* autem ad eos *Epiſtola* diſſuadet connubium cum *Non-credentibus*, hoc uſus argumento, quod inter Credentes & Non-credentes nulla ſit proportio; proin *communio* inter eos non poſſit conſtare. quam hoc ipſo manifeſtè ſupponit dari inter Credentes. Sic habent verba Apoſtoli:
2 Cor. VI. 14. *Ne impari jugo copulamini cum Non-credentibus. quodnam enim conſortium eſt Juſtitiæ cum iniquitate? & quæ* COMMUNIO LUCI CUM TENEBRIS? *Et quæ concordia Chriſto cum Belial?* ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου *aut quæ pars communionis Credenti cum Non-credente?* h. e. quæ inter eos conjunctio, & quodnam conjunctionis fun-
2 Sam. XX. 1. 1 Reg. XII. 16. damentum? Phraſis eſt petita ex Scriptis V. T. Datur igitur

Com-

Communio aliqua *inter Credentes*. Imo ſanè datur. Qui enim fieri poſſit, ut qui communes inter ſe habent res plures & præſtantiſſimas: qui in eundem credunt Servatorem; eandem ſperant ſalutem; eadem participant dona gratiæ; ab eodem animantur & perficiuntur Spiritu; & in eandem omnes adſciti ſunt familiam; quibus eſt εἷς κύριος, μία πίστις, καὶ ἓν βάπτισμα, ut cum Apoſtolo loquar; ſive, qui *ſunt unius ſpei, voti, & diſciplinæ*, quæ Tertulliani phraſis eſt: inter eos non vigeat *communio*? Quare utique rectè & ſanè in Symbolo Apoſtolico, ſive potius Eccleſiæ Romanæ, ut poſterioribus Chriſtianiſmi ſæculis editum eſt, docemur credere COMMUNIONEM SANCTORUM. Et in illum ſenſum Cyprianus: *Eccleſiæ* UNITATEM *qui non tenet, tenere ſe fidem credit?* Epheſ. IV. 5. Ad Uxor. Lib. II. Cap. IX. De Simplic. Præl. ſive de Unit. Eccl. p. m. 164.

V. Sed cum *Communionis* notio ſit πολύσημος, & varia poſſit ſignificare, ut nimirum varia dantur *Communionis* genera, tum etiam *Communio* ipſa, qualiſcunque illa ſit, diverſis modis exerceri: ad rem præſentem faciet ut hanc *Communionem Credentium in Chriſtum* ſecundùm varios hujus notionis uſus accuratius tum definiamus tum declaremus.

VI. *Communionem* in genere non malè quis dixerit *Statum duorum aut plurium in ſe mutuò relativum, quo qualemcunque rem inter ſe communem habent. Communio* ipſa eſt σχετικόν τι *Relativum quid*, ſive, ut Ariſtotelis dictione utar, ἐκ τῶν πρός τι. Illius *Subjectum* eſt *Res* ipſa, quæ communis eſſe ſtatuitur. *Fundamentum*; cauſſa, ratio, aut qualecunque jus, unde communitas illa oritur. *Terminus* qui dicitur, ipſæ illæ Perſonæ, duæ aut plures, inter quas communio illa conſtat.

VII. Videtur autem omnis *Communio*, quæ varii admodum generis eſt, commodè diſtingui poſſe in *Paſſivam* & *Activam*. PASSIVA mihi dicitur quæ ſimpliciter conſiſtit communi poſſeſſione hujus vel illius rei, abſque quo per communionem illam poſſeſſores obligentur ad mutua quædam officia vi illius communitatis obſervanda: qualis eſt communio illorum qui ad menſam eodem gaudent cibo, aut liberorum familias, quibus communis eſt erciſcunda hæreditas. ACTIVAM appello, quæ ejuſdem communitatis ſocios ſimul obligat ad *Actus*, ſive potius *Officia* quædam, vi illius Communionis ſibi mutuò præſtanda: qualis

N eſt

est communio Civium, unam facientium Civitatem & Rempublicam, qui cum unis iisdemque in Civitate gaudeant beneficiis & prærogativis, simul ex mutua confœderatione & consensu per Leges obligantur ad varia officia pro vario quo sunt gradu aut dignitate commodo publico impendenda ad totius Civitatis salutem. *Leges* enim, quæ officia cuique in Civitate distribuunt, verè sunt Fundamentum Societatis Civilis.

VIII. Utriusque generis illam tam *Activam* quam *Passivam Communionem* rursus contemplari licet, vel ut *Internam* vel *Externam*, vel denique *generis mixti*, ex *Interna* & *Externa* compositam. *Internam* voco quæ est bonorum Spiritualium, aut quæ affectu animi constat. *Externa*, quæ Augustino *Corporalis Communio* dicitur, *bonorum* est Corporalium, vel *Ritibus* aut *Officiis Externis* absolvitur. Mixti generis illa ex utraque componitur: ut facilè quisque per se ex ipsa hac appellatione colligat.

IX. Quæ jam si referamus ad *Communionem* illam, quam Credentes inter se colunt & exercent: deprehendemus singula hęc, quæ modò notavimus, in ea obtinere. Et *primò* quidem nemo neget, *Communionem Credentium* esse *Passivam*, quatenus eorum ad varias res una eademque relatio, & plurium bonorum communis possessio est ex eodem jure sive titulo. Communis est omnibus Christianis Religionis Doctrina, quâ instituuntur Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. venerari ut auctorem æternæ salutis homini misero ex mera liberalitate decretæ, iidemque impetrandæ per obedientiam Filii Dei, Christi Jesu, & ad sententiam Dei Patris applicandæ per gratiam Spiritus Sancti. Idem iis est sanæ Doctrinæ Principium, Codex Librorum Veteris & Novi Testamenti, sic dictus. Eadem proin Fides, & cum Fide χαρίσματα, Scientiæ, Sapientiæ, Σωφροσύνης, Reverentiæ Dei, & qualiumcunque Virtutum Christianarum. Inde communia ipsis Beneficia Gratiæ, *Justitiæ*, *Liberta-*
2 Tim. II. 10. *tis*, *Sanctimoniæ*, & *Conservationis*. Eadem spes *magna salutis* μετὰ δόξης αἰωνίυ. Tandem, cum Doctrinæ Religionis ipsa respon-

✠ Livius de Romulo, Lib. I. Cap. VIII. *Rebus Divinis ritè perpetratis, vocatâque ad concilium multitudine*, QUÆ COALESCERE IN UNIUS POPULI CORPUS NULLA RE, PRÆTERQUAM LEGIBUS, POTERAT, JURA DEDIT.

ſpondere debeat Religio: idem Chriſtianis omnibus eſt CULTUS Dei in Chriſto, tam Privatus quam Publicus, ejuſque Symbola, quæ SACRAMENTA appellamus. Pauli verba: *Per* UNUM SPIRITUM *nos omnes in unum Corpus* BAPTIZATI SUMUS, *& Judæi, & Græci, & ſervi, & liberi, & omnes* POTI SUMUS *in eundem Spiritum*. h. e. ut eadem Spiritus Dona & Operationes participaremus. 1 Cor. XII. 13.

X. Quandoquidem verò *Communio Credentium*, quam cum Deo in Chriſto & *inter ſe* habent, eſt *Fœderalis*, ſive *Confœderationis*: nemo dubitet, eandem quoque eſſe *Activam*, h. e. Chriſtianos vi illius Communionis obligari ad officia quædam mutuò ſibi exhibenda in totius communitatis, ſive Societatis, commodum. Chriſtiani conſtituunt *Civitatem* quandam, quam Paulus vocat πόλιν Θεοῦ ζῶντος *Civitatem Dei viventis*; Ἐκκλησίαν, ſive *Populum* inter ſe devinctum & coactum in *Cœtum*; unum Σῶμα *Corpus*, quod ex multis compoſitum eſt membris: πλῆθος πιστευόντων, *Multitudinem Credentium* in comitia conſcriptam. qui πολλοὶ *multi* faciunt ἓν σῶμα UNUM CORPUS, cujus Caput eſt Chriſtus, ſecundum Apoſtoli dictum: Ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν UNUM CORPUS MULTI SUMUS. Cum verò Vinculum & Fundamentum omnis Societatis ſint LEGES, per quas plures *libero conſenſu* in unum *Corpus* compinguntur & coaleſcunt; Leges autem *Vinculum* ſint Societatis, quatenus cuique Societatis membro *officia*.imperant, in totius Communitatis ſalutem obſervanda: ſic ſanè Chriſtiani *Legibus*, ſibi à Chriſto Principe, Rege, & Imperatore ſuo, præſcriptis, devincti obſtrictique ſunt ad qualiacunque officia *charitatis* ſibi invicem exhibenda ad promovendam univerſorum & ſingulorum Civitatis membrorum maximam utilitatem. Sic ubique docet in Epiſtolis ſuis Paulus. *Ne ſua*, ait, *quisque ſpectetis, ſed etiam quæ ſunt aliorum*. Et quidem cum in Civitate Chriſtiana Princeps Credentium Chriſtus non communia tantum omnibus, ſed & peculiaria quædam privis diſpenſet officia & munia, iiſque reſpondentia χαρίσματα: Communionis ſanctorum eſt, ut *ſinguli* quoque *quæ acceperunt dona in commune commodum promptè & alacriter conferant*: quomodo ferè Catechiſtæ Heidelbergenſes ſuam de hoc argumento exponunt ſententiam. Sic Paulus, ad Epheſios: *Is igitur* (Chriſtus:) *dedit alios*

Hebr. XII. 22. 1 Tim. III. 15. 1 Cor. XII. 12. Act. IV. 32. Phil. II. 4. Epheſ. IV. 11, 12.

alios quidem Apostolos; alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, Pastores, & Doctores, ad concinnationem sanctorum, ad opus ministerii, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ AD ÆDIFICATIONEM CORPORIS CHRISTI.

XI. *Utraque* autem hæc *Communio*, quæ inter Christianos homines intercedit, quà *Passiva* quà *Activa*, non tantum est *Interna*, quæ dicitur, & *spiritualis*, sed & *externa*. *Internam* utrobique & *mysticam* esse Credentium Communionem tam Activam quam Passivam, nemo dubitat. Beneficia enim Gratiæ, quæ in Communione Passiva participant, sunt spiritualia, & respiciunt hominem, ut mysticè unitus est Christo. Fides autem, quæ omni Communioni Activæ instar basis substrata est, & *affectus* animi quo Credentes feruntur in consortes ejusdem Fidei, est μυστικόν τι & *spirituale*. Quæ tamen eadem *Activa* Credentium Communio est *Externa*, quatenus Affectus animi, quo Christiani in se mutuò feruntur, ipso opere & officio externo demonstratur. Fratres in publico Cœtu docere, exhortari, arguere, eorumque quolibet casu providere necessitatibus; tum quoque eos per disciplinam sacram coërcere & castigare, & pœnitentiæ Leges iis præscribere: non est merè μυστικὸν, *sed externum* quoque, &, sano sensu, *corporale*. Exercitia enim hæc non terminantur operationibus mentis, sed instrumento corporis peraguntur, & exterioribus nostris sensibus hauriuntur. cujus generis res vocare solemus *externas* & *corporales*, etiamsi vel maximè substratum sibi habeant Fundamentum *spirituale*.

XII. De *Passiva* majore jure quis ambigat, num quoque *externa* dici possit. Beneficia enim Gratiæ, quorum μετοχὴ Credentes inter se constringit, merè sunt *spiritualia*, & unicè respiciunt τὸν ἔσω ἄνθρωπον. Sano tamen sensu *Passivam* quoque Credentium *Communionem* dicere audemus *Externam*, eamque distinguemus in VERAM ac *Propriam*, & FIGURATAM *ac Symbolicam*.

XIII. VERAM & *Propriam Communionem Passivam Externam* Credentes inter se colunt, quoties in Cœtu participant Lectionem Verbi Divini Publicè factam, Conciones & Exhortationes ad explicandam Religionis Doctrinam aut emendandos mores à Præfectis Ecclesiæ habitas, & Cantum quoque Divinis laudibus

bus prædicandis consecratum. Utique ubi in Cœtu Publicè celebrantur sacra: Credentes *passivè* veniunt in communionem eorundem *bonorum*; quæ quatenus exterioribus excipiuntur sensibus, *externa* appellari debent.

XIV. SYMBOLICAM & FIGURATAM Communionem *passivè* inter se colunt Credentes in publico & solenni usu Sacramentorum Gratiæ, *Baptismi & Cœnæ Domini*. Sub hisce enim Symbolis & figuris Dominus clarissimè repræsentavit, habere Credentes partem singulos suam de iisdem beneficiis Gratiæ, & hoc argumento illos validissimè obligari ad arctissimum interioris & fraternæ amicitiæ commercium. Ubi enim videmus, plures eandem Religionis Doctrinam profitentes *unâ* eâdemque mergi *aquâ*, & jam veluti mersos & necatos, emergere rursus, & tanquam ex morte suscitatos ad novam lucem vitamque prodire: quid ea res aliud evidentius ad mentem meam referat, quàm Credentes ejusdem *Mortis* & *Vitæ* virtute communionis, quam cum Christo Jesu colunt & profitentur, participes esse? Quando rursus ipsi illi Christianæ professionis homines ad *eandem mensam* eundem participant *cibum & potum*, tanquam vitæ suæ spiritualis symbolica alimenta: quis non mox in hanc veniat cogitationem, illos eandem agnoscere vitæ suæ spiritualis caussam, *obedientiam Christi*, & hac ipsâ communione consociari ad mutua sinceræ charitatis officia? Sic utique Paulus 1 Cor. XII. 13.
omnes in Christum Credentes *baptizari* ait εἰς ἓν σῶμα *in unum corpus*, & *potari* εἰς ἓν πνεῦμα *in unum spiritum*.

XV. Facilè tamen quisque mihi concesserit, *Communionem Credentium Passivam Externam* multò clarius κατὰ τύπον καὶ σύμβολον exhiberi in *Sacramento Dominicæ Cœnæ*, quam *Baptismi*. Cœna enim Sacramentalis directè in eum finem à Domino instituta est, ut instar clarissimæ figuræ & picturæ in imagine exhiberet *Communionem*, quam Christiani inter se & cum Christo colunt in statu Gratiæ, & olim longè perfectiore modo colent in statu consummato futuræ Gloriæ. quæ caussa jam & certissima ratio est, quod ipsi *Sanctæ Cœnæ* tam vetere Ecclesiæ phrasi, petitâ ex *priore* Pauli ad Corinthios Epistola, quàm ex usu 1 Cor. X. 16.
Ecclesiæ nostri temporis adhæserit nomen ✠ *Communionis*, De

N 3 Com=

✠ Joh. Damascenus de *Orthod. Fid.* Lib. IV. Cap. XIV. Κοινωνία λέγεταί τε καὶ

Communie: locis dudum ab aliis observatis. Nec dissimulem Albaspinæum, Aurelianensem Episcopum, *Ecclesiæ Rituum* ex Usserii testimonio *scientissimum*, in *Observationum* suarum *Libris* datâ operâ evicisse, primis Christianismi purioris seculis *Communionis* vocabulum in *Canonibus* Conciliorum passim longè latiore sensu acceptum esse pro omni qualicunque *Communione Externa* tam Passiva quàm Activa, quam nos in superioribus descripsimus: quin sæpè usu venire, ut in *Conciliorum* Antiquorum *Canonibus* sub notione *Communionis* in re sacra prorsus non intelligatur *Communionis illa Externa Symbolicæ species*, quæ in Cœna Sacramentali exercetur, hoc nostro tempore hoc nomine & titulo notissima. *Communionem*, ait Vir Doctus, *latius multò patere quam Eucharistiam vel ex eo perspicuum esse potest, quod Ecclesiæ Communionem accipere atque adeo ad eam pœnitentes* SINE EUCHARISTIA *possint admitti.* COMMUNIO *igitur, quæ aut ad res sacras, aut ad vitæ consuetudinem & hominum societatem pertinet, prorsus ea omnia complectitur. Qui enim omnimodè communicabat, non solum in rebus sacris & Eucharistia, sed etiam in omnibus omninò rebus, quæ in hominum vita & commercio versantur, cum cæteris fidelibus communicabat. Communionis* igitur notionem Christiani Veteres non restringebant ad Eucharistiam, sed per eam, latiore usu vocis, intelligebant omnem illam consuetudinem & interioris amicitiæ commercium, quod inter *ejusdem Fidei consortes* tanquam *fratres* & *sorores*, intercedit. Illos itaque, quos pro *fratribus* habebant, admittebant ad communionem *Colloquii*, & Consuetudinis, Lectionis & Expositionis Divini Verbi, & vel maximè *Precum*. Illos in Conventibus Publicis *osculo* excipiebant. Illorum acceptas habebant *oblationes*. Illorum nomina in diptychis recitabant Episcopi, habebaturque adeo illorum ratio in Precibus Ecclesiæ. Imo sanè illorum quoque providebant necessitatibus, (quo sensu κοινωνίας vox peculiari sumitur in Actis ἀπὸ τῆς κλάσεως τοῦ ἄρτου distincta:) & denique illos admittebant ad sanctissimam Mensæ Domini Communionem. quorum

Observat. Lib. 1. Cap. 1.

Act. 11. 42.

καὶ ἔστιν ἀληθῶς COMMUNIO *dicitur* (Sancta Cœna) *& verè est, quia per eam Christo communicamus, ejusque carnis & divinitatis participes sumus:* κοινωνοῦν δὲ καὶ ἑνοῦν ἀλλήλοις δι' αὐτῆς, *tum etiam quia* PER ILLAM INTER NOS COMMUNIONEM HABEMUS, ET UNIMUR.

rum contraria obtinebant in *Excommunicatione*. Ut enim nobis hoc tempore *Excommunicari* dicitur qui ex publica Ecclesię sententia ad Mensam Domini non admittitur: sic omninò latior longè & amplior erat tum usus hujus vocis, tum ipsius hujus rei interpretatio apud Veteres. Quod cum alibi quoque à nobis traditum est: tum verò idem ille Vir Doctus, cujus modò cum honore mentionem injiciebamus, disertè inculcat. *Atque*, ait, *ut Jus illud Communionis situm erat* IN OMNIUM RERUM HUMANARUM ET DIVINARUM PARTICIPATU ET SOCIETATE: *ita Excommunicatorum diversa omninò erat conditio. Non solùm à sacris arcebantur; sed etiam omnes eos aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes eos ut putre membrum & resecandum fugiebant, cum iis rationem inire aut rem ullam contrahere nefas erat: nemo eos salutatione, nemo fratris appellatione, nemo aspectu, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicabat, tantâ severitate, ut ne quidem preces cum iis adhibere liceret.* Certè illos omnium sacrorum secludebant commercio; proinde etiam loco ipso, in quem sacrorum celebrandorum caussâ Credentes conveniebant. longè aliter ac nostri temporis consuetudine receptum est. Ego verò facilè patior Albaspinæum fructu hujus suæ diligentiæ gaudere: etsi sanè loca, quæ ad hypothesin suam adstruendam attulit, omnia peræquè in illos sensus non admittam. Mihi nunc sufficerit, passim non negari, in *Communione Mensæ Domini* edi clarissimum exemplum & argumentum *Communionis Christianorum*: proinde ipsam *Communionis* notionem non ineptè ad eam peculiari quodam sensu transferri.

De Synagog. Vet. Lib. III. Part. I. Cap. X. d. I.

XVI. Quæ cum ita habeant: non videtur omninò rectè de usu & scopo Dominicæ Cœnæ disputare nuperus *Novarum Cogitationum de Primo* & *Secundo Adamo*, & *Dissertationis de Cœna Domini*, iisdem subjectæ, Auctor. Nititur *illâ Dissertatione* Vir Doctus adstruere, Christum Jesum in instituenda Cœna Sacra hunc unicum sibi præfixisse scopum, ut mortis & dirorum παθημάτων ipsius memoria in Ecclesia celebraretur. neutiquam verò ut Christiani hoc symbolo monerentur, *se unum corpus, multò minus arctam quandam familiaritatem & necessitudinem cum reliquis ejusdem mensæ consortibus inire & profiteri*: simul refellit argumentum quod pro illa sententia produci solet *ex priore*

Pag. 3.

1 Cor. X. 16, 17.

Pauli

Pauli ad Corinthios *Epistola*. Mihi verò, dum aliud in hac *Diatriba* ago, minimè nunc propositum est hanc dissertationem per partes, & singulatim, excutere. In genere solummodò observabo, illam sententiam abludere ab omni ratione probabili. Utique enim constat, Sanctam Cœnam esse *Epulum Fœderale*, Matth. xxvi. 28. quia Dominus *Vinum* symbolicè vocavit τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης *sanguinem* Novi Foederis. *Fœderale* autem si sit: censeri debet institutum esse à Domino ad universum *Fœdus* Gratiæ secundùm omnes suas partes confirmandum & veluti obsignandum. inter cujus conditiones cum non tantum sit *amor Dei* sed & *charitas fratrum*: quidni perinde repræsentet Cœna *Communionem Fratrum*, ac *ipsius Communionem Dei & Christi*? Illa enim duo non modò optimè inter se consistunt, sed & mutuò se supponunt & involvunt. Tum prætereà in *Fœderalibus Epulis*, quę φιλικαὶ ἑςιάσεις Veteribus dicebantur, id obtinet, ut convivæ omnes mutuo Fœderis & amicitiæ vinculo inter se constringantur, ut vel ex exemplis, quæ Sacer Codex suggerit in Historia Gen. xxvi. 30, 31. Gen. xxxi. 54. 2 Sam. iii. 20. Isaaci, Jacobi, & Davidis, clarissimè evincitur. Quin sanè ratio reddi non potest, quare Dominus memoriam *Mortis suæ* in *Communi Convivio* celebrari voluisset à Credentibus, *si hâc ipsâ Communis* Convivii communitate & participatu illos ad mutuam amicitiam & necessitudinem noluisset obligare, & hoc ipso symbolo, quod eam in rem aptissimum erat, simul mutuam illam Credentium communionem figurare. Nihil insuper certius, quàm Convivia, quæ Religionis caussâ inter Gentes eorundem sacrorum participes publicè celebrantur, hoc fine & scopo passim institui, ut animi variæ cæteroquin indolis, generis, & conditionis hominum hoc ipso argumento & symbolo inducerentur ad mutuam amicitiam & communionem. Nulla enim conjunctio animorum est arctior, & constantior, quam quæ ex communione sacrorum & Religionis oritur. Notavit illud in *Historia sua* non uno loco Dionysius Halicarnassensis. Laudat ille datâ operâ prudentiam Romuli, quod in Civitate à se condenda non tantum Religionis disciplinam diligenter constituerit, & cuique Curiæ sua partitus sit sacra; verum etiam *Festis Diebus* in Locis Publicis post sacra, ritè & solenniter peracta, Epula frugalia inter ejusdem consortes Religionis haberi præceperit,

perit, ut animos Civium hoc ritu inter ſe conjungeret. quod inſtitutum ex Lacedæmoniorum diſciplina ipſum petiiſſe ſcribit, apud quos Lycurgus magno ſuæ Civitatis commodo ejuſmodi φιλίτια ordinaverat; *hoc enim pacto*, ait, *Cives pacis tempore ad frugalem vitam & moderatum victum aſſuefecit*; ἐν πολέμῳ δ' εἰς αἰδῶ καὶ πρόνοιαν καταςήσας ἕκαςον τῦ μὴ καταλιπεῖν τὸν παραςάτην, ᾧ καὶ συνέσπεισε, καὶ συνέθυσε, καὶ κοινῶν ἱερῶν μετέσχε, *in militia verò pudorem iis & cautionem ingeſſit*, NE QUIS MANIPULAREM SUUM DESERERET, CUM QUO *libaſſet*, *rem Divinam feciſſet*, & COMMUNIUM SACRORUM FACTUS ERAT PARTICEPS. (Antiq. Rom. Lib. II. p. 93.)

Deinde Tarquinii Superbi aſtum deſcribens, quo Latinos varii nominis & ortus Populos in unam conjunctos ſocietatem, ſuo imperio ſubjecit; obſervat, Tarquinium, ut confœderationem illam *ſempiternam* redderet, deſignaſſe commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, & Volſcorum, qui ſociorum numero adſcripti eſſent, ἵνα συνερχόμενοι καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, πανηγυρίζωσι, καὶ συνεςιῶνται, *ut quotannis ibi ſolennem Cœtum agitantes*, *unà* EPULARENTUR, *& communia ſacra participarent*. (Lib. IV. p. 250.) Aliis, quæ ad hoc argumentum illuſtrandum peti poſſunt ex Lazio, Stuckio, & Petro Fabro, ſuperſedeo. (Lib. III. Comm. Reip. Rom. Cap. III. Antiq. Conviv. Lib. I. Cap. XXX. Semeſt. Lib. I. Cap. VI.) Convivia igitur inter plures Religionis cauſſa inſtituta, cum per ſe arctiſſimam animorum conjunctionem, ſymbolo in hanc rem aptiſſimo, figurent; tum verò etiam, ad eam figurandam apud pleroſque Populos olim adhibita fuerint, & vel maximè in Fœderibus, hoc ritu ſolenniter confirmandis: quis mihi cum ratione negabit, *Chriſtianorum Cœnam*, in quam hæc ſingula concurrunt, eo etiam ſcopo à Domino inſtitutam eſſe, ut Chriſtianos inter ſe amoris atque amicitiæ glutino conſociaret atque compingeret, eoſque ad mutua fraternæ communionis officia obſtringeret? Et eſt hæc verè doctrina Pauli in *Priore Epiſtola* ad Corinthios: *Quia unus eſt panis*, ait, qui nobis ſymbolicè in Dominica Cœna exhibetur, UNUM CORPUS *nos illi* MULTI SUMUS: *nam omnes ex uno pane participamus*. (1 Cor. X. 17.) Dehortatur Apoſtolus hic *Chriſtianos Corinthios* ab idololatria, ejuſque omni qualicunque ſpecie externa, quæ locum habere poſſet in commercio cum Gentilibus: duabus uſus rationibus, deſumptis à myſterio Cœnæ Dominicæ. In Dominica enim Cœna profite-

mur communionem cum *Christo*, & cum *fratribus*. Cum Christo autem qui communionem profitetur: oportet abstineat idolis, cum quibus Christo non constat, ℣s. 16. Cum fratribus verò qui participatu unius panis in unum compingitur corpus, oportet judicii illorum imbecillitati indulgeat, ℣s. 17. Qui enim *multi unum eundemque panem*, Christum, participant, illos moneri ait hoc ipso symbolo, se *unum* esse *corpus*, proinde oportere ut charitatis erga fratres omni casu rationem habeant. Idem urget Apostolus in consequente orationis contextu, ubi
Cap. XII. 13. cum dixisset, omnes Christianos, *Judæos & Græcos*, *Servos & Liberos*, IN UNUM *Corpus baptizatos*, *& unum potos esse Spiritum*; ex hoc ipso rationis argumento prudenter colligit, quemque illorum validissimè obligari ad dona, quæ Divina Gratia sibi impertiit, communibus totius Corporis Ecclesiæ usibus impendenda. Ut adeò nihil certius sit quàm in *Cœna* esse repræsentamen quoddam *Confœderationis* & *Amicitiæ*, ad quam Christiani vi Communionis, quam cum Christo habent, obligentur, non ita quidem ut cum singulis *necessitudinem* & *familiaritatem* in civilis vitæ commercio contrahant, colantque; quod veluti absurdum Vir Doctus ex nostra illa hypothesi per modum consectarii elicit: id enim sanè neque Communionis Christianæ Leges necessariò exigunt, nec Credentium multitudo multis locis permittit: sed ut animis in Domino Jesu inter se conjunctissimi, dotium spiritualium, & bonorum temporalium beneficia, quę à Deo acceperunt, cum fratribus ad salutem commodaque illorum promovenda communicare parati sint, quando id res & casus tulerint.

Caput

CAPUT VIII.

Propius acceditur ad Problema de Communione *Christianorum* Externa, absoluta *an* hypothetica, *resolvendum. Quare ipsæ notiones* Communionis ABSOLUTÆ *&* HYPOTHETICÆ *in antecessum explicantur, & similibus, huic rei congruentibus, illustrantur. Deinde post propositum* Statum *qui dicitur* Controversiæ *de hoc gravissimi momenti Dogmate, in genere monetur,* primæ Ecclesiæ Christianæ *Doctores omnes* ABSOLUTAM *supposuisse & ursisse* Christianorum Communionem; HYPOTHETICAM *ignorasse, vel de ea minus explicitè scripsisse; nec tamen alios acrius hanc hypothesin tuitos esse* Donatistis. *Quod ut patescat: systemata Doctrinæ Veterum de* Ecclesia *&* Christianorum Communione *ante tempora Donatistarum, ex* Tertulliano *præcipuè &* Cypriano; *tum ipsorum* Donatistarum *sententiæ de ipso hoc argumento ex ipsorum &* Augustini *Libris; & denique ipsius* Augustini, *distinctè & cum aliqua cura exhibentur. De Augustino speciatim observatur, discrimen* Ecclesiæ Externæ *&* Internæ *illum non fugisse.*

HIs præmissis, quæ in antecessum de discrimine *Communionis Credentium Activa* & *Passiva*, & utriusque rursus, *Interna* & *Externa*, *Vera* & *Symbolica*, necessariò monenda habui: subjicio nunc *Quæsitum*, quod præcipuè consilii mei fuit in hac dissertatione discutere; *An* nimirum *omnis qualiscunque Communio, qua inter Christiana professionis homines intercedit, tam Interna quam Externa, eaque tam Vera quam Figurata, sit Absoluta, qua nullius admittat exceptionem conditionis, num potius Hypothetica*, sive *Conditionata*, quæ dicitur, h. e. *sub hac vel illa conditione*, ad quam restringitur, *ab iis colatur & exerceatur?* In

quo *Quæsito* cum novæ, & hactenus non explicatæ occurrant notiones *Absolutæ* & *Hypotheticæ Communionis*: paucis quoque earum mihi tradenda erit expositio, antequam in rem ipsam veniam, ut in liquido versetur oratio, & omnis in consequente disputatione verborum excludatur ambiguitas.

II. Absolutam voco *Communionem*, quę ἁπλῶς *simpliciter* & absolute, absque ulla adjecta vel supposita *conditione*, admittitur atque exercetur. quod obtinere potest in *Communione Fœderali*, ubi omnia, quæ Communioni illi, quam ingressurus sum, instar Fundamenti substernuntur, sub meam cadunt cognitionem, h. e. tam *Conditiones Fœderis*, quàm *Attributa* Subjecti unius aut plurium, cum quibus amicitiæ pactum mihi ineundum erit. Sic utique Communio, quam cum Deo & Christo in OEconomia Gratiæ colimus, est *absoluta*, & absque *hypothesi* à Credentibus tam initur, quam colitur. Qui enim *Conditiones Fœderis* Gratiæ ex pura Evangelii Doctrina probè intellexit, & de Attributis ac Virtutibus veri Dei, Patris, Filii, & Spiritus S. ritè edoctus fuerit: potest, si conditiones Fœderis sibi placeant, *absque hypothesi* se committere Fidei Dei & Christi Jesu, & ἁπλῶς *absolutè* ac simpliciter ipsius inire & colere communionem. Nihil quicquam est quod hanc communionem limitet aut restringat. Sic pariter, si quis huic vel illi Civitati adscribi cupiat, illo Communionis genere, quod nos *merè externum* appellamus: in societate illa admittenda nihil limitat aut restringit, modò *Conditiones*, sive *Leges*, sibi probè cognitæ & perspectæ arrideant. Et eadem ferè ratio est *Communionum* omnium illius generis, quæ merè *Externæ* sunt & *Corporales*. Nulla enim est caussa, quare illę non semper *absolutè* tum admittantur tum celebrentur. Sed alia, & ab his distinctissima est ratio *Communionum*, quæ sub hac vel illa *hypothesi* ineuntur, quam Communionis speciem Hypotheticam vocamus: cujusmodi locum habet Communio, ubi quædam Fœderi supponuntur sive substernuntur, de quibus probabili quidem judicii mei προλήψει aliquid præsumere & anticipare possum, attamen in certam, indubiam, & liquidam cognitionem meam, qualis ad *absolutum judicium* requiritur, non cadunt. Fac esse qui, ut apud Comicum Tyndarus ille, Hegionis filius, ætate puerili furto surre-

surreptus ex paternis ædibus, ad suos post longi temporis tractum reversus, fratribus & sororibus suis se veluti ejusdem familiæ natum probabilibus indiciis, nec tamen certis & omni exceptione majoribus argumentis, commendet, eorumque *communionem* hoc nomine petat. Fac prætereà illos ad probabilium illorum indiciorum speciem hominem illum ut *fratrem* in familiæ suæ societatem admittere; non tamen ἁπλῶς & *absolutè*, quia hactenus ex certissimis indiciis de cognatione illa ipsis non constitit, nec constare fortè unquam liquidò poterit, sed ὑποθετικῶς, sive sub *conditione*, si non fallantur judicio in *hypothesi* de *cognatione*, quæ societati illi sive communioni instar basis substernitur: illa sanè *Communio* illius erit speciei, quam nos vocamus *hypotheticam*, quia non absolutè, sed sub hypothesi initur & colitur.

III. Cujus generis jam est dicenda *Communio* illa, quam Christiani homines inter se agunt coluntque? Coëunt illi in cœtus publicos ut *fratres* & *sorores*. Unà celebrant sanctæ Religionis sacra & mysteria. Observant *stationes* in Precibus sub signo unius Imperatoris. Assident uni iidemque mensæ tanquam qui participatu *unius cibi* compingantur in *unum corpus*. & nihil omninò rerum est cujuscunque generis, tam temporalium quam spiritualium, quod non lubenter, si necessitas id exegerit, ex sincera charitate [a] *communicent* cum fratribus & sororibus suis in Christo. Est igitur hæc *Communio* ejusmodi, ut nulla dari possit eâ arctior & purior. Qualis verò illa, inquam, an *Absoluta*, an *Hypothetica*?

IV. Si Veteris Ecclesiæ Christianæ Doctores hic consulamus: videntur passim hanc amplexi esse sententiam, *Communionem Credentium* in Sacris Publicis, Cœna Domini, & mutuis fraterni amoris officiis, non celebrari sub *hypothesi*, sed ἁπλῶς *absolutè*. Supponebant illi & persuasum sibi habuisse videntur, omnes, qui baptismali aquâ post antecedaneam præparationem ritè tincti, Ecclesiæ Christianæ adjunguntur, per gratiam Spiritus S. verè *regenerari*, atque adeò Ecclesiam Christianam

(a) Tertull. Præscript. adversf. Hæret. Cap. xx. *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis; quæ alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio?*

stianam esse cœtum hominum, qui secundum potissimam sui partem (hypocritis nimirum, qui pauci numero in ea latere poterant, exceptis:) *gratiam* Spiritus S. *renovantem* & *sanctificantem* participabant. proinde *Ecclesiæ* adscriptum esse, ferè tantundem esse ac *Cælesti* adscriptum esse *Civitati*. Nomen suum in diptychis Ecclesiæ habere, idem ferè esse quod nomen suum inscriptum habere ipsi albo electorum Dei. *Ecclesiæ* contrà *communione secludi*, sive, *Sacramento Corporis & sanguinis Domini exauctorari*, & *arceri ab omni communicatione fraternitatis*, Tertulliani rursus dictione; dubiam facere spem salutis & [a] æterni exitii metum incutere: quippe supponebant, extrà *Communionem Ecclesiæ externam*, quam cum *Communione sanctorum mystica & spirituali* confundebant, neminem servari. Tum prætereà, quæ his affinia sunt, & ex eodem fonte hausta; Episcopos in Ecclesia Christiana ipsius Christi Jesu vices & personam sustinere; ab iis, ritè & ordine electis, qui se separabant, se simul separare à communione ipsius Christi; qui ab Episcopis post pœnitentiam publicè secundum disciplinæ Ecclesiasticæ canones actam *absolvebantur*, & dignitati suæ restituti *osculo pacis* honorabantur; ab ipso Deo & Christo Judice *absolvi* in Foro Cœlesti: denique quæ omnium ejusmodi hypothesium audacissima erat, actum esse de salute omnium illorum, qui se in *schismate* secernebant *ab externa* Ecclesiæ & sacrorum *Communione*: etiamsi hactenus nec hæresi infecti, nec criminibus, professionem Christianismi destruentibus, obstricti essent. Quæ singula facile mihi foret ex sententiis & disciplina Doctorum Ecclesię primævę prolixè adstruere, si peritioribus ignota essent, aut ratio instituti nostri id permitteret. Nunc solummodò provoco ad Epistolam *Cypriani ad Magnum*, quâ totâ has ipsas, quas modò recensebam, hypotheses, supponit & urget: & verò inter alia de Novatiani schismate disserens, in hæc verba disertè scribit: *Quod si* UNA *est Ecclesia, quæ à Christo diligitur, & lavacro ejus sola purgatur:* QUOMODO QUI IN ECCLESIA (h. e. in Communione *Cœtus externi particularis*, qui partem facit

Ad Uxor. Lib. II. Cap. III.

Edit. Erasm. Lib. I. Cap. VI. Oxon. Epist. LXIX.

(a) Tertull. Apol. Cap. XXXIX. *Summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.*

cit Ecclesiæ Catholicæ Externæ:) NON EST, AUT DILIGI A CHRISTO, AUT ABLUI, ET PURGARI LAVACRO EJUS POTEST? *Propter quod cum sola Ecclesia habeat aquam vitalem, & baptizandi atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Novatianum baptizari & sanctificari aliquem posse, prius ostendat & doceat, Novatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ præsidere. Ecclesia enim una est, quæ una & intus esse & foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si autem apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit: Novatianus in Ecclesia non est.* Id ipsum est quod nos modo anticipabamus.

V. Cæterum etiamsi omnes ferè antiquiorum temporum Doctores has hypotheses communes habuerint: satis tamen constat, *Donatistas*, his ipsis principiis Cypriani & aliorum Africanæ Ecclesiæ Rectorum imbutos, eas vehementius adhuc ursisse, & ad extrema propulisse. *Donatistarum*, sive *Donatianorum*, celeberrimæ illius Africanæ factionis, sententiæ de natura Ecclesiæ sic ferè habebant: Ecclesiam Catholicam veram, non *internam* tantum sed & *externam*, (hanc enim duplicem Ecclesiæ faciem non distinguebant Veteres;) ex solis consistere sanctis. Sacramenta Gratiæ, Baptismi & Cœnę Domini, nullius esse usus & efficacię, nisi à sanctis & verè *regenitis* Ecclesię Rectoribus administrentur. proinde extrà illius Ecclesię Catholicę externæ communionem neminem servari. & denique omnes, qui in Communione Cœtus particularis, cui vitium aliquod adhæserat, erant baptizati, esse *rebaptizandos*, si se vellent in spe salutis confirmatos. extra enim *externam* illam Ecclesię *Communionem* salutem nemini à Deo conferri. Patent hæc abunde ex Augustino, variis Libris, quos adversus Donatistas edidit. Sic exertè adversus Parmenianum: *Inter omnia, quibus illorum sacrilegus tumor apparet, nullo se loco magis aperuit, quam in eo quod ausus est etiam illud Hieremiæ Prophetæ ponere, unde persuaderet cæteris hominibus, Communionem Donatistarum non solum Ecclesiam veram esse, sed etiam talem jam hoc tempore*, QUALIS POST ULTIMAM VENTILATIONEM ECCLESIA SANCTA FUTURA EST. De *Sacramentorum* verò usu & efficacia, si à *Non-Sanctis* administrentur, ubique agit adversus Parmenianum, Petilianum, & alios. Contrà Epist. Parmen. Lib. III. p. m. 63. Edit. Bas.

Audet

Advers. Parmen. Lib. II. Cap. XVII. *Audet etiam*, ait, *Parmenianus nobis exempla Divina proponere, quibus se arbitratur ostendere*, QUÆRENDUM ESSE HOMINEM SANCTUM, A QUO ACCIPI DEBEAT SACRAMENTUM. Et spectat omninò huc Petiliani dictum, ab Augustino refutatum: *Conscientia dantis attenditur qui abluat accipientis*. Nullum enim baptismum agnoscebat Petilianus ullius esse usus & efficaciæ, nisi à sancto & crimine vacuo homine administretur. Quandoquidem verò pro *sanctis* haberi nequeunt, qui veniunt in communionem vitiorum, criminum, scelerum, quę ab hypocritis aut malis commissa sunt: hæc stabat sententia Donatistis, neminem pro membro veræ Ecclesiæ haberi possè, qui commercium fraternæ Communionis colebat cum Cæciliano Carthaginensi, & Felice, Aptungitano Episcopo, qui illum *ordinaverat*, quorum posteriorem postulabant criminis *traditionis Librorum sacrorum*. cum quibus nihilominus cum præter Donatistarum sectam communionem profiterentur omnes in Italia, Gallia, & per Orientem diffusæ Ecclesiæ: prę se ferebant Donatistæ, illos omnes Christianismi & salutis suę fecisse jacturam, *& totum orbem Christianum rebaptizandum esse*, (Augustini verba sunt:) si spei salutis æternæ restituendus esset.

Adversus Petil. Lib. II. Cap. II.

Contra Petil. Lib. I. Cap. XVIII.

VI. Audaces sanè hæ erant & magnæ contemplationis hypotheses, quas tenebant Donatistę. Negari tamen non poterat, illos in hac sua disputatione ferè inhærere principiis, quæ plerique illius ævi celebres Ecclesię Doctores jam dudum admiserant: & constat satis, illos in hac caussę suę defensione provocasse ad auctoritatem Cypriani: ut adeò si crimina Felicis Aptungitani, & ipsius quoque Cæciliani, quę Donatistę *ipsis* impingebant, verè ab iis perpetrata fuissent; non inepte videri possent rationes suas collegisse. Unde etiam factum, ut ipse Augustinus, sententiis illorum refellendis seriò operam daturus, necesse habuerit aliquantum discedere ab hypothesibus, quæ passim apud Doctos illius temporis Viros de *natura Ecclesiæ* receptæ erant.

August. contrà Crescon. Lib. II. Cap. XXXIII.

VII. Nimirum Augustinus, aliique cum Donatistis congressuri, eosque convicturi schismatis, & Ecclesiæ matri conciliaturi, duobus modò id potuerunt tentare, vel, ut hypotheses Donatistarum de Ecclesia hactenus non convellentes,

sim-

simpliciter negarent *Factum*, quod Donatistæ schismati suo prætexebant, h. e. Crimina à Felice, Cæciliano, aliisque Catholicarum in Africa partium Episcopis commissa; vel ut missâ *Facti* operosiore investigatione, cum iis disputarent de *Jure*, quod dicitur, h. e. ipsas illas hypotheses, quas Donatistę in Vindiciis facti supponebant, aggrederentur & convellerent. Et verè utramque in hac controversia disputanda sequuti sunt rationem. Primò diligenter diluerunt crimina, Cæciliano objecta, quod à Traditore Felice Aptungitano ordinatus fuisset, &, ardente Persecutione Diocletianea in Africa, ipse Ecclesię Diaconus martyribus in carcere necessarium victum subministrare recusasset. Et potuerunt sane in hujus caussæ disceptatione pulchrè stare adversus Donatistas, siquidem certò constabat, ad ipsas Donatistarum importunas etiam petitiones, in Conventu Episcoporum Romano & Arelatensi, rem totam, jubente Imperatore Constantino, examini fuisse subjectam, & caussâ cecidisse Donatistas cum Episcopo à se electo confirmatoque Majorino; vicisse verò & absolutum solenniter esse Cæcilianum. nec tantùm modò; sed ipsum quoque Imperatorem Constantinum, rogantibus iterum Donatistis, litem per se ipsum examinasse, & Romani atque Arelatensis Conventus Episcoporum judicia probasse. cujus rei narratio prolixius peti potest ex Optato, & qui historiæ huic illustrandæ incubuit, Henrico Valesio. Et potuisset omninò disputatio Catholicorum cum Donatistis intrà hos consistere terminos. Sed planè id noluit Augustinus, prudenti hic usus consilio. Cum enim hoc schisma usque ad Augustini tempora jam ferè per integrum sæculum Ecclesias Africanas turbasset, & dubia quodammodò atque incerta haberi possit rerum ante illa tempora gestarum narratio, quę à contrariarum partium hominibus diversimodè traditur: ægrè habuit Augustinus victoriam veritatis suspensam teneri (a) à re vel minimum dubia atque incerta: proinde transtulit disputationem suam cum Donatistis à *Facto* ad *Jus*, & examini suo subjecit ipsas Donatistarum de Ecclesia hypotheses, quas ut certissimas passim hujus litis disceptationi subster-

De Schismat. Donatist. Cap. VI. & VII.

P

(a) Videri ea de re prolixè potest Augustinus in Libro de *Unitate Ecclesiæ*, Cap. II. & Cap. III.

sternebant. quod quomodo exequutus sit, operæ pretium est videre.

VIII. Augustini de *Ecclesia* sententiæ, quas tum ex cæteris Elencticis ejus adversus Donatistas, tum præcipuè ex Libro ipsius, doctè elaborato, de *Unitate Ecclesiæ*, collegi, fere sunt ejusmodi, α. Ecclesiam propriè esse Cœtum hominum, *verè* in Christum Jesum credentium, regenitorum, qui simul faciunt unum Christi Jesu ut *Capitis* Corpus mysticum. β. Latiore tamen sensu sumi pro Corpore hominum, veram in Christum fidem *externè* profitentium, & Christianam, secundum Evangelii disciplinam, colentium communionem. γ. Cum autem varii sint Cœtus hominum, qui inter Christianos sibi vindicant *nomen veræ Ecclesiæ*, ut olim Gnosticorum, Marcionitarum, Arianorum: discernendum esse verum Christianorum cœtum ab adulterino ex attributo *Catholicismi*. *Veram* enim Christi Ecclesiam inter alios Cœtus hujus nominis inter se distractos eam esse quæ *fidei suæ consortes* habet per totum orbem terrarum diffusos. δ. Extra *illius Ecclesiæ communionem externam* neminem posse servari magis quàm tempore Diluvii extra arcam Noæ. ε. Posse tamen in illa Ecclesia locum habere hypocritas, non paucos tantum sed & multos numero, secundum doctrinam Domini in Parabola Evangelica de *Zizaniis*. ζ. Ab *illius Ecclesiæ Communione* neminem se debere separare ob corruptos mores sive Rectorum, sive Plebis Christianæ, sed ferendos illos tolerandosque esse usque quò Dominus suâ providentiâ suscitet sive Principes & Imperatores bonos atque laudabiles, sive Ecclesiæ suæ de fidis prospiciat Pastoribus, qui Ecclesiæ labem ad animum revocent. proinde malè omninò instituere Donatistas, quod se ob crimina, quibusdam Catholicæ Ecclesiæ Rectoribus objecta, ab illius separarent communione. In his fere circulis versatur Augustini disputatio, & fit adeò ut hæ hypotheses Hipponensis Præsulis, optimi Viri, in variis ipsius Libris adversus Donatistas, identidem recurrant. Est tamen de quo distinctius Lectorem meum monere velim.

De Unit. Eccles. Cap. II.

De Doctrin. Christ. Lib. III. Cap. XXXII.

De Unit. Eccles. Cap. VI, VII. & seq.

De Unit. Eccles, Cap. IV.

Matth. XIII. 24.

IX. Et quidem *primò*, Augustinum verè distinxisse inter Ecclesiam, ut est *mysticum Christi Jesu corpus*, & *multitudo externa profitentium fidem in Christum, sub qua mysticum Corpus Christi Jesu latet*:

latet: rem esse certam & indubiam, quam ex Augustini scriptis dextrè notavit Doctissimus & Prudentissimus Vir, Joannes Claudius, inter novissimos Charentonensis Gallicanæ Reformatæ Pastores cum singulari honore nominatus, qui in *Vindiciis Reformationis*, quas felicissimè egit adversus Pontificiarum Partium celeberrimum superiore sæculo Patronum, Arnaldum, nobis clarissimum hac de re suggessit locum ex Libris Augustini de *Doctrina* Christiana, ubi Ticonii cujusdam, Donatistarum sectæ hominis, examinans Librum, quem *Regulas* inscripserat, ad *Regulam secundam*, quæ erat de *Corpore Christi bipartito*, hanc censuram stringit Augustinus: *Secunda est* (Regula) *de Domini Corpore bipartito: quod quidem non ita debuit appellari. Non enim revera Domini corpus est quod cum illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit de Corpore Christi* VERO *atque* PERMIXTO; *aut* VERO *atque* SIMULATO, *vel quid aliud, quia non solum in æternum, verum etiam nunc hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista Regula & sic appellari, ut diceretur, de* PERMISTA ECCLESIA. Non satisfecit sibi Augustinus quod rem teneret, nec tamen commoda appellatio in ea designanda ipsi occurreret. *Secundò* quod dixerimus, Augustinum hâc fuisse sententiâ, ob corruptos Ecclesiæ mores & disciplinam, *fide salvâ*, Ecclesiæ non esse deserendam Communionem: mirari quis meritò posset, nisi illud ex certissimis Augustini testimoniis in promptu esset evincere. Nempe Augustinus Parabolam Domini de *Zizaniis* ita intellexit, & identidem interpretatus est, ac si Domino propositum esset illâ Parabolâ Ecclesiam docere, propter *malos*, qui in Ecclesia sunt, non esse deserendam *communionem bonorum*, sed si fortè vitio sæculi aut Pastorum Ecclesiæ socordiâ accidat, ut mali majore copia cum bonis commisceantur, nullam instituendam esse *separationem*, sed *tolerandam esse malorum communionem usque ad tempus messis*, h. e. ut opinatus est Augustinus, *usque ad diem novissimi judicii.* Sic ipse diserte adversus Parmenianum: *Christus ergo, qui super omnia Deus est benedictus in secula, & qui verissimè de se ipso dixit, Ego sum via, veritas, & vita: cum servi ejus ab eo quærerent, utrum vellet eos ire & colligere zizania; Sinite, inquit, utraque crescere usque ad messem. Donatus autem dicit, zizania quidem crevisse,*

De Doctrina Christ. Lib. III. Cap. XXXII.

Defense de la Reformation, Tome II. Part. III. Chap. IV.

Advers. Parmen. Lib. II. Cap. II.

visse, frumenta verò esse diminuta. Eligant isti cui credant. Christus, id est veritas, dicit, ager hic est Mundus. Donatus autem dicit, agrum Dei in sola Africa remansisse. Eligant cui credant. Christus, id est veritas, dicit, in tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm Zizania: & exponit dicens, Messis est finis seculi. Donatus autem dicit, per præcisionem partis suæ ante messem à frumentis zizania separari. Eligant cui credant. Christus, id est veritas dicit, messores sunt Angeli. Donatus autem dicit, se atque Collegas suos hoc fecisse ante messem, quod ille dixit, Angelos in messe facturos. Et in sequentibus: *Christo, qui se ipsum pro nobis obtulit & noster in cœlo Mediator est, Ecclesiam suam gubernante, bonis mali non oberunt, qui vel ignorantur vel pro pace tolerantur,* DONEC IPSE VENIAT *ac separet præmissis messoribus à messe zizania, & ventilabro paleas à frumentis.* In hanc pariter summam colligit rationes suas in Libro de *Unitate Ecclesiæ: Ita fit, ut & semen bonum, & semen malum utraque per agrum crescant usque ad messem: id est, & filii regni & filii maligni utrique per mundum crescant* IN FINEM SECULI, *illis fructum ferentibus cum tolerantia, illis cum sterilitate amaricantibus.* Et clarissimè ubique in *Psalmo*, quem in rudiorum gratiam adversus *Donati partem* composuit: *Dixit Ezechiel sanctus, quosdam consignatos esse, qui gemunt peccata fratrum suorum, & non se separant inde.* SIC NOS PROPTER MALOS FRATRES NON SEPAREMUR A MATRE. Deinde post allegata exempla *septem millium*, tempore Eliæ se non separantium à corruptissima sui temporis Ecclesia, & ipsius Christi; Judam proditorem inter Apostolos suos ferentis & cum ipso symbola quoque sacra in Cœna communicantis, sic sciscit: *Sed nobis exemplum datum est malos fratres tolerare, ut quando non possunt excludi, solo separentur corde:* & rursus in fine illius Cantici: *Expello malos quos possum, quos non possum, cogor ferre.* FERO ILLOS DONEC SANENTUR AUT SEPARENTUR IN FINE.

[Margin notes: Cap. VI. — Cap. XX. — In Psalmo ad Lit. N. — Ad Lit. Q. — Ad Lit. A. a.]

X. Quis verò has relegens & revolvens disputationes de *natura Ecclesiæ*, & *vera Communione sanctorum*, quæ inter Catholicos qui dicebantur, & Donatistas, tanto cum calore & partium studio longum adeò tempus agitatæ fuerunt, se non quodammodò turbari sentiat, & in discernendo vero magis etiam impeditum, quàm ante? Sunt enim hic utrinque quæ laudari merentur,

rentur; sunt quæ improbari, & rigidius examen non ferunt: &, si nos etiam ipsi hic non fallamur: verum falso, quod aliàs sæpè accidit, mixtum est, ut adeò nihil certius sit quam in sententiis de rebus divinis, iisque maximi quoque momenti & necessarii usus, id obtinere passim quod Athenagoras optimè notat ingressurus elegantissimam dissertationem de *Resurrectione Mortuorum*; Παντὶ δόγματι καὶ λόγῳ, τῆς ἐν τύτοις ἀληθείας ἐχομένῳ, παραφύεσθαι τὶ ψεῦδος. Operam tamen dabimus, ut quæ utrinque obscura & impedita videri possint, quantum pote expediamus, atque explicemus.

Caput IX.

Donatistarum *primò, deinde* Augustini *hypotheses de* Ecclesia, & Communione Christianorum *ad examen revocantur, & quid in iis desideretur, liquidò demonstratur atque edisseritur. Summa disputationis est, Notiones* Ecclesiæ internæ & externæ, & *utriusque* attributa *à Donatistis non diligenter observata & inter se passim confusa esse; ejusdemque erroris vitio factum, ut* Communionem *cum Ecclesia* externa *passim urserint* absolutam, *quæ verè non est nisi* hypothetica; *Augustinum quoque ipsum non satis prudenter sibi ab hoc errore passim cavisse, atque adeò non semper æquè feliciter cum* Donatistis *esse congressum; ejusque ex Doctrina de* Ecclesiæ externæ Catholicismo, & absoluta Christianorum Communione *cum* Ecclesia externa Catholica *omnes ferè manasse errores de* Ecclesia, *quos Pontificiæ sectæ homines mordicus etiamnum tuentur & suæ prætexunt* tyrannidi *in eos qui se qualicunque de caussa separant à* Communione Ecclesiæ Romanæ, *quam illi* Catholicam *vocant, observante erudito Viro,* Joanne Claudio. *Tandem evicto,*

Christianorum Communionem externam *singulorum cum singulis*, & *singulorum cum* Universis *qui Ecclesiam faciunt*, *verè esse* Hypotheticam & Conditionatam: *species hujus Communionis declaratur; dubia quæ adversus hanc sententiam inferri possunt, expediuntur*; & *tam* Necessitas *hujus Doctrinæ quàm illius* utilissima Consectaria *in omni disputatione de Ecclesia, multis partibus obscura & perplexa, sigillatim recensentur.*

ET quidem quod ad *Donatistas* attinet; quis vitio iis vertat, quod vehementer illi & contentiosè in omni sua disputatione urserint summam puritatem & sanctimoniam in *veris nominis Christiani Cœtibus*? Ecclesiam enim *externam* oportet repræsentare *internam*, quæ est ipsissimum Christi Jesu *Corpus mysticum*, quam Filius Dei suo redemit sanguine, *ut eam sibi sisteret gloriosam, quæ maculam aut rugam non habeat, aut quid ejusmodi.* & verè Externa Ecclesia non est ac dici potest *Ecclesia*, nisi cum respectu ad *Internam*. Tum præterea quid pius & Christianæ Religionis sincerè studiosus homo in his terris cum calidioribus suspiriis exoptet præstabilius bonum, quàm ut præstantissimam Religionem, qualis sanè Christiana est, colere possit in communione verè sanctorum, bonorum, & à Divina Gratia & Spiritu affectorum hominum? Quantæ cedit consolationi, cum iis quos persuasum habes Deum amare & quos tu amas in Domino, preces fundere ad Deum, verba facere de Deo, ejusque celebrare laudes, consilia communicare de commodis Regni Christi, & *eidem* assidere *mensæ* ad profitendam communionem ejusdem *magnæ spei* æternæ salutis & gloriæ? Quantæ contrà tristitiæ & dolori, sanctam *precum* & *Corporis ac sanguinis Domini* communionem celebrare in societate hominum, Christum quidem ore profitentium, sed, ut cæteroquin satis constat, mundanorum, carnalium, impuri animi & oris, & sententiarum sæpè profanarum, qui *dormientibus hominibus*, quibus Dominus Gregis sui curam commisit, ad communionem Ecclesiæ

Ephes. v. 27.

ſiæ admittuntur, & admiſſi tolerantur! *Quàm amœna, & amabilia ſunt Tabernacula tua, ô Jehova,* Deus *Exercituum! Concupiſcit, & quoque conſumitur deſideriis anima mea anhelans ad atria Domini; cor meum, & caro mea clamant ad Deum vivum!* Sic apud Davidem anima pia, quæ cum ipſa hactenus eſſet in commercio hypocritarum, ſuperſtitioſorum, & carnalium hominum: Eccleſiam in aliis mundi partibus in meliorem ſtatum inſtauratam & à labe purgatam intellexerat, & ad illius communionem impenſiſſimis deſideriis ferebatur. Imo certè *amabilia* ſunt *Dei Tabernacula*, in quibus purus Dei cultus à puris Sacerdotibus in communione verorum *Iſraëlitarum* & *Judæorum* celebratur ſecundum caſtiſſimam Evangelii diſciplinam. Ita celebrare Communionem Sanctorum verè eſt *accumbere cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in Regno cœlorum:* & quæ in his terris ſternitur menſa, eſt ſanè acſi in ipſis ſit ſtrata cœlis. Atque utinam Miniſtri Evangelii, non aliqui modò, ſed in univerſum omnes, vero zelo Domus Dei accenſi, in id prudenter incumberent, ut, *excluſis*, quantùm humana proſpicientia permittit, *ſcandalis*, *aream Domus Dei* quàm purgatiſſimam redderent, & *argentum* Eccleſiæ à *ſcoriis* ſuis liberarent! Inde enim dici non poteſt quanta ſacris accederet reverentia & decus; quanta ad pios Deoque devotos homines redundaret lætitia & conſolatio; cum nunc contrà ſæpè accidat, ut publica ſacra, & ſanctorum communio ad menſam Domini, non niſi cum ægritudine & dolore animi celebrari poſſint ab iis qui Deum amant, & erga myſteria Religionis benè affecti ſunt.

Pſ. LXXXIV. 1.
Rom. 11. 29.
Apoc. 11. 9.
1 Joh. 11. 15.

II. Sed ut ut Donatiſtæ cum ratione urſerint puritatem Cœtuum verorum Chriſtiani nominis: errorem tamen commiſerunt manifeſtarium in omni ſua doctrina & diſputatione de Eccleſia, quod *Eccleſiam internam* cum *externa*, & utriuſque *attributa*, inter ſe confuderint, atque adeo *Communionem ſingularium Chriſtianæ profeſſionis hominum*, qui Cœtus particularium Eccleſiarum conſtituunt, ſtatuerint *abſolutam*, quam ſtatuere debuiſſent *hypotheticam*. Ex hoc enim fonte abſurda omnia, ad quæ prolapſi ſunt, profluxerunt. Nimirum Ἐκκλησίας *Eccleſiæ* notio in Scriptis N. T. ſumitur differente ſenſu, *α.* Notat *Credentes omnes*, Voce Dei in Evangelii prædicatione ſonante, è mundo

voca-

vocatos ac convocatos, & per veram fidem & communionem ejusdem fidei Christo Jesu & inter se unitos, unum constituentes *mysticum* Christi Jesu *Corpus catholicum* & *invisibile*. quo sen-
Matth. xvi. 18. su Dominus ait, *portas inferorum* Ecclesiæ *non esse prævalituras*;
Ephes. v. 26, 27. & Paulus, Christum Ecclesiam *dilexisse* ut sponsam suam, *seque pro ea exposuisse*. β. Significat *Cœtum*, vel *Cœtus* hominum, fidem sanam in Christum Jesum *ore*, & *ritu externo*, profiten-
Act. viii. 1. tium. quomodo in *Actis Apostolorum magna* dicitur *suscitata esse*
Gal. i. 13. *persequutio adversus* Ecclesiam, *quæ Hierosolymis erat*. & Paulus, *suprà modum persequutus esse* τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. *Ecclesia*, *priore sensu sumpta*, verè unicè constat *sanctis*. Hic excluditur impietas, hypocrisis, & peccati ac concupiscentiæ turpis servitus. Hæc enim cum vera in Christum fide non consistunt. Ne-
1 Cor. vi. 15. mo simul potest esse *membrum scorti*, & *membrum Christi*. *Nul-*
2 Cor. vi. 14, 15. *la est* μετοχὴ *communio justitiæ cum impietate*, & *lucis cum tenebris*. Sed secundum *posteriorem vocis Ecclesiæ usum*, fieri omninò potest, ut hypocritæ & profani animi homines admisceantur *Cœtibus Christianorum*, qui *Ecclesiæ* dicuntur, & in iis Cœtibus, vitio neglectæ disciplinæ sacræ, aliquandiu tolerentur. Docuit id hactenus omnium experientia temporum Christianismi: nec potest illud incommodum per qualemcunque vigilantiam & curam fidelium Christi Ministrorum planè præcaveri.

III. Si enim nulli *Cœtus nominis Christiani* pro *veris* habendi agnoscendique sint, nisi qui *solis* constent *sanctis*: demonstrari debet *medium* illud, per quod omnia *absolutè* scandala excludi possint Regno Cœlorum. quod medium aliud mente mea concipere nequeo, nisi supponatur, α. Omnes omninò singularium Ecclesiarum Pastores non tantùm esse sanctos & verè per gratiam Dei regenitos homines, sed eosdem quoque instructos esse
1 Cor. xii. 10. *dono* διακρίσεως πνευμάτων *discretionis spirituum*, per quod fieret, ut nullos admitterent ad communionem hypocritas, aut admissos confestim *notarent*, & *publicè confunderent*. β. Eosdem omnes Ecclesiarum particularium Pastores esse Viros vigilantes, industrios, & rei Ecclesiæ omni modo & parte intentos; quos proinde nulla facilè fugeret labes Ecclesiæ ex qualicunque hujus vel illius hypocritæ vitio contracta. Hæc verò quam sunt μεγάλα αἰτήματα! Primò enim quis optimorum & in disciplina

spiri-

ſpirituali verſatiſſimorum Miniſtrorum Chriſti, ſibi vindicare auſit ejuſmodi *donum διακρίσεως*, quo *abſque ullo erroris metu* aut *periculo* veram ſanctimoniam ab hypocriſi *omni caſu* poſſit diſcernere? Credo equidem & facilè intelligo, multum hic poſſe exercitationem ſpiritualis judicii Virorum Dei; nec humiliter ſentio hac etiam parte de Gratia Spiritus S. in fidelibus Chriſti Miniſtris: abſit tamen iis tribuam, quod Deus ipſis nullibi promiſit, & experientia, veritatis magiſtra, iis conſtanter negat. Deinde, quo tandem pignore certa fiet fides mea, ſacram plebem in eligendis Eccleſiæ Miniſtris non erraturam judicio? non fortè deſignaturam hypocritam? fortè in diſcernenda ſincera pietate à pietatis fuco non ſatis perſpicacem? fortè etiam virum bonum, ſed in quo diligentia, & vigilantia deſideretur? Quot enim & quanta requiruntur in perfecto Chriſti Jeſu Miniſtro! Quod ſi verò ſupponatur fieri poſſe, ut ex tot millibus Cœtuum Chriſtianorum *unus* & *pauci* ejuſmodi hic committant errorem judicii; actum erit de tota Donatiſtarum hypotheſi. Sic enim non hypocritæ tantum, ſed & impuri & plurium vitiorum labe infecti homines cum tempore adjungentur & *ſubrepent* ſanctis, Jud. verſ. 4. & longus erit aliorum incommodorum tractus.

IV. Quin ipſos Donatiſtas experientia ſuæ convicit imbecillitatis; quam iis non uno loco exprobravit Auguſtinus. Deprehenſi enim ſæpè inter illos in crimine ſunt, quorum nomina inter ſanctos hactenus recitaverant. *Oſtendant iſti*, ait Auguſtinus, *quomodo eorum contagione non perierint, quos ſacrilegos inceſtatores conſervata pudicitia fœminarum inter ſe latere vel latuiſſe, vel modò neſciunt, vel aliquando neſcierunt.* (Lib. de Unitate Eccleſ. Cap. 11.) Tum præterea inter ipſos Donatiſtas ortum erat grave Schiſma, Principibus factionis Maximiano & Primiano, quorum ille in ſolenni Concilio ipſorum Donatiſtarum damnatus, cum partium ſuarum ſtudioſis Imperatoriâ auctoritate coërceri debuit. *At verò*, ait Auguſtinus, *quod Maximianiſtarum furorem Legibus publicis coërcendum putaſtis, ut eos per juſſa Judicum, & executionem officiorum, & auxilia Civitatum pulſos de Baſilicis, quas tenebant, ad conſiderationem ſui ſceleris argueretis, non reprehendimus*, & quæ ſeqq. (Cap. XVII.) Et ſanè *Circumcelliones*, qui dicebantur Donatianæ factionis homines, quàm tentarunt deſperata, & ab omni vero Chriſtiano

Cap. xvi. affectu aliena! *apud quos fuerunt*, fide rursus Augustini, *qui se per abrupta præcipitarunt, vel concremando ignibus intulerunt, quos ipsi sibimet accenderant; aut trucidationem suam etiam invitis hominibus terrendo extorserunt, & spontaneas & furiosas mortes, ut colantur ab hominibus appetierunt, ad quorum denique sepulchra ebriosi greges vagorum & vagarum permista nequitia die noctuque e vino sepeliverunt, flagitiisque corruperunt.* Quæ crimina etiamsi Donatistæ moderatiores improbarint; ab ejusmodi tamen perpetrata sunt hominibus, qui ex ipsis Donatistarum Cœtibus orti, communionem omnium aliarum Mundi Ecclesiarum respuebant.

V. Sed fortè dixerit Donatianæ sectæ homo, non esse quod negent inter se latere posse hypocritas, hactenus veri Christiani speciem præferentes, sed illorum se vitiis & peccatis *non contaminari, quia ea nesciverant.* (Augúst. de Unit. Eccles. Cap. 11.) solummodò se contendere, inter characteres & attributa *veræ Ecclesiæ* esse, ut in illius communione non tolerentur homines graviorum criminum manifesti. id enim si fiat, totam Ecclesiam mox venire in partem peccati, ac proinde excidere prærogativis Christianismi. *Ex Deo enim qui natus est, non peccare, nec aliorum peccata & scelera participare.* Hæc, inquam, si nobis fortè objiciat Donatianæ sectæ homo, respondebimus. α. Si verè ita sentiant, in communione *veræ Ecclesiæ* posse latere *hypocritas*: actum esse de universa illorum hypothesi, ejusque consequentibus. Sequetur enim inde, Ecclesiam externam, *absolutè* sic dictam, non esse eandem quæ interna, sive mysticum Christi corpus: proinde non dari communionem cum *Ecclesia externa absolutam*, sed solummodò *hypotheticam*, quatenus nimirum Ecclesia *externa* internam repræsentat. Si enim cum Ecclesia externa, in qua sunt hypocritæ, *absolutè* communionem colerem: hoc ipso venirem in partem & societatem hypocrisis. Absoluta & simplex Communio non est nisi cum Christo, & qui in Christo sunt, sanctis. β. Concedo Donatistis, nullam dari Ecclesiam Christi veram, inter cujus non sit Leges, *non tolerandos esse in ejus communione homines manifestariis vitiis inquinatos.* Sed cum exequutio Legum, in quas veluti conditiones Cœtus Christianus convenit, præcipuè pendeat à *Rectoribus Ecclesiæ*: fac esse inter Ecclesiæ Episcopos, qui quâcunque demum specie aut obtentu, in quorundam non

admo-

admodùm bonorum hominum vitiis conniveant; quid consilii? An privati sibi mox vindicabunt judicium de singulis actis gestisque suorum Rectorum? An ea reprobantes, se mox separabunt ab eorum & reliquarum Ecclesiæ partium communione? An potius eam hic adhibebunt prudentis judicii moderationem, ut Episcopos sive Rectores non admodum bonæ notæ & vitiis quibusdam conniventes ad tempus ferant, si res hactenus ad extrema non venerit, & meliorem rerum statum, Deo providente, patienter exspectent? Posterius hoc consilium prudentia Christiana probat: prius tantam pareret σύγχυσιν, ut in omnibus Christiani nominis cœtibus summa imis omni tempore miscerentur.

VI. Quod si mihi concedatur: & concedent certè quotquot in suo de hac re judicio sanam consulent rationem: negari non poterit, *Communionem externam* Christianorum esse *Hypotheticam*, non *Absolutam*. Absolutam enim Communionem non profitentur Christiani nisi cum *mystico Corpore Christi*. Cum iis enim, & iiscum solis, *unum* faciunt *corpus* in Domino. In Cœtibus autem externis Christiani nominis cum latere possint hypocritæ, & sæpè etiam tolerentur mali, cum quibus nulla mihi est communio: locum habere non potest nisi *Communio hypothetica*. hoc est, profiteor *communionem* cum Rectoribus & partibus singulis Ecclesiæ cujuscunque *externa*, cui adscriptus sum, non *absolutè*, sed *quatenus* conditiones verorum Christianorum præstant & implent. quod cum sæpè soli Deo notum sit: suspendo hic judicium, & nullam intereà iiscum celebro *communionem* nisi *conditionatam*; cætera relinquens judicio Christi errare nescio.

VII. Mirandum verò summoperè est, Augustinum, qui multa nobis in hac disputatione concedit, & hypotheses sibi de Ecclesia finxit, Donatistarum illis prorsus oppositas, verè tamen statuisse *quoddam genus Absolutæ Communionis Christianorum Exterioris*: quod in disputatione contra Donatistas omnes ejus summas conturbavit. Benè hactenus tenuit Augustinus, duplicem esse Ecclesiæ faciem Interiorem & Exteriorem; in Ecclesiâ exteriore hypocritas latere posse; & *malos* sæpe à privatis ex prudentiæ consilio tolerandos esse. tum etiam, cum *malis*, qui sunt *in Ecclesia*, non *de Ecclesia*, (quæ ipsius Augustini distin-

Lib. de Unit. Eccles. Cap. IV. & De Baptis. contra Donat. Lib. VII. Cap. LI.

ctio est:, sanctis propriè non esse communionem. Defendit nihilominus per errorem, α. Inter attributa *Internæ Ecclesiæ*, mystici Corporis Christi, esse *Catholicismum externum*. h. e. Internam & veram Ecclesiam Christi, secundum faciem suam exteriorem, magnam semper in Mundo facere multitudinem hominum, per omnia orbis climata divisam; & si forte eveniat, ut hæreses aut schismata in Ecclesia nascantur, Deum suâ curaturum providentiâ, ut *major pars hujus Ecclesiæ externæ* in veræ fidei professione sit perstitura, quæ proinde tanquam nomine & re ipsa *Catholica* facilè a Cœtibus Schismaticis aut Hæreticis sit distinguenda. β. Ab hac *Ecclesia Catholica externa*, ut eam nunc descripsimus, neminem se absque discrimine salutis posse separare. extra illius enim communionem neminem servari, non magis quam Diluvii tempore salus externa haberi poterat extra Arcam Noæ. Cujus sententiæ consequens est, omnes Christianos, si servari cupiant, cum hac Ecclesia Catholica Externa *absolutam* colere debere *communionem*: proinde nullo unquam sub obtentu secessionem ab hac Ecclesia instituendam esse, etiamsi fortè magnam contraxerit labem.

VIII. Sed omninò erravit hic Vir Doctissimus *in explicando* attributo *Catholicismi* veræ Ecclesiæ. Catholicismus est attributum *Ecclesiæ internæ*, hoc sensu, quod Regnum Christi spirituale nulli certo loco aut Genti adstrictum omnes capiat cujuscunque ordinis & conditionis homines, qui fidem Evangelii cum puro animi sui affectu suscipiunt. Sed quis docuit Augustinum, *Catholicismum* ejusmodi *exteriorem*, quo Ecclesia maximam complectitur hominum multitudinem, per omnia loca *orbis* terrarum diffusam, esse *χαρακτηρισμὸν veræ Ecclesiæ*? Prophetiis enim *de amplitudine Regni Christi*, quas Augustinus in hunc scopum adducere solet, suum potest abundè constare implementum, etiamsi fortè Ecclesia omni tempore & statu Christianismi hoc sensu non sit *Catholica*. Quis enim fidem nobis faciet, aut fecit, externam illam multitudinem profitentium Religionem Christianam secundum maximam sui partem, suorum vitio Rectorum, non posse vel infici hæresi, vel corrumpi moribus? posse autem ejusmodi *corruptionem* cum tempore non fieri *insanabilem*? Quod si fiat: ut factum esse constat: quænam illæ sunt discipli-

næ

næ Christianæ Leges, quæ *meliorem* & saniorem partem prohibeant à parte majore infecta & corrupta se *separare*? Cum enim illi ex præceptis Christi & Apostolorum non obligentur nisi ad celebrandam communionem cum *Ecclesia* Christi *vera*; *vera* autem *Ecclesia* dici possit Cœtus hominum, cui vitium adhæret mortiferum & insanabile: ipsa ratio jubet illorum deserere communionem, quibus uniri nec vis nec potes in Christo, cujus communio omnis fraternæ communionis Christianorum fundamentum est. Quod ubi Augustinus negat: ut facit in *Libro tertio* adversus Parmenianum, & alibi: infeliciter adversus Donatistas disputat. *Catholicismum* nimirum, qui est attributum Ecclesiæ *interna*, quo sensu illud exposuimus, applicuit ad Ecclesiam *externam*, atque adeò eatenus attributa *interna* & *externa* Ecclesiæ inter se confudit. ex quo discrimine non observato omnes ferè profluxisse errores, quos Pontificiæ sectæ homines in hac parte Doctrinæ Christianæ committunt, diligentur notavit Claudius (a), quem in superioribus cum honore appellavimus. Lib. III. Cap. II.

Q 3 Pon-

(a) Claudii verba merentur hic latinè legi ex Tom. II. *Defens. Reformat.* Part. III. Cap. I. *Ecclesia potest considerari, aut cum χίσ ad statum suum interiorem, quatenus est Corpus Christi Jesu mysticum, societas solorum verè credentium, & electorum Dei, absque permixtione hypocritarum & mundanorum hominum, tota pura, ut Deo obversatur; aut cum respectu ad statum suum exteriorem, quatenus est societas, quæ unam professa Religionem complectitur magnum satis numerum mundanorum & hypocritarum, qui nequaquam pertinent ad mysticum Christi Jesu Corpus, nec Ecclesiæ nomine insigniuntur nisi secundum externam speciem. Hæc distinctio nimis est evidens, quam ut prolixè probari debeat; nec ipsi etiam Adversarii nostri nobis de ea controversiam movent. Et tamen ita instituunt, ut in omni sua disputatione hos duos Ecclesiæ respectus passim confundant. Nam quando de promissis Dei agitur, quæ Deus Ecclesiæ facit de perpetuitate Ecclesiæ, quæ referenda ab ipsis essent ad Ecclesiam internam, sive mysticum Christi Jesu Corpus, referunt ea ad Ecclesiam externam, hypocritis & mundanis permixtam: & quando quæsitio instituitur de officiis, ad quæ Christiani per mutuam communionem obligantur: loco quo ea referre deberent ad Ecclesiam externam, sive permixtam, referunt ad Ecclesiam internam, ut pura absque labe mortifera Deo obversatur* Et vere dicimus, hanc Confusionem fontem esse omnium errorum, et fundamentum omnium sophismatum, quæ in disputatione de Ecclesia committunt.

Tom. II. Par. III. Cap. IV. Pontificii enim vere, Augustini hanc secuti sententiam, (quæ tamen, ut idem ille Vir Doctus demonstravit in aliis non paucis ab ipsorum hypothesibus recedit:) *unicam* urgent communionem cum *Ecclesia Catholica Externa Visibili*, quam supponunt esse *Romanam*: & omnem separationem, quà a communione Ecclesiæ Romanæ discedatur, pronunciant ut *criminosam* & *hæreticam*: & in hac hypothesi fundant damnabilem & vere impiam tyrannidem, quam in omnes exercent Christianos, qui a Romana superstitione & communione abhorrent.

IX. Cum igitur sententia utraque tam Donatistarum quam Augustini tot involvat difficultates & absurda de *Communione Christianorum Absoluta*: nihil restat, nisi ut *Externam Communionem*, quæ inter Christianos intercedit & colitur, faciamus *Hypotheticam*, tanquam quæ sub *hypothesi* aliqua ineatur & celebretur; adeo ut si hypothesis illa cum tempore deficiat, aut erronea deprehendatur: ii, salvis Christianæ disciplinæ Legibus, ab ejusmodi communione possint *separare*.

X. Et quidem cum omnis *Communio*, quæ inter Christianos externe colitur, vel sit *privatorum* cum *privatis*, vel privatorum Credentium cum *Cœtu*, qua tali, cui suis certis Legibus & *conditionibus* adscribuntur: Primo hic suppono, privos cum privis vix posse colere communionem nisi *hypotheticam*. Sit enim qui se Christianum esse dicat, qui eandem mecum profiteatur fidem; qui se moribus etiam & instituto vitæ tanquam Christianum commendet; qui officia mihi charitatis exhibeat qualia a Christiano homine expectes: quis fidem mihi faciet, vel quo tandem ex indicio non fallaci convincar, illum vere talem h. e. Christianum, esse, & quos simulat mores, ex puro animi affectu, non ex hypocrisi, proficisci? Quis enim hypocrisin & animi dolum a vero animi affectu certo discernat, nisi Deus? Fateor equidem ex commercio familiari & longioris temporis posse qui spiritualiter eruditi sunt [illegible] judicium hic ferre de quorundam statu [illegible] probabile: seu necessitudo illa inter paucos tantum constare potest & multa interea temporis nos latere, de quibus nemo præter Deum certo potest judicare. Intelligo interea officii mei esse, cum nemine Christiano rescindere communionem, quamdiu professione & moribus se ut Christianum mihi

mihi commendat. Οὐδεὶς γὰρ Χριστιανὸς πονηρὸς εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον *Nemo enim Chriſtianus malus eſt*, *niſi per hypocriſin ſpeciem fallat:* ut optimè Athenagoras. Legat. p. 4.

XI. Ut autem *Communio Privorum* cum *Privis* vix aliter quàm *hypotheticè* colitur: ſic omninò etiam *Communio Externa* cum *Cœtu Publico Chriſtianæ Profeſſionis* hominum, non prorſus eſt *abſoluta*, ſed *hypotheticè* à me initur & colitur. Nimirum adjungo me huic vel illi Cœtui Chriſtiano, cujus profeſſio & diſciplina mihi placent, ſub hac σχέσει vel hypotheſi, *quatenus* Eccleſia illa particularis partem facit *Eccleſiæ internæ*, h. e. *myſtici Corporis Chriſti*. Eccleſia *Interna*, ſive *myſticum* Chriſti Corpus, ſola eſt *vera Eccleſia*, ut Auguſtinus optimè multis locis docuit. *Externa* verò *Eccleſia* non dicitur *Eccleſia* niſi cum reſpectu ad *internam*; nec eſt *Eccleſia*, niſi ſub hac σχέσει & hypotheſi. Cum itaque mihi propoſitum ſit, *abſolutè* nullam habere & colere communionem niſi cum *Chriſto* & *Corpore* ejus *Myſtico*; & ego plus quàm probabili judicio colligam, hunc vel illum Cœtum particularem, cujus pura eſt fidei profeſſio & diſciplina viget, ita inſtructum factumque eſſe, ut in ſinu ſuo veros Chriſtianos alat: conſilium capio me illi Eccleſiæ adjungendi. Quod quidem non facio *abſolutè*, acſi omnes & ſingulas illius Eccleſiæ partes cenſerem relatas eſſe in album electorum Dei; ſed *hypotheticè*, *quatenus* illa Eccleſia partem facit myſtici & veri Corporis Chriſti. Cum hypocritis enim & malis, quos in ejuſmodi Cœtu prorſus non deeſſe facilè præſumo & video, nulla mihi eſt communio. quæ ipſa quoque Auguſtini doctrina eſt. Sive igitur preces fundam cum illo Cœtu; ſive myſticam cum eo & ſymbolicam in Cœna celebrem communionem; ſive veniam in partem regiminis, aut conſiliorum ejuſmodi Cœtus: nullum mihi cum eo eſſe profiteor commercium, niſi *quatenus* in illa Eccleſia ſunt *ſancti*, qui ſoli *veram* faciunt *Eccleſiam*, & *myſticum Corpus Chriſti*.

XII. Nec video eſſe quod huic ſententiæ obſtet, niſi fortè alicui videri poſſit, admiſsâ hypotheſi de *Conditionata Chriſtianorum Communione* vincula Chriſtianæ Societatis nimis laxari. Si enim in Cœtibus Chriſtianis nulla obtineat *Communio* niſi *hypothetica:* videor cum quibuſcunque ferè Cœtibus Chriſtiani nominis, etiamſi quàm multos fortè contineant hypocritas & impuri

puri animi homines, colere posse commercium, salvâ & integrâ conscientiâ. Facile enim ex hypothesi mea dictu erit, nullam me cum ejusmodi Cœtibus colere communionem nisi σχετικὴν & *conditionatam*; *quatenus* nimirum in illis Cœtibus pauci fortè numero supererunt boni & integri animi homines, cum quibus unum facio Corpus in Domino. Ego verò prorsus respuo hoc ἀκόλουθον; & nihil minus agere velim quam solvere vincula interioris amicitiæ & necessitudinis, quibus Christiani homines inter se devincti sunt, aut licentiæ ineundarum cujuslibet generis Communionum indulgere. Suppono itaque, Christianos homines omnes ad id obligari per Legem Christi & rationis, ut in eligendis societatibus, quibus se adjungant, circumspectam adhibeant prudentiam: proinde nulli cœtui Christiani nominis se facilè adscribi patiantur, nisi quem præsumere possint ex ratione probabili quàm plurimos complecti optimæ notæ & characteris homines, qui partem faciant mystici Corporis Christi. Cum enim Christianus homo id solummodò intendat, ut per Ecclesiam Externam se uniat *Ecclesiæ internæ*, h. e. Corpori Christi: scopo hoc suo excidet, nisi prudenti usus judicio Cœtus eligat *purissimos*, &, quantum conditio permittit hujus rerum status, *fœdiore aliquâ labe non infectos*; in quibus videre possit speciem *veræ & ornatæ sponsæ Christi*. Sed cum pauci Cœtus Christianorum illius sint notæ, vitio maximè neglectæ disciplinæ; & non conducat rei Christianæ, ut homines *privi* ob qualiacunque scandala identidem se à fratrum suorum communione separent, sed tantum dent charitati & tolerantiæ, quantum possint: nihil superest nisi ut in ejusmodi casibus cogitent, se cum Cœtu illo, in cujus versantur societate, non inisse & celebrare *Communionem Absolutam*, *sed Hypotheticam*.

XIII. Poterit autem sententia hæc nostra, hactenus adstructa & illustrata, se commendare variis, quæ ex illa eliciuntur, *consectariis* magni usus in omni disputatione, quæ de Ecclesia agitatur cum Pontificiæ sectæ Doctoribus: nunc solummodò strictim notandis & recensendis, & quidem, α. Si *Communio exterior* cum Cœtibus Christiani nominis non *absolutè*, sed *hypotheticè* colatur cum respectu ad *Ecclesiam internam*: licitum esse posse veris Credentibus *se separare* à communione *Cœtuum Externorum*,

norum, in quorum ſocietate hactenus vixerunt, in gravi caſu non *doctrinæ* tantum per hæreſin infectæ, (quod omnes concedunt:) ſed & *corruptionis* prædominantis *morum*, quę cœtum ejuſmodi invaſerit. Pone, magnam Chriſtianorùm multitudinem, per ampliſſimum tractum orbis terrarum diffuſam, & in plures cœtus particulares diviſam, labem contrahere in doctrina, cultu, aut moribus inſanabilem: licebit utique mihi *integrâ conſcientiâ* me ſeparare ab illius Eccleſiæ communione, cum qua hactenus non colui *Communionem Abſolutam*, ſed *Hypotheticam*. Quando enim me adjunxi ejuſmodi *Cœtui Externo*, non inivi ſanè illius communionem, niſi *quatenus* me per illam Eccleſiam unire poſſem *vero Corpori myſtico Chriſti*: quod cum videam me conſequi non poſſe in Communione hominum ſuperſtitioſorum & carnalium; ratio ſuadet jubetque illorum deſerere communionem. Quod tamen nunquam faciendum, niſi extrema nos ad id egerit neceſſitas. β. Qui ſe *ſeparat* à Communione aliorum Cœtuum Chriſtianorum, ſe ab iis ſeparare non *abſolutè*, ſed *reſtrictè*, & *conditionatè*, quatenus Eccleſia ejuſmodi in labe & vitio eſt. A meliore enim parte, quæ fortè in ea reſidua eſt, me hactenus non ſeparo. Quæ ſola & unica poteſt eſſe cauſſa, quod *Baptiſmum*, in ipſa Pontificia Eccleſia, a qua ſeceſſionem fecimus, adminiſtratum, non repetamus. Si enim *ἁπλῶς ſimpliciter* & *abſolutè* nos ſeparaſſemus ab illius *Communione*: baptiſmus Pontificii hominis, in noſtram tranſeuntis communionem, eſſet repetendus. quod tamen uſu apud nos non obtinet. Separavimus nos ab errore, ſuperſtitione, & labe Eccleſiæ Pontificiæ, & à communione omnium illorum, qui & *quatenus* illis vitiis patrocinantur; ſed ſi qui fortè in Cœtibus Eccleſiæ Romanenſis ſupereſſent, qui animo averſantes ſanguinaria Rectorum ſuorum conſilia, & craſſam illius Eccleſiæ ſuperſtitionem atque idololatriam: imbuti verò præjudicio Catholiciſmi illius Eccleſiæ, ſe ob hanc judicii ſui imbecillitatem hactenus non audeant ſeparare ab illius Eccleſiæ communione, licet de cætero erga Religionem puriorem bene affecti ſint: ab iis certè & illorum *communione myſtica* nos minimè ſeparavimus, nec ſeparare voluimus. quippe unum cum iis facientes corpus in Domino. Utique talis eſt *ſeparatio*, qualis *communio*: cum contraria

traria

traria se mutuo illuminent: ut adeò hypotheticæ Communioni hypothetica quoque & restricta opponatur separatio. γ. Fieri posse, ut in *Communione Ecclesiæ*, quę multos habet hypocritas & pejoris notæ homines, à quibus tamen prudentia Christiana vetat secessionem facere, salutem consequar æternam: quia me illi Ecclesiæ non adjunxi *absolutè*, sed *restrictè*. δ. Non venire me in communionem criminum, à privis Ecclesiæ membris commissorum, in quibus Rectores Ecclesiæ nimis indulgenter connivent, si ipse labe & vitio purus sim. Non enim ingressus sum Ecclesiæ communionem, nisi quatenus *sancta* est, & *sanctis constat*. De reliquis, nisi res ad extrema vergat, Rectores Ecclesiæ rationem reddent Christo die novissimo. ε. Posse dari Ecclesias Christiani nominis, cum quibus *externè* non colimus communionem Mensæ Sacræ, in quibus nihilominus agnoscamus veros dari Christianos, qui partem faciant mystici Corporis Christi. quales omninò dari credimus in Cœtibus Ecclesiæ Græcę, Mennonitarum, Remonstrantium, & Augustanæ Confessionis Fratrum, quos solos exempli caussâ nunc allego. *Externa* enim Christianorum Communio ob varias rationes, quas prudentia Veteribus Christianis suasit [a], ad arctiores limites restringitur quàm *interna:* ut adeò si nos à quibusdam aliis Cœtibus *externè* separemus, id solummodò *hypotheticè* & *restrictè* fiat cum respectu ad illos in Doctrina aut Cultu errores, quos fugimus & aversamur: cætera relinquentes judicio Christi. Absurda enim verè Veterum fuit sententia, in Ecclesiis pluribus per

(a) Omninò verò paradoxum videtur, Christianos Communionem *externam* & *internam* non circumscribere iisdem limitibus, cum omnis *externa Communio* respiciat *internam*. Nec tamen difficile hujus rei exputare rationem. Nempe omnis Communionis Christianæ Fundamentum est *Lex* sive *Doctrina Religionis*, complexa *Fundamentales* illius Religionis *articulos*. Esse enim *Fundamentales* aliquos Doctrinæ Religionis *articulos* sive *dogmata*, quorum fides homini ad salutem necessaria, Christianorum hactenus nemo negavit, nemo negare poterit. Quæritur tantum & disputatur, *quænam* illa & *quot* sint τὰ ἀναγκαῖα *Dogmata*, à quorum assensu sincero & practico salus suspendatur? Hic verò dum Christiani in partes eunt; aliis plura in medium producentibus, aliis minore numero contentis; plerique ita existimant, prudentiæ esse subterfugere periculum nimiæ libertatis & indulgentiæ, ac præsta-

per schisma ab invicem divisis, *unam* tantum *dari*, in cujus communione obtineri possit salus. Denique ζ. Ex hac nostra sententia facilè solvi potest ænigma, quod Pontificiæ sectæ Doctores frequenter nobis objiciunt, an Ecclesia illa, à cujus communione majores nostri olim se separarunt, fuerit *vera* vel *falsa*? Respondebimus enim, *absolutè* nec fuisse Ecclesiam veram nec falsam: sed *restrictè* sub diversis respectibus & *veram* & *falsam*. *Veram* cum respectu ad meliorem partem, quæ illius hactenus non deseruerat communionem; *falsam* cum respectu ad majorem partem, in qua verus Christianismi sensus extinctus erat.

XIV. Huic verò nostræ Doctrinæ eatenus consentit Augustinus, quatenus passim in Libris suis adversus Donatistas tenet, & defendit, cum *privis Christianis* nullam coli communionem nisi restrictam, & conditionatam. Veram enim Ecclesiam facere solos sanctos. Bonos non venire in participatum vitiorum & criminum, quæ à malis perpetrantur. Tantum in eo Vir Do-

præstare, ut arctetur quàm laxetur disciplina, ne Christiani cum iis publicam exercendo Communionem, quos in *gravi* (licet fortè non *fundamentali*:) *errore* versari putant, hoc ipso venire censeantur in *erroris* illius communionem, vel saltem occasionem præbeant corrumpendæ veræ fidei doctrinæ. Arbitrantur itaque se cautius instituere, si dissentientes relinquant judicio Dei, etiamsi illos suâ sententiâ non excludant salute; & intereà cum iis solis communionem publicè colant, cum quibus absque ullo periculi metu sibi colere posse videntur. Secundùm quam hypothesin fieri potest ut dissentientium salutem non desperent; & tamen tutius putent eorum communione abstinere, quia admissa eorum Communio sibi in crimen verti poterat apud Deum; negata metus & solicitudinis causâ excusabilior videtur. Et est hic tamen prudenter procedendum, ne *fides* in non necessariis & sæpè dubiis ac incertioribus dogmatibus ita consulamus, ut lædamus *charitatem*, & eos fortè nos damnemus quos Christus D. summus Judex absolvit. Certè *multis compertum est experimentis*, (quod alibi verissimè Grotius:) *vicinas religiones acrius dissidere*; sive quod injurias nobis ab amicis illatas gravius feramus quàm ab hostibus; quod Cleon in Oratione ad Populum Atheniensem disputat apud Thucydidem; sive quod æmulatio & invidia inter dissidentes *vicinarum Religionum* se facilius misceant partibus, humanæ indolis vitio, quod non nisi à Spiritu Christi emendari potest.

Histor. Lib. VII. p. 309.

Histor. Lib. III. p. 94.

ctus hallucinatus est, quod cum toto *Cœtu* Christianorum *Externo Catholico* celebrari voluerit communionem *Absolutam*, nunquam solvendam. Sic utique exertè adversus Parmenianum: *Cum quisque impeditur ab Ecclesiæ congregatione malos homines separare, si ex se ipso auferat malum*, NON IIS CORDE MISCETUR, *atque ita spiritualiter non solùm conjungitur bonis, sed etiam separatur à malis*. Similia habet adversus *Petilianum*, & de *Unitate Ecclesiæ*: quibus describendis supersedemus, quia horum jam satis est.

Lib. III. Cap. I. X. Lib. II. Cap. CVI. CVII, CVIII. De Unit. Eccl. Cap. XX. sub finem.

CAPUT X.

Joannem *Apostolum non* Epistolas *tantùm* suas *ita instruxisse, ut iis refellerit quorundam sui temporis Doctorum pravas sententias, sed* & PROLOGUM *sui* EVANGELII *iisdem opposuisse, firmatur auctoritate* Irenæi, *ejusque hypothesios probabilitas ex* Prologi *illius argumento evincitur. Quod tamen jecit* Hieronymus, Joannem *hic speciatim respexisse* Ebionem & Cerinthum *tanquam qui negaverint* veram *Christi* Divinitatem, *in hoc* Prologo *adstructam, dextrè accipiendum esse docetur, cum propriè* Cerinthus & *Ebionæi* veram *Christi* θειότητα *negasse non videantur, & contrarium ex ipso* Irenæo, *probè lecto & exposito, liqueat. Emendatur itaque Hieronymi hæc traditio ex* Irenæo, *qui* Cerinthum *à Joanne notatum esse docuit*, Gnosticum *nimirum; sive probatur eorum sententia inter Doctos, qui hunc* Prologum *adversus Gnosticos illius temporis institutum fuisse volunt ad illorum sublimia* θεολογήματα *sive refellenda sive emendanda.*

JOannem Apostolum non in *Epistolis* tantùm notasse quosdam sui temporis hæreticos, qui doctrinam Christianæ Religio-

ligionis adulterabant; verum etiam *Prologum* sui *Evangelii* certo consilio sic instruxisse, ut Pseudoprophetarum illorum sententias, quas clam & latenter spargebant, ipse refelleret: communis est, eaque, ut autumo, probabilis Doctorum Virorum sententia. Epistolarum quidem clara est in hoc argumento oratio. Exertè enim ait Joannes in Epistola Prima, jam tum *multos* extitisse *Antichristos*, qui *segreges fecerint cœtus*, negantes, *Jesum esse Christum*; *multos in mundum venisse Pseudoprophetas*, qui inficiati sint, *Jesum Christum in carnem venisse*. quem dicit esse Spiritum *Antichristi*, qui *jam tunc erat in Mundo*. & in consequente orationis contextu iteratò datâque operâ inculcat Fundamentale Religionis Christianæ Dogma, quod falsi Doctores convellebant; *Jesum esse Christum*. Nihil tamen evidentius iis, quæ de hac re scribit in *Epistola Secunda*: *Nam multi Impostores ingressi sunt in Mundum*, *οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί*, *qui non profitentur*, Jesum Christum venisse in carnem. *Hic*, subjungit, *est Impostor ille & Antichristus*.

1 Ep. II. 18, 19. Vers. 22. Cap. IV. 1, 2. Cap. V. 1, 5. Vers. 7.

II. In *Prologo* autem Evangelii, qui *quatuordecim prioribus* illius Libri *commatibus* absolvitur, ubi de Divino Christi Jesu ortu præclarè disserit, nullam, fateor, Hæreticorum aut Impostorum mentionem facit: nec minus tamen *omnes*, ut Grotius observat, *caussam hanc scribendi præcipuam tradunt*, *ut veneno in Ecclesiam jam tum sparso auctoritate sua*, *quæ apud omnes Christianum nomen profitentes non poterat non esse maxima*, *medicinam faceret*. Imo certè *plerique*, non *omnes*. Clemens enim Alexandrinus, cujus verba alibi adducuntur ab Eusebio, in Libris *Hypotyposium* agens de *caussa* & *occasione scribendi à Joanne Evangelii*, hanc planè præterit, & nullam adfert aliam, quàm Joannem, cum cæterorum Evangelistarum narrationes vidisset, atque observasset, illos maximè hæsisse *ἐν τοῖς σωματικοῖς in corporalibus*, (sive id ita intelligi velit Clemens, illos accuratius exposuisse humanæ & exterioris Christi naturæ ortum; sive, illos se præcipuè occupasse narrandis Christi Jesu gestis & dictis, quę ad rudiorum captum accommodata erant:) ad amicorum vota & desideria composuisse *Evangelium πνευματικὸν spirituale*, quod sublimiores res & sermones Domini complecteretur. Quin Eusebius ipse, ubi ex sua sententia de hoc argumento fusè satis

Hist. Eccl. Lib. VI. Cap. XIV. Hist. Eccl. Lib. III. Cap. XXIV.

disserit, aliis insuper quæ huc pertinebant in medium allatis, caussam scribendi Evangelii ab hæreticis non repetit; nec, qui Eusebium sequutus videtur, Theodorus Mopsuestenus, Vir suo tempore celebris, qui cum pariter in reliquis Evangelistis hunc notasset defectum, quod præstantioris Christi Jesu naturæ in Operum suorum limine expressè non meminissent, Joannem ait εὐθὺ μὲν καὶ ἐξ ἀρχῆς περὶ τῶν τῆς θεότητος πεφιλοσοφηκέναι δογμάτων.

Caten. Græc. Patr. in Joan.

III. Plerisque tamen Interpretibus, ut dixi, ita visum est, aliud insuper fuisse, quod Joannem speciatim invitaverit ad luculentam hanc de excellentiore Christi natura dissertationem Evangelicæ suæ narrationi prætexendam. Voluisse nimirum ipsum hoc suo *Prologo* homines sui præcipuè temporis munire adversus noxias quasdam & inconditas sententias, quæ à Philosophis quibusdam novæ sectæ per Ecclesias in Asia disseminabantur, in quos postea inquiremus. Quam opinionem dubium non est illos imbibisse ex Irenæo, qui id totidem verbis tradit. Quantò mirandum est magis, Doctissimum Virum, Richardum Simonium, cum in *Historia Critica Novi Testamenti* de hujus Libri auctoritate & scriptione non perfunctoriâ ageret operâ, exertè dicere, *Irenæum simpliciter narrare, Joannem Evangelium suum scripsisse Ephesi, ubi habitabat, nec tamen vel tempus scriptionis, vel caussas, quæ ipsum ad id impulerint, memorare.* Imo certè non agit id Irenæus *Lib.* III. *Cap.* I. qui locus Viro Docto hæc scribenti obversatus & ab ipso designatus est, sed in ejusdem hujus Libri *Cap.* XI. ut ex verbis ejus, mox describendis, liquebit. Irenæum autem, spectabilis in Ecclesia auctoritatis Virum, cui cum ipsis Apostoli hujus amicis & Discipulis commercium fuit, quid mirum, plures hic in Ecclesia sequutos esse insignes Ecclesiæ Doctores, & inter eos Hieronymum?

Advers. Hær. Lib. III. Cap. XI.

Proœm. Com. in Matth.

IV. Est autem, ut existimem, traditio hæc Irenæi probabili ratione subnixa. Etenim *a.* Si quis ipsam Joannis Apostoli orationem diligenter inspiciat & consideret: mox videt illam esse sublimem & mysticam. Cum enim Apostolus simplice stylo & phrasi, qualem quis ab ipso maximè expectasset, de cœlesti Christi Jesu origine & præstantioris naturæ excellentia & perfectione summa potuisset disserere: veluti extrà se raptus

(θεο-

(θεοφορηθεὶς) & ex abrupto, ut videtur, orationem ſuam in hunc modum orditur: *In principio erat* SERMO *ille* ſive SAPIENTIA, *&* SERMO *ille erat* APUD DEUM, *&* DEUS *erat* SERMO ILLE. *Hic*, inquam, *in principio erat apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & abſque eo nihil illius factum eſt quod factum eſt. In ipſo* VITA *erat, &* VITA ILLA *erat* LUX HOMINUM. Clara quidem hæc ſatis & elegans: non nego: ſed myſtica tamen eſt oratio, ad quam in hunc modum formandam Joannem ſingularis duxiſſe videtur occaſio. Si igitur ponas, circa illud tempus, quo Joannes hæc ſcripſit, extitiſſe in Aſia homines, qui ubi de cœleſti Chriſti Jeſu origine diſſerebant, ſubtilitati ingenii ſui nimiùm indulſerint, & non quidem inficiati ſint, in Chriſto Jeſu eſſe excellentiorem quandam naturam, quam illi rectè τὸν ΛΟΓΟΝ appellarunt, ſed tamen negarunt, illum ΛΟΓΟΝ eſſe *primam* Dei *Emanationem*, vel *ſummæ Divinitatis* participem, & hujus quem colimus orbis *Conditorem*; tum prætereà alias finxerint ſupremi Entis Emanationes, & inter eas quam ΖΩΗΝ VITAM vocabant: tum demum facili operâ aſſequimur, quid moverit Apoſtolum, quare ſublimi & myſtico uti voluerit genere dictionis; nempe propoſitum illi fuiſſe, brevi & efficaci oratione emendare *Philoſophiam de Natura Chriſti præſtantiore & Originibus rerum*, quam homines aliqui, qui ad ineptias uſque videri volebant acuti & ſubtiles, & cæteris eruditiores, magna cum vanitatis ingenii ſui demonſtratione jàctabant.

V. β. Cum nemo neget, Joannem Epiſtolam ſuam Catholicam ſic adornaſſe, ut inter alia veram doctrinam de Chriſto Jeſu ejuſque vera ἐνσαρκώσει adverſos falſos ſui ævi Doctores aſſereret & vindicaret: quippe quod ex ipſa illa Epiſtola quàm clariſſimè liquet: idem omninò dicendum videtur de *Prologo* Evangelii, quia magnam obſervare licet conformitatem inter dictionem, quâ Apoſtolus in illa uſus eſt Epiſtola, & Evangelii ejus Prologum. In Epiſtola enim illa Chriſtum pariter vocat τὸν Λόγον καὶ τὴν Ζωὴν SERMONEM & VITAM, & quidem VITAM ÆTERNAM, quæ *fuerit apud Patrem*, docetque adverſus hæreticos id negantes, illum Λόγον, ſive *Chriſtum*, eſſe *Jeſum*, & *veniſſe ἐν σαρκὶ in carnem*, hoc eſt, *veræ carni* arctiſſimo & indiſſolubili conjunctionis vinculo fuiſſe unitum. Quod idem eſt argumen-

Cap. I. 1, 2.

Cap. IV. 2.

men-

mentum doctrinæ Joannis in *Prologo* Evangelii, in quo, ut modò videbamus, non tantum de *Divinitate* Christi eodem modo differit, sed & ἐνσάρκωσιν ejus eadem dictione describit, ubi ait: καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο *Et* SERMO *ille factus est* CARO. Non enim dixit Joannes, quod Ammonius judiciosè observat, *Sermonem assumsisse corpus* aut, *visum esse in corpore*: quod illi Doctores ex sua hypothesi potuissent concedere: sed *factum esse* CARNEM, hoc est, *corpus* assumpsisse *verum*, & nostris per omnia simile. quod Docetæ, qui dicebantur, ut deinceps evincemus, neutiquam agnoscebant. Plana igitur & aperta res est, τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὴν ἐπιστολὴν συνᾴδειν *Evangelium & Epistolam Joannis sibi mutuò consonare*, quod Dionysius Alexandrinus jam observavit & iisdem ferè argumentis olim adstruxit in *Libro Secundo* περὶ ἐπαγγελιῶν apud Eusebium, & fusius etiam executus est Georgius Bullus, qui hic consuli poterit; ac proinde utrumque illud scriptum eadem niti hypothesi, & ejusdem generis hominibus oppositum esse.

Vers. 14. Caten. Græc. Patr. in h. l. Hist. Eccl. Lib. III. Cap. xxv. Judic. Eccles. Cath. de Nec. Cred. p. 34, 85.

VI. Quod si ita se jam habeat, & sententiæ, quam supponere ausi sumus, non subsit error: operæ utique pretium & ad Sancti Apostoli egregia Scripta intelligenda alicujus momenti res fuerit, illos homines, quibuscum se miscere voluit, propius cognoscere, eorumque dogmata explorata habere. Quod cum mihi nunc agere propositum fuerit: liberâ oratione, nec tamen nullo ordine, in hoc argumentum expatiabor, tum aliorum ponderaturus sententias, tum meam, nec tamen novam aut paradoxam, si pote lumine perfusurus.

VII. Nihil communius est & pervulgatius, & omnium ore tritius, quàm Joannem in exordio Evangelii sui se maximè opponere voluisse Ebioni & Cerintho, damnabilis cujusdam illius temporis sectæ Magistris, qui negasse dicuntur Christi Jesu *Divinitatem*, ejusque *originem Cælestem*; contrà verò docuisse, esse illum ψιλὸν ἄνθρωπον. Quam sententiam millies dictam & repetitam, & in vulgatis hujus Libri Commentariis obviam, Hieronymi potissimùm commendavit auctoritas, quem alii existimarunt se absque erroris metu sequi posse ducem, cujus verba hic describo: *Joannes cum esset in Asia, & jam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Chri-*

Procem. Comm. in Matth.

Christum in carne venisse, quos & ipse in Epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter perculit, coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altius scribere. Unde & Ecclesiastica narrat historia, cum à fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione saturatus illud proœmium è cœlo veniens eructavit: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. Ignorant passim Eruditi Viri, & inter eos ipse quoque Simonius, qui hæc Hieronymi verba descripsit, unde Hieronymus *Ecclesiastica* hujus *traditionis*, quam memorat, historiam petierit. Sed videtur nobis nunc patere, hausisse eam Hieronymum ex Victorini Petabionensis in superiore Pannonia Episcopi, qui non longè ante exitum *Seculi tertii* floruit, in *Apocalypsin Commentario*, qui extat in *Bibliotheca Patrum*. Verum undecunque etiam hæc habuerit Victorinus, qui Ebioni & Cerintho addit Valentinum, iis ætate recentiorem: sunt hæc cum grano salis accipienda. Primò enim Cerinthus & Ebion, sive potius Ebionæi, absolutè non negarunt, *Christum venisse in carnem*, quippe veram in Christo Jesu agnoverunt humanitatem; deinde etiam Christo Jesu omnem non abnegarunt Divinitatem, quippe qui omninò docuerunt, quantum mihi ex Historiæ, quæ supersunt, monumentis liquere potuit, præstantiorem quandam substantiam spiritualem, sive potius, *Spiritum S.* quem illi *Christum* vocabant, se *Jesu*, Mariæ Filio, univisse, quo tempore munus suum publicum inter Judæos auspicaretur; tantùm statuerunt, conjunctionem utriusque illius naturæ Divinæ & Humanæ non fuisse continuam & ἀδιάλυτον, quia præstantior illa natura, quo tempore Jesus gravissimas subiret passiones, suum repetierit pleroma, & naturam humanam dereliquerit. De Cerintho quidem res certa est ex Irenæo, faciamque, ut sententia ipsius in sequentibus in lucem protrahatur.

Edit. Lugd. Tom. III. p. 414. circa med.

Adv. Hær. Lib. I. Cap. XXV.

VIII. De *Ebionæis* autem (*Ebion* enim homo haud dubiè nunquam in rerum natura extitit, sed per errorem à Veteribus, &, si non fallor, primum à Tertulliano, fictus:) idem testatur Irenæus, si verba ejus incorruptè legantur. Vulgò enim sic legitur Irenæus de Ebionæis: *Qui autem dicuntur* EBIONÆI, *con-*

De Carne Christi Cap. XII. & De Præscript. adv. Hær. Cap. XXXIII. Cap. XXVI.

mentum doctrinæ Joannis in *Prologo* Evangelii, in quo, ut modò videbamus, non tantum de *Divinitate* Christi eodem modo differit, sed & ἐνσάρκωσιν ejus eadem dictione describit, ubi ait:
Vers. 14. καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο *Et* SERMO *ille factus est* CARO. Non enim
Caten. Græc. Patr. in h. l. dixit Joannes, quod Ammonius judiciosè observat, *Sermonem assumsisse corpus* aut, *visum esse in corpore:* quod illi Doctores ex sua hypothesi potuissent concedere: sed *factum esse* CARNEM, hoc est, *corpus* assumpsisse *verum*, & nostris per omnia simile. quod Docetæ, qui dicebantur, ut deinceps evincemus, neutiquam agnoscebant. Plana igitur & aperta res est, τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὴν ἐπιστολὴν συνᾴδειν *Evangelium & Epistolam Joannis sibi mutuò consonare*, quod Dionysius Alexandrinus jam observavit & iisdem ferè argumentis olim adstruxit in *Libro Secundo* περὶ ἐπαγγελιῶν apud Eusebium, & fusius etiam executus est Georgius Bullus, qui hic consuli poterit; ac proinde utrumque illud scriptum eadem niti hypothesi, & ejusdem generis hominibus oppositum esse.

Hist. Eccl. Lib. III. Cap. XXV. Judic. Eccles. Cath. de Nec. Cred. p. 34, 85.

VI. Quod si ita se jam habeat, & sententiæ, quam supponere ausi sumus, non subsit error: operæ utique pretium & ad Sancti Apostoli egregia Scripta intelligenda alicujus momenti res fuerit, illos homines, quibuscum se miscere voluit, propius cognoscere, eorumque dogmata explorata habere. Quod cum mihi nunc agere propositum fuerit: liberâ oratione, nec tamen nullo ordine, in hoc argumentum expatiabor, tum aliorum ponderaturus sententias, tum meam, nec tamen novam aut paradoxam, si pote lumine perfusurus.

VII. Nihil communius est & pervulgatius, & omnium ore tritius, quàm Joannem in exordio Evangelii sui se maximè opponere voluisse Ebioni & Cerintho, damnabilis cujusdam illius temporis sectæ Magistris, qui negasse dicuntur Christi Jesu *Divinitatem*, ejusque *originem Cælestem*; contrà verò docuisse, esse illum ψιλὸν ἄνθρωπον. Quam sententiam millies dictam & repetitam, & in vulgatis hujus Libri Commentariis obviam, Hieronymi potissimùm commendavit auctoritas, quem alii existimarunt se absque erroris metu sequi posse ducem, cujus verba
Procem. Comm. in Math. hic describo: *Joannes cum esset in Asia, & jam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant*

Chri-

Christum in carne venisse, quos & ipse in Epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter perculit, coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altius scribere. Unde & Ecclesiastica narrat historia, cum à fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione saturatus illud procemium è cœlo veniens eructavit: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. Ignorant passim Eruditi Viri, & inter eos ipse quoque Simonius, qui hæc Hieronymi verba descripsit, unde Hieronymus *Ecclesiasticæ* hujus *traditionis*, quam memorat, historiam petierit. Sed videtur nobis nunc patere, hausisse eam Hieronymum ex Victorini Petabionensis in superiore Pannonia Episcopi, qui non longè ante exitum *Seculi tertii* floruit, in *Apocalypsin Commentario*, qui extat in *Bibliotheca Patrum*. Verum undecunque etiam hæc habuerit Victorinus, qui Ebioni & Cerintho addit Valentinum, iis ætate recentiorem: sunt hæc cum grano salis accipienda. Primò enim Cerinthus & Ebion, sive potius Ebionæi, absolutè non negarunt, *Christum venisse in carnem*, quippe veram in Christo Jesu agnoverunt humanitatem; deinde etiam Christo Jesu omnem non abnegarunt Divinitatem, quippe qui omninò docuerunt, quantum mihi ex Historiæ, quæ supersunt, monumentis liquere potuit, præstantiorem quandam substantiam spiritualem, sive potius, *Spiritum S.* quem illi *Christum* vocabant, se *Jesu*, Mariæ Filio, univisse, quo tempore munus suum publicum inter Judæos auspicaretur; tantùm statuerunt, conjunctionem utriusque illius naturæ Divinæ & Humanæ non fuisse continuam & ἀδιάλυτον, quia præstantior illa natura, quo tempore Jesus gravissimas subiret passiones, suum repetierit pleroma, & naturam humanam dereliquerit. De Cerintho quidem res certa est ex Irenæo, faciamque, ut sententia ipsius in sequentibus in lucem protrahatur.

Edit. Lugd. Tom. III. p. 414. circa med.

Adv. Hær. Lib. I. Cap. XXV.

VIII. De *Ebionæis* autem (*Ebion* enim homo haud dubiè nunquam in rerum natura extitit, sed per errorem à Veteribus, &, si non fallor, primum à Tertulliano, fictus:) idem testatur Irenæus, si verba ejus incorruptè legantur. Vulgò enim sic legitur Irenæus de Ebionæis: *Qui autem dicuntur* EBIONÆI, *con-*

De Carne Christi Cap. XII. & De Præscript. adv. Hær. Cap. XXXIII.

Cap. XXVI.

 sen-

sentiunt quidem, Mundum à Deo factum; (quod nimirum Cerinthum dixerat negasse:) *ea autem quæ sunt erga Dominum* NON SIMILITER *ut Cerinthus & Carpocrates opinantur*. Cui orationi Irenæi, si hanc lectionem retineas, nullum commodum aptes sensum. Cum enim in superioribus duos errores in censum Cerinthi retulisset, *Mundum ab Angelis conditum*, & *Jesum* Servatorem *à Josepho & Maria genitum esse*; *Spiritum* verò *S.* sive Diviniorem substantiam se demùm illi conjunxisse, cum Muneri suo Publico per Baptismum à Joanne initiaretur: patet, Irenæum mox verba facientem dicere velle, Ebionæos partim Cerintho consentire; partim ab ipso dissentire. Dissentire quod *Mundum* verè illi statuerent à Supremo Deo conditum esse; consentire autem Cerintho in iis, quæ de *ortu Christi* & *naturarum ejus conjunctione* tradebat. Si enim Irenæus dicere voluisset, Ebionæos in universum à Cerintho divortium facere: ferre non potuisset ipsius oratio voculas *quidem* (μὲν) & *autem*, (δὲ) quæ manifestam inferunt sententiarum oppositionem. Lege igitur, ut Eruditi Viri jam præiverunt: *Ea autem quæ sunt erga Dominum*, CONSIMILITER (pro *non similiter*:) *ut Cerinthus & Carpocrates opinantur*; & salva atque integra erit, sibique cohærebit, oratio. Quin addo, ex ipso Epiphanio, quantumvis ille de *Ebionæis* invidiosissimè scribat, evidenter liquere, *Ebionæos* idem planè cum *Cerinthianis* de *duabus* Christi Jesu *naturis* sensisse. De cætero verò etiamsi non inficier, Cerinthi & Ebionæorum sententiam, quæ negabat *constantem* & *individuam duarum naturarum in Persona Messiæ conjunctionem*, proximè ad eorum hæresin accedere, qui in Christo Jesu unam tantum agnoscunt humanæ naturæ Ὑπόστασιν: divortium tamen inter utramque hanc sententiam satis est notabile, ut ex sequentibus patebit. Quantum enim mihi liquet, in antiqua Ecclesia Christiana nemo ante Theodotum Byzantinum, proximè finem *Sæculi Secundi*, absolutè negavit duarum in Persona Christi Naturarum Concursum, quem Theodotum ipse Eusebius expressâ oratione vocat τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, πρῶτον εἰπόντα, ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, *defectionis illius, quæ Christi Divinitatem abnegat, auctorem & parentem, qui* PRIMUS DIXERIT, *Christum nudum esse hominem*. Quare quæ Eusebius, optimos auctores non sequu-

Adv. Hær. Lib. I. Tom. II. Hær. XXX. §. III. & XIIII.

Hist. Eccl. Lib. V. Cap. XXVIII.

Hist. Eccl. Lib. III. Cap. XXVII.

sequutus, alibi de Ebionæis hac in re tradit, dextrè & prudenter accipienda sunt.

IX. Nihilne igitur veri subest huic observationi Hieronymianæ? Imò fortè aliquid. Irenæus enim, cujus hic major longè est auctoritas, explicitè scribit, Joannem in componendo Evangelii sui exordio *Cerinthum* respexisse. *Hanc fidem*, ait, *annuncians Joannes, Domini Discipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre* EUM QUI A CERINTHO INSEMINATUS ERAT HOMINIBUS ERROREM, *& multò prius ab his, qui dicuntur Nicolaïtæ, qui sunt vulsio ejus quæ falsò cognominatur scientia. --- Omnia igitur talia circumscribere volens Discipulus Domini, & regulam veritatis constituere in Ecclesia ---- sic inchoavit in ea quæ est secundum Evangelium Doctrina: In principio erat Verbum.* Vera Lugdunensis Episcopi sententia est, Joannem Evangelii sui Prologum instruxisse adversus *Gnosticos*, qui in Asianis Ecclesiis circa tempora Joannis errores suos ex incrustatis Platonicæ vel Pythagoricæ Philosophiæ principiis haustos seminabant, inter quos hic loci manifestè censet Cerinthum. Cerinthus enim, quatenus nobis ex historia vetere innotuit, verè fuit Gnosticus, & ex disciplina Gnosticorum sui petiit subsidia erroris. Irenæi verò hanc sententiam rectè accepit Ammonius, *Sæculi Quinti* Scriptor, cujus minimè infruniti *Commentarii* extant in *Catena Græcorum Patrum*, qui Joannem totâ hâc oratione suâ Platonicos Philosophos ex Christianis, qui *Gnostici* dicebantur, notasse, eorumque sententias jugulasse & refellisse observavit. Inter recentiores autem, quos omnes tamen non inspexi, Grotius mihi præcipuè & Bullus huic hypothesi illustrandæ videntur incubuisse: à quibus etiamsi vix diffideam, quod ad rei summam attinet: existimem tamen, non parum lucis accessurum orationi Joannis, si Gnosticorum illæ sententiæ, quibus Joannes suam illam Θεολογίαν opposuit, accuratius circumscribantur, & paulò pressius definiantur, quam ab Eruditis illis Viris præstitum est. Quod si fiat: fortean caussa non erit, cur hanc hypothesin deseramus, vel potius opinemur, Joannem hoc suo *Prologo* speciatim respexisse Philonem Alexandrinum; & Christianos sui temporis hic voluisse docere, quo sensu phrases quædam, quibus Philo in scriptis suis utebatur, secundum principia Pla-

Adv. Hær. Lib. III. Cap. XI.

In Joannem.

Præf. & Comm. in Evang. Joan. Jud. Eccl. Cath. de Necess. Cred. Cap. II.

tonicæ Philosophiæ περὶ τȣ̃ Λόγȣ differens, intelligendæ essent, si quis eas absque errore ad Doctrinam Religionis Christianæ explicandam adhibere vellet: quam sententiam paucis abhinc annis peculiari *Dissertatione*, quæ *Paraphrasin* continet XVIII

Cl. Clericus. *Primorum Commatum Evangelii S. Joannis*, Vir quidam Cl. in medium protulit, & *Paraphrasi* illi suæ substravit. Liceat nobis, nullo nisi veri investigandi studio affectis, pace Eruditissimi Viri, eam modestè expendere.

Caput XI.

Sententia Eruditi cujusdam Viri, quæ statuit, Joannem in Prologo Evangelii sui *respexisse* Philonem *Judæum; & Christianos sui ævi, qui scripta ejus* lectitabant, *voluisse docere, quo modo* phrases *de* Deo, *&* ΛΟΓΩ, Filio *Dei* Primogenito, *quas Philo usurpat*, rectè intelligerent, *modestè expenditur; eâque occasione disquiritur, an* Doctrinæ Christianæ *cum* Platonica *de* tribus *in Deo, quæ sunt* Unum, *omnimodè conveniat; Veterum & Recentiorum Doctorum opinationibus hoc de argumento in medium productis & discussis.*

NOn negat quidem Vir Cl. Joannem ad antiquorum hæreticorum illorum doctrinam & sermonem, quorum Irenæus & Hieronymus meminerunt, respicere: sed cum eo tempore jam extiterint *varia scripta* Philonis Alexandrini, celeberrimi Viri, *ubi eadem hæ voces sæpè adhibentur*, Apostolum *non minus ad eum quàm ad memoratos hæreticos respexisse*, probabili conjecturâ statuit. Cum enim magna esset *eloquentiæ* ejus existimatio, & *lectitaretur à Christianis & multa haberet affinia Christianorum dogmatibus; potuerunt multi*, ait, *hominis Eloquentiâ capti sermonem ejus imitari, & placita imprudentes cum Religione Christiana miscere. Ne ergo hoc fieret, Joannem potissimas voces, quæ fallere incautos poterant, initio Evangelii sui adhibuisse, ut quo sensu usurpari possent, intelligerent Christiani.* Itaque præcipua loca,

quę

quę ad hoc attinent argumentum, ex Libris Philonis produxit, & cum phraſi Joannis ſtudiosè contulit, ut *conjectura allata pondus adderet*. Ego verò hanc Doctiſſimi Viri ὑπόληψιν, ſi in ſe ſpectetur, lubens ſuo linquo loco & pretio, quippe quæ vulgatam ſententiam non evertit, nec, quod videam, in Fidei noſtræ Canonem peccat. Si enim verè conſtet, Philonem Judæum quaſdam phraſes, quarum uſus erat in explicandis graviſſimis Chriſtianæ Religionis Dogmatibus, vitiosè uſurpaſſe, eundemque Philonem lectum tractatumque fuiſſe à Chriſtianis in Aſia, quibuſcum res erat Joanni: cauſſa non eſt, quare Joannem hæc ſcribentem non æquè Philonem dicamus reſpexiſſe quàm alios ſui temporis Platonicæ Philoſophiæ, vel potius Gnoſticorum ſectæ, Magiſtros. Ut tamen verum fatear: non potui in hac ſententia conquieſcere ob rationes, quas nunc exponam.

II. α. Ex nullo antiquitatis Eccleſiaſticę Monumento hactenus liquet, quod novi, Philonis Judęi ſcripta lecta, tractataque, aut in deliciis habita fuiſſe ab iis Chriſtianis, qui circa tempora Joannis partes faciebant in negotio Chriſtianæ Religionis. Ubi Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, aliique inter Veteres, Gnoſticorum ſententias explicant, aut damnabiles illorum temporum de Deo opiniones recenſent, Philo, quod ſciam, nullibi comparet. Joannem verò Apoſtolum operam voluiſſe dare Philonis Judæi Scriptis evolvendis ejuſque veris ſententiis tum eruendis tum emendandis, parùm nobis probabile, & longiuſculè quæſitum videtur. Non convenit enim illud illius Sæculi genio, quo ſumma obtinebat ſimplicitas, & ſcripta τῶν ἔξω à Chriſtianę Eccleſię Doctoribus, maximè ab Apoſtolis, ferè negligebantur, quod rectè obſervat Pearſonus in *Vindiciis Ignatianis*, Epiſtolarum Ignatii γνησιότητα hoc argumento adſtructurus. *Nihil*, ait, *in his Epiſtolis extraneum, nihil ex eruditione Gentilium profectum; omnia Doctrinam purè Evangelicam & ſimplicitatem Viri Apoſtolici redolent. Qui poſteà ſcripſere, Doctorum apud Gentes ſententias uſurpare, & eorum nonnunquam etiam Dogmata Chriſtianæ religioni immiſcere ſolebant: id autem ex earerum ſcientia, quâ antequam Chriſtiani fierent, præditi fuerant, præſtiterunt, ut Tertullianus obſervat. Ignatius diu jam Epiſcopus fuerat* Vindic. Ignat. Part. II. Cap. I. p. 354.

& Christianam Religionem tum primùm susceperat, quo perpauci ex Gentibus docti Christiani facti sunt: in eo igitur perspicimus animam purè Christianam, non Scholis formatam, non Bibliothecis exercitatam, non Academiis & Porticibus Atticis pastam. Ignatio suppone in hac Eruditi Præsulis oratione nomen Joannis Apostoli, & facilè quò tendam, perspicies.

III. β. Etiamsi Philoni non negem laudem eruditionis, facundiç, & eloquentiç, cum dignitate & natalium splendore conjunctam, quæ non exiguam ei conciliarunt auctoritatem: non video tamen ejus esse generis, quç Philo scripsit, ut rationem habere potuerit Joannes Apostolus metuendi, ne Christiani sui temporis se paterentur per Scripta Philonis perduci in errorem. Philo enim, ut ut dictione utatur elegante & venustâ, eloquentiâ suo tempore celebris, & φιλοσοφίας ὐκ δεύτερος *in Philosophia probè exercitatus* fuerit: nimis tamen est ὑψηλὸς καὶ μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς θεωρίαις *altus & sublimis in contemplationibus in Scripturas divinas* Allegoricis, (verba quidem sunt Eusebii, Philonem laudantis:) quàm ut, si orationis copiam seponas, multis placere aut sectæ qualiscunque in Religione, nedum Christiana, sive condendç sive confirmandç materia ex ipsius libris desumi potuerit. *De Divinitate* enim quæ sparsim, neque adeò densè, in Libris suis Dogmata tradidit, *Schola* debuit *Platonica*, extrà quam non putem ipsum in hoc negotio sapuisse, aut quid novi protulisse; ut adeò, qui se huic tradebant Philosophiæ, Philonis operâ hac parte non indigerent. *Contemplationes* autem ipsius *Allegoricæ* passim tam sunt frigidæ & longè petitæ, & tam parum iis subest solidi & πιθανῦ, ut cui tandem recti judicii homini placere quiverint, nesciam. Ego enim: cum suus cuique sensus sit: eas passim legi cum tædio & absque multa delectatione; saltem exiguo cum profectu. De cætero propositum mihi minimè est ejus nomini aut laboribus detrahere; nec latent etiam me Eruditorum de Philone judicia: tantum tamen, quod nunc ago, improbo & damno interpretamenta allegorica frigida & insulsa, quibus Scripturam S. non honoravit, (quem sibi proposuerat scopum:) sed dehonestavit apud Gentes, eaque mihi cum Dogmatibus Platonicæ Philosophiæ commixta sectæ in negotio Religionis sive condendç sive

Hist. Eccl. Lib. II. Cap. VIII.

firman-

firmandæ minimè apta fuiſſe videntur, & non à multis adeò intellecta vel probata.

IV. γ. Si Philo quaſdam voces aut phraſes, quas Chriſtiani de Dei natura differentes in ſuos convertere poſſent uſus, eo uſurpaſſet ſenſu, cui ſuberat error: non video tamen ad alia referri poſſe, quam quę ipſe ex diſciplina Platonica tradidit de Λόγῳ, *Sermone* vel *Ratione*, *Mente*, *Filio* aut *Primogenito Dei:* quæ tamen neutiquam abſolvunt argumentum *Prologi Evangelii Joannis*. Apoſtolus enim prætereà in illo *Prologo* ſuo differuit de Λόγῳ *Sermone*, ut Creatore hujus Univerſi, ejuſque ἐνανθρωπήσει *Incarnatione*, de quibus vel rectè ſcripſit Philo, Deum nobiſcum docens eſſe hujus Univerſi Conditorem, ut ſatis patet ex Libro ejus de *Opificio Mundi*; vel nihil prorſus tradidit, ut eſt dogma *Incarnationis*, tanquam qui principiis Chriſtianę Religionis neutiquam fuit imbutus, quicquid etiam inter Veteres aliqui in contrarium de Philone finxerint. Proinde, ſi demonſtrari queat, extitiſſe circa tempora Joannis alios quoſdam novæ ſectæ Magiſtros in ipſa Eccleſia Chriſtiana, qui erroneè loquuti fuerint de omnibus illis Dogmatibus, quæ totum occupant *Prologum* hujus *Evangelii:* haud dubiè probabilior erit ſententia, Joannem illos reſpexiſſe quàm Philoſophum hunc Alexandrinum.

V. δ. Sed quod præcipuum hic eſt: quę Philo ſecundum ſyſtema Philoſophiæ Platonicæ Libris ſuis inſperſit de *Logo*, *Mente*, *Filio & Primogenito Dei*, & de *Tribus* quę ſunt *Unum*, aliiſque hujus generis; tam ſunt affinia veræ ſententiæ & fidei Eccleſiæ de *Sancta Triade*, ut magna ſubtilitate, perſpicacitate, & peritiâ opus ſit in demonſtrando doctrinæ Philonis errore; & fortè plures Philonem hac parte ab errore ſint abſoluturi & cum doctrina Joannis comparaturi, quàm ut putaturi ſint, Joannem neceſſe habuiſſe ſe Philoni opponere, & illius Theologiam hac parte emendare. Et hic ſanè prolixus à nobis contexi poſſet catalogus eorum, qui doctrinam Platonis & Philonis de *tribus Principiis*, (Philo autem præcipuè duo memorat *Deum* & Λόγον ejus:) conferre inſtituerunt cum Doctrina vera de *tribus Divinitatis Hypoſtaſibus*, quæ in Scriptis V. & N. T. traditur: ſed vela contraham orationis, ne nimia prolixitate & copiâ

piâ huic argumento tenebras offundam. Eusebius utique Cæsariensis, Vir sui temporis doctissimus, in Libris de *Præparatione* Lib. xi. Cap. xiv, xv, xvi. *Evangelica*, datâ operâ Platonis & Philonis doctrinam eandem de *Deo* & *Logo*, & partim ex iisdem Philonis Judæi locis, quę Vir Cl. allegavit, comparare instituit cum sana doctrina Ecclesiæ de gravissimo *S. Triadis* dogmate, nec visus est suo tempore operam lusisse. Hugo quoque Grotius, posteriorum temporum Vir Illustris, in Libris, verè elegantibus, quos conscri- Lib. v. In Amos. p. 350, 351 352. psit de *Veritate Religionis Christianæ*, insigniora loca Philonis, quæ Vir Cl. existimat Joanni scribendi Prologi sui occasionem præbere potuisse, post Mornæum & alios excerpsit, & ad doctrinam Joannis & utriusque Codicis Sacri, illustrandam in medium attulit: existimans quidem, illa doctrinæ Joannis favere & cum ea comparari posse, neutiquam vero ab Apostolo subverti. Responsurus enim ad objectionem, quam Judæi inferebant adversus Doctrinam de SS. Trinitate: *Quid enim est*, ait, *cur magis id Christianis objiciatur quàm Philoni Judæo, qui sæpè* TRIA *in Deo statuit, & Dei* RATIONEM *sive* SERMONEM *vocat Dei Nomen, Mundi Opificem, neque Ingenitum, ut est Deus Pater omnium, neque ita genitum, ut sunt homines, quem &* ANGELUM *sive* LEGATUM *universum hoc curantem vocat.* Tum denique, R. Cudworthus, Vir Eruditissimus, in Præclaro Opere, quod inscripsit *Systema Intellectuale*, (cujus summam & excerpta quod Vir In Biblioth. Sel. Cl. cum publico communicare voluerit, Rem literariam inter alia magno beneficio sibi devinctam habet:) Doctrinam Platonicam de Θεῷ, Λόγῳ, & Ψυχῇ, *tribus* ἀρχικαῖς ὑποστάσεσι, (ut Veterum phrasi hic utar) sibi sumsit vindicandam, eamque cum vera Theologia, quæ in Divinis literis traditur, studiosè contulit. Adversus Grotium verò, Cudworthum, & qui illos prægressi sunt, Augustinum Steuchum, Mornæum, aliosque iis In Epist. Crit. Epist. VIII. p. 285. similes, moveri nequit suspicio, quâ Vir Cl. Eusebium gravavit, acsi, Platonicam Theologiam cum Christiana conferendo, Arianismo videri voluissent favere, à quo haud dubiè (Grotio hic non excepto:) fuerunt alieni: ut adeò, si verè hic Christiana Theologia à Platonica distet, imprudentiæ is error fuerit, non voluntatis. Quod tamen ad ipsum quoque attinet Eusebium: si omnino hos Libros de *Præparatione Evangelica* elucubra-

cubraverit post Concilii Nicæni tempora, ut Eruditis quibusdam Viris persuasum est: probabile non sit, illum de gravissimo hoc Religionis dogmate sic loqui voluisse, ut adversarios suos, quibus de Arianismo suspectus erat, offenderet ipse vel irritaret, cum jam tum magnæ objectus esset invidiæ. Utique Justinus Martyr, & Clemens Alexandrinus, qui in hanc suspicionem vulgò quidem non incidunt, (etiamsi non ignorem esse quod in iis etiam desideretur, ut Eruditus Huetius alibi jam observavit:) eandem ante Eusebium rem egerunt, & plane existimarunt, inter Doctrinam Platonis de ΛΟΓΩΙ, & eam Joannis Theologi, magnam non intercedere differentiam. Quod si ita habeat: gravis ratio non erat, quare Apostolus Christianos sui temporis in *Prologo Evangelii sui* adversus lectionem Librorum Philonis muniret, ejusque *Theologiæ* suam opponeret. Saltem, si pateat, circa tempora Joannis alios fuisse Philosophos Christianæ sectæ, quorum errores Doctrinæ Apostoli directius fuerint oppositi: opus non fuerit *latentem rimam quærere, cum januam habeamus apertissimam:* ut Augustini huc transferam verba, alio in casu prolata.

In Origenian. Quæst. II. §. X.

De Nupt. & Concupisc. ad Valer. Lib. II. Cap. XXVIII.

VI. Quę tamen ubi scripsi: nolim propterea videri hanc tueri sententiam, inter Doctrinam Christianam & Platonicam de *Trium* in Deo *Unitate* omnimodum esse consensum, vel eorum etiam probare & laudare conatus, qui ad Christianum dogma illustrandum Platonis, ejusque Scholæ, scripta advocant. Dogma enim de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. quod nostra supponit Religio, res mihi est tam sancta, ut extrà Divinam Revelationem hic nihil sapere velim vel audeam, & vera etiam meticulosè scribam. Quod si tamen constaret, apud Platonem ejusdem illius Doctrinæ indicia extare, quæ in Verbo Dei purius & clarius traditur: fateor me non videre, in invidiam trahi posse Doctrinæ Christianæ de gravi hoc Religionis Dogmate, quod Platonis Theologiæ hâc parte consentiat. Qui enim concordiam inter Theologiam Christianam & Platonicam in hoc Dogmate urgent, omnes supponunt, Pythagoram & Platonem suam illam Theologiam non finxisse ex Ratione, ex qua eam nunquam absque alio subsidio potuissent exsculpere; sed ex *traditione Barbarorum*, hoc est, Ægyptiorum, Persarum, Chaldæorum,

sive

sive Hebræorum, Phœnicum, quos ipsi laudant sanioris Philosophiæ Magistros, ut Clemens Alexandrinus ex ipso Platone probat, & ex Prophyrio Theodoretus. Quid? Ut compendio dicam, ἅπασα ἡ παρ' ἕλλησι θεολογία τῆς ὀρφικῆς ἐστι μυσταγωγίας ἔκγονος, *Omnis Theologia apud Græcos recepta est Orphicæ mystagogiæ progenies*; scribit exertè Proclus, origines Pythagoricæ & Platonicæ Theologiæ demonstraturus. Orpheus autem, Philosophus eximius, cum suas *traditiones* de Deo & rerum Originibus, (quas Proclus vocare solet Ὀρφικὰς παραδόσεις:) petierit à *Barbaris*, hoc est, *Philosophis Orientalibus*, idemque propius accesserit ad tempora Mosis, quibus veræ Theologiæ & Cosmogoniæ traditiones apud Philosophiæ Cultores in Oriente nondum erant extinctæ: quid miramur, veræ hujus Theologices reliquias nos in ipsorum reperire scriptis? Si enim invidiæ non cedat Doctrinæ nostræ Religionis, Orpheum, Pythagoram, & Platonem, sententiis de Ortu hujus Universi, Divina Providentia, ejusque Ministris Angelis, & de extremis hominum post hanc Vitam statibus, ad Doctrinam Divini Verbi propius accedere, eidemque in his Dogmatibus affinia tradere, quod nemo negat: quo jure id Religionis nostræ professioni in invidiam vertitur, illos ex *antiqua traditione* Populorum Orientalium & ipsorum fortè Sapientium Hebræorum similia docuisse nostræ Fidei de venerando Mysterio *Triunitatis*? Hoc tamen ævo, quod vivimus, nihil vulgatius est, quàm ut Socini sequaces hoc nomine Theologiam Christianam de hoc Dogmate traducant, quod Platonicæ similis sit, &, ut illi hanc rem invidiosè sed falsò interpretantur, ad Platonicæ Philosophiæ placita post excessum Apostolorum à Doctoribus Ecclesiæ Christianæ Philosophiæ Platonicæ addictis, quos inter primum locum dant Justino Martyri, conformata sit.

Strom. Lib. I. p. m. 221, 222.

Serm. I. de Fide p. 10.

In Theol. Plat. Lib. I. Cap. V. p. 13.

VII. Ut tamen verum fatear: non ausim Eruditis Viris, qui hoc argumentum occuparunt, hanc largiri hypothesin, inter Scholam Christianam & Platonicam omnimodum hâc parte esse consensum. Recentior enim Schola Platonica, ex qua sunt Plotinus & Proclus, agnoscit quidem tres ἀρχικὰς Ὑποστάσεις, *Deum* nempe Ἀγέννητον *Ingenitum* & πρῶτον αἴτιον, *Caussam Primam*, Λόγον sive Νοῦν *Mentem*, sive *Sermonem*, ab ipso *genitum* & productum,

ductum, & Ψυχὴν *Animam*, Mundum hunc in Motu suo conservantem: sed duas has Summi Entis Emanationes, de quibus cæteroquin magnificè satis loquuntur, à summo Ente liberè statuit effluxisse & productas esse. Plato autem, cujus Theologiæ ex ipsius Scriptis illustrandæ Proclus pro virili incumbit, an idem senserit, fateor mihi non satis clarè liquere. Scripsit enim passim de Deo mysticè & αἰνιγματωδῶς, sive, quod Proclus ait, τὴν περὶ τῶν θείων ἀλήθειαν κατέκρυψε *veritatem de Divinis rebus occultavit*; nec proinde vehementer abhorrerem ab illa sententia, quam Anonymus aliquis, Vir quidem Doctus sed Socinianæ hæresi perditè addictus, non ita pridem exposuit in Libro, quem *Platonismum Develatum* inscripsit, Platonem per eam, quam ipse in Deo agnoscit *Trinitatem*, designare primum voluisse *Tres* excellentiores ipsius *Proprietates*, quæ in Creatione hujus Universi eluxere, *Bonitatem* nimirùm, *Sapientiam*, & *Potentiam* ejus, de quibus ipse mysticè sive symbolicè tanquam de tribus *Hypostasibus* disseruerit, ut hanc suam sententiam ad receptam apud Gentiles de Πολυθεότητι opinionem accommodaret: fere ut observavi, Zoroastrem, in Oraculis, quibus ait,

In Theol. Plat. Lib. I. Cap. IV.

Part. I. Cap. V.

Apud Stanlei. Orient. Lib. IV. p. 125.

Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει Τριὰς, ἧς Μονὰς ἄρχει

Toto enim in Mundo lucet TRINITAS, *cujus* UNITAS *initium est*; suam illam *Trinitatem* explicare. Certè ipse Philo, quantumvis de Λόγῳ τοῦ Θεοῦ passim loquatur tanquam de *Hypostasi*: in Libro tamen de *Opificio Mundi* de eo loquitur tanquam de *Mundo Intelligibili*, sive de *Idea hujus Mundi*, quatenus est in intellectu Divino per Dei *Sapientiam* formata. Saltem in tanta obscuritate & incertitudine sententiæ Platonicæ, (*inconstantiam* dixit Cicero) quæ cæteroquin quod ad externum phrasium sonum cum sana sententia de Deo non incommodè videbatur conciliari posse, nullam gravem video rationem, quæ Apostolum movisset Doctrinam Philonis Judæi peculiariter notare, si alii id temporis non extiterint Doctores, qui Fundamenta veræ Doctrinæ directius convulserint.

Pag. 4.

De Natura Deor. lib. I.

Caput XII.

Hypothesis, quæ Joannem in Evangelii Exordio Gnosticos *respexisse infert, eorumque Doctrinam emendare voluisse, illustranda sumitur. Quo consilio illorum errores de* Mundi *hujus* Conditore, Carne Christi, *variisque* Emanationibus, *inter Deum & hunc Mundum mediis, doctrinæ Joannis oppositi, recensentur, & ex Basilidis, Valentini, aliorumque systematibus strictim demonstrantur. Porrò docetur tum ex Monumentis antiqui temporis tum ex Epistolis Joannis,* Gnosticorum *qui dicuntur* Dogmata *ævo ejus jam viguisse, & suos nacta esse Patronos; eosque præcipuè notare voluisse Apostolum in Epistolis, quando quosdam sui temporis* Hæresiarchas Christianos *ait negare,* Jesum esse Christum, & Christum venisse in carnem; *quæ quomodo ex disciplina Gnosticorum intelligenda sint, indicatur. Proponitur tandem conjectura de* Simone, *Gnosticorum Principe; per quem* Simonem Magum *Veteres Christiani falsò intellexisse videntur.*

EGo itaque mihi omninò persuadeo, aliud esse hominum genus, quod tam in *Epistola* sua *Catholica* quàm in hoc suo *Prologo* notare, quorumque Theologiam emendare voluerit Joannes Apostolus, Veteribus in genere notum nomine *Gnosticorum*, è quorum numero ipse quoque fuit Cerinthus: quam sententiam, quæ ipsissima est Irenæi, in superioribus jam monui, Grotium, Bullum, aliosque peritos Ecclesiasticæ Antiquitatis Viros, professos fuisse; nec repudiavit Vir Celeberrimus, & mihi imprimis Venerandus, in Erudita de *Sermone Deo* Dissertatione. Postquam enim dixisset *se non diffiteri, fieri potuisse, ut Joannes in Asia degens aliquid de Philosophorum altercationibus* περὶ τοῦ λόγου

Cl. Witf. Misc. Sac. Part. II. Exerc. III. §. XVII.

inan-

inaudiverit; præsertim si jam tum, quod quidam opinantur, in Ecclesiam Christianam irrepserint nescio qui Gnostici, ex Cabbala Judaica, & Pythagoræ Platonisque Schola, Philosophiam miscentes simplicitati Christianæ, de Emanationibus Divinis, earumque syzygiis, & pleromatis, non ex Dei Spiritu, sed ex suis commentis, quæ vellent Populo venditantes: subjungit, quod è re nostra est observare: *His omnibus Cabbalistis, Pythagoricis, Platonicis, Gnosticis, & si qui alii inutilibus istis subtilitatibus sibi placebant, Divinam Evangelii simplicitatem opponit Joannes, docens, unum Jesum Christum esse τὸν λόγον, qui & apud Deum sit, & Deus ipse, & per quem omnia facta sint, qui homo factus Sospitator sit generis humani.* Imo certè id ipsum est, in quod mea hæc scriptio collineat. Operæ pretium itaque fuerit veras Gnosticorum sententias, quatenus id instituti præsentis ratio requiret, in lucem protrahere, & de illorum disciplina & doctrina paulò distinctius disserere. Quod ut rectè exequamur: res paulò altius erit repetenda.

II. Primo itaque suppono, quod mihi nemo neget, illis temporibus, quæ proximè ad Apostolorum, & præcipuè Joannis Apostoli, ætatem accesserunt, hominum quoddam genus, ob *excellentiam cognitionis rerum Divinarum* quam jactabant, GNOSTICORUM nomine celebre, sectam fecisse in Ecclesia Christiana, qui passim tradiderint atque adstruxerint errores, *Doctrina Joannis* in *Prologo Evangelii* ejus rectà oppositos. Errores autem illi, plerisque *Gnosticis* communes, qui rem nostram spectant, (reliquos enim nunc sicco pede prætereo, & alibi etiam de iis sententiam meam explicui:) fere hujusmodi sunt, *α*. Mundum hunc, cujus nos partem facimus, non esse conditum *à Deo summo*, Patre Christi, vel à *Christo τῷ Λόγῳ*, *Primogenito* Patris *Filio*, verum ab *Angelis*, Deo longè inferioribus, iisque non optimi & perfectissimi generis; vel ab uno Angelo excellentiore, quem *Demiurgum* appellare solent. *β*. *Christum*, Filium Dei, inter homines apparentem, *veram humanitatem*, sive *carnem*, non induisse, sed *carnis* tantùm φάντασμα & simulacrum; corpus enim ipsius fuisse materiæ purioris & præstantioris. *γ*. Inter *Summum* & *Primum Deum*, τὸν πρῶτον αἴτιον *Primam* omnium rerum caussam, & hunc *Mundum* varias intercedere *Emanationes* medias, tàm *Attributorum* illius perfectissimi

Auguft. de Hær. Cap. VI.

Obferv. Sacr. Lib. IV. Cap. IX.

Entis, quorum aliud ex alio deducitur; quàm *Hypostasium*, hoc est, Entium aliorum variæ naturæ & perfectionis, quæ certâ serie ex Deo, ut *caussa prima*, emanent. Quantò enim quodque eorum ad Deum propius accedit, tanto etiam ex ipsorum sententia est perfectius. Quo numero autem hæ *Emanationes* sint definiendæ, aut quibus insigniendæ nominibus, *hic jam*, ut Irenæus ait, *non unum sentiunt*, *sed alii alia de his ipsis respondent*. His communibus hypothesibus tota nitebatur Gnosticorum, in varias sectas divisorum, & longe lateque per Asiam & Ægyptum olim virus suum spargentium, Theologia: quod nemo eorum, qui Irenæum vel Tertullianum inspexerunt, ignorat. Basilides, Saturnilus, Valentinus, Ptolemæus, Heracleon, & ipse quoque Marcion, cujus Theologia ex ea Gnosticorum cusa formataque est; tum denique post plures alios Manes, sive Cubricus, nefariæ hæresis auctor; his ipsis, vel cognatis hypothesibus, suas de *Divinitate* & *Originibus rerum* institutiones superstruxerunt. Omnes professi sunt, (etsi obscurior mihi hic sit Valentini Doctrina:) *duo esse principia συναΐδια coæterna*, Deum & Materiam: illum quidem *boni* omnis *Fontem*; hanc *Fomitem* & caussam *Mali*. Ex *Deo* per varias Emanationes esse *Angelos*, (vel Angelum *Demiurgum*, Opificem) qui hunc condiderint *Mundum*; è quorum numero Angelorum fuerit quoque *Deus* ille *Judæorum*, qui *Veterem* instituit OEconomiam, quem Marcion Deum *Justum* appellavit & *Severum*, à *Deo Bono*, Christi Patre, & à *Deo*, sive *Genio Malo*, qui *Materiam* obsidet, distinctum. Qui Angeli cum *Mundum* hunc ex placito Dei summi, *Boni Verique Fontis*, qui *Pater Christi* est, non administrarent, sed homines detinerent in errore, concupiscentia, & vitiis; saltem inepti essent ad homines perducendos ad communionem illius *Summi* & *Veri-Dei*, quem ne ipsi quidem rectè cognoscebant: *Deum summum*, humani Generis misertum, eidem misisse *Christum Soterem*, qui fuerit ex primis Dei summi Emanationibus, *cœlestis* substantiæ corpore induendum, ut hominibus *Patrem* suum, hactenus Mundo non notum, primam omnium rerum omnisque veri & boni caussam, detegeret, eosque qui se ipsius committerent disciplinæ, & exuviis terrestrium & carnalium rerum exuti se defixos detinerent in contemplatione

Adv. Hær. Lib. III. Cap. LXIX.

hujus

hujus pulcherrimi entis, olim transferret in *pleroma* & arctiſſimam communionem perfectiſſimi illius Entis Patris ſui, ubi à *carne* & *malo* liberati beatam agerent æternitatem, abſque quo ulla *carnis* hujus, quâ nos induti ſumus mortales, expectanda ſit reſuſcitatio.

III. Suppono hæc, ut paſſim ſatis nota vel facili operâ cognoſcenda: non demonſtro. Cæteroquin enim mihi Gnoſticorum ſyſtemata, quæ apud Irenæum & Tertullianum, vel Epiphanium extant, deſcribenda eſſent. Sed id proprie nunc non ago. Tantum mihi nunc propoſitum erat, per hanc hypotheſin, ut notam receptamque, ad obſcuriora, quę mihi demonſtranda erant, tendere. Ne tamen hic deſtituam imperitiores: pauca ſolummodò, quę ſpeciminis loco haberi queant, excerpam. Baſilidem Alexandrinum, & Saturnilum Syrum, ut videtur, qui Gnoſticorum Anteſignani habentur, & proximi fuerunt temporibus Joannis, tanquam qui ſub Trajano & Hadriano Aſiam & Ægyptum ſuis illis fictis ſubtilitatibus infecerint, has profeſſos eſſe ſententias tradit exertè Irenæus. Sed cum Baſilidis inter ſuæ ſectæ homines major fuerit auctoritas & celebritas quàm Saturnili vel Saturnini, en Baſilidianæ θεοπραγματείας ſpecimen. *Baſilides autem*, ait Irenæus, *in immenſum extendit ſententiam ſuæ doctrinæ*, (de *Emanationibus*) *oſtendens* NUN *primò ab* INNATO *natum* PATRE: *ab hoc autem natum* LOGON; *deinde à Logo* PHRONESIN: *à Phroneſi autem* SOPHIAM *&* DYNAMIN: *à Dynami autem & Sophia* VIRTUTES, *&* PRINCIPES, *&* ANGELOS, *quos &* PRIMOS *vocant, & ab iis Primum Cælum factum eſſe, & ex eorum derivatione alios. . . . Eos autem qui poſterius continent Cælum* ANGELOS, *qui etiam à nobis videntur, conſtituiſſe ea quæ ſunt in Mundo omnia, & partes ſibi feciſſe terræ; & earum quæ ſuper eam ſunt Gentium. Eſſe autem Principem eorum eum, qui Judæorum putatur eſſe Deus. Et quoniam hic ſuis hominibus, hoc eſt, Judæis voluit ſubigere reliquas Gentes, reliquos omnes Principes contraſtetiſſe ei & contrà egiſſe.* INNATUM *autem & innominatum* PATREM *videntem perditionem ipſorum miſiſſe* PRIMOGENITUM *ſuum* NUN, *& hunc eſſe qui dicitur* CHRISTUS, *in Libertatem credentium ei à poteſtate eorum, qui Mundum fabricaverunt.* Patet ex his ſyſtema Theologiæ Baſilidianæ de Deo, Mundo, & OEconomia ſalutis.

Adv. Hæreſ. Lib. 1. Cap. XXII.

tis. Tantum negligendum non erat, illum Christo Jesu non dare *Corpus verum*, sed putatitium, & Corporis phantasma. Addit itaque Irenæus, Basilidis sententiam describens: *In Gentibus ipsorum* (Angelorum Mundum administrantium) APPARUISSE *eum in terra* HOMINEM, *& virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum, sed Simonem quendam Cyrenæum angariatum portasse Crucem ejus pro eo: & hunc secundum ignorantiam & errorem crucifixum, transfiguratum ab eo; uti putaretur ipse esse Jesus: ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, & stantem irrisisse eos. Quoniam enim* VIRTUS INCORPORALIS ERAT ÆTERNA *innati Patris*, TRANSFIGURATUM, *quemadmodum vellet.* Videmus itaque, in doctrina *Basilidis* omnes illos, quos modò excerpsi, supponi errores. Valentini verò, famosi Gnosticæ sectæ Magistri paulò recentioris, qui tamen ipse quoque jam sub Hadriano floruit, eædem ferè sunt hypotheses, licet *Emanationum* conjunctiones videri voluerit accuratius & ingeniosius digerere. Certa tamen ejus est sententia, *Demiurgum*, hoc est, Mundi hujus Opificem, productum esse ab *Æone*, quem ipse *Achamoth*, (חכמות) sive ΣΟΦΙΑΝ vocavit, quam *Demiurgi* illius *Matrem* vocat. Esse autem *Demiurgem* illum extrà pleroma summæ Divinitatis, quod ille *triginta Æonibus* circumscribit. Per quos *Æones* ipse intellexit tum *Attributa summæ Divinitatis*; tum *Ideas* rerum à *summo Deo* producendarum, inter quos *Æones* ipse collocat Λόγον, & Νοῦν. Tum præterea, *Demiurgum* illum esse *Naturæ Animalis*, eundemque *Summum* illud Ens, quod Prima omnium rerum & veri bonique caussa est, ignorasse; *Jesum* autem ex hoc *Demiurgo* habuisse naturam ψυχικὴν *Animalem*, sed *Spiritualem* ex *Achamoth* & ex *Logo* ac *Spiritu S.* qui in eum descenderunt; at expertem illum fuisse τῆς ὕλης *materiæ crassioris*, quæ semper adfert vitium; proinde illum non EX *virgine*, *sed* PER *virginem editum*, *quia delatus in Virginem transmeatorio potius quam Generatorio more processerit; per ipsam non ex ipsa; non matrem eam sed viam passus fuerit.* Quæ Tertulliani verba sunt. hoc est, ut idem alio loco Tertullianus: *Spirituale corpus de cælo deferentem quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem.* Quam Doctrinam Valentini ex Irenæo, &, qui eum descripsit, Epiphanio prolixè licet repetas. Irenæus enim

Advers. Valent. Cap. XXVII.
De Præscript. adv. Hær. Cap. XLIX.
Lib. I. Adv. Hær. Cap. V, VI.

enim se præcipuè Valentino opposuit. Nec dissensit ab his Heracleon Gnosticus, cujus *Fragmenta*, quę supersunt, novissimè collecta sunt ab erudito Viro, Joanne Ernesto Grabio: inter quę ex Origenis *in Joannem Commentario*, ubi Heracleon allegoricè interpretatur verba Joannis Baptistæ, quę extant in illo Evangelio, *Cap.* 1.27. inter alia Origenes: Οἴεται γὰρ τὸν Δημιουργὸν τοῦ κόσμου ἐλάττονα ὄντα τοῦ Χριστοῦ τοῦτο ὁμολογεῖν διὰ τούτων τῶν λέξεων, ὅπερ ἐστὶ πάντων ἀσεβέστατον· *Existimat enim* MUNDI OPIFICEM INFERIOREM CHRISTO EXISTENTEM *hoc per hæc verba fateri*, *quod est omnium impiissimum.* Quibus addo Justini Martyris verba ex ipsius Libro de *Resurrectione*, quæ pariter Vir ille Eruditus nobis exhibuit, ubi ille exertè in recensendis Gnosticorum sententiis: Εἰσὶ γάρ τινες, οἱ λέγουσι καὶ αὐτὸν τὸν Ἰησοῦν πνευματικὸν μόνον παρεῖναι, μηκέτι ἐν σαρκί· φαντασίαν δὲ σαρκὸς παρέχειν· *Sunt item quidam*, *qui & ipsum Jesum Christum dicant in Spiritu tantum advenisse*, NON AUTEM IN CARNE, *sed* SPECIEM DUNTAXAT CARNIS EXHIBUISSE.

In Spicil. Sec.II.p.119.

Tom. II. p. 179.

IV. *Prima* meæ hypothesi illustrandæ hactenus incubui, quæ tamen difficilis non fuit opera. Subjungo illi *Alteram:* Doctrinam Basilidis, Valentini, Ptolemæi, & similium Gnosticæ sectæ Doctorum, qui Joanne Apostolo recentiores sunt, his Magistris esse antiquiorem, & jam ante Joannis Apostoli obitum, quod ad summa & præcipua ejus capita, per Asiam disseminatam, etiamsi Basilides & Valentinus Præceptorum suorum institutiones expoliverint, & in iis in ordinem digerendis ingeniosè luserint. Nempe traditio Ecclesiastica habet, ante Basilidem & Saturnilum alios quosdam extitisse ejusdem sectæ Doctores, qui ferè circa tempora Joannis Apostoli floruerint, & easdem planè hypotheses suæ Theologiæ substruxerint, quas modò Gnosticorum esse intelleximus; cujus generis fuerint Simon Magus, Menander, & quos illi vocant Nicolaïtæ; tum quoque Cerinthus; qui tamen per omnia cum iis non fecisse dicitur. Simoni Mago autem, Menandro, & Nicolaitis, tribuunt Veteres easdem has, ut dixi, hypotheses, quas modò in Antesignanis disciplinæ Gnosticæ notavimus, & quidem, quod Epiphanius ex Irenæo tradit, *α. Angelos*, *ab Ennœa*, Prima Dei Emanatione, *Emissos*, *Mundum produxisse & homines.* β. Christum

Advers. Hær. Lib. I.

Hær. XXI. §. II. Tom. II. Lib. I. in Anacephalæosi. Lib. I. Cap. XX, XXI.

stum Jesum esse sublimem quandam Dei Virtutem, quæ inter homines apparuerit, ut illos ex potestate malorum Angelorum & Dæmonum, mundi hujus Præsidum, vindicaret. γ. Verâ autem carne Christum non fuisse indutum, proinde παθόντα μὴ πεπονθέναι ἀλλὰ δοκήσει μόνον *cum pateretur verè passum non esse sed tantum secundum id quod videbatur*. Quin sanè Epiphanius, de Basilide agens, exertè ait, illius errores altius esse repetendos, & præcipuas illum hypotheses suas aliunde hausisse. Τὰ ἀληθῆ δὲ εἰπεῖν, inquit de Basilide scribens, οὐκ ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ ἐννοίας ἐναρξάμενος ἡμῖν τὰ δεινά τε καὶ ὀλετήρια, ἀλλὰ προφάσεις λαβὼν ἐκ τοῦ Σατορνίλου καὶ Σίμωνος τοῦ προλελεγμένου· *Sed ut quod res est dicam: non ille* Suopte Ingenio *dira illa & pestifera dogmata* Primus excogitavit, *sed à Saturnilo &* Simone Mago, *quem suprà commemoravimus, sui mutuatus est erroris argumenta.*

Hær. xxiv. §. 1.

V. Etiamsi verò non tam credulus homo sim, ut mihi persuaderi sinam, Irenæi, & qui illum sequutus est, Epiphanii historicis narrationibus de *Simone Mago*, *Menandro*, *& Nicolaitis*, quos illi à *Nicolao* quodam ortos finxerunt, nihil subesse falsi: (contrariam enim sententiam alibi jam professus sum, ubi traditionem Veterum de Theologia *Simonis Magi* qui dicitur, emendavi; & *Nicolaitas*, quales à Nicolao Diacono orti feruntur, explosi:) quod ad summam tamen rei, putem, traditionem illam Ecclesiasticam non fallere, sed verè extitisse quendam Gnosticæ Theologiæ auctorem *Simonem*, ejusque discipulum *Menandrum*, qui *veritatem* τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Χριστοῦ negarint, & hunc Mundum, & OEconomiam totam Veterem, non à *Summo Deo* sed ab *Angelis*, conditum esse, opinati fuerint. Et quidem. α. Traditio hæc nimis est constans & particularis; & propè nimis accedit ad Apostolorum tempora, quàm ut cum ratione supponi queat, in universum fictam & cum Fabulis & commentis cerebri proscribendam esse. Non enim Irenæus tantum sigillatim recenset *Simonis Magi*, quem vocant, & *Menandri* sententias, sed ipse etiam Justinus Martyr in utraque *Apologia* sua τοῦ Σιμωνιανοῦ διδάγματος *Simoniana Doctrina* mentionem facit, ejusque etiam erroneam fictionem de *Ennoia* commemorat. Quin Simon ille Gnosticus doctrinam suam non ore tantum sed & calamo tradidit, & supersunt illius adhucdum apud

Observ. Sacr. Lib. I. Cap. II. p. 130. Lib. IV. Cap. IX. §. XXXII.

Apol. I. p. 52. II. p. 69.

apud Veteres hic illic fragmenta: etsi sanè quis non immeritò dubitet, an ea ab ejus verè profecta sint manu, & non potius ab alio ejusdem sectæ homine illi supposita, vel ab imperitis librariis sub erroneo nomine & titulo in vulgus missa? quod tamen fieri facilè non potuisset, si hic homo non fuisset in rerum natura, & per certam traditionem posteritati ut hujusmodi sententiarum auctor non esset commendatus. β. Epistolæ Joannis manifestè arguunt, hujus sectæ homines circa ipsius tempora in Asia extitisse, & ibidem errores suos seminasse: quippe quę nullam absque hac hypothesi commodam admittunt interpretationem. Nimirum Joannes in illis Epistolis describit *Impostores* sui temporis, quorum alii docuerint, Jesum Christum non venisse in Carnem: Alii verò negarint, Jesum esse Christum. Quæ verba Joannis quis intelligat non admissâ, quam nos defendimus, hypothesi? De *Christianis* enim *Impostoribus*, non de *Judæis* loqui Apostolum, omnibus facilè persuadetur, qui Epistolas ejus legerunt. De *novis hominibus* loquitur Apostolus, quos ait *in mundum ingressos esse*, & *ex ipsa prodiisse Ecclesia*, & *communioni credentium in Christum* hactenus non renunciasse. Christianus autem homo *quo sensu* neget, *Jesum Christum in carnem venisse*; aut, *Jesum esse Christum*, quæ prima & summè necessaria Christianæ Religionis Dogmata Christianum hominem à Judæo aut Pagano discernunt. Imo sane dextrè hæc accipienda sunt secundum veram Apostoli mentem, quæ non nisi ex Impostorum horum hypothesibus explicari potest. Negant secundum Apostolum, *Christum Jesum venisse in carnem*, qui inficiantur, *Filium Dei verum corpus, ex virginis Mariæ substantia virtute Spiritus S. formatum, assumpsisse*, & *arctissimo atque individuo conjunctionis vinculo sibi univisse*. Id verò apertè agebant Docetæ, sive Gnostici, præ se ferentes, Christum Jesum solummodò ἐν σχήματι ἀνθρώπου ἐληλυθέναι, sed verè μὴ εἶναι ἄνθρωπον, μηδὲ σάρκα εἰληφέναι *non esse hominem, nec assumpsisse carnem.* Hęc noxia illa zizania erant quæ spargebantur per Ecclesias ab ipsis Christianæ professionis hominibus, quibus eradendis Apostolus se occupatum habet. Rectè itaque Episcopus Cestriensis: *Duæ potissimum hæreses*, ait, *de natura Christi ea tempestate obtinebant* (loquitur autem de ævo Ignatiano, quod temporibus Joannis pro-

2 Epist. vers. 7.
1 Joh. II. 22.
1 Joh. II. 19.
2 Epist. vers. 10.
Epiphan. Hær. XXIV. §. III.
Vindic. Ignat. Part. II. Cap. I. p. 344.

proximum est, & cum iis concurrit:) *quarum altera* DOCETARUM *fuit*, *à Simonianis ortorum*, HUMANÆ NATURÆ VERITATEM *in Christo destruentium*; *altera Ebionitarum* &c. Quare quod Vir quidam Eruditus alibi ex Clemente Alexandrino observat, *Julium Cassianum*, Valentini discipulum, fuisse τῆς δοκήσεως ἐξάρχοντα *hæreticorum*, *qui Christum non vera carne indutum sed sola specie natum passumque esse docuerunt*, *Principem*: ita non est accipiendum, acsi hanc sententiam primus ille vulgasset; sed quod eam singulari operâ & nisu adstruere & promovere laboraverit. Et hæc quidem Prima est hæresis, quam confodit Joannes. Altera est, *quæ negat*, JESUM ESSE CHRISTUM. Id verò, obsecro, quo pacto neget homo Christianus? Imo sanè negavit *Cerinthus*, cujus sententia mihi exponenda est.

Cave Epist. Apol. p. 54. Strom. Lib. III. p. 465.

VI. Cerinthus cum Gnosticis, quos sic appellamus, hoc commune habuit principium, *Mundum* hunc, cujus aspectus nos in admirationem rapit, *non esse factum à primo* & summo *Deo*, sed à *Virtute quadam* (Ente aliquo substantiali. Gnostici δύναμιν dicunt:) *valdè separata ab ea Principalitate quæ est super universa*, & *ignorante eo qui est super omnia Deo. Jesum autem statuit non ex virgine natum: fuiße enim eum Josephi & Mariæ Filium similiter ut reliqui omnes homines: & plus potuiße justitia, & sapientia & prudentia præ omnibus, & post baptismum in eum descendisse* CHRISTUM AB EA PRINCIPALITATE, QUÆ EST SUPER OMNIA, *figura columbæ*, & *tunc annunciasse* INCOGNITUM PATREM, & *virtutes perfecisse*; *in fine autem revolasse iterum* CHRISTUM *de* JESU, & JESUM *passum esse*, *resurrexisse*; CHRISTUM *autem impassibilem perseverasse*, *existentem spiritualem*. Quæ verba Irenæi, cum prolixa non essent, integra volui excerpere, ut tantò liquidius nobis de ejus sententia constet. Sunt autem clara, & omnem sensus ambiguitatem excludunt. Supposuit, quod ex reliquis Gnosticæ Sectæ hominibus plures negabant, *Jesum fuisse verum hominem*, eundemque sapientiâ, justitiâ, aliisque virtutibus eximium: sed, ex Lege naturæ, *absque virtute & opera Spiritus* S. genitum: ob quam rationem haud dubiè *duo priora Capita Evangelii Matthæi*, in quibus historia miraculosæ Christi Jesu nativitatis traditur, non admiserunt, quippe quæ in *Evangelio secundum Hebræos* dicto, lecta non fuerunt, ut ex *Exordio illius Evangelii*, quod

Lib. I. Adv. Hær. Cap. XXV.

quod Epiphanius nobis conservavit, facilè patet. etiamsi Epiphanius hic absque ratione contrarium velit. Noluit autem Cerinthus Jesum profiteri virtute *Spiritus S.* genitum, ne cogeretur fateri, Diviniorem illam & excellentiorem hypostasin, quam ille *Christum* & *Spiritum S.* vocavit, Jesu *infanti*, *puero*, & *adolescenti* jam adfuisse: quod ille sibi persuasit cum ratione difficilius conciliari posse. Statuit igitur, illam præstantioris naturæ *Hypostasin*, quæ se *Christo* junxit homini ad illum doctrinâ imbuendum *cœlesti*, & ad miracula edenda per suam instruendum potentiam, Jesu homini demum *assistere* cœpisse, cum ipse *triginta* natus annos Muneri suo Publico per Baptismum à Joanne initiaretur, & *humanam* Christi *hypostasin* rursus dereliquisse, cum ultima & probrosa subiret παθήματα. *Hypostasin* autem illam præstantioris naturæ, quam ipsi quoque Scriptores N. T. SPIRITUM *Christi* vocare solent, credidit esse *Emanationem Dei Boni & Summi*, Deo Opifice hujus Mundi & Veteris OEconomiæ legalis auctore superioris, quam haud dubiè appellavit *Christum*, quia *Jesus* per ipsum omnibus dotibus & perfectionibus, quibus ad exequendum munus sibi mandatum indigebat, largè imbutus est, secundum Prophetiam Jesaiæ, ad quam allusisse videtur Cerinthus: SPIRITUS *Domini Jehovæ super me est: propterea* UNXIT *me Jehova ad Evangelium prædicandum mansuetis.*

Hæres. XXX. Ebion. §. XIII. §. 14.

Marc. II. 8. 1 Pet. III. 18.

Cap. LXI. 1.

VII. *Cerinthum* autem & *Gnosticos* id per *Christum* intellexisse, quod modò dixi: liquet ex insigni loco Epiphanii, ubi ipse *Ebionæorum* sententiam explicat. etsi non nescio, Virum Doctum in illa dissertatione multa imperitè asserere & haud dubiè falsa etiam per errorem *Ebionæis* impingere, quæ nunc ad nos non spectant. Ἄλλοι δὲ, ait, ἐν αὐτοῖς λέγουσιν ἄνωθεν μὲν ὄντα πρὸ πάντων καὶ κτισθέντα πνεῦμα ὄντα καὶ ὑπὲρ Ἀγγέλους ὄντα, πάντων τε κυριεύοντα. *Alii autem inter eos dicunt, è cœlo illum* (Christum) *esse & ante omnia creatum, Spiritum esse quendam, Angelis superiorem, & totius naturæ Dominum.* Planè idem est acsi Epiphanius describeret τὸν Λόγον Platonicorum. Quod autem addit: Τινὲς γὰρ ἐξ αὐτῶν καὶ Ἀδὰμ τὸν Χριστὸν εἶναι λέγουσι· *Nonnulli etiam ex iis* ADAMUM *fuisse Christum dicunt, & illum, inquam, Adamum qui primus à Deo formatus ejusdem est animatus afflatu:* haud dubiè Vir credulus & in disciplina Gnosticorum parum exercitatus, erroneè accepit.

De Ebion. Hær. XXX. §. III.

 Gno-

Gnostici enim ex Hebræis, sive Kabbalistæ, (cujus generis ferè omnes prima ætate Christianismi fuisse videntur:) *primam Dei Emanationem*, quam Cerinthus *Christum* & *Spiritum S.* mysticè appellat, אדם קדמון Hominem primum vocant. Quod cum alii Eruditi his literis non ignorant; tum verò clarissimè tradidit Doctissimus hujus Sectæ Vir, Abraham Cohen Irira, Lusitanus, qui *Kabbalistarum Dogmata* cum *Philosophia Platonica* eruditè contulit. *Christus* itaque idem hic est, quem Gnostici Hebræi, qui originem dederunt Christianis, vocarunt *Hominem Primum*, & quem Platonici vocarunt Λόγον, *Regem* atque *Imperatorem* hujus Universi. Quem *Christum* non Cerinthus tantùm sed & Gnostici cum ipso plures alii, & deinceps etiam Valentinus, *Jesu* demum *triginta annos nato* conjunctum fuisse; eundemque rursus sub finem vitę dereliquisse, & suum docebant repetiisse Pleroma. quod Irenæus alio etiam loco exertè tradit.

Dissert. II. Cap. I.

Appar. in Librum Soh. Part. III. & IV.

Adv. Hær. Lib. III. Cap. XI.

VIII. Nunc itaque tandem intelligere licet, quid illud sit apud Joannem, negare, *Jesum esse Christum*. Non enimverò, quod impuro ore Judæi: *Jesum esse Messiam*, *Patribus promissum*: sed quod Gnosticæ disciplinæ homines: *eundem esse Jesum qui est Christus*; sive duas in Servatore Naturas individuo & insolubili *Unionis Personalis* vinculo inter se esse & jam fuisse conjunctas à primo humanę naturę ortu ex Maria Virgine: contrà *Christum*, à *Jesu* distinctum, *Divinam* docebant esse *Hypostasin*, quę homini Jesu *adstiterit* & per ipsum *mirabilia* operata sit quandiu in Munere Publico versatus est; ferè ad eundem modum, ut existimem, quo Spiritus operatus est in Prophetis. Quam qui tenet sententiam, is verè negat, *Jesum esse Christum*: *Jesum* à *Christo* divellens & disjungens: quę periculi plena sententia erat & Christianam fidem subvertebat. Unde jam simul patet, quo jure Veteres passim Cerinthum illius accenseant sectæ hominibus, qui *veram Divinitatem Christi Servatoris* inficiantur. Non equidem, acsi Cerinthus *unam* tantum in Servatore agnovisset *Naturam* vel Hypostasin: verè enim in Servatore Propheta agnovit aliqualem duarum Hypostasium conjunctionem, ut modò vidimus: sed quod Divinam illam & præstantioris naturæ substantiam negaverit individuo & naturali nexu humanæ Servatoris

Natu-

Naturæ conjunctam esse, & hoc sensu vere inficiatus sit, *Servatorem esse Deum.* Si enim res ita se habuerit cum Christo, ut voluit Cerinthus : tum quidem *Jesus* Servator non multò majore jure *Deus* dicatur quàm Moses, Elias, Elisæus, & Prophetæ alii, εἰς οὓς ἦλθε τὸ πνεῦμα καὶ ἐνεδύσατο αὐτούς. Quare meritò damno audaciam temeritatemque Anonymi *Auctoris Platonismi Develati*, cujus in superioribus mentionem injeci, qui vehementer se mirari ait, *tot graves doctosque Viros affirmare & identidem repetere, Cerinthum abnegasse veram Servatoris Divinitatem; quandoquidem is primus fuerit, qui in Religionem Christianam introduxerit* DUAS IN CHRISTO NATURAS: DIVINAM *unam, quam fecerit de cœlo descendere, passionis expertem;* & HUMANAM, *quam crediderit ex Josepho & Maria ortam.* Viderit Auctor, quo animo id scripserit & conscientia. Nos id novimus esse falsissimum & πονηροῦ κόμματος, cum satis constet, Scriptores Librorum Novi Fœderis, nostræ auctores Fidei, de hoc mysterio *conjunctionis individuæ duplicis in Messia naturæ* clarissimè scripsisse. Sed eam rem nunc non agimus, ut id demonstremus. Utique satis superque ex iis, quæ in medium produximus, patet, Epistolas Joannis commodè intelligi non posse, nisi supponatur, jam tempore Joannis extitisse ejusdem sectæ Doctores, quos recentioris ætatis homines Gnosticos vocarunt. Part. I. Cap. II. p. 26.

IX. Nec tamen, ubi id suppono, singula absque discrimine accipio, quæ Ecclesiastica traditio ad posteros transmisit. Vix enim ulla est traditio, maturè satis literis non mandata, quę licet quod ad præcipuam & potiorem suam partem verum contineat, integra tamen & incorrupta in circumstantiis suis ad posteros pervenerit, & non hic illic vitiata sit. Sic omninò quod Veteres Gnosticorum Parentem faciunt *Simonem Magum*, eundem illum, cujus in *Actis Apostolorum* mentio est: ut verum fatear, sæpius mihi suspectum fuit, & non semel in mentem venit, an non, quod aliàs in hujusmodi rerum genere sæpe accidit, verum falso hic mixtum sit. *Simonem* enim illum *Samaritanum*, eundemque *Magum*, à Petro validâ & acri oratione repressum, & hâc infamiæ notâ in ipsa Lucæ historia insignitum, Act. VIII. 20. fidem potuisse invenire apud Christianæ professionis homines, & sectam inter eos facere, à probabili ratione videtur abludere,

re. Mihi igitur hæc cogitationibus meis versanti subinde inter alia occurrit, an non forte alius quidam *Simon*, Gente Judæus, qui sub Domitiani floruerit Imperio, Pythagoricæ Philosophiæ deditus, & ob hanc rationem à simplicioris ingenii hominibus *Magus* dictus, illius sectæ Gnosticorum celebris Doctor olim fuerit, idemque per errorem cum *Simone Mago*, cujus in Apostolica historia mentio, confusus & permutatus sit. Veteres enim omnes ferè Pythagoricæ & Platonicæ Philosophiæ illustriores Doctores de *Magia* suspectos habuerunt; tum quod mysticè fere omnia, & per *numeros* & *formulas*, quasi arcana quędam & secretior vis in iis recondita esset, tradiderint; tum quod verè illi apud suos auditores hanc suscitarint & foverint credulitatem, acsi secretius sibi cum Diis commercium esset. Quod ex exemplis pluribus à nobis adstrui posset, si instituti id ratio nostri nunc permitteret. Nec aliò pertinet, quod Irenæus Menandrum, Marcum, aliosque Gnosticæ Disciplinę auctores passim fœdi *Magiæ* criminis insimulet. Nec tamen, quod hic supposui, audacter ausim definire; sed Eruditis Viris, si res tanti fuerit, expendendum committo.

Caput XIII.

Tertia *Gnosticorum* Hypothesis *de variis Perfectissimi Entis* Emanationibus, *sibi invicem subordinatis*, *quam* Prologo *sui Evangelii respexisse videtur S.* Joannes, *speciatim in lucem protrahitur; &* primò *quidem supponitur, illam quoque Doctrinam jam id ætatis, quâ vixit* Joannes, *à quibusdam Philosophis Christianis speciosè fuisse commendatam*; *imo & à* Paulo *Apostolo in* ultimis Epistolis suis *notari*; deinde *in originem illius Doctrinæ inquiritur*, *quæ auctoritate* Jamblichi *repetitur à* Philosophis Ægyptiis, *qui simplice* Platonis *doctrina de* Duabus *Dei* Emanationibus, Mente & Anima Mundi, *non contenti*, *plures illis adjecerint*;

caussis

caussis *quoque*, *quibus impulsi id sustinuerint*, *adscriptis*. Postea *scalæ* Emanationum Basilidis, *Apostolorum temporibus proximi*, & Ὀγδόαδος *prioris* Valentini, *in schemate exhibentur;* & denique *distinctè demonstratur*, *quomodo* Prologus Evangelii Joannis *secundùm omnes suas partes* Gnosticorum Doctrinæ *fuerit oppositus.*

ADstruxi itaque hactenus duas illas sententias, quarum altera, *Mundum ab Angelis*, *Deo summo inferioribus*, *creatum esse*, statuit; altera, *Christum veram carnem non induisse*; vel, si induerit, *eidem à primo ortu humana natura non fuisse individuo nexu conjunctum:* circa extrema tempora Joannis Apostoli, quibus ipse *Evangelium* suum composuit, suos jam in Christianismo invenisse fautores & patronos: quas Evangelii *Prologo* destrui, nemo mihi neget. Tantum nunc superest videamus, an similis aliqua Doctrina, qualem Basilides & Valentinus postmodum vulgarunt, quę plures in Deo fingit *Emanationes*, sibi certâ quadam serie succedaneas, circa eandem jam tempestatem inter Christianæ professionis homines sparsa sit; cui doctrinæ primam sui *Prologi* partem Joannes opposuerit. Ea verò de re nullus plane dubitem. Ne enim hic repetam Epiphanii testimonium, quod in superioribus adduxi: ipse Basilides & Valentinus §. xvi.
Præceptores suos jactarunt, ille quidem Glauciam, Petri familiarem; hic Theodadem, Pauli discipulum. quæ licet falsa fortè sint, vel commodè interpretanda: fieri enim potuit, ut hi homines Apostolorum ad tempus affectaverint commercium & ab iis posteà desciverint: supponere tamen videtur, illos sententiæ suæ origines altius repetiisse. Quin ubi Paulus in Epistola ad *Timotheum* priore hunc charissimum discipulum suum dehorta- 1 Tim. VI. 20.
tur *ab ἀντιθέσεσι τῆς ψευδωνύμου γνώσεως oppositis Parallelismis Scientiæ falsò sic dicta*, & *à fabulis* καὶ *γενεαλογίαις ἀπεράντοις Recensionibus in-* 1 Tim. I. 4.
finitis: non video, quo illud commodius referri queat, quàm ad subtilissimas disputationes *de Divinitate*, ejusque variis *Emanationibus*, (Kabbalistæ ספירות dicunt:) quibus se Judæi aliqui, Platonicæ aut Pythagoricæ Philosophiæ studiosi, occupatos ha-

 bebant,

bebant, & in quibus arcanæ & sublimioris Scientiæ maximam constituebant partem. Quomodo jam olim Irenæus & Tertullianus Pauli mentem acceperunt, & mihi rectè accepisse videntur. Quod ut probè intelligatur, & lucem aliquam huic argumento affundam: pauca mihi in hanc rem necessariò monenda sunt.

Lib. I. adv. Hær. Præf. De Præscript. adv. Hær. Cap. XXXII.

II. Plato Dei summi duas statuit *Emanationes*, quas ipse omnium rerum principia & caussas esse voluit, ΛΟ'ΓΟΝ RATIONEM, sive Νοῦν MENTEM, & ΨΥΧΗΝ ANIMAM. Τὸν Λόγον vocavit *Filium Dei summi*, &, quod Macrobius quoque observat, Deum summum illius *Patrem*. *Mentem* verò statuit omnium rerum *caussam*, & hujus etiam, quem colimus, *Mundi*. Plato itaque non finxit Δημιουργὸν *Opificem* hujus Mundi à Λόγου distinctum, ut Gnostici: sed quod Plotinus apud Eusebium: Ὁ δὲ Νοῦς δημιουργὸς αὐτῷ *Mens ipsi* (Platoni) *est hujus Mundi Opifex*. quam Platonis Doctrinam ferè sequutus est Philo. Nec tamen, qui idem genus Pythagoricæ & Platonicæ Philosophiæ excolebant, omnes in simplice hac doctrina perstiterunt. Ægyptii enim Philosophi, apud quos hoc studii genus maximè vigebat & qui à majoribus à longo seculorum tractu eruditi ipsi Pythagoræ & Platoni hic præluxisse censebantur, inter se in doctrina de *Primis rerum Principiis* dissenserunt, eorumque varios posuerunt *ordines*. Quippe quod totidem verbis tradit Jamblichus, Ægyptii Philosophi assumptâ personâ. Λέγω δὴ, ait Porphyrio ad quæsita *de Primis Principiis* responsurus, ὡς πολλῶν οὐσιῶν ὑπαρχουσῶν, καὶ τούτων διαφερουσῶν, πάμπληθεις πολλαὶ παρεδόθησαν αὐτῶν καὶ ἀρχαὶ διαφόρους ἔχουσαι τάξεις, ἄλλαι παρ' ἄλλοις τῶν παλαιῶν ἱερέων· *Dico igitur multa cum sint in universo Essentia, atque inter se valdè diversa*; MULTA QUOQUE EARUM PRINCIPIA DIVERSOS HABENTIA ORDINES *tradita fuerunt*, & *ab aliis Sacerdotibus alia*. Quod ipsum clarissimè confirmatur ex sequente Jamblichi dissertatione, quâ *Principia* Universi secundum Ægyptiorum Philosophorum traditiones recenset. quæ Doctrina Platonicâ operosior est, & plures in Divinitate statuit τάξεις *ordines*, ut cuique Jamblichum inspicienti patebit. Rationes autem cur Philosophiæ illius Cultores plures statuere inceperint *Emanationes Entium ex Prima Caussa*, duas potissimum detegere potui, α. Ut Philosophicas suas institutiones accommodarent

In Somn. Scip. Lib. I. Cap. XIV.

De Præpar. Lib. XI. Cap. XVII.

De Myster. Sect. VIII. Cap. I.

darent ad *Theologiam popularem mythicam*, quæ apud vulgum obtinebat auctoritatem. Cum enim passim *plures* celebrarentur & illustres *Dii*, quos Plebs cultu & sacrificiis venerabatur: plures etiam coacti sunt Philosophi in Divinitate *ordines* & *successiones* admittere, si odium & invidiam vulgi declinare cuperent.

β. Quod multis ita videretur, ex Doctrina Platonis non posse clarè detegi *caussam mali*. Si enim ὁ Λόγος sit ὁ δημιουργὸς *Opifex* hujus *Universi*: obscurius est, πόθεν τὸ κακὸν *unde sit malum?* Ex doctrina quidem Platonis *malum* est *à materia*, sede illius *Dei*, vel *Genii*, quem hujus sectæ homines vocarunt *Deum malum*. Sed in eo multi non acquieverunt. Cum enim hominum considerarent in his terris conditionem: observabant, fati quâdam lege genus humanum non vitiis tantum sed & incommodis, miseriis, & calamitatibus subesse variis, & in errore versari ac ignorantia extrà communionem veri & summi Dei, summi hominis boni. quod ita non eventurum esse opinabantur, si ὁ Λόγος ut *Creator* & *Rector* huic Universo præesset. Inde itaque ipsis in mentem venit cogitare, *Mundum* àb Angelis, Deo summo ejusque Λόγου inferioribus, conditum, & inter eos fuisse *Angelum* præcellentem, qui Abrahamidarum curam susceperit, & Veterem instituerit OEconomiam. Utique quod hic trado certissimum est, & jam à Tertulliano & Epiphanio dudum observatum. *Eadem*, ait ille, *materiæ apud Hæreticos & Philosophos volutantur, idem retractatus implicantur:* UNDE MALUM, & QUARE? *Et* UNDE HOMO & QUOMODO? *Et quod proximè Valentinus proposuit:* UNDE DEUS? Sed quid clarius verbis Epiphanii, de Gnosticis differentis? Ἔχει δὴ, inquit, ἡ ἀρχὴ τῆς κακῆς προφάσεως τὴν αἰτίαν ἀπὸ τοῦ ζητεῖν, πόθεν τὸ κακόν; *Hujus verò pessimæ sectæ prætextum & initium dedit illa disputatio:* UNDE MALUM? Ad quę nunc accedit, *Judæos*, Philosophiâ imbutos, cum subsidio Scripturæ S. nexum variorum Dei Attributorum multò clarius intelligerent quàm Gentiles: inde materiam desumere potuisse exercendi ingenii in variis Dei attributis in ordinem digerendis & sibi mutuò subordinandis, quæ deinde alii mutarunt in totidem *Hypostases* vel *Æones*. Inde itaque tandem, prouti hic quisque alio videri voluit accuratior, & sui præ alio commendare ingenii subtilitatem, plura prodierunt systemata, quibus γένεσις *origo* omnium

De Præscript. adv. Hær. Cap. VII.

Hæres. XXIV. §. VI.

omnium rerum à prima & summa caussa secundum gradus & τάξιν ordine tradebatur. Quæ itaque disciplina ex *Ægypto*, ubi Gnosticorum doctrina primò sata est, & *Syria*, in Asiam transiit inferiorem, ejusque florentes Ecclesias infecit: ut ex his rationibus probabile est, jam sub Imperio Neronis. etsi cum tempore creverint hæc zizania, & pro vario Doctorum ingenio variam hæc doctrina induerit formam.

III. His præmissis, jam supponamus, circa tempora Joannis Apostoli fuisse, qui in tradenda serie caussarum hujusmodi struxerint scalam, qualem Basilides, qui à temporibus Apostoli non longè abfuit, & facilè videbimus, caussam potuisse esse Apostolo gravem, cur veram & simplicem Doctrinam Christianam de *Patre* & *Filio* illi subtilitati quæsitæ opponeret. Docuit Basilides, ut Irenæus & Epiphanius tradunt, & in superioribus jam observavimus: NUN *primo ab innato natum Patre; ab hoc autem natum* LOGON; *deinde à Logo* PHRONESIN; *à Phronesi autem* SOPHIAM & DYNAMIN; *à Dynami autem & Sophia* VIRTUTES & *Principes & Angelos, quos & primos vocat, & ab iis primum Cœlum factum*, & ita porrò. Cœlos enim statuit plurimos, quos tandem nostrum hoc exceperit. Σχῆμα itaque Gradationum Basilidianæ subtilitatis ferè hujusmodi fuerit:

Adv. Hær. Cap. XXIII. Hær. XXIV. §. 1.

Τὸ ΑΓΕΝΝΗΤΟΝ, ὁ μόνος ἐςὶ πάντων πατήρ.
Ingenitum.

|

ΝΟΥΣ
Mens.

|

ΛΟΓΟΣ
Ratio.

|

ΦΡΟΝΗΣΙΣ
Prudentia.

|

ΔΥΝΑΜΙΣ καὶ ΣΟΦΙΑ
Potentia & Sapientia.

|

ΑΡΧΑΙ, ΕΞΟΥΣΙΑΙ, ΑΓΓΕΛΟΙ.
Virtutes, Potestates, Angeli.

|

ὁ Ἀνώτερος καὶ πρῶτος ΟΥΡΑΝΟΣ.
Summum & primum Coelum.

|

Καὶ οἱ ἑξῆς.

Valentini autem, cujus operosissimæ sunt nugæ, Σχήματα tum *Æonum*, tum *Achamoth* & *Demiurgi*, ex Irenæo & Tertulliano, ingeniosè olim constructa fuerunt à Doctissimo Viro, Beato Rhenano, & posteà exhibita à Pamelio, quæ neutiquam repetam. Primam tantum *Triginta* illorum *Æonum* ὀγδοάδα, *cellas*, ut eleganter Tertullianus, *Primordialium Æonum*, hic recensebo, quam existimo argumentum nostræ dissertationis propius contingere.

Adv. Hær. Lib. 1. Cap. 1. Adv. Valentin. In Præf. ad Lib. Tertul. contra Valent. Adversus Valent. Cap. VIII.

ΒΥΘΟΣ	ΣΙΓΗ.
PROFUNDUM	SILENTIUM.
sive	sive
Προαρχὴ,	Ἔννοια,
&	&
Ἀρχή.	Χάρις.
ΝΟΥΣ	ΑΛΗΘΕΙΑ.
MENS.	VERITAS.
Μονογενὴς	
&	
Πρωτογενής.	
ΛΟΓΟΣ	ΖΩΗ.
RATIO.	VITA.
ΑΝΘΡΩΠΟΣ ——	ΕΚΚΛΗΣΙΑ.
HOMO.	ECCLESIA.

IV. Hàs jam & hujus generis subtilitates arcanæ Gnosticorum Sapientiæ, quę ingenia vanorum hominum jam exercebant circa tempora Joannis, explodit Apostolus in *Evangelii sui Prologo*; Doctrinæ Christianæ simplicitatem iis opponens, & veri amantibus commendans. Docet itaque,

α. Esse verum *Deum Patrem*, perfectissimam Hypostasin, Ἀγέννητον Θεὸν: otiosis nominibus Σιγῆς & Βύθυ exclusis.

β. Cum illo in ejusdem veræ Divinitatis Essentia subsistere *Filium*, secundam Divinitatis Hypostasin, quæ secundum phrasin Scriptorum Veteris Testamenti rectè dicatur: ΛΟΓΟΣ RATIO, *Sapientia*, vel *Oraculum Divinitatis*.

γ. Illum esse *primam* Patris *Processionem*, verè & personaliter existentem, Λόγον ἐνυπόστατον, τὸν Μονογενῆ Υἱὸν τῦ Πατρὸς, qui fuerit ἐν ἀρχῇ *in principio* apud Patrem: quo ipso damnat *medias*, quas Gnostici inter ipsum & Patrem ponebant, *Emanationes*, ut sunt Νῦς & Ἀλήθεια, quem Νῦν vocarunt *Monogenen* & *Protogenen*.

δ. Illum

δ. Illum Λόγον verè *Deum* esse, & omnis perfectionis Divinæ Naturæ participem: quo ipso proscribit Platonicorum sententiam, quæ τὸν Λόγον faciebat *Deo summo Inferiorem* & ab eo liberè productum.

ε. Per hunc Λόγον *omnia facta esse*, & esse τῶν πάντων δημιουργόν: damnans illorum blasphemam opinionem, qui *Demiurgum*, hujus Opificem Mundi, à Λόγῳ distinguebant, & hunc Mundum inferiorem negabant à *summo Deo*, & ab illius Λόγῳ productum esse.

ζ. Et *absque hoc Λόγῳ nihil illius factum esse*, *quod factum est*; hoc est, ipsas quoque *OEconomias*, quæ locum habuerunt in Ecclesia ante Christi Jesu in Carnem adventum, ab hoc Λόγῳ, *Filio* & *Legato Dei*, institutas & conditas esse: configens hoc ipso detestabilem illorum hominum inter Gnosticos errorem, qui *Deum* sive *Angelum Auctorem OEconomiæ Veteris à Deo Patre Christi* ejusque *Filio Christo*, per quem Nova OEconomia condita est, distinguebant.

η. Hunc ipsum Λόγον esse *Vitam hominis*: otiosam innuens illorum subtilitatem, qui in Systemate Divinarum Emanationum Ζωὴν *Vitam* à Λόγῳ distinguebant, eidemque subordinabant.

θ. Semper illum in *Mundo* fuisse, & à primo rerum ortu & generis humani lapsi instauratione se in *Ecclesia*, quam in Mundo habuit, *manifestaße*, & ut *lucem* veram suos *illuminasse*, etiamsi à maxima Mundi parte & ab ipsis Judæis carnalibus *agnitus non sit*: explodens erroneam illorum hypothesin, qui *Filium Dei* ante suam ἐνανθρώπησιν se in Mundo non *manifestasse*, neque illi *cognitum fuisse*, asserebant.

ι. Hunc Λόγον *Carnem esse factum*, hoc est, humanam ex Virgine Maria Naturam, nostræ per omnia similem, *excepto peccato*, assumpsisse, & se individuo nexu personali eidem conjunxisse: illorum noxias refellens opiniones, qui inficias ibant, τὸν Λόγον *veram* induisse *carnem*, vel etiam *Christum* à *Jesu* in Persona Mediatoris divellebant.

κ. Denique ex hujus *Unigeniti* & *Primogeniti* Dei Filii πληρώματι, (quâ notione Gnostici uti consueverunt) OMNES *accipere gratiam pro gratia*; omnes omnis generis & ordinis in Christum Credentes ejusdem in hac vita participes esse Gratiæ, & ad ejusdem

Gloriæ

Gloriæ spem vocatos esse: neutiquam verò ita se rem habere, ut Gnostici jactabant, solos suæ sectæ homines & suæ imbutos Philosophiæ mysteriis ad summam illam felicitatem primi *Pleromatis* Divinitatis adspirare posse; reliquorum Credentium animabus inferioris & medii generis beatitudinis statum destinatum esse.

Caput XIV.

Declarando mysterio Facis Igneæ, *quæ Castris Israëlitarum in* Deserto Arabiæ *præluxit; illius præmittitur investigatio, & tam de* Materia, *quàm de* Figura *&* Usibus *Divinæ hujus* Lampadis *distinctè differitur. In quibus Eandem à* Columna Nubis *distinctam, & ante* castra Populi Dei mota *processisse, demonstratur.*

Inter *Signa* quibus Deus tam Majestatem quàm Clementiam suam testatam esse voluit apud Israëlitas: quis neget illustre & notabile esse, si quid aliud, *Facem* illam *Igneam*, quâ Deus Castra Israëlitarum noctu illustravit, aut iisdem iter facientibus per inculta Arabiæ deserta præluxit? In quod argumentum dum meas defigo meditationes: è re visum est, *primò* quidem quæ de ipso hoc *Signo* in Sacris literis occurrunt brevibus expendere, & ubi opus fuerit, illustrata dare; *dein*, quod præcipuè nunc propositum habeo, mysticam illius significationem investigare.

II. In *prima* autem illa parte primum de *Re* ipsa ex Historia videndum erit; postea de illius *Materia*, *Forma*, & *Usibus* distinctius differendum.

III. Res ipsa in Historia Sacra ferè hunc in modum describitur, quod, cum Israëlis posteri Divinâ manu ducti, evaderent ex Ægypto: Deus ipse, Copiarum illarum summus Dux & Imperator, viam ipsis præmonstraverit in sterilibus Arabiæ solitudinibus per *Nubem*, Exercitum de die antecedentem, & per *Facem Igneam*, eundem de nocte illustrantem: quodque Eadem illa Gratiosæ & Gloriosæ Dei præsentiæ Symbola, *Nu-*

bes & *Columna*, postquàm *Tabernaculum Dei* in Deserto collocatum fuerit, super illud resederint, & inde potissimum Castra Jacobidarum interdiu muniverint adversus urentem Solis æstum in Locis illis desertis atque inaquosis, & noctu eadem undiqua que amœnâ luce consperserint; inde quoque signum datura itineris, si Deus Castra loco moveri vellet.

IV. Prima quidem luculenti hujus Divinæ Gratiæ Symboli mentio est apud Mosen, ubi in eo est ut narret, Israëlitas castrametatos esse in *Ethamo*, quæ *tertia* ipsorum statio fuit *in extremis Deserti*. incertum, an hoc demum tempore, an jam ante in *Succoth* aut *Rameses*, Deus illos hoc beneficio mactos voluerit. Verba Mosis sic ferè habent: *Et Dominus praibat illis de die* בעמוד ענן IN COLUMNA NUBIS, *ut duceret eos in via*, *&* *de nocte* בעמוד אש IN COLUMNA IGNIS *ad illos illuminandum*, *ut procedere possent de die & nocte*. *Non recedebat Columna Nubis de die*, (Belgæ transitivè, sed minus appositè: Hy en nam de Wolcken-colomne niet wegh) *&* COLUMNA IGNIS *de nocte à Populo*. Sed deinceps tam in *sequente Capite*, quam in aliis partibus Historiæ Mosaicæ, nec non in Hymnis Precibusque, in quibus Sancti Viri beneficia, in Judæum Populum à Deo collata, recensuerunt, ejusdem hujus *Columna*, sive residentis super Tabernaculum, sive Exercitui Populi Dei facem præferentis, exerta mentio est. Sic nimirum Moses in extremis ejusdem hujus Libri Exodi: *Nubes erat super Tabernaculum interdiu*, ואש תהיה לילה בו ET IGNIS ERAT SUPER *illud* sive *in eo noctu*, *coram oculis omnium Israëlitarum in omnibus ipsorum itineribus*. David, inter alia, in Psalmis: *Et duxit illos per nubem de die*, וכל־הלילה באור אש *& totâ nocte per* LUCEM IGNIS. Levitæ in Supplicatione sua ad Dominum: *Et Columna nubis duxisti eos interdiu*, ובעמוד אש לילה *&* COLUMNA IGNIS NOCTU *ad illis præluendum in via*, *quâ ipsis eundum erat*.

Num. XXXIII. 6. Exod. XIII. 21. Cap. XL. 38. Ps. LXXVIII. 13. 14. Neh. IX. 12.

V. Ex quibus jam testimoniis etsi clarissimè de *ipsa illa Re* constet, cui tanquam basi hæc nostra Dissertatio innititur: longè tamen clarius eandem cognoscemus, si tum in *Materiam* hujus *Columna*, tum *Figuram*, & *Usus* ejus ex Historia Mosaica ceterisque Sacræ Scripturæ Libris paulò diligentius inquisiverimus. Quod quidem eo faciemus cum discrimine judicii, ut neque quæ à Veteribus & Recentioribus Commentatoribus Bibli-

cis huc allata sunt, scrupulosè compilemus omnia; nec tamen eorum, quæ ad hanc materiam elucidandam necessariò pertinent, quicquam spontè omittamus.

VI. Materiam hujus *Columnæ*, tum ex his, quæ jam notata sunt, testimoniis, tum ex aliis ὁμοφώνοις, liquet fuisse *lucidam*, sive *igneam*. Neque enim tantum passim dicitur
Ps. cv. 39. עמוד אש Columna Ignis; verum etiam aliquando simpliciter אש
Ignis. & אור אש Lux Ignis. Lucida materia, ignis præferens
Ps. lxxviii. 14. speciem. Locus est in Canticis Davidicis: *Et duxit illos per Nubem interdiu, & totam noctem* באור אש *per* Lucem Ignis. Nec tamen per id hactenus plenè satisfit curiositati ingenii humani. Disputant enim collatis rationibus Hebræi & Christiani Theologi, *cujus generis* ille fuerit *Ignis*, quo hæc Columna constitit. Extraordinarium quidem & per miraculum productum fuisse, nemo, Scripturarum reverens, dubitat. Fuit enim, ut eleganter Philo, hæc Nubes verè aliquod τῆς φύσεως μεγαλούργημα. Sed num *elementaris* fuerit, qui sic antiquis Philosophis dictus est, num potius *lucida* quædam *materia rutilantis fulgoris*, quę *ignis* speciem præ se tulerit, cujusmodi ignis genus Philosophia demonstrat; id verò est quod quæritur. Posterius plerique tenent, quia *ignis urens* Israëlitis in Arabiæ illis Desertis, in quibus æstus Solis sæpè fuit ingens, magis obfuisset, quam profuisset. Præterquam quod in loco, jam notato, *Columna* hæc vocetur אור אש Lux Ignis. sive, *Ignis lucens*. & quod ex disertis testimoniis li-
Ps. lxxviii. 14. queat, præcipuum ejus usum fuisse האיר *Illuminare*, facem præ-
Neh. ix. 12. bere Israëlitis, non sanè calefacere. Quò pariter à Riveto, Scho-
Com. in Exod. xiii. 21, 22. tano, & Buxtorfio, Doctissimis Viris, adfertur, quod Columna hæc alibi in Historia Mosaica dicatur habuisse כמראה אש *speciem*
Biblioth. S. Tom. ii. p. 137. *Ignis*. Verba Mosis: *Quo die autem Moses Tabernaculum erexit*, ---- *vesperi erat super Tabernaculum* כמראה אש ut Species Ignis
Histor. Arc. Fœd. in Exercit. Cap. xi. (h. e. quid quod Ignis præferebat speciem) *usque ad tempus matutinum*. *Ignis speciem* habuit ajunt, *verus ignis* non fuit. Nimirum, Deus numine suæ Voluntatis, *materiam* aliquam *lucidam*, cujus partes magnâ copiâ per hoc universum diffusæ sunt, (præter illam, quæ in Corporibus Lucentibus, Sole & Sideribus non errantibus, reperitur:) collegit, & coacervavit in unum aliquod Corpus; ejusdemque illius Volutatis vi, quâ panem

nem in Cœlo paravit, Rupem ſcidit, Maris Arabici & Jardenis Aquas diſpulit, aliaque mirabilia multa inter Iſraëlitas ad eorum ſalutem patravit; Corpus illud lucentis materiæ integrum conſervavit per ſpatium *quadraginta annorum*, idemque movit & agitavit pro ſuo arbitrio. Qua in re quotquot Perfectiſſimi & Liberi Entis Naturam ab Eſſentiis aliarum rerum diſtinctam agnoverint; ut ſanæ rationis Cultores omnes facere par eſt; non hærebunt. Qui enim lucentis materiæ ſemina imperio Voluntatis ſuæ primùm produxit Deus, eademque per omnes hujus Univerſi partes diſperſit: quidni eâdem vi partes illius materię majore copiâ in globum colligat, & collectas conſervet? Sic eſt; potuit id Deus vel *per ſe* facere, vel per *Angelum*, quem huic negotio præfecerit: niſi quod conſtet, ipſam hanc *Nubem* fuiſſe *σκήνωσιν Angeli* illius *Jehovæ*, cui liberatorum ex Ægypto Iſraëlitarum laus debetur, qui *Ignem Nubis* voluit eſſe ſymbolum glorioſæ ſuæ præſentiæ. Sic enim legimus in ipſa Hiſtoria: *Et* Exod. xiv. 19.
loco ſe movit ANGELUS DEI, *procedens ante caſtra Iſraëlis, eademque circumeundo ſtetit à tergo; & COLUMNA NUBIS ipſa quoque mota eſt loco, & à fronte receſſit in tergum.* Clarum ex his verbis, *Ignem*, Nubi incluſum, hic ipſum dici *Angelum Dei*, quod nimirum præſentię ejus majeſtatiſque ſymbolum eſſet, & *in hoc Igne* ſe manifeſtum faceret Iſraëlitis; cujus proinde *Angeli* fuerit hoc ſymbolum, ſuâ vi formatum, eâdem virtute ſuſtinere. De cætero ita exiſtimo, *Materiam* hujus *Columnæ* verè fuiſſe *igneam*, ſed *igne communi elementari* puriorem; ut verè omnis major conglobatio *materiæ ſubtilis* IGNEM facit. *Sol*, ipſe, Lux puriſſima, & reliqua *Sidera* fixa, omninò totidem ſunt *Ignes*, & *ignitorum corporum* edunt effecta. Nec eſt ea fictio Poëtarum tantum, qui ſidera *Ignes* appellant; ſed præſtantium Philoſophorum noſtræ hujus ætatis, qui ex hac ipſa hypotheſi conati ſunt *naturam Solis* accuratius explicare. Certè id novimus, *ſymbolum divinæ Gloriæ* fuiſſe *Ignem*, & *flammam lucidi ignis*; idque peculiaribus occaſionibus demonſtratum eſt. *Nocte* autem hic *Ignis* gravis non fuit caſtris, cum *noctes* ſæpè in ipſo illo Deſerto ſint frigidiores, ut Petrus Vallenſis teſtatur; *interdiu* verò *Nubes Aquea*, *Ignem* circumdans, vim Ignis repreſſerit, & calorem temperaverit. Exod. III. 2. XIX. 18. XXIV. 17.

VII. De FIGURA Corporis hujus Lucidi aut Igniti pariter

 conſtat

constat ex *Nomine*, quod nempe coacta fuerit materia lucens in formam *Columnæ*. Dicitur enim passim עמוד אש Columna *Ignis*; ut ex Locis, suprà notaris, liquet. Fuit igitur Corpus hoc materiæ Cœlestis simile *Columnæ*; hoc est, in rotundam Figuram pressum, in altum versùs Cœli surrexit verticem, *ad instar facis*, ut ab omnibus Israëlitis per tota Castra videri, eademque, amplissimum in Deserto spatium occupantia, illustrare posset. Quæ Forma hujus Facis ut conveniens fuit usui, cui eam Deus destinaverat: sic adversata non est Legibus Naturę, per quas fieri videmus, ut sive *Nebulæ fumi*, sive *Faces lucidæ* aut igneæ, terræ proximæ, versus superiora ferantur, & in rotundam figuram coactæ, rectâ lineâ, versus Cœlestem ambitum protendantur. *Fumus* autem, in rotundam figuram secundum Naturæ Leges collectus, è terra in Cœlos rectà ascendens, in Sacris Literis vocatur עמוד *Columna*. Locus ea de re insignis
Jud. xx. 41. est in Libro Judicum: *Et elatio* (*materiæ igneæ*, sive *incendium*, aut *flamma* cum fumo *sursum evecta*) *incepit ascendere ex urbe*, עמוד עשן Columna fumi. *Fumus* densior, ut fieri solet, rectà sursum ascendens, rotundâ figurâ, hic dicitur *Columna*. *Facis* autem hujus nostræ eandem prorsus rationem esse ac *Fumi* densioris, rectà sursum lati, ex similitudine phrasium credere par est.
Joël. iii. 3. Convenit dictio, תימרות עשן *Palmæ Fumi*, apud Joëlem; observante Ainsworthо. Utique hæc nostra *Columna Ignis* speciem habuit *Facis ardentis*, in altum, ut fit, porrectæ, & suo lumine *Castra* Jacobidarum *collustrantis*.

VIII. Hic enim Usus *Columnæ* hujus *Igneæ* passim apud Mosen aliosque Scriptores Sacros commendatur. Sic audivi-
Exod. xiii. 21. mus Mosen testantem, Dominum noctu ante Exercitum processisse in *Columna Ignis*, להאיר להם ad illos illuminandum, & quidem ללכת יומם ולילה *ut non interdiu tantum*, *sed &* noctu
Neh. ix. 10. *iter facere possent*. Quod alibi quoque eodem ferè modo repetitur. Nempe non interdiu semper, verùm etiam *noctu* subinde castra movebant Israëlitæ, & *iter faciebant*; ut non ex hoc tantum testimonio, sed & aliunde constat. Consideremus clarissima Mo-
Cap. ix. 30. sis verba in *Libro* Historiarum *Quarto*: *Si verò eveniret*, *ut Nubes illa super Tabernaculum resideret paucis diebus*: *secundùm præscriptum Domini castra metabantur*, *& secundùm idem Domini præscriptum*

scriptum itinera sua conficiebant. Quod si eveniret, ut Nubes super Tabernaculum esset à vespera usque ad mane, & Nubes tempore matutino extolleretur: circa id idem tempus se parabant ad iter; לילה ונעלה הענן ונסעו *quod si* NOCTU NUBES SE EFFERRET: *iter eodem tempore ingressi sunt.* Et dubium non est quin in illis Regionibus sæpè longè commodius fuerit iter facere *de nocte*, quam *de die*, ob Æstum Solis; etsi non negem, illum per Nubem quodammodo temperatum fuisse.

IX. Verè itaque *Lampadis* hujus *Nocturnæ*, quam Deus in gratiam Israëlitarum quâvis vesperâ accendit, idem *Usus* fuit qui Nubis, Exercitui Israëlitarum *de die* viam monstrantis. Utroque enim hoc Instrumento Deus Israëlitas in vastis Arabię Desertis duxit. Quo quin indiguerint non est quod dubitemus, cum dudum ab aliis observatum sit, tam lubricum & incertum fuisse iter in illis Arabiæ solitudinibus, ut viatores absque viæ ducibus peritis iter in iis commodè facere nequeant: quod tamen in majus efferunt, qui scribunt, *ob arenas levi ventorum flabello mobiles & delebiles*, tam incertum & lubricum esse solum, *ut viatores in illis solitudinibus, haud aliter ac nautæ in mari, uti cogantur instrumentis quibusdam, non absimilibus quadrantibus nauticis, ad indicandas mundi plagas & dirigendas profectiones.* Pluribus id testimoniis adstructum dedit Schotanus, quę apud ipsum legi possunt, mox submittenda examini.

Vide Rivet. in Exod. xiii. 21.

In Biblioth. S. l. c.

X. Imo verò persuasi sumus, *Igneam* hanc *Columnam* distinctam non fuisse à *Columna Nubis*, nisi quatenus *Lucida* illa *Materia*, quæ Israëlitis noctu illuxit, verè *Nube* quâdam circumdata fuit, iidemque quasi inclusa. Quæ *Nubes* de die *sola* conspecta fuit ab Israëlitis, quia fortius Solis lumen impediit, quo minus debilius illud hujus Facis Igneæ oculos Jacobidarum percusserit. Sole tamen Occidente Igneæ hujus Lucis fulgor in *Nube* & per *Nubem* illam clarissimè apparuit. Cui sententiæ inter Judæos Philo, Nachmanides, Aben-Esra, & Abarbanel; inter Christianos Clemens Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, Rivetus, Buxtorfius, Altingius, aliique plures patrocinantur: aliis frustrà contendentibus, Columnas duas, *Nubis* & *Ignis*, ita ab invicem distinctas divisasque fuisse, ut altera alteri singulis vespertinis & matutinis temporibus per vices successerit, *igne* de die, & *nube* de no-

de nocte penitus evanescentibus & sublatis. Judæorum & Christianorum nobis faventium Auctoritates videantur apud Schotanum & Buxtorfium. Quorsum enim, quę ab aliis benè dicta & scripta sunt, operosè compilaremus? Unum idemque interterdiu & noctu fuit Symbolum gratiosæ Dei Præsentię apud Israëlitas: *Ignis*, interdiu *Nube* tectus, & noctu per *Nubem* radios suos transmittens, suumque fulgorem per Nubem quaquaversum dispergens.

Biblioth. S. d. l. Hist. Arcæ Fœd. cap. XII.

XI. Aliter paulò mentem suam explicat Cl. Altingius, etsi hypothesin de *Columnis Aquæ* & *Ignis*, sibi per vices succedentibus, rejiciat. *Una Columna*, inquit, *quæ interdiu fulgente Sole habuit candorem Nubis, ut Luna cum videtur interdiu; noctu in obscuritate, fulgorem ignis.* Hæc utique sic sonant acsi Vir Cl. putasset, unum illud idemque materiæ cœlestis corpus, quod interdiu speciem prætulit *Nubis*, noctu speciem habuisse *Ignis*, ut unum idemque Lunæ Corpus de die, Sole fulgente, Nubem refert; de nocte instar stellæ lucet. Sed illa sententia nobis nequaquam probatur. Clarissimum nobis est ex consonante Scripturarum harmonia, Symbolum ordinarium Divinæ Gloriæ fuisse *Ignem*, *Nube* circumdatum & tectum: sic ut *Nubes* & *Ignis* nunquam quidem penitus ab invicem disjuncta, sed tamen verè diversæ materiæ Corpora fuerint, ex quibus unitis illustre hoc Symbolum Divinæ Præsentię constiterit. Quę res cum verè magni sit in hâc nostrâ Dissertatione momenti, utpote cui tanquam basi mystica nostra Symboli hujus expositio potissimum inædificanda erit: non inutile fuerit operam aliquam illi adstruendæ & illustrandæ conferre. Rivetus enim & Buxtorfius etsi nobiscum faciant: hanc tamen materiam ita non exhauserunt, ut non aliquid etiam hic diligentiæ nostræ reliquum fecissent.

Anal. Exeget. ad Exod. XIII. 21.

XII. In antecessum itaque expendi velim; ubi Deus, aliis occasionibus, suæ præsentię signum aliquod visibile dedit; sive ubi, stylo Scripturæ, *gloriam suam manifestavit*; ibi comparuisse in *Igne*, delitescente in *Nube* aut *Fumo*. sic ut *ignea materia* quidem *nubilosa materia* arctissimè fuerit conjuncta, sed tamen verè ab ea distincta. Sic utique ubi Deus descendisse dicitur in montem Sinai in eadem hac Historia Mosaica: *mons Sinai* כלו עשן TOTUS FUMABAT, *eo quod Jehova in eum descendisset* באש *in* IGNE;

Exod. XIX. 18.

IGNE; *& ascendit fumus ejus ut fumus fornacis, & contremiscebat totus mons valdè.* Observa hic, Symbolum Divinæ Gloriæ fuisse *Ignem*, qui tamen circumdatus vel tectus quodammodo fuit *Nube Fumi*, verè ab hoc *Igne* distincta. Aliud argumentum capiamus ex Ezechiele, cui Deus suam gloriam eodem modo conspiciendam præbuit: *Et vidi*, ait, *& ecce ventus procellosus veniebat à Septentrione*, ענן גדול NUBES MAGNA, ואש מתלקחת *&* IGNIS SE AMPLECTENS sive *continens*, (hoc est, se aliò non diffundens) *& splendor illi* (Nubi) *erat circumquaque, & ex medio illius veluti Chasmal, ex medio*, inquam, IGNIS. Etiamsi hic quam maximè laborent & hæsitent Interpretes, quid per חשמל *Chasmal* intelligendum sit: in eo tamen prudentiores facilè consentiunt, hic, & duobus aliis locis apud Ezechielem, significari *lucidum* aliquod *candens*, quod oculos fulgentissimo splendore suo fortiter perstringit. Symbolum itaque Divinæ Gloriæ, Ezechieli exhibitum, fuit *Ignis*, Nubi inclusus, eâdemque circumdatus, sed tamen in ipsa *Nube* quasi *rutilans*, & per Nubem fulgore suo limpido & candenti oculos vibrans. Sic alio etiam simili loco apud eundem Ezechielem: *Et extulit se Gloria Domini à desuper Cherubo, usque ad limen Domus; & repleta est Domus* ענן NUBE, *& Atrium repletum est* את נגה כבוד יהוה SPLENDORE GLORIÆ *Jehovæ*. En *splendorem Gloriæ Domini* à *Nube* distinctum! Quandoquidem jam certum est, *Columnam* illam, quæ *Nubis* & *Ignis* dicitur, verè fuisse Symbolum Divinæ Præsentiæ & Gloriæ apud Israëlitas: quid probabilius, quàm eandem hanc *Columnam*, ut illius generis symbola solent, *Nube* & *Igne* constitisse?

Cap. I. 4.

Conf. Ezech. IX. 24.

Cap. I. 27. & VIII. 2.

Cap. X. 4.

XIII. Extant prætereà quædam loca in Libris Mosaicis, quæ nos eò manifestè ducunt, ut *Nubis* & *Ignis* Columnas pro eadem, licet duplicis generis materiâ constante, habere cogamur. Huc nimirum facit locus, à Riveto adductus ex eodem Libro Exodi de *Nube* inter Israëlitarum & Ægyptiorum Castra discriminante: *Et venit*, inquit Historiographus, *inter Castra Ægyptiorum & Israëlitarum*, ויהי הענן והחשך *& erat Nubes &* TENEBRÆ: h. e. Nubes tenebras adducens: ויאר את הלילה *& simul* ILLUSTRABAT NOCTEM. Una eademque Nubes dicitur, duplicem, eumque diversissimum, edidisse effectum. *Te-*

Cap. XIV. 20.

nebras

nebras induxit Ægyptiis à tergo; *illuminavit* Israëlitas à fronte. Unde liquet, tum, unam eandemque fuisse *Columnam Nubis* & *Ignis*, tum, eandem ex materia diversi generis, Nubilosa & Lucida, constitisse. Quod ipsum porrò in eadem hac historia confirmatur, ubi Symbolum hoc Divinæ præsentię, quod eadem illâ nocte discriminaverat inter Castra Ægyptiorum & Israëlitarum, vocatur עמוד אש וענן Columna Ignis & Nubis. Una Columna, sed duplice constans materiâ. Quibus Rivetus addit, in loco *Numerorum*, jam ante à nobis notato, clarissimè unam eandemque *Nubem* memorari, quę noctu atque interdiu super Tabernaculum residebat, aut, Exercitum Populi Dei antecedens, vię Ducem se præbebat Israëlitis.

Cap. XIV. 24.

Num. IX. 21.

XIV. Quibus præclarè à Riveto observatis duo adjiciam loca notabilia; alterum ex *Secundo*, alterum ex *Quarto* Libro Historiæ Mosaicę; ex quibus clarissimè liquet, *Ignem* aliquando *de die* quoque *per ipsam Nubem* transfulsisse; & in Nube conspicuum fuisse *Rutilantem illum Fulgorem materia lucida*, quæ *Columna Ignis* vocari solet. Quod si verè ita habuerit: consequens erit, *Nubis* & *Ignis* Columnas interdiu & noctu non variasse, & nihilominus tamen ex duplice constitisse materia. quod utrumque nobis probandum incumbebat. Prior locus ita habet: *Et evenit, ut, cum loqueretur Aaron ad universum cœtum Israëlitarum, illis ad Desertum conversis:* והנה כבוד יהוה נראה בענן *ecce* GLORIA JEHOVÆ *conspiciendam se præbuerit in Nube. Dies* erat, quando hæc gesta sunt, ut ex toto orationis contextu liquet. Præsens enim hoc tempus, quo Dominus ipsis apparuit, signatè distinguitur à *vespera* instante ejusdem hujus diei, quâ Dominus illis subministraret *carnem*, & *à mane* sequentis diei, quo acciperent *panem*. De die itaque viderunt *Ignem rutilantem* per *Nubem*; unde patet, *de die* quoque *Ignem* in *Nube* delituisse, & illud Symbolum Divinæ Præsentiæ, de quo agimus, verè ex duabus rebus distinctis, *Nube* & *Igne*, conflatum fuisse. Solummodò id ad hujus intellectum loci mente concipiendum est, *vel Ignem* in Nube occultum & delitescentem, Divinâ faciente Providentiâ, hoc in casu solito magis rutilasse, & exuberantiorem de se sparsisse fulgorem, adeo ut, non obstante Solis splendore, facilè ab Israëlitis per ipsam Nubem conspici potuerit,

Exod. XVI. 10.

rit, *vel* Nubem, quâ parte obversa fuit Israëlitis, attenuatâ materiâ, fulgoris radios facilius transmisisse. Neque aliter se res habuit in *altero* illo casu, qui describitur in *Quarto Libro* Historiæ Mosaicæ, hunc ferè in modum: *Et fuit, ut, cum congregaretur Cœtus ad Mosen & ad Aäronem, & respicerent ad Tentorium Conventus: ecce texerit illud* NUBES, וירא כבוד יהוה & APPARUERIT (conspiciendam se dederit) GLORIA DOMINI. Per *Gloriam Jehovæ*, quæ se per Nubem conspiciendam dedit, intelligendum esse *Ignem*, in Nube rutilantem, Divinæ Majestatis Symbolum; eundemque apud Scriptores Sacros satis obviè hoc nomine venire: multis testimoniis Scripturæ industriè & cum judicio digestis, probatum dedit Cl. Buxtorfius. *Rutilans* ille *Ignis* sic solebat de die in *Nube* delitescere, ut per eam ordinariò non conspiceretur. Sed extraordinariis casibus, quando Deo vel verba facienda erant ad Mosen, vel compescenda erat Israëlitarum petulantia: fecit ipse ut Populus Judæus *de die* quoque *Ignem*, in Nube rutilantem, conspexerit, ut reverentiâ Divinę Majestatis afficeretur. Id factum hoc loco narratur; idemque arguit, Deum eodem prorsus Symbolo, ex duplicis generis materia composito, Israëlitas tam *interdiu* quam *noctu* de præsentia sua commonefecisse, etiamsi in uno illo eodemque Symbolo Divinæ Præsentię *Nubes* de die & *Ignis* de nocte conspectiora fuerint.

Vide vers. 6, 7. Num. XVI. 43. vel secundum textum Heb. cap. XVII. 7.

Hist. Arc. Fœd. Cap. XIII.

XV. Quemadmodum jam præcipuus Usus *Nubis* fuisse dicitur in locis, suprà notatis, quòd viam præiverit Israëlitis in vastis illis Arabiæ Petrææ Desertis, ubi incerta erant itinera: sic eadem prorsus Ratio fuit *Columnæ Igneæ* de *nocte*, ut jam satis expositum.

XVI. Quod officium ubi *Nubes* & *Ignis* Exercitui Israëlitarum præstiterunt: ipsum illum Exercitum Populi Dei *Ducis* vel *Imperatoris* instar *antecesserunt*. Id enim mihi omninò colligendum videtur ex verbis Mosis: ויהוה הולך לפניהם *Et Dominus* ANTECEDEBAT *illos*, (ibat coram illis) לנחותם הדרך UT ILLOS DUCERET *viâ, quâ eundum erat*. Non percipio, quomodo *Nubes* commodè fungi potuerit officio *viæ Ducis*, si Castra, loco movenda, non antecesserit in ipsius Exercitus fronte. Qua in sententia me confirmat oratio, quam Mosis de eadem hac re habuisse dicitur

Exod. XIII. 21.

in Deuteronomio, convicturus Iſraëlitas de ſumma eorum per-
Deut. I. 33. tinacia & incredulitate: *Sed neglectâ hac promiſſione*, (ſuprà memoratâ) *noluiſtis fiduciam ponere in Jehova Deo Veſtro*, ההלך לפניכם בדרך לתור לכם מקום לחנתכם ANTECEDENTE VOS *in via* AD EXPLORANDUM *vobis locum*, *in quo caſtra figeretis*; *noctu quidem per* IGNEM, *ut vobis monſtraret viam*, *quâ vobis eundum fuit*, *& de die per* NUBEM. Quid clarius, quam Deum ipſum Exercitum Iſraëlitarum, Imperatoris inſtar, anteceſſiſſe, eumque pro placito ſuo duxiſſe? Utique *Exploratores* præmitti ſolent à viatoribus, qui iter facturi ſunt, ut commodiora loca ſive eundi ſive hoſpitandi eligant ipſi & deſignent. Quam gratiam cum Dominus hic præſtitiſſe dicatur Judæo Populo: dubitandum eſſe non cenſeo, quin ipſe verè toti Exercitui Iſraëlitarum, iter facturo in Deſerto, viam præiverit. Quo referendam quoque exiſtimem promiſſionem de *Angelo*, Iſraëlitas anteceſſuro, ducturo, viam-
Exod. XXIII. 23. què iis paraturo & munituro: כי ילך מלאכי לפניך *Quia Angelus meus* ANTECEDET CORAM TE, (ſermo eſt ad omnes Iſraëlitas) *idemque Te ducet ad Amoræos & Chittæos*, *&c. Angeli* autem ſymbolum fuiſſe *Ignem*, Nubi incluſum, ex ſequentibus patebit.

XVII. Sunt tamen è Doctiſſimis Viris qui diſſentiunt; etſi
In Exod. XIII. 20. Rivetus, & antiqui Verbi Divini Metaphraſtæ, à meis ſtent partibus. Argumentum ſe apud ipſum Moſen pro ſua ſententia validiſſimum habere putant, ubi in *Libro Quarto* deſcribit ordinem, quo Exercitum Judæi Populi procedere oporteret in
Num. X. 21. Deſerto. Jubet ibi Sacratiſſima Tabernaculi Inſtrumenta à Kohathitis geſtanda, in proceſſu Exercitus *medium* occupare *locum*, poſt Alas Júdæ & Rubenis, quarum utraque trium Tribuum Legiones complectebatur: Sex nimirum Tribuum Legionibus Kohatitas præcedentibus, totidem aliis ſequentibus. qui idem ordo in *eodem* hoc *Libro* alibi quoque ſtabiliri videtur. Quandoquidem verò *Columna Nubiloſa* & *Ignea* Arcam nunquam dereliquit: abſque hæſitatione pronunciant, Exercitu iter faciente, *Columnam Nubis* & *Ignis* eundem ſervaſſe locum, quem occupabat in ipſa caſtrorum metatione, *medium* nempe inter ſex Tribus præcedentes, & totidem alias ſequentes. Ego verò etiamſi omninò *Nubi* & *Igni* in proceſſu Exercitus eundem aſſignem locum, quem *Arcæ*, cui tanquam Throno Dei quaſi incubuerunt: negan-

gandum tamen puto poſt alios, *Arcam* à *Kohathitis*, aut à Sacerdotibus, Exercitu iter promovente, in medio Exercitu portatam eſſe. Contrarium ipſe Moſes eodem illo in loco tradit, unde Doctiſſimi Viri probationem ſuam deſumunt, verbis ſanè quam clariſſimis: *Et profecti ſunt à monte Domini, trium dierum confecto itinere,* וארון ברית יהוה נוסע לפניהם *&* ARCA FOEDERIS DOMINI PROFICISCEBATUR ANTE EOS, *itinere trium dirum, ut* EXPLORARET LOCUM, *in quo commodè requieſcere poſſent.* Nihil his verbis dici poteſt liquidius. Num. 11. 17. & IV. 4, 5. &c. Num. X. 33.

XVIII. Quorum vim ubi Docti Viri hâc eludere conantur exceptione, quod *Columnæ illæ*, etiamſi medium in proceſſu inter tribus occuparent locum, ab Exercitu tamen toto facilè potuerint obſervari: mihi ſanè neutiquam ſatisfaciunt. Quomodo enim quæ partem Exercitus tantùm præceſſere Columnæ, totum Exercitum ducere potuerunt? Vel quomodo duxerint quos ſequutæ ſunt? Aut quomodo Judæ & Rubenis Alæ, quę ex ſex integrarum Tribuum Legionibus compoſitæ, aliquot hominum myriadas effecerunt, in vaſtis ſolitudinibus iter ſuum dirigere potuerunt abſque viæ duce, ipſas præcedente? Etiamſi enim ſubinde retroſpiciendo obſervare potuerint *Columnarum* motum: prohibere tamen id non potuit, quo minus, illâ hypotheſi admiſsâ, Primæ Alæ, ſive priorum Tribuum Cohortes, aliquando magnos in itinere faciendo committere potuerint errores, abſque quo illos ullo medio idoneo potuerunt præcavere. Quod Deum permiſiſſe ut fieret, qui ob ſummam ſapientiam *ordinis* obſervantiſſimus eſt: non facilè credam. Prętérquam quod ex diſertis teſtimoniis Libri Joſuæ liqueat, *Arcam*, Sacerdotum humeris geſtatam, cum Iſraëlitæ per Jardenem occuparent Canaanis ſibi promiſſam hæreditatem; *Exercitum Iſraëlitarum anteceſſiſſe*, ſpatio *bis mille cubitorum*. Alium autem tum temporis in procedendo ordinem ſervatum eſſe ac in Deſerto: neſcio quo probabili argumento adſtrui poſſit. Quare loca illa, quæ Auctores pro adverſa ſententia ex Moſe deſumunt, modò notata, ſic exponenda videntur, quòd reliqua ſanctiſſima ipſius Tabernaculi Inſtrumenta, ut ſunt, *Altare Thymiamatis*, *Menſa*, *Candelabrum*, *&c.* à Kohathitis inter Quatuor majores Exercitus Iſraëlitarum Alas lata portata Joſ. cap. III. 3, 6.

 quidem

quidem sint media; sed *exceptâ Arcâ*, quę vel à Kohathitis vel à Sacerdotibus gestata, Exercitum Populi Dei, certo spatio, antecessit. Quod adeo de nihilo non est hic observasse, ut sequenti tractationi nostræ non exiguam lucem deinceps allaturum sit.

XIX. Præter hunc tamen *primum* & præcipuum *Usum*, quem Israëlitis *Columna* hæc *Ignea* præbuit: non nego, habuisse quoque illos in hac *Columna* notabile Signum *Divinæ Præsentiæ*; quod Israëlitarum illis, qui sincerâ Dei reverentiâ affecti erant, magnum haud dubiè attulit solatium. Præterquam quod Castra, etiamsi fixa in uno loco hærerent, per hanc *Facem* de nocte ita illustrarentur, ut Israëlitæ in re sua familiari inde fortè non exi-
Exod. xl. 38. guum perceperint commodum. quod utrumque in iisdem Lo-
Neh. ix. 19. cis, quæ jam in præcedentibus descripsimus, non obscurè innuitur. Quemadmodum *Nubes*, præter communem illum *Usum* Israëlitas antecedendi & ducendi, iisdem hoc etiam emolumenti attulit, ut illos adversus vehementiorem Solis æstum in horridis illis & sterilibus Desertis muniverit, & *umbræ* vicem præstando, *texerit*; Davide canente: פרש ענן למסך *Expandit* Nubem in
Ps. cv. 39. Tegumentum; *&* Ignem, *ad* illustrandam Noctem. Quam *Nubem* distinctam fuisse à *Nube Tabernaculi*, aliqui quidem non inepti cætera Divini Verbi Interpretes fingunt; sed absque Scriptura, & ratione probabili. Quod enim dicant, *Nubem Tabernaculi* non suffecisse obtegendo toti Exercitui Israëlitarum, magnum in Deserto spatium occupanti: *Primò* non existimo, Verba Davidis tam pressè esse accipienda, acsi omnes, quotquot in Castris erant Israëlitæ, per hanc Nubem tuti fuerint ab æstu Solis. sufficit omninò, quantum sapio, ut aliqua, vel major Castrorum pars, hoc commodum ex Nube perceperit: *Dein*, nihil vetat credere, *Nubem* Tabernaculo quidem incubuisse, sed majore amplitudine, quam vulgò concipitur; inde verò in Circulum Exhalationum terrestrium *Columnæ* instar, porrectam, se ibi dein in latitudinem aliquam diffudisse, & quasi in *Nubecula*, Soli opposita & vim radiorum ejus intercipiente, (quod experientiâ videmus non magnas sæpè *Nubes* efficere posse:) terminatam esse. acsi hæc *Nubecula* Columnæ *Capitis* instar
Num. xiv. 14. imposita fuisset. Sic intelligo verba Mosis, quæ huic opinioni

præ

præ cæteris videri possent favere: *Tu Jehova* (loquitur Moses ad Deum:) *oculo ad oculum videris*; ועננך עומד עליכם *& Nubes tua stat super illos, & in Columna Nubis illos antecedis de die, &c.* Ubi non *duarum*, sed *unius Nubis* mentionem fieri liquet, tum inde, quod hæc *Nubes* dicatur *stetisse* super illos, quod proprium *Columnæ Nubis*; tum quod hæc Nubes hic dicatur *Nubes Domini*: quod nomen alibi datur *Columnæ Nubis*. Josephus: Ὁ μὲν ὐρανὸς καθαρὸς ἦν, ὑπὲρ δὲ τὴν σκηνὴν ἤχλυσεν· ὔτε βαθεῖ πάνυ νέφει καὶ πυκνῷ περιλαβὼν αὐτὴν, ὡς εἶναι δόξαι χειμέριον, ὔτε μὲν λεπτῷ ὥστε τὴν ὄψιν ἰσχύσαι τι δι' αὐτῦ κατανοῆσαι· *Cum Cælum aliàs serenum esset, super solum Tabernaculum caligo descendit; non quidem tanta quanta solent esse hybernæ nebulæ*; (Ita Gelenius. Epiphanius Scholasticus: *Nec altâ nube satis aut densâ circumdans illud, ut putaretur esse tempestas*:) *nec tamen tam tenuis, ut aspectum humanum transmitteret.* Densior itaque *Nubes* fuit; sed porrecta usque ad Ambitum Sphæræ Terrestris. Quod verò addit Josephus; Ἡδεῖα δὲ ἀπ' αὐτῦ δρόσος ἔῤῥει *Gratus ros inde defluebat*: commendaret equidem hanc Nubem ab excellente aliquo ejus *Usu*, quem hactenus non observavimus, si tanta apud nos esset fides Josephi, quanta Mosis, qui illius, quod scimus, nullibi meminit.

Exod. xi. 13. Antiq. Lib. III. Cap. VIII.

Antiq. Lib. III. Cap. VIII.

XX. Nos commodius *ultimò* inter Usus *Columnæ* hujus *Igneæ*, Nube circumdatæ, referemus, quòd ipsa veluti sedes fuerit Oraculorum Divinorum. Ibi enim Dominus Jehova ut compellari voluit à Mose; sic vicissim *ex Nube* ad Mosen loquutus est, eundemque de voluntate sua commonefecit. Sic legitur de eo apud ipsum Mosen: *Et descendit Jehova* בענן *in* Nubem, *& loquutus est ad illum.* Utique omnia illa Præcepta, quæ Dominus, summus Populi sui Imperator & Νομοθέτης, *dedisse* dicitur מאהל מועד *à* Tabernaculo Conventus, verè, voce *humanæ* simili, data sunt *ex Nube*, Divinâ quasi sede ejusdemque Præsentiæ Symbolo, unde Deus pollicitus fuerat jussa sua Israëlitis se expositurum. Quandoquidem verò *Nubes* cum *Igne* unum quasi Corpus effecit: non immeritò & absque idonea ratione id transferimus ad ipsam quoque illam, de qua nunc agimus, *Columnam Igneam*. *Ignis* enim ut præcipuè *Divinam* adumbravit *Gloriam*; sic haud dubiè cum respectu ad *Ignem*, in *Nube Rutilantem*, præcipuè dicuntur Israëlitæ *per gloriam Dei*, ad ipsos ex *Nube* verba facien-

Num. xi. 25. Lev. I. I.

Num. xii. 8. tis, *sanctificati fuisse*. Verba notatu dignissima sunt in Exodo: Exod. xxix. 42, 43. *Et conveniam ibi Israëlitas* (ad ostium Tabernaculi Conventus:) ונקדש בכבדי *& sanctificabuntur per* GLORIAM MEAM. *Gloria* Domini, ut jam dixi, respicit *Fulgorem* Lucis, in Nube *Rutilantis*.

Caput XV.

Excursus fit ad investigandum ingenium soli Deserti *illustris* Arabiæ Petrææ, *in quo Israëlitæ per quadraginta annos vagati sunt. Varium illud & triplex esse demonstratur ex Scriptoribus antiqui & recentioris temporis, & interiorem illius partem, quam pererrarunt Israëlitæ, minimè fuisse sabulosam; illustratis locis Scripturæ S. in quibus hujus* Solitudinis *mentio fit. Intersperguntur multa alia de* Chavila *hujus* Deserti, *eamque cum* terra Chavilæ *sive* Cuschi *sive* Jectanis *posterorum sedibus confundendam non esse, evincitur; & de horum veris* Locis, *ut & de sede* Chaulotæorum *adversus sententias Eruditorum Virorum diversas disputatur.*

Dum in hoc versor argumento, & deprehendo, *Desertum* illud *Arabiæ*, quod tot suæ Majestatis, Gratiæ, & Justitiæ, documentis nobilitare voluit Deus, non omnes Divini Verbi Commentatores cognitum & exploratum habere: quid vetat ad notitiam illius accuratiorem aliqua adscribere? Moses de eo *Deut.* I. 19. *Et profecti sumus Chorebo, & peragravimus totum hoc* MAGNUM *&* TERRIBILE DESERTUM, *quod vidistis, viâ montani Emoræorum.* h. e. viâ quæ ducit ad *Montanum Emoræorum*; quod *Montanum* erat ad *Austrum terræ* Canaan, proximum *Montano Idumæorum*, & quidem ad illius *Occidentem*, ut liquet ex *sequente commate*, & *toto* hoc *Capite*, & Num. XIII. 29. adeò ut Adrichomius & qui illum sequuntur crassè errent, qui fide hujus loci in *Tabu-*

Tabulis suis nobis exhibent *Montanum aliquod* protensum à *Monte Sinai* usque ad *Meridionalia Terræ* Canaan, sub titulo *Montis Amorræi*, juxta quem Israëlitæ iter fecissent, tendentes in Australia Canaanææ. quem errorem rectè & feliciter emendavit Cl. Clericus. Idem Moses in alia Oratione: *Qui* (Jehova, Deus In *Tab.* subjuncta *Pentateucho.*
tuus) *te duxit* במדבר הגדל והנורא *per* DESERTUM *hoc* MAGNUM & TERRIBILE, *in quo* SERPENTES, *chersydri*, & *scorpiones sunt*, Deut. VIII. 15.
estque SITICULOSUM *penuriâ aquæ*. Et rursus in Cantico: *Invenit* Deut. XXXII. 10.
eum in terra deserti, *in* EREMO VASTA, & ילל ישמון REPLETA ULULATU.

II. Non est dubium sanè quin verissima scripserit Moses; qui etiam si vel maximè honestatem ejus & veri studium seponas, tot myriadibus testium falsum persuadere non potuit de ejusmodi re quam recente usu & experientiâ cognitam habebant. Nec tamen hæc ejus dicta ita sunt accipienda acsi totum hoc *vastum* atque *horrendum Desertum* fuerit *arenosum*, sive, quod rectius dixeris, *sabulosum*; quemadmodum verè multi hoc *Desertum* depingunt, etsi in historia ipsa Populi Dei varia occurrunt quæ reclamant, ut sunt, *α*. Quod certò constet, hoc *Desertum*, quâ parte habitabile erat, (de quo mox differam;) varios habuisse incolas, ut fuerunt *Ismaëlitæ* & Abrahamo geniti ex *Ketura* cum suis posteris, & ex *Esavi* progenie *Amalekitæ*; si illi sic dicti sint ab *Amaleko*, Esavi nepote, ut videtur. De *Ismaëlitis* exertè Gen. XXI. 21. *Et habitavit* (Ismaël) *in* DESERTO PHARAN. atqui *Desertum Pharan* idem est in quod venerunt Israëlitæ, digressi ex *Sinai*, promoventes iter ex Austro in *Septentrionale* & Num. X. 12.
Occidentale clima, acsi ab *Austro* ingressuri essent terram Canaan. Erat itaque hoc *Desertum*, in quo *Montanum*, illi conjunctum, (unde primum *Gloria Domini* venientis in Montem Sinai à *parte* Deut.
Septentrionis apparuit:) protensum usque ad Idumæorum & A- XXXIII. 2.
moræorum montes. Et Gen. XXV. 18. *Et habitarunt* (Ismaëlitæ) à CHAVILA *ad* SUR *quod est ante Ægyptum, quâ itur in Assyriam*. *Chavila* hic est nomen loci illo tempore noti, ad *Austrum Cananææ*; quę non videtur confundenda cum *terra Chavilæ*, cujus mentio est in descriptione *Paradisi* Gen. II. 11. *Chavila* cujus mentio est in descriptione Paradisi, est nepos non *Chami*, filius *Cuschi*, in Arabia Felice; sed nepos *Heberi*, frater *Ophir*, cujus

jus posterorum sedes omninò fuisse videtur trans *Tigrin* fluvium, latè excurrens in Orientem, in qua *terra* dicitur esse *aurum*; estque *Phischon* ut videtur, *alveus Tigridis* non *occidentalis*, ut Cl. Huetius. Eruditissimus Vir, cui *Paradisus terrestris* plurimum debet, statuit, sed *Orientalis*; quod observatum à Docto quodam Viro invictè adstructum esse intellexi; (a) certè examini subjectum, verissimum esse deprehendi. Sed nostrum hoc *Chavila* quærendum esse in Austro Canaanæę, liquet quàm clarissime ex Historia Saulis, qui cum exercitu profectus per loca *tribus Juda*, Canaanæam parte australi egressus mox invasit *Amalekitas*, eosque percussit ab *Havila*, loco sic dicto, usque ad *Sur*, desertum quod proximum est Ægypto. *Amalekita* enim enim eadem hæc loca insederunt posteà, & Gentes hæ, tum ipsæ pro more Arabum Scenitarum sæpè loca mutarunt; tum per

1 Sam. xv. 7.

(a) Scio equidem quâ modestiâ me loqui deceat à summis Viris, Bocharto & Huetio, in re hujus argumenti dissentientem. Victus tamen vi veritatis paulò majore hic usus sum fiduciâ. *Chavila* duplex inter Noæ posteros notus est in *Tabulis Genealogicis*, alter *Cuschi* filius, Chami Nepos; alter *Jectanis* Filius, Heberi nepos. Ab alterutro illorum denominatur haud dubię *terra Chavilæ*, cujus mentio in descriptione *Paradisi terrestris*. Præter quam *Chavilam* memoratur *locus* aliquis *Chavilæ*, in historia Ismaëlis & Saulis iis in locis, quæ hic adscripsi. Hanc verò nostram *Chavilam* omnes ferè Intt. existimarunt ad *alterutrum* quoque *Chavilarum* esse referendam; etsi satis constaret, nec de *homine* aut hominibus, nec de *terra* sive regione integra agi, sed de *singulari loco*. Argumento est, quod nec *Desertum Chavilæ*, nec *terra Chavilæ* dicatur, sed simpliciter *Chavila*. Patiar tamen illud tentari, & demonstrari lubens, si omninò demonstrabile sit. De quo ut liqueat: excutiamus age, Eruditorum hominum sententias; non sanè ad illas exagitandas: à quo affectu alienissimus sum: sed ad indagandum verum. Ill. Huetius de *Chavila* agens in Tractatu de *Situ Paradisi Terrestris*, postquam præmonuisset de *duplice Chavila*, hæc reliquit sequentia: *Bochartus, qui eruditissimè in Phaleg hoc Caput interpretatur, ostendit, ultimum hunc Chavilab Gentis Conditorem esse quæ regionem* CHAULAN *incoluit, ad latus Orientale Sinus Arabici, ad Occidentem verè respectu Arabiæ felicis sitam.* Id verum est, demonstrasse Bochartum, ibidem loci fuisse aliquam *terram* CHAULAN, & probabile, hoc nomen idem esse cum *Chavila*; sed an assequutus sit, hunc esse *Chavilam Jectanis*: mox videbimus. Pergit Vir Illustris: *Hæc regio nihil quicquam commune habet cum ea, quam nos investigamus*, (nempe cum

Gen. x. 7. Gen. x. 29. Gen. II. II. Cap. VIII. I. Geog. S. Lib. II. Cap. XXVIII.

per bella, quæ inter se gesserunt, sedibus se invicem expulerunt. De Amalekitis utique liquidò Moses *Num.* XIII. 29. *Amalek habitat in* TERRA AUSTRI, h. e. in *parte australi Canaanæa* propè Amoræos & Chittæos. Posteà *Ismaëlitæ* & Abrahamidæ ex *Ketura* excucurrerunt in *Arabiam desertam* versus *Orientem*, & media loca inter *Euphratem* & *Felicem Arabiam* ferè occuparunt. Videri de iis potest inter alios Arias Montanus. Vide Gen. XIV. 7. Num. XIV. 25. 43. 45. In suo Canaan Cap. III. & IV.

A a III. β. Li-

---

cum *terra Chavilæ*, quam circuit Phison, fluvius Paradisi. quod admitto:) *sed benè altera, quæ nomen à Chavilah, Filio Chus, accepit, quemadmodum nos idem docet Bochartus. Moses auctorque Libri* Gen. XXV. 18. *Samuelis perspicuè satis atque clarè situm hujus terræ Chavilah indicant*, 1 Sam. XV. 7. *cum duas Arabiæ, terræ Sanctæ vicinæ, exprimere cupientes extremitates*, CHAVILAH *&* SUR *nominant.* SUR *desertum erat in aditu Ægypti, versus extremitatem Sinus Arabici. Necesse itaque est ut Chavilah ab* ALTERA PARTE ARABIÆ JACUERIT, VERSUS EXTREMITATEM SINUS PERSICI, *hoc est, incipiens ab Occidenti ostii illius Alvei, quem nos volumus esse Phisonem; & pertingens versus Meridiem juxta latus Occidentale ejusdem Sinus, usque ad Catipham.* Ergo *terra Chavilæ*, de qua Moses & Auctor Libri Samuelis, sita est propter *alveum Occidentalem Tigris*, se exonerantis in *Sinum Persicum*; idque *Tabula* Cl. Viri exhibet, aliæque ad eam vel ejus sententiam postea expressæ. Atqui miror, quo modo in animum suum induxerit Vir illustris credere, quod salvâ quâ in eum feror reverentiâ dictum velim; id vel mediocriter exercitatis se persuasurum. Nec potuit hic peccare ex imperitia, ipse *Geographiæ* & omnis Literaturæ Sacræ peritissimus. Quid? An Saul, vindictam jussu Dei sumpturus de *Amalekitis*, 1 Sam. XV. 4. cum exercitu *ducentorum & plurium millium hominum* emensus est vastissima spatia & totam longitudinem *Arabiæ Desertæ*, quæ sic propriè dicitur, usque ad *sinum Persicum*, & ibi quæsivit *Amalekitas*, eosque à tergo adortus cæcidit ab *alveo Tigris* usque ad Sinum Arabicum, ab *Oriente* in *Occidentem*? Atqui hæc spatia terrarum secundùm Bocharti ipsius tabulas minimùm faciunt *centum & quinquaginta milliaria Germanica*, ut jam observavit Cl. Clericus, τὸ Comm. in ψεῦδος hujus hypothesios demonstrans. Multa occurrunt alia in hac Gen. II, 11. hypothesi notanda de ingenio soli Arabiæ desertæ, sedibus veris Amalekitarum, Israëlitarum rei bellicæ imperitia circa eam ætatem, & Judæa exposita hostibus Philisthæis, si Saul cum tot armatis longius abfuisset; quæ non adduco. Sit igitur *terra* aliqua *Chavilæ* circa Occidentalem Tigridis Alveum: quod si aliunde adstrui possit, fieri patiar: id certè nullam speciem veri habet, esse hanc illam *Chavilam* de qua in illis mentio est

locis

III. β. Liquet Israëlitas, Ægyptum egressos, secum duxisse non *exigua* pecudum *armenta* & *greges*, quorum mentio frequens in historia Mosaica. Verba historiæ: *Et ovium & armentorum possessio* כבר מאוד GRAVIS ADMODUM. quæ pecudes planè sustentari non potuissent, si ejusmodi fuisset terræ solum, quale vulgò pingitur. Et ipse Moses, quando primùm Dei alloquio ad Montem Sinai honorabatur, ibidem *pascebat greges Soceri sui Jethronis*.

Exod. xii. 38. xvii. 3. Num. xx. 19. Exod. iii. 1.

locis quæ nobis nunc obversantur. Locus enim alter qui est in Genesi, ubi *Ismaëlis* posteri habitasse dicuntur ab *Havila usque ad Sur, quæ est è regione Ægypti*, באכה אשורה QUA VADIS IN ASSYRIAM, non minus huic hypothesi obstat. Ismaëlitarum hic demonstrantur sedes cum *termino à quo* & *ad quem*, qui dicuntur. Atqui ratio docet, *terminum à quo* esse proximum, non remotissimum. Vult igitur dicere Scriptor Sacer, *Ismaëlis* posteros implesse primò *Desertum* inter Judæam & Ægyptum medium, ab *Havila* ad *Sur*; inde autem cum illud ipsos non caperet *Desertum*, latius excucurrisse in *Arabiam* illam *Desertam*, quæ in Assyriam tendit. quod perceptu facillimum est, & consentaneum historiæ. Addit deinde: *Neque incolæ ipsius profanis Auctoribus ignoti fuere, quippe quos Chaulothæos, Chablasios, & Chavelæos appellitant, nominibus manifestè à nomine Chavilah, aut ut in statu constructo id nominis scribitur Chavilath, derivatis, eosque inter Nabathæos & Agræos, Populos origine Ismaëlitas, Arabiam desertam* PROPE EXTREMITATEM SINUS PERSICI *inhabitantes collocant.* Id si verum sit: semper tamen fallet, Saulem Amalekitas cæcidisse apud Sinum Persicum; sed nemo verum esse hactenus demonstravit, vel unquam demonstraverit. Operam dedit id ut ageret ὁ πάνυ Bochartus; sed minimè confecit. Nulli auctores quos adducit, *Chaulotæos* tam longè removent ad Orientem; etsi cum Scenitæ Arabes, inter quos fuerunt *Chaulotæi*, sæpè sedes mutarint, & Arabiam Desertam longis spatiis pervagati sint, non absurdum sit creditu, subinde etiam longius in Orientem excucurrisse. *Chaulotæi* proximi fuerunt *Nabatæis* & *Agræis*; ut Veteres qui eorum meminerunt, testantur; *Nabatæi* verò & *Agræi* non adeò longè abfuerunt ab *Arabia Petræa*, in qua etiam *Nabatæi* suam habuerunt metropolim. Nec aliud sonant Eratosthenis verba apud Strabonem: *Tradit enim* (Eratosthenes) *de parte septentrionali ejus* (Arabiæ) *& deserta*, QUÆ INTER FELICEM ARABIAM ET COELESYRIAM ET JUDÆAM EST, *usque ad* ARABICI SINUS *recessum: ab Heroüm Urbe, quæ est ad Nilum recessus Arabici Sinus, esse* AD NABATÆAM PETRAM *in* BABYLONEM *usque stadiorum* IↃↃↃↃX *totum versus ortum æstivum*, ὑπὲρ δὲ τῶν ὑπερκειμένων Ἀράβων ἐθνῶν Ναβαταίων τε καὶ Χαυλαταίων, καὶ Ἀγραίων· *per adja-*

Cap. xxv. 18. Geog. S. Lib. iv. Cap. xi. Lib. xvi. p. 528.

thronis. γ. Si *Desertum* hoc planè fuisset *arenosum* & *sabulosum*: omninò intelligi nequit, quomodo *rivus* aquæ, ex percussa petra *effluentis*, ductus haud dubiè ab Israelitis, sequutus fuisset castra Populi Dei; quod tamen & probabile sit, & Paulus videtur significare voluisse phrasi ἀκολουθούσης πέτρας *sequentis petræ*, in *Epistola ad Corinthios.* δ. In solo sabuloso *Deserti*, quale id vulgò describitur, difficillimum fuisset ipsis Israelitis vitam tra- 1 Cor. x. 4.

adjacentes Arabum Gentes Nabatæos, & CHAULOTÆOS, & *Agræos*. Describit hic verè Eratosthenes totam longitudinem Arabiæ Desertæ usque ad Babylonem vel Babyloniam, atque adeò loca proxima Sinui Persico. quod negari nequit. In illis spatiis collocat *Nabatæos*, *Chaulotæos* & *Agræos*; sed ita, ut α. Satis aliunde pateat, Populos hos in principiis illius Deserti sedes suas habuisse; & β. Si vel maximè eos usque in finem illius Deserti protrudere velis, quo ordine recensentur; *Agræi* extrema versus Sinum Persicum occupare deberent, non *Chaulotæi*. Verum in principiis *Arabiæ* illius, quæ Petrææ contermina propriè *Deserta* dicta est, hos Populos collocandos esse, patet, quia de *Nabatæis* id nemo negat; nec de *Agræis* quoque (stylo Scripturæ הגרים) ipse Bochartus. Fuerunt enim illi ad Orientem *Gileadis*, à Rubenitis spoliati. Longè igitur probabilius Cl. Clericus *Chaulotæis* ex Dionysio sedem assignat infrà Libanum vel Antilibanum Montes; licet tamen ipse quoque *Chavilam* locum, cujus mentio est in historia Ismaëlis & Saulis, illuc referat; quod planè putem fieri non posse. Nec enim ibi fuit sedes Amalekitarum, quas ipse rectè demonstravit in *Tabula*; nec Saul Amalekitas ulturus, Jardenem transiit. Tum præterea si *Chaulotæi* sint ex *Chavila Cuschi Filio*, quod vult Illustris Præsul: quomodo commiscentur cum Ismaëlitis, *Nabathæis* & *Agræis*? Sed satis disputatum. Quod superest: sententiam meam de his rebus in pauca contraham. Constat autem his quæ sequuntur; α. *Chavilam locum* in historia Ismaëlis & Saulis situm fuisse in extremo terræ Canaanis limite Australi; in principiis magni *Deserti*, de quo egimus, medii inter *Judæam* & *Sinum Arabicum*. β. Illum insessum fuisse ab *Ismaëlitis* primum, dein *Amalekitis*; dum *Ismaëlitæ* longius in Orientem excurrebant. γ. Dictum fortè esse locum à חול *Arena*, quod proximus esset *Deserto Arenoso*, quod descripsi. δ. *Chavilas* duos *Jectanis* & *Cuschi* cum hoc *Chavila* nihil commune habere. ε. *Chavilam Jectanis* sedem habuisse cum posteris trans *Tigrim* & *Orientalem* illius fluvii Alveum *Phisonem*. ζ. Longius adhuc excurrisse fratrem hujus Chavilæ *Ophirem*, unde aurum *Ophir*. η. Duas enim *Ophiras* esse, unde aurum adductum & denomina-

1 Chron. v. 10, 19, 20.
Comm. in Gen. 11. 11. & xxv. 18.

here abſque miraculo, etiamſi vel maximè Nubes caſtra obumbrans, æſtus aliquod attuliſſet refrigerium; nec probabile, Deum tam inclementer Populum ſuum per tot annorum ſpatium adminiſtrare voluiſſe.

IV. Explicem igitur paucis, ut ſe hæc res habeat, quatenus ejus notitiam mihi comparavi. Si quis pede fixo in ora Maritima inter Peluſium, ſive potius *Montem Caſium* & *Gazam*; inde rectà iter inſtituat verſus *Euro-notum* ſive *Vulturnum*, hoc *Deſertum Arabiæ Petrææ*, quod medium interjacet inter Ægyptum & Canaanæam, ab Occidente in Orientem paragraturus; illi primò occurrit ſolum vaſtæ extenſionis planè *arenoſum* & *ſabuloſum*, omnimodè ſterile, quod abſque ſubſidio jumentorum, non niſi ſumma cum difficultate pedibus hominum calcatur; quodque proinde *habitabile* non eſt, & hominibus aut animantibus alendis ineptum. Has ſi pervaſeris arenas: offendit te alterius ingenii terræ ſolum, firmius, durius, ſolidius, ſed ipſum quoque magnam partem ſterile & infrugiferum, pariter vaſtè extentum & plurium dierum itineris ſpatium complexum, medium inter fauces extremas Sinus Arabici, & Canaanæam; quod tandem excipit terra *ſoli petroſi*, in qua varii iique ſublimis verticis Montes, quos inter Hiſtoria Scripturæ commendat *Pharanis* illos & *Sinai* ac *Horebi*; inter quos *convalles* ſubinde ſatis amœnæ, nec infrugiferæ. Patet inde, iter meditantem ex Ægypto in Palæſtinam, rectà & abſque circuitione conficiendum, evitare non poſſe quin devoret moleſtiam pervadendi

minatum ſit, quod Bochartus ſtatuit, neutiquam eſſe probabile. ϑ. *Arabiam felicem* totam ceſſiſſe *Cuſchitis*, Chamo oriundis; in qua *Jectanis* filiis, *Chavilæ* & *Ophir*, nullus locus. ι. *Chavilæ*, Cuſchi Filii, veram ſedem eſſe *terram illam Chaulan*, quam ὁ πάνυ aſſignat *Chavilæ Jectanis*, quæ ſita fuit, ut ex ipſo didicimus, in extrema ora Septentrionali *Felicis Arabiæ*, propè Sinum Arabicum. κ. *Chaulotæos*, de quibus Eratoſthenes & alii, fuiſſe verè Iſmaëlitas, non Cuſchitas, & ſedem habuiſſe in principiis *Arabiæ Deſertæ*. λ. Fieri poſſe, ut illi hoc nomen tulerint ab illo *loco Chavila*, quem nos demonſtravimus, primùm ab Iſmaëlitis inſeſſo. Addo, de cætero me omninò acquieſcere in ſententia Huetii de *Paradiſo*, ſi *Alveorum* Tigridis expoſitiones transponantur. Veniam det Lector huic ἀυξήσει.

dendi sabulosam illam eremum, quę Ægyptum à Palæstina dividit; estque hic certus testis Petrus Vallensis; præterquàm quod omnis historia hic consentiat. Sed si quis ex Ægypto vel Sinum trajiciat Arabicum, vel eundem circumeat, iter vertens in Orientem, vel Euronotum; (quorum prius Israëlitis contigit:) inde verò flectat in Septentrionem: hic *sabulum* vitans, *interiorem* illam *solitudinem* ingreditur, vastam illam, sterilem maximam partem, incultam, quæ nec seritur, nec aratur; attamen hic illic rarius pabulum præbet gregibus pecudum & armentis camelorum; maximè quâ parte Desertum hoc montosum est. Peregrin. Lib. I. Cap. XXXII.

V. Petrus Vallensis, Vir Doctus, & testis fide dignus, Belonium ad calcem sequens, hunc illud in modum describit, in historia profectionis ad Montem Sinai ex Ægypto susceptæ. *Desertum hoc* (quod idem esse dixerat, in quo *Israëlitæ* per annos quadraginta oberrarunt:) *in hoc quidem loco nihil est aliud quàm campestre solum planum & infrugiferum, non tectum arenâ flavâ, ut regio Sahid quo ejus in loco sunt Pyramides; sed terra quadam valdè arida quam non alia de caussa sterilem esse crediderim, quàm quod nunquam irrigetur; cujusque pars major nullum producit gramen ac fruticem. Hic illic* tantum *in humidissimis locis olera* quædam reperiri addit. Id planè est probabile. Lib. I. Cap. XXVII.

VI. Consentiunt Veteres qui hujus *solitudinis* meminerunt; inter quos primus locus debetur Herodoto in historia Cambysis, expeditionem suscepturi adversus Amasim, Ægypti Regem. Illi enim ambigenti, ὄκως τὴν ἄνυδρον *quo pacto* TERRAM INAQUOSAM, quę Ægyptum à Syria dividit, *transmitteret*, à *Phane* quodam Halicarnasseo hoc suggestum esse consilium, ut ad *Arabum Regem* (*Arabiæ Fœlicis*, nisi fallor, sive *Arabum Cuschæorum*, 2 *Chron.* XIV. 8. 2 *Reg.* XIX. 9. qui alteram ferè partem Sinus Arabici in sua habebant potestate. *Scenitarum* enim Arabum *Reguli* id temporis erant plures & minus potentes:) *mitteret rogatum, ut tutum sibi præberet transitum*, & expeditioni faveret. Ex *Phœnicia* enim si Ægyptum petas, & transiveris *montes* Καδύτιος πόλιος *Cadutis Urbis*, magnæ & celebris ac cum *Sardibus* comparandæ, (*Hierosolymam* describit. Κάδυτις est Hebræum קדושה, ut olim dicta Hierosolyma עיר קדושה *Urbs* SANCTA:) & inde veneris Ἰήνυσον *Jenysum Urbem*, Arabicæ ditionis, propè Lib. III. p. 184. & seqq. Ed. Stephan.

 mare:

mare: (vel fallor admodùm, vel designat Herodotus **Urbem** עזה *Gazam*, celeberrimam in Historia Sacra & Profana in extrema ora Palæstinæ australi, unde sedes Arabum; & favet vox ipsa, facilè ex עזה Gnazza *formata* & flexa:) reliqua jam inter *Jenysum* & *Ægyptum* media esse *sterilia*, nec absque subsidio *aquæ* in illa loca majore copia *asportandæ*, (quod posteà Persæ instituerunt:) commodum iter præbere. Verba Herodoti: Τὸ δὲ μεταξὺ Ἰηνύσου πόλιος καὶ Κασίου τε ὄρεος καὶ τῆς Σερβωνίδος λίμνης, ἐὸν τοῦτο οὐκ ὀλίγον χωρίον, ἀλλ' ὅσον τε ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ὁδὸν, ἄνυδρόν ἐστι δεινῶς. *Hoc tamen intercapedinis, quod est inter* JENYSUM *Urbem, & Montem Casium ac Serbonidis lacum, qui non exiguus tractus est, sed ferè itineris tridui,* VEHEMENTER EST ARIDUM. Hæc nimirum est illa pars exterior *Deserti*, Mari Mediterraneo proxima, tota *sabulosa*, quam in superioribus descripsi. *Cambysen* itaque; sic pergit Herodotus; ab Arabum Rege, fœdere icto, impetrasse, ut *aquam* exercitui *subministraret*, in Ægyptum ducendo; sive id præstiterit per *camelos*, utribus aquâ plenis *oneratos*, quos ἐν τῇ ἀνύδρῳ *in locis aquâ carentibus*, Cambyses sibi obviam habuit; sive per *tubos*, ex *bovinis aliisque crudis coriis* consutos veluti per *canales*, ex fluvio Corye in *Rubrum mare* exeunte, per longa spatia terrarum, *intermedia eremi* scilicet, in *loca illa inaquosa ductos*; quod tamen ipse quoque improbabilius habet. Patet sanè inde *ariditatem* & *siccitatem*, sive τὸ ἄνυδρον totius hujus eremi esse χαρακτηρισμὸν, quod Moses in Oratione ad Israëlitas dixerat צמאון *siticulosum*.

Litera ע valet *gn*: & *g* cum sibilo pronunciatur ut *g* ante *e*, apud Gallos.

Anon. Raven. L. II. C. §. XIV. *Gazis*.

Deut. VIII. 15.

VII. Non putem tamen esse inter Veteres qui illam hujus *Deserti* partem, quam suis erroribus & castrametationibus celebrem fecerunt Judæi, accuratius depingat quàm Diodorus Siculus, ubi pluribus prosequitur expeditionem Antigoni per Athenæum Ducem, & mox per Demetrium Filium adversus Arabes *Nabatæos*, qui hoc ipsum *Desertum* insidebant, susceptam. Sunt autem *Nabatæi*, noti nominis in historia, *Ismaëlitæ*, sive posteri *Nebaiothi*, Ismaëlis Primogeniti, quos hoc *Desertum* ejusque superiora occupasse modò dicere memini. *Vitam hi degunt*, ait, *sub dio*, πατρίδα καλοῦντες τὴν ἀοίκητον, τὴν μήτε ποταμοὺς ἔχουσαν, μήτε κρήνας δαψιλεῖς, ἐξ ὧν δυνατὸν στρατόπεδον πολέμιον ὑδρεύσασθαι. *Patriam vocantes* INCULTAM ILLAM, (terram vel ἔρημον solitudinem) qua

Biblioth. Hist. Lib. XIX. p. 722, 723. & seqq.

qua neque amnes habet, neque fontes riguos, unde exercitus hostilis aquari possit. Lex apud illos est, nec fruges serere, nec stirpem aliquam fructificantem plantare, nec vino uti, nec domum construere... Τρέφουσι δὲ αὐτῶν οἱ μὲν καμήλους, οἱ δὲ πρόβατα, τὴν ἔρημον ἐπινέμοντες PARS ILLORUM CAMELOS NUTRIT, PARS OVES, DESERTUM DEPASCENTES, sive, ut Interpres, *pastus gratia per deserta oberrantes.* Subjungit mox: Οὐκ ὀλίγων δ' ὄντων Ἀραβικῶν ἐθνῶν τῶν τὴν ἔρημον ἐπινεμόντων, οὗτοι πολὺ τῶν ἄλλων προέχουσι ταῖς εὐπορίαις. *cum autem plures alia sint* GENTES ARABICÆ, (quales suprà recensuimus Ismaëlitæ, aut Abrahamidæ ex Ketura:) quæ DESERTUM *illud depascuntur*; *hi* (*Nabatæi* videlicet, quorum *metropolis* erat *Petra*, in hoc ipso *Deserto* sita quod Israëlitæ pervagati sunt; unde, sive ab ingenio terræ, nomen *Arabiæ Petrææ*:) *facultatibus longè antecellunt alios.* De ingenio autem soli testatur, *terram* esse ARGILLOSAM, & MOLLEM *habere* PETRAM, (πέτραν ἔχειν μαλακήν:) *in qua Arabes illi grandes cavernas effodiant, ostiis perexiguis, in quibus aquam pluvialem, vasis exceptam, conservant*; sed rarior ibi pluvia, ut Petrus Vallensis. Addit postea: *Nam & apud eos piper ex arboribus provenit*, καὶ μέλι πολὺ τὸ καλούμενον ἄγριον, ᾧ χρῶνται ποτῷ μεθ' ὕδατος· & MEL *quod* AGRESTE VOCANT MULTUM, *quo aquâ temperato, in potu utuntur. Manna Cœleste* panis copiosior & solidior; licet facilè quoque solubilis. Alia, quæ ad notitiam *Petræ*, quam rectè dixi in ipsa illa solitudine sitam esse quam pervagati sunt Jacobi posteri, mitto. tantùm hæc pauca adscribo, quæ occurrunt in Oratione horum Arabum ad De- p. 724.
metrium Antigoni: *Quid tibi vis, Rex Demetri, aut quid ad bellum nobis faciendum te adigit? qui habitamus* ἐν ἐρημίᾳ καὶ τόποις οὔθ' ὕδωρ ἔχουσιν, οὔτε σῖτον, οὔτε οἶνον, οὔτ' ἄλλο τι ἁπλῶς οὐδὲν τῶν παρ' ὑμῖν εἰς τὴν χρείαν ἀνηκόντων. *in* SOLITUDINE *locisque, ubi nec aqua est, nec frumentum, nec vinum, nec quicquam denique illorum, quæ necessariis apud vos usus sibi deposcit!* Τόπους ἀνύδρους pariter appellat Plutarchus in *Demetrio*: sed qui notabilem hanc historiam paucioribus perstringit. p. 895.

VIII. Tandem te allego ad Strabonem, qui de duplici hoc *Deserto*, exteriore & planè sabuloso, & *interiore*, sed *campestri*, in quo quidem posteriore præcipuè errarunt Abrahamidæ, distinctè diversisque locis, agit. De priore, ubi de Phœnicia, ejus-

Lib. xvi. p. 522. ejusque ora maritima, quà Ægyptum contingit, his paucis: Καὶ αὕτη μὲν οὖν ἡ ἀπὸ Γάζης λυπρὰ πᾶσα καὶ ἀμμώδης· ἔτι δὲ μᾶλλον τοιαύτη (τοιαύτη) ὑπερκειμένην ἔχουσι (ἔχουσα) τὴν Σιρβωνίδα λίμνην. καὶ τὰ ἑξῆς. *Quæ Gazam sequitur regio* STERILIS & ARENOSA *est*; *magis etiam quæ inde est*, *& sibi superpositam habet Sirbonidem lacum.*
Casaub. Idem.
videlicet media inter *Sirbonidem lacum* & *mare*. Id idem est quod
Lib. i. Cap. x. Mela: PLANA & STERILIS, *nisi quà Casio monte attollitur*. De posteriore, sive de interiore parte hujus Deserti accipienda sunt
p. 536. quæ pauca occurrunt in descriptione Petræ, Nabatæorum sedis: Ἔξω δὲ τοῦ περιβόλου χώρα ἔρημος ἡ πλείστη, καὶ μάλιστα ἡ πρὸς Ἰουδαίαν *Extra mœnia* (*Petræ*, quam descripserat:) REGIO EST DESERTA MAXIMAM PARTEM, *præsertim Judæam versus*. Explicanda hæc ex loco Diodori; modò allegato. Quod autem Mosen dicentem audivimus, *in hoc deserto fuisse chersydros & scorpiones:* non
Deut. viii. 15. est dubium. Certè Strabo de *Deserto*, quod medium interjacet inter *Pelusium* & *Heroüm Urbem ad Sinum Arabicum*, quod De-
Lib. xvi. p. 522. serti hujus extremum fuit australe, exertè: Πολὺ δὲ καὶ τὸ τῶν ἑρπετῶν ἐν αὐταῖς πλῆθος· *Estque in iis* (locis desertis & arenosis) MAGNA SERPENTIUM MULTITUDO.

IX. De *tertia* jam hujus *Deserti* & extrema *Orientali* parte, quam *montosam* esse dixi, in qua Scriptura notat montes *Hor*, *Pharan*, *Sinai*, testem advocabo unum solummodò Diony-
Perieg. Cap. xxiv. vers. 957. sium Periegetem, cujus hæc sunt nostro servientia scopo:

Αὐτὰρ ὑπαὶ νοτίην Συρίην καὶ ἐς μυχὰ κόλπου
Ἀῤῥαβικοῖο, πολυσπερέες ἀνέχουσι κολῶναι·
Οὕνεκα τ' Ἀῤῥαβίην μὲν πετρήεσσαν ἔνισπον.

Sed INFRA AUSTALEM SYRIAM (Judæam) & *ad* SECESSUS *Sinus Arabici*, *longè lateque dispersi eminent montes: quapropter* (terram) *illam dixerunt* ARABIAM PETRÆAM. Hæc sufficere possunt, ut existimo. Ex Plinio enim, nedùm Solino, variis, ut passim, erroribus notabili, nihil observavi quod his quæ aliunde attuli, plus lucis fœnerari queat.

X. Ex his jam quæ dixi, patet, α. Nimis ὑπερβολικῶς & non satis peritè de *toto* hoc *Deserto* affirmare passim Doctos Viros, Genebrardum, Salianum, quæ de *exteriore* tantùm illius parte
Schot. Biblioth. V. T. p. 139. quoddammodo dici possunt, *nulla in illis Virorum exstare vestigia ob arenas*, *levi ventorum flabello mobiles & delebiles*, *adeoque viatores in illis uti cogi instrumentis quibusdam quasi nauticis quadrantibus*;

tibus; & quæ alia. ne nunc de Ludovici Romani, non optimi auctoris, fide quicquam addam. β. Quo modo vera ſint quę Moſes in *Concionibus ſuis* ad Iſraëlitas de hoc *Deſerto* protulit, & tamen eadem rectè conciliari poſſint cum aliis hiſtoriæ partibus & phænomenis; veluti quod Iſraëlitæ moram tot annorum in hoc Deſerto variis caſtrametationibus traxerint; vitam ſuſtentarint; pecudes aluerint; manna cœleſte exceperint; aquam ex rupe per canales, aut quo alio modo, deduxerint. & quæ his ſimilia. In *arenoſo* certè & *ſabuloſo ſolo Manna* commodè colligi non potuit. γ. Ob quam rationem inter alias (plures enim eſſe & graves, certum; ſed quas nunc non tango:) Divinæ Sapientiæ hoc probatum ſit conſilium, ut Iſraëlitas eâ non duxerit viâ quæ ex Ægypto rectà ducit in Palæſtinam; ſed circumduxerit per *Sinum Maris Arabici*, quòd tot Iſraëlitarum cohortes, & tam numeroſi exercitus, cum fœminis omnis ætatis, parvulis, pecudibus, ſabuloſum illud ſalum pervadere non potuerint, naturâ planè negante. Et potuit tamen Deus, fateor, per miraculum huic incommodo occurrere; ſed quod hic concipiendum eſſet multò majus, & naturæ legibus longè magis adverſum, quàm quod undas Sinus Arabici vehementiore, ſed extraordinarii effectus vento, diſpulerit. Deus verò, licet liberrimus naturę rector, qui exemplum ordinis naturę præſcripti pro arbitrio ſequitur ipſe vel negligit, pro ſumma tamen ſua ſapientia in extraordinariis etiam caſibus operationis modum paſſim præfert ſimpliciſſimum & facillimum. Quod autem in hoc argumentum, ſanè quidem pręter propoſitum, latius excucurrerim; tum utilitas meditationis ſuaſit, tum multorum Divini Verbi Commentatorum imperitia; etſi Eruditiores[a] non fugerit.

(a) Bochart. *Hieroz.* Part. II. Lib. III. Cap. XIII. ubi occurrit difficultati, ſententiæ ſuæ de *Cherſydris*, à quibus *morſi fuerunt Iſraëlitæ* in hoc *Deſerto*, objectæ, inter alia: *Ne quis hoc Deſertum ſibi fingat fuiſſe ubique aridum, & inaquoſum.* Sed *aridum* illud & *inaquoſum* fuiſſe ex ipſa illa hiſtoria patet *immiſſorum* in eos *cherſydrorum*. Quæ autem ex hiſtoria allegat Vir Cl. in contrarium: ex iis petita ſunt locis profectionis Iſraëlitarum, quæ hoc *Deſerto*, ſic propriè & ſtrictè dicto, ſuperiora erant; proxima nempe *Montibus Idumææ*, & *Mari Sodomitico*. Planius multò & diſertius Cl. Clericus, quem vide ad Exod. III. I. Num. XXI. 5. 6.

Caput XVI.

Columnam *ſive* Facem *illam* Igneam, *quæ Iſraëlitis præluxit in* Deſertis Arabiæ, *alterius rei nobilioris figuram ſuſtinere, & myſterium aliquod condere, ſupponitur, & ſuppoſitum adſtruitur. Inveſtigatur illud myſterium, & evolvitur ex hypotheſi, aſſumpta vindicataque,* Filium Dei, *veræ conſortem Divinitatis, magnum* Angelum Fœderis, *excellentes ſuas perfectiones gloriamque ſuam hoc corporali* Symbolo, *quod ſymbolum eſt Divinæ Naturæ, voluiſſe explicatam & conſpiciendam dare Eccleſiæ; præcipuè quà ſe manifeſtum facit in* OEconomia Gratiæ, *& olim manifeſtaturus erat in* Carne. *quorum* primum *hac diſſertatione oſtenditur.*

ECquis verò, qui Divinæ Majeſtatis reverentiâ, & tenuitatis humanæ ſenſu affectus eſt, ut decet, non ſtupeat, Deum immortalem & glorioſum homines mortales tam ſingulari proſequutum eſſe clementiâ & gratiâ, ut ſuam præſentiam iis notabili adeo & illuſtri Symbolo demonſtrare voluerit? quod Deus ipſe *Nubem* creaverit ad Iſraëlitas muniendum adverſus æſtum Solis; *Facem* accenderit ad illos illuſtrandum? quod ipſe tanquam ſummus Exercitus Populi ſui Imperator illis in *Nube* & *Igne* præiverit, eos duxerit, rexerit, & tuitus ſit, in incertis illis vaſti Deſerti ſpatiis? Paulus utique hoc Symbolum vo-
Rom. IX. 4. cavit δόξαν GLORIAM. Dei quidem, cujus Præſentię indicium fuit; (unde כבוד יהוה: & Onkeloſo: ענן יקרא דיי *Nubes gloriæ Domini:*) ſed & *Iſraëlitarum*, quatenus Deus illos hoc lumine Gloriæ ſuæ colluſtrare dignatus eſt. Græcorum equidem Fabulæ habent, idem beneficium aliquando obtigiſſe Thraſybulo (a), cele-

(a) Verba Clementis *Strom.* Lib. I. p. 255. ſic ſe habent: *Sed & Thraſybulo, qui exules Phylâ reducebat, & latere volebat,* στύλος ὁδηγὸς γίνεται.

celebri Athenienſium Duci & Rectori, narrante Clemente Alexandrino: ſed omninò incerta videtur hiſtoria; licet, ſi certa eſſet, cum hoc caſu non comparanda. Certior de Timoleonte fama; ſed eventus ille ad naturales cauſſas referri poterit. Strom. Lib. I. p. 255.

II. Majorem tamen longè & conſpectiorem Dei Clementiam in hoc *Symbolo Gloriæ* & *Gratiæ* ipſius detegemus, ſi conſideraverimus, *Lucidam* hanc ſive *Ignitam Columnam*, Nube circumdatam, non illos ſolummodò in *Uſus* à Deo creatam conceſſamque eſſe Iſraëlitis, quos modò recenſebamus; ſed præteà ex Divino conſilio *typum* geſſiſſe, & gerere debuiſſe, alterius cujuſdam rei longè excellentioris & illuſtrioris, in eadem, tanquam in tabella, depictæ: ex qua Eccleſia eadem & multò majora commoda perciperet, quàm Iſraëlitæ ex ſua illa *Columna*.

 III. *Co-*

νιζει διὰ τῶν ἀτρίβῶν ἰόντι, dux fit COLUMNA, *per loca non trita eunti, & Thraſybulo noctu cum non luceret Luna, & tempeſtuoſum eſſet cœlum, πῦρ ἐφαίνετο προηγούμενον, ὅπερ αὐτοὺς ἀπταίστως προπέμψαν, κατὰ τὴν Μουνυχίαν ἐξέλιπεν· ἔνθα νῦν ὁ τοῦ φωσφόρου βωμός ἐστι.* IGNIS *videbatur præcedens, qui cum eos citra ullam deduxiſſet offenſionem* (Phyla ſc. Athenas) *juxta Munychiam defecit, ubi nunc eſt ara Phoſphori.* Unde deſcripſerit Clemens: mihi non liquet. Obvii Scriptores Hiſtoriæ hujus & geſtorum Thraſybuli, Nepos, Diodorus, Juſtinus Trogi, prodigii hujus non meminerunt, nec accuratiſſimus omniùm Xenophon, *Hiſt. Græc.* Lib. II. p. 472. etſi Thraſybulum Phyla *noctu* in Piræum, & inde Munychiam veniſſe, narrat; ſed nec ipſe Thraſybulus in *Oratione* ad ſuos ante prælium, ibidem mox commiſſum; licet alia favoris & auxilii Cœleſtis indicia, boni eventus omina, quæ ſibi nuper acciderint, non reticeat. Certior longè & conſtantior fama eſt de Timoleonte, ad Syracuſanos Tyrannide liberandos à Corinthiis miſſo, cui cum *undecim* navium claſſe Jonium Sinum trajicienti, *παράδοξον* hoc boni ominis ſignum obtigiſſe, narrat Diodorus Lib. XVI. p. 545. *Δι' ὅλης γὰρ τῆς νυκτὸς προηγεῖτο λαμπὰς καομένη κατὰ τὸν οὐρανὸν, μέχρις οὗ συνέβη τὸν στόλον εἰς τὴν Ἰταλίαν καταπλεῦσαι· Per totam enim noctem* ARDENS IN COELO FAX ITER FACIENTEM PRÆCESSIT, *uſque quò claſſem ad Italiam appuliſſet.* Plutarchus in Timoleonte, p. 239. *Nocte cum in alto eſſet, & ferente vento uteretur, ἔδοξεν αἰφνιδίως ῥαγέντα τὸν οὐρανὸν ὑπὲρ τῆς νεὼς ἐκχέαι πολὺ καὶ περιφανὲς πῦρ· ἐκ δὲ τούτου λαμπὰς ἀρθεῖσα ταῖς μυστικαῖς ἐμφερὴς, καὶ τὰ ἑξῆς· viſum ei repente* COELUM FISSUM *ſuper navim copioſam effudiſſe & luculentam flammam. unde* FAX ELATA, *myſticis ſimilis, comitanſque eos & tenens eundem curſum, quam potiſſimum Italiæ partem gubernatores petebant, in eam eſt delata.*

III. *Columnam* hanc nostram verè typum fuisse alterius cujusdam rei præstantioris, ut ex ipsa Symboli *præcellentia* facilè præsumimus; sic ex aliis rationibus indubitatò colligimus. Primò enim patet ex diserto Apostoli testimonio, Israëlitarum
1 Cor. x. 6. eventa in Deserto consideranda esse ut *τύποι ἡμῶν typos nostri status & temporis*; Apostolo inter alia illius generis Symbola recensente hanc ipsam *Nubem*, sub qua Israelitæ *in Deserto* fuerunt; *Dein*, certum satis est & communi fide receptum, omnia illa alia Instrumenta, quæ Deus in gratiam & salutem Judaici Populi extra suetum naturæ ordinem produxit, per Divinam sapientiam adhibita fuisse ad res illustriores per eadem figurandas; ut sunt *Manna*, *Aqua ex Rupe*, *Moses ipse*, *&c.* Ad quę jam accedit, Scripturam ipsam, ubi agit de *beneficiis spiritualibus*, in Ecclesiam OEconomiæ Novæ conferendis, phrases modumque loquendi desumere ab hoc beneficio *Columnarum Nubis* & *Ignis*, à Deo in salutem Judæę Gentis creatarum. Unicum
Jes. iv. 5. sufficiat notare locum Jesaiæ: *Et creabit* Dominus *super omnes ejus Cœtus*, Nubem *de die*, ועשן ונגה אש להבה לילה *& fumum atque splendorem* Ignis rutilantis *de nocte*. Quo in loco nemo negare possit, tum, insigne aliquod beneficium promitti Ecclesiæ Novi Fœderis; tum phrasin Dei apud Prophetam in hoc beneficio describendo desumptam esse à simili beneficio, quo Israëlitæ olim in Deserto per Divinam clementiam gavisi erant. Cujusmodi phrasin ubi videmus à Spiritu S. adhiberi, *primò* quidem facilè nobis in mentem venit inter utrumque illud *Beneficium* & *Beneficii Auctorem* comparationem instituere; *dein* etiam cogitare & credere, duas has res ita ad se mutuò per Divinam sapientiam ordinatas fuisse, ut verè apud Israëlitas una alterius typum & figuram ex Divino Consilio gesserit.

IV. Quid verò per *Columnam Nubis* & *Ignis* significatum figuratumque fuerit, nemini, in his Sacris mediocriter versato &
Rom. x. 4. ad rem ipsam seriò attendenti, obscurum esse potest. *Christum*, ait
Col. ii. 17. Apostolus, *esse* τὸ τέλος τοῦ Νόμου Finem Legis, & *σῶμα* Corpus omnium cæremoniarum antiqui illius Fœderis. De Christo itaque cogitandum est qui Christum amat, si in illustri Symbolo Veteris OEconomiæ Figuram quærere velit & debeat Rei ex-
1 Cor. i. 24. cellentioris. Christus Jesus est ἡ σοφία Θεοῦ *Sapientia Dei: quia*

omnium

omnium rerum olim in Eccleſia geſtarum & dehinc gerendarum ratio Deo conſtat in Filio ſuo, Chriſto Jeſu. Quare ſi quid fortè mirandum & notabile occurrat in Verbo Dei: ad Chriſtum tanquam ad Centrum Divinæ Sapientiæ confugiendum: de ipſo cogitandum eſt. Præterquam quod Apoſtolus, Res, 1 Cor. x. 1, 2, 3.
quę Iſraelitis in Deſerto *typorum* inſtar evenerunt; quas inter *Baptiſmum* per *Mare* & *Nubem*; declaraturus, nos rectà ducat ad Chriſtum, utpote cujus *mortis*, *reſurrectionis*, & *vitæ* communio Chriſtianis tum hoc tum aliis Symbolis adumbrata fuerit.

V. Quæ ſi ſtudioſo ſcrutatori myſticæ ſignificationis *Columnæ* noſtræ hactenus non ſatisfaciant: non diffido tamen me aſſenſum ipſius facilè impetraturum, ſi ſuas de hoc argumento meditationes, meo ductu, hunc in modum inſtituerit.

VI. Si quę Res alia per *Columnam Ignis* à Deo figurata fuerit, ut jam ſuppoſitum probatumque eſt: de tali *Re*, vel *Perſona*, cogitare oportet, tum in qua omnes illæ Proprietates ſecundum excellentiſſimam rei veritatem clarè demonſtrari poſſunt, quibus *Nubes* & *Ignis* à reliquis Corporibus Univerſi diſtinguuntur; tum præcipuè à qua Eccleſia Chriſti ſimilis generis commoda, licet excellentiore modo, percipit, ac Iſraëlitæ perceperunt ex *Columnis Nubis* & *Ignis*. Quis itaque eſt τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ *Effulgeſcentia Gloriæ Dei*? De quâ *Re* aut *Perſona* ex vero prædicari poteſt, quod *Gloria Jehovæ* in ipſa conſpiciatur; quod ipſa *Lux* ſit Mundi & Eccleſię; quod Eccleſiam, in Mundo oberrantem, ducat, regat, muniat, atque defendat; illam protegat adverſus æſtum & in æſtu graviſſimarum calamitatum, & in tenebris errorum atque cupiditatum hujus vitæ colluſtret; quod iidem Eccleſiæ ad inſtar *Columnæ erectæ* viam monſtret in Cœlum, & in illius gratiam Cœlum quaſi Terræ uniat; quod Deus *per ipſam* cum Eccleſia, quam in terris habet, *loquatur*; quod item per ipſam *mundum judicet*; cui, inquam, hæc prædicata ſingula alii Perſonæ in majore emphaſi conveniant quam Filio Dei, Chriſto Jeſu, ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ Heb. xii. 2.
τῆς πίστεως ἡμῶν, qui tanquam *Lux Mundi* & *Dux* atque *Præſidium* 11. 10.
Populi ſui, electis *præit* & *monſtrat* viam æternæ felicitatis?

VII. Ad quę jam accedit, quod ex ipſo Moſe quàm clariſ-

ſimè liqueat, ***Nubem*** & ***Ignem*** fuiſſe veluti ordinariam ***Sedem*** Angeli Jehovæ; qui ſe hoc Symbolo Iſraëlitis manifeſtare voluit, ut ipſum pro ſummo ſuo Duce & Imperatore agnoſcerent atque venerarentur. *Angelus Jehovæ* in *Igne* & *Nube* quaſi *habitavit*. Sic nempe apud ipſum Moſen legimus; cum Ægyptii Iſraëlitas in-
Exod. XIV. ſequerentur; מלאך האלהים Angelum Dei, ההלך לפני מחנה ישראל
19. *antecedentem Caſtra Iſraëlitarum, retroceſſiſſe in tergum Caſtrorum*; ſimul עמוד הענן Columnam Nubis, quę in Principiis Caſtrorum fuerat, *ſe convertiſſe ad extrema.* unde clarum eſt, ***Nubem*** de die & *Ignem* de nocte fuiſſe Symbolum Præſentię ***Angeli Jehovæ***: qui cum ipſe per ſe videri non poſſet: in hoc Symbolo ſe manifeſtare & proin per id ſignificari voluit. Pertinet eodem quod
Exod. XXIII. Deus in ſequentibus Judæo Populo pollicetur: ***Ecce ego mitto***
20. מלאך Angelum *coram* (ante) *te, ut te cuſtodiat in via, & ut te ducat in locum illum, quem præparavi. Cave tibi ab eo, & obtempera illi, ne ipſum exacerbes, &c.* Pollicetur Deus hic Iſraëlitis *Angelum* aliquem inſignioris notæ tanquam ***Ducem*** & ***Imperatorem***, qui viam illis ſterneret in Palæſtinam. Videbant intereà *Nubis* & *Ignis Columnam* Exercitum præcedentem. Unde quid rationi convenientius cogitare potuerunt, quàm ***Columnam Nubis*** & *Ignis* Symbolum eſſe *Angeli* illius, quem Deus ipſis viæ Ducem & Imperatorem promiſerat? ***Angelus*** autem ille ***Jehova*** non fuit de illo Angelorum genere, quos Scriptura vocat πνεύματα λειτουργικά. Fuit ipſe *verus Jehova*. Alibi enim exertè dicitur ipſe
Exod. XIII. Jehova ſe manifeſtaſſe in *Nube*. Verba Moſis: ***Et*** Jehova ***an-***
21. ***tecedebat ipſos in Columna Nubis*** & ***Ignis***. Columna itaque Nubis
Confer Deut. & Ignis fuit Symbolum, Sedes, & משכן ***habitaculum*** (ut à Judęis
XXXI. 15. Scriptoribus vocata eſt:) illius *Angeli Jehovæ*, qui ſimul eſt ***Jehova***. Is verò eſt ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ: *Unigenitus Dei Filius*. Hic eſt
Gen. XLVIII. ille *Jehova*, qui ut *Jacobum* olim ***ab omni malo vindicaverat***; ſic
16. Jacobi poſteros exertâ manu ex Ægyptiaca ſervitute non abſque ſanguinis pretio ***redemerat***. Agnitum id jam à Doctoribus primorum Chriſtianiſmi ſæculorum, Juſtino, Tertulliano, Cypriano; & qui inter Judæos Commentatores maximam laudem meriti ſunt, non procul ab hac veritate abfuerunt, ut à Buxtorfio
Hiſt. Arc. Fœd. Cap. XIV. eruditè evictum.

VIII. Chriſtus autem Dominus per ***Imaginem Nubis*** & ***Ignis*** ſolum-

solummodò adumbratus est secundum *Naturam* ejus *Divinam*. quod etsi ex sequenti nostra tractatione clarissimum sit evasurum: hic tamen explicitè præmonendum duxi, quia non pauci inter Interpretes Rerum Divinarum in diversa abeunt. Symbolum quidem *Nubis* & *Ignis* fuisse figuram *Christi*, omnes ferè concedunt. sed *Christi*, ut illi existimant, secundum *utramque ejus Naturam*. *Ignem* Divinæ, *Nubem*, *Ignem* circumdantem, Symbolum fuisse volunt *Humanæ*, quæ Divinitatis Christi gloriam quasi texit. Speciem id præfert, etiamsi haud dubiè aliter se habeat. *Ignis* utique *Nube* circumdatus, de quo nos agimus, idem significet oportet, quod *Nubes*, *Arcæ Fœderis* incumbens & super eandem residens. *Nubes* verò, quæ super *Arcam* resedit, *Ignem* pariter inclusum habens, Symbolum fuit *solius Naturæ Christi Divinæ*, quæ *Humanæ*, per *Arcam* demonstratæ, arctissimè unita fuit. Sic ubi accidit, ut *Nubes* integrum *Templum* aut *Tabernaculum* impleverit: per *Templum* & *Tabernaculum* intelligenda est tum *Humana* Christi *Natura*, tum mysticùm Christi Domini Corpus, hoc est, Ecclesia. *Nubes* verò, *Ignem* complexa rutilantem, Symbolum erit *Divinæ Naturæ* τȣ̃ Λόγȣ, tam suum *Corpus*, hoc est, *Naturam* suam *Humanam* quàm Corpus suum mysticum, h. e. *Ecclesiam* inhabitantem. Sic Joannes: SERMO *Ille caro factus est*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν & HABITAVIT *in Nobis*, *tanquam in Tabernaculo*. Tam *Christus Homo*, quàm *Nos*, Exod. XX. 1, 2.
quà homines sumus, hic venimus ut ἀντίτυπον *Tabernaculi*, *in quo* & *super quod* olim *Gloriosa Nubes* habitabat & residebat. *Nubes* itaque illa, *Ignem* complexa, tantum repræsentat Christum Cap. 1. 14.
quà Λόγον. Quò item alibi Joannes æquè manifestò alludit. Plura addi possent, nisi omninò judicarem hæc sufficere verum absque præjudicio inquirenti.

IX. Quod si igitur certum & extra dubitationem positum sit, per *Columnam Nubis* & *Ignis* symbolicè figuratam esse *Secundam* S. Trinitatis Ὑπόστασιν, Filium Dei: id nobis nunc gnaviter agendum est, ut ἀναλογίαν, quæ inter utramque hanc rem intercedit, *Typum*, inquam, & *Antitypum*, ostendamus. Quod hoc ordine, nisi fallor, commodissimè exequemur, si *primò* demonstremus *Ignem*, *Nube* circumdatum, *absolutè* & *in se* spectatum, esse illustre Symbolum Divinæ Christi Naturæ: *Secundò*, idem

idem illud Symbolum Chriſtum clariſſimè repræſentaſſe in *σχέσει* ad *Eccleſiam*, ratione *Officiorum*, quę Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præſtat: *Tertiò* denique, *Nubem* & *Ignem* Chriſtum figuraſſe *tanquam* COLUMNAM. De ſingulis diſtinctè, &, quantum fieri poteſt, conciſè.

X. Quod itaque ad *primum* attinet: quando *Ignem*, *Nube* circumdatum, *abſolutè* & *in ſe* ſpectamus, abſque reſpectu peculiarium illorum *Uſuum*, quos Iſraëlitæ inde acceperunt, exhibet menti noſtræ inſigne Symbolum *Divinæ Chriſti Naturæ*; ſive illam ſimpliciter conſideremus, quà *Perſonam Divinam*; ſive quà *Perſonam Divinam*, ſe manifeſtantem in *OEconomia Gratiæ*; ſive ſpeciatim, quà *Perſonam τῦ Λόγυ*, ſe manifeſtantis in Carne, ad exequendum æternum Gratiæ Conſilium.

XI. *α.* *Ignis*, *Nube* circumdatus, verè eſt inſigne ſymbolum *Dei veri*, ac proin *Chriſti* quoque, quatenus verę Divinitatis particeps eſt cum Patre & Spiritu S. In præcedentibus enim demonſtratum dedimus, Deum, ubi ſymbolo quodam externo homines de præſentia ſua commonefacere voluit, creaſſe *Ignem*, in *Nube*, aut *Fumo*, rutilantem. Quod non egiſſet Deus, niſi homines docere voluiſſet, *Ignem*, *Nube* tectum, externum quoddam inſtar & ſymbolum eſſe *Divinæ Naturæ*. Operę pretium eſt rem propius cognoſcere, & declarare.

XII. Paulus teſtatur in priore ad *Timotheum* Epiſtola, *Deum*
1 Tim. VI. 16. οἰκεῖν φῶς ἀπρόσιτον LUCEM HABITARE INACCESSAM. *neminem mortalium illum vidiſſe*, *neminem videre poſſe*. h. e. eſſe Deum *ὑπόστασιν*, cujus eminentiſſimæ virtutes, cujus gloria & majeſtas, aliquatenus quidem, ſed non *perfectè*, aut, ut loqui amant, *adæquatè*, à mortalibus intelligantur. Idem ſana ratio tanquam quod clariſſimum eſt, docet & arguit. Id verò cum Deus velit ut homines de ipſo cogitent & intelligant: *Ignem*, *Nube* tectum, ſed tamen per *Nubem* ſplendeſcentem, ſui quoddam ſymbolum & imaginem conſtituit. (a) Apoſtolus, id de Deo ſcribens, abſque omni dubitatione ad ipſum illud *Symbolum*, de quo nos nunc

(a) David Kimchi ad verba Jeſaiæ, Cap. IV. 5. *Nubem* (creabit Dominus,) *de die*, & FUMUM *ac* SPENDOREM IGNIS RUTILANTIS *de nocte*, diſſerens de ſymbolo *flammæ*, Nubi, Fumo, & Caligini involutæ,

nunc agimus, respexit, idemque nobis paucis hisce verbis explicatum dare voluit. Quod enim dicit, *Deum* HABITARE *Lucem inaccessam*: phrasis manifestò desumpta est à communi loquutione Judææ Gentis illius temporis, quæ *Ignem* hunc, Nube tectum, vocare solebat τὴν שכינה / σκηνὴν, quasi tu Latinè dicas, *Habitationem Dei*. Imo potius, (quod non minus caussæ nostræ favet:) respexit Apostolus orationem Salomonis: *Jehova dixit*, לשכן בערפל HABITARE IN CALIGINE. Dixit autem id Salomo, quo tempore ענן NUBES *Templum replebat*, IGNEM nimirum, qui ibidem כבוד יהוה GLORIA JEHOVÆ vocatur, circumdans. *Ignis*, *Nubi* conjunctus, erat *habitatio Dei*: h. e. *Symbolum Divinæ Præsentiæ*, quo se Deus Israëlitis *ordinariò* solitus erat manifestare. Est itaque Deus *Lux*, sed *Lux inaccessa*, habitans *Nubem*, sive *Caliginem*.

Apoc. xxi. 3.
1 Reg. viii. 12.
Vers. 10, 11.

XIII. Videlicet Symbolum hoc Divinæ Præsentiæ constabat duplice materia, quarum hæc *Ignis*, illa *Nubes* dicitur. *Ignis* autem cum fuerit non tam *urens*, quàm *lucens* & *rutilans*, sic tamen ut *Ignis* speciem præferret: tria nobis per *Ignem* exhibentur, ad quæ in declarando mysterio hujus symboli attendendum est; *Lux*, *Fulgor*, & *Ignis*. Exprimuntur illa in Loco *Jesaiæ*, modò notato, distinctè suis nominibus; נגה Lux, להבה FULGOR, אש IGNIS. Quid singula in Deo significent, nunc videndum.

Jes. iv. 5.

XIV. *α*. נגה Lux est symbolum *Divinæ Naturæ* tam elegans quàm obvium in Verbo Dei. Ὁ Θεὸς φῶς ἐςὶ DEUS LUX EST, inquit Joannes. *Lux* nempe est *Congeries Corpusculorum*, quæ indesinenti & celerrimo motu agitantur. Quæ corpuscula cum sint ejusdem generis: *Lux* videtur unum esse Corpus simplex & uniforme. Oculos autem nostros, & per Oculos men-

1 Joh. i. 5.

 tem,

volutæ, & secundùm id quod dicitur: ענן וערפל סביביו NUBES & CALIGO *circum ipsum*; hæc adscribit: והוא משל על השגת אמתת האל שלא תושג על האמת כי לא יראני האדם וחי אפילו חיות הקדש לא ראין אותו *Estque symbolum, respiciens veram perfectamque apprehensionem Dei, quem nemo secundùm essentiæ ejus veritatem perfectè apprehenderit. Non videbit me homo qui vivit. Ne quidem animantia Gloriæ vident illum*. Confer Maimon. de *Fund. Leg*. Cap. 1. §. IX. X. *More Nev*. Part. I. Cap. LXIV. Cosri, Part. IV. §. III. p. 278.

Exod. xxxiii. 20.

tem, illo ſuo motu eum in modum afficit, ut à nobis *videatur*, & *per eam* videantur & diſcernantur alia omnia, quorum cognitio à ſenſibus externis dependet. Quæ ad Deum relata nos docebunt, Deum eſſe. a. Ens *Actuoſiſſimum*, quippe perfectiſſimè cogitans. b. *Simpliciſſimum*, quod nihil in ſe habet non conſummatè perfectum; cujus ſummæ perfectioni nihil addi, nihil detrahi poteſt. c. Principium omnis *veritatis*, quod ab omnibus quotquot ſunt mortalibus quàm primum *oculos mentis aperiunt*, h. e. *animum ſuum advertunt*, cognoſcitur: abſque cujus cognitione nulla veritas intelligitur, cujus ope contrà omne verum cognoſci poteſt. Deus cognoſcitur primus & ultimus: ante ipſum nihil: per ipſum omnia. d. Ens puriſſimum & ſanctiſſimum: h. e. ſibi conſtans & uniforme in omnibus ſuis actionibus. Cum ipſe ſolus conſummatè perfectus ſit: ſe ſolum ipſe amat intenſiſſimè. Hinc omnia ad honorem ſuum dirigit. Dicta & Opera ejus omnia teſtantur de ſumma ejus perfectione. id ipſum, quod nos puritatem ſanctitatemque Dei vocamus.

XV. β. לזהרה Fulgor illius Lucis, quæ in Nube radiabat, illuſtre Symbolum eſt Divinæ Gloriæ. ut paſſim *Ignis*, in Nube rutilans & ſplendens, Gloria Jehovæ dicitur. Quando per Gloriam Dei, ſecundum ſtylum S. Scripturæ, intelligimus *excellentes Dei Virtutes*, *quatenus illæ in Operibus Dei demonſtrantur Creaturis intelligentibus*. *Gloria* enim *Dei* non notat ſimpliciter *Excellentiam Dei*, quæ oritur ex ſumma ejus perfectione, ſed vel maximè *illius Excellentiæ* ἔνδειξιν *demonſtrationem*, quæ
Jeſ. xl. 14. fit Creaturis intelligentibus; ut apud Jeſaiam: ונגלה כבוד יהוה *Et revelabitur* Gloria Jehovæ. ſumma Dei præcellentia demonſtrabitur. Illa verò ἐπίδειξις eminentium Dei virtutum egregiè figuratur per *ſplendorem Lucis* & *Ignis*. Ut enim nihil oculos noſtros fortius afficit, quàm *Rutilans Fulgor Ignis*; ſic nihil eſt in natura rerum, quod mentis aciem magis perſtringat ac vibret; quod homini, rationem ſuam in conſilium adhibenti, pulcrius & excellentius videri poſſit & debeat, quàm eminentiſſima illa Dei perfectio, quæ relucet in omnibus Dei Operibus. Quocunque ſe convertit, detegit ſummam *Sapientiam*, *Potentiam*, *Providentiam*, *Bonitatem*, *Juſtitiam*: ex quibus cum de aliis Dei Virtutibus facilè præſumat; fieri nequit quin rapiatur in admirationem

nem *summa Dei præcellentia* præ omnibus aliis, quotquot sunt in mundo, rebus. *Cœli enarrant* כבוד אל GLORIAM DEI FORTIS. Psal. xix. 2.

XVI. γ. אש IGNIS est speciatim Symbolum quoddam Divinæ *Sanctitatis* & *Justitiæ*, quâ crimina & delicta hominum prosequitur & in iis per animadversionem pœnæ glorificari vult. *Ignis* nempe in *Nube* rutilans speciem prætulit *Ignis consumentis*. Sic ipse Moses de Deo se manifestante in Horeb: *Et aspectus* GLORIÆ DOMINI כאש אכלה *instar* IGNIS CONSUMENTIS, *in fastigio montis*. Exod. xxiv. 17. Ignem verò consumentem emblema esse Dei Legum suarum transgressionem justè vindicantis, liquet ex multis notabilibus S. Scripturæ testimoniis, in quibus *Deus* cum respectu ad vindicias suæ gloriæ per pœnam de transgressore Legum ipsius sumendam, *Ignis consumens* dicitur. Exemplum rursus peto ex ipso Mose, Israëlitas hac de re edocente: *Nam Jehova Deus tuus* אש אכלה הוא *est* IGNIS CONSUMENS: *Deus zelotes*. Deut. iv. 24. Jes. xxxiii. 14, 15. Paulus Apostolus in eundem sensum: Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. Heb. xii. 29. Homo qui Deum sceleribus suis graviter offendit, nec habet quo Dei iram placet ad reparandum honorem Dei per peccata læsum, est *instar materiæ ustilis*, quę sustinere nequit ignis præsentiam & proximitatem: Deus autem, stylo Scripturæ, *homini* se dicitur *admovere*, quando ut Judex justus in statum & facta ejus inquirit, propius eadem cogniturus & inspecturus. Quod ubi fit: pereat necesse est quem deprehendit impœnitentem, spreto remedio gratiæ. Deus enim intensissimo zelo persequitur gloriam suam. Quæ cum læsa sit ab homine per commissum crimen: vult illius vindicias. Vindicias autem consequi non potest ab impœnitentibus, qui Christum ut ἱλασμὸν τῆς ἁμαρτίας ignorant, nisi per pœnam, de illis sumendam. Ad puniendum enim cum Deo non magis desit potentia quam voluntas; fit impœnitenti & non credenti in Christum *Ignis consumens*. Paucis dicàm; quod *Igneum* fuit in Nube adumbravit *Deum*, *quatenus in ipso intelligimus inesse intensissimam voluntatem vindicandi gloriam suam, à creaturis intelligentibus læsam*. Id ipsum quoque *Ignis* in altari conservandus, vel quibusdam casibus de cœlo demissus, significavit. Nec aliò referendum videtur quod *Bacchus*, qui Gentibus veniebat nomine *Igniti Dei*,

ti Dei, ab iis dictus sit *Attes* & *Hyes*, h. e. אתה אש *Tu es Ignis*: הוא אש *Ille est Ignis*, observante Bocharto.

Geograph. S. Lib. 1. Cap. XVIII.

XVII. δ. In hoc Symbolo contemplanda venit ענן Nubes, cui *Fulgor Ignis Rutilantis* & splendorem acrem ejicientis quasi involutus fuit. Per quam quid significatum fuerit, si hoc Symbolum in genere ad Divinam Naturam referatur; modò jam anticipatum est. Deus habitat *Lucem inaccessam*. Homines, licet aliquas Dei perfectiones & virtutes cognoscant & ex Divinis Operibus perspiciant; non tamen inde intelligunt omnes. Illæ etiam ipsæ Perfectiones, quas Deo percipiunt inesse, non tam clarè & explicatè ab ipsis intelliguntur, ut nulla in conceptu illo sit obscuritas, nulla perceptionem ipsorum obscuret nebula. Quod Deus *necessariò* & per suam sufficientiam existat & subsistat; quod ita ab æterno sit ut existentiæ ipsius durationem nulla mensura temporis æquare possit; quo modo Mens Divina, à materia Corporum & Mentium finitarum distinctissima, omnia tamen accuratissimè intelligat & intimè pervadat; quæ Deo consiliorum suorum ratio constet pluribus in eventibus, quorum fines à nobis nequaquam cognoscuntur: nemo mortalium adsequitur. Sic *Lux* est Deus, sed veluti *Nube* tectus. *Gloriam* ejus per multa, quæ nobis obscura sunt, *splendescentem* videmus; sed Deum ita non cognoscimus ut cognoscendo exhauriamus. Macrobius: *Plato cum de τ' ἀγαθῷ loqui esset animatus, dicere, quid sit, non est ausus*: HOC SOLUM DE EO SCIENS, QUOD SCIRI QUALE SIT AB HOMINE NON POSSET. *solum verò ei simillimum de visibilibus* SOLEM *reperit*. Nos omninò *audemus* dicere, & possumus dicere ex Lumine Conscientiæ, *quid sit Deus*. Verum tamen est, nos omnem Dei perfectionem non assequi. *Deum nemo vidit unquam*, inquit Joannes. & Deus ipse hoc eodem sensu *se ab homine mortali videri non posse*, dixit.

In Somm. Scipion. Lib. 1. Cap. II.

Joh. I. 18.

Exod. XXXIII. 20.

Caput

CAPUT XVII.

FACEM IGNEAM *præcipuè figuraſſe* FILIUM DEI, *quatenus ſe manifeſtum faceret*, *& fecit in* OEconomia Gratiæ, *tam Iſraëlitis, ab hoc* Angelo *ductis, rectis, defenſis, quàm vel maximè Eccleſiæ Novi Fœderis, quæ* gloriâ ejus obumbratur, *ut* Doctoris, Regis, Mediatoris, *inſtar* Columnæ, *à terra in cœlos protenſæ, terram cœlis jungentis; diſtinctius exponitur, variiſque meditationibus, ex natura Symboli, cum re figurata comparati, & Doctrina Scripturæ, illuſtratur. In his obiter quoque declaratur, cur Moſes ad* poſteriora Dei *videnda admiſſus ſit*; à fronte Deum videre & contrà intueri, *illi ſit negatum.*

IDem tamen hoc Symbolum multò adhuc luculentius & elegantius DEO convenit, QUEMADMODUM SE MANIFESTAT IN OEconomia Gratiæ. Utique æquum eſt ſentire, talem ſe Deum per hoc Symbolum prodidiſſe Iſraëlitis, qualis cognoſci voluit ab Abrahami poſteris. Ab Abrahami poſteris verò cognoſci voluit, ut ſe ipſe Abrahamo revelavit, tanquam Deum *Gratiæ* & *Clementiæ*, exercendæ erga poſteros Abrahami & Gentes in *aliquo Abrahami Semine*, h. e. Chriſto. Ergo videamus, quemadmodum hoc Symbolum ipſi *hoc reſpectu* commodiſſimè aptari queat.

II. 1. Certum eſt, Deum ſe in *OEconomia Gratiæ*, (inprimis in OEconomia Novi Fœderis, quæ κατ' ἔμφασιν OEconomia Gratiæ dicitur:) manifeſtare ut LUCEM. α. Cum homines, voluntate atque affectu à Deo alienati, prolapſi eſſent ad turpiſſimam Dei ignorantiam; falſa paſſim foverent de Divinitate præjudicia; plurimis obſeſſi eſſent erroribus: *Deus verus* ſe ipſum, *quis ſit*, & *quæ vera* ad ſuam communionem & æternam felicitatem *via* ſit, quæ vera ſe colendi ratio, Abrahamo ejuſque poſteris, dein Gentibus ſub Novo Fœdere, (de quo mox:)

declaravit. *Verba sua dedit Jacobo, statuta sua Israëli.* Elegans il-
Exod. x. 23. lius emblema extitit in tenebris Ægyptiacis: *Fuerunt tenebræ caliginosæ in tota Ægyptiorum regione tribus diebus.--- At* OMNIBUS ISRAELITIS ERAT LUX QUA PARTE HABITABANT. Israëlitæ soli collustrati erant lumine veritatis & gratiæ; soli instructi cognitione veri Dei, & veræ ad æternam felicitatem viæ. Gentes omnes, quotquot sunt extra communionem Ecclesiæ, sunt in tenebris. β. Cum Deus Ecclesiæ tam Veteris quam Novæ OEconomiæ exposuerit *Consilium exercendæ gratiæ*: simul illam instruxit multò clariore & solidiore Divinitatis cognitione, quàm haberi potest per Naturam. Hoc enim cognito & intellecto multa intelligi possunt, ad quæ quotquot ignari sunt hujus Propositi Gratiæ, stupent. Quo modo Deo convenire possit, humanum genus, vitiis immersum, conservare; quem in finem improbissimos etiam & scelestissimos peccatores toleret, & quæ hujus generis sunt alia: eorum multa quomodocunque assequimur ex hypothesi *Consilii Pacis*, in quibus absque illa hypothesi cognita cæcutiremus. γ. Cum omnis Dei cognitio terrorem incutiat, saltem molesta sit, Peccatori; hæc demum cognitio Dei, quâ Ecclesiæ innotuit, per expositum declaratumque illud Clementiæ exercendæ Propositum, *Lux* sit peccatori resipiscenti.
Ps. lxxxiv. 12. h.e. adfert illi solidam Lætitiam. *Jehova Deus est Sol. Dat gratiam & gloriam.* Reliqua, quę huc adferri possent, omitto. Suffecerit animi mei sententiam ob materiæ ubertatem paucis indicasse.

III. 2. Deus in *OEconomia Gratiæ* singulari ratione demonstrat GLORIAM SUAM, quam per Lucis in Nube rutilantis *Fulgorem* designatam esse dixi. Sapientia, Potentia, Libertas, Justitia, Bonitas, & quę hisce similes sunt Dei virtutes, multò clarius intelliguntur in Ecclesia, quàm in Mundo. Has aliasque suas virtutes demonstrat quoque Deus luculenter in usum & commodum Ecclesiæ. Inde magnum Deo decus, magna Divinæ excellentiæ existimatio. Imprimis verò Deus summam excellentiam suam æstimari voluit ab hominibus ex illis *Virtutibus*, quas speciatim demonstrat in executione *Propositi Sæculorum*, *quod fecit in Filio*; *Gratiæ*, nimirum, *Misericordiæ*, *Longanimitatis*, *Veracitatis*, *summæ* item *Clementiæ* & *Justitiæ*, quas ipse, GLO-

RIAM

RIAM suam Mosi revelaturus, de se prædicat. *Gloria Dei* summa est quod *gratiam* & *misericordiam exercere* possit erga Peccatorem, in *Christo*; quod summum esse *bonum* possit & velit non hominis modò recti, sed & peccatoris resipiscentis. Qua de caussa id ipsum, quod GLORIA DEI vocatur, ibidem dicitur טוב BONITAS DEI. Ex his virtutibus potissimum vult Deus ut Creaturæ Intelligentes suam summam perfectionem & excellentiam colligant. Quas *Virtutes* suas cum exposuisset Israëlitis: inter illos extare voluit aliquod *Gloriæ* suæ *Symbolum*. Exod. XXXIII. 22. Ibid. vers. 18, 19.

IV. 3. Quis nescit etiam aut neget, Deum se in Ecclesia singulari quâdam ratione manifestare ut PECCATI VINDICEM *in impœnitentibus*? quod per *Ignitum* illud, quod in Nube splenduit, indicatum esse, notavimus. Deus ita præstat Gratiam Resipiscentibus & Credentibus in Christum, ut simul declaret *sontem se non habiturum esse pro insonte, sed animadversurum delicta Patrum in Filiis usque in tertiam & quartam ætatem.* Dominus Jehova ut est admirandus in exercitio Gratiæ; (רב חסד) sic præstat *se* נקם לצריו VINDICEM *Hostibus suis.* Quam suam virtutem etsi sæpè Deus Israëlitis per Mosen exposuerit; etsi variis quoque argumentis suam illam severitatem iisdem demonstraverit; vix potuerunt tamen eo adduci ut hanc Dei notionem animis suis infigerent, & hac parte eum contemplati venerarentur. Peccatorum veniam consequuti per *Divinam Gratiam* ad intercessionem Mosis, novorum se criminum identidem reos fecerunt, donec tandem, obseptâ viâ Gratiæ, omnes præter Josuam & Calebum per *Divinam severitatem* occubuerint in Deserto. Sic Deus se inter Israëlitas manifestavit ut אש *Ignem*, scelerum Vindicem, אל קנא *Deum Zelotem.* Exod. XXXIV. 7. Nah. I. 2. Jos. XXIV. 19.

V. 4. Quod verò *Rutilans* hic *Fulgor* involutus fuerit Nubi: id à nobis, mysterium hujus rei in *OEconomia Gratiæ* investigantibus, vel referri potest ad *Lucem* & *Fulgorem*, vel ad *Ignem*. Si ad *Lucem* & *Fulgorem* referatur; significare poterit, Deum, etsi in OEconomiâ Gratiæ aliquas excellentissimas virtutes suas demonstret, non tamen omnes omninò ita demonstrare, ut de Divina Natura & Operibus Dei cogitantibus nihil amplius obscurum sit. Imo verò in ipsa Gratiæ OEconomia Deus solummodò cognoscitur *à Tergo*, quomodo se Deus Mosi *videndum* Exod. XXXIII. 23.

Liv. Lib. 1. Cap. xvi. *dum* dedit. *contrà intueri Deum*, nefas. *Posteriora Dei*, si ipsum Mosen hac de re consulimus; sunt illæ Dei *Virtutes*, quæ hominibus in Creatione & Regimine hujus Universi, inprimis Electis in administratione Gratię, patefiunt: quod nimirum Deus *sit potens*, *sapiens*, *longanimis*, *clemens*, *misericors*, *promissis constans*, *veniam indulgens peccatori resipiscenti*, *non resipiscentes severè puniens*. Hoc est *Nomen Dei*. Ita cognosci, ita coli vult ab hominibus. Quo modo qui Deum cognoscit; is *videt* cum Mose *Posteriora Dei*. Deus enim Mosen præteriens & *Posteriora sua* illi videnda exhibens, hoc suum *Nomen*, sive, hasce suas *Virtutes*, de se sonorà voce prædicavit. Verum sunt aliæ quædam *Dei Perfectiones*, quæ nobis de Divina Natura *ordine* cogitantibus *primo* & præ aliis occurrunt, in quibus hæremus. Quando enim ex Natura & Gratia intelleximus Deum existere: hoc *primum* in mentem venit cogitare & quærere, quodnam sit *Existentiæ Divinæ Principium*. Nihil hic occurrit præter summam *Perfectionem* excellentissimæ Dei *Naturæ*. Quod etsi ex vero de Deo prædicetur: à nemine tamen mortalium, ne quidem in Gratiæ OEconomia, intelligitur. Ita sanè Deus se ipsum perfectè cognoscit. Hæc est *facies*, hæc sunt *Anteriora Dei*. Sic videmus in ipsa Gratiæ OEconomia Deum quasi *circumvolutum Nube*. Quod si verò *Nubes* referatur ad *Ignem*, veluti illius quoddam temperamen æstus: significabit, *Justitiam* Severitatemque Dei, cujus Symbolum fuit *Ignis*, temperatam esse *Gratia*. *Nubes* nempe est quid quod intervenit inter *Ignem* & *Hominem*, ne Homo ab *Igne*, in Nube ardente, consumatur. Illa autem Virtus in Deo *Gratia* & *Clementia* dicitur. Quod Deus omnes peccatores severitate sua extemplò non interimat; *Gratiæ* & *Longanimitatis* est. Est itaque *Ignis* veluti *Nube* tectus. Et sic maximè se contemplandum præbet in OEconomia Gratię.

VI. Quandoquidem verò Deus omne id quod est & fit Peccatori resipiscenti & credenti, est & fit in *Filio* suo, Christo Jesu, qui aliquando inter Homines apparuit: liquet sanè, hoc Symbolum speciatim figurasse IPSUM DEI FILIUM., Christum *quà* Λόγον, quemadmodum Filius ille Dei aliquando inhabitaret *Tabernaculum* aliquod inter Homines, hoc est, tam Naturam suam Humanam, quàm Corpus aliquod suum mysticum, quod

Eccle-

Eccleſiam vocamus. Cum enim Symbolum Divinæ Gloriæ & Gratiæ à nobis præcipuè conſiderandum ſit in σχέσει ſua ad Tabernaculum & Iſraëlitas; *Tabernaculum* autem & *Iſraëlitæ* typum geſſerint tum *Humanæ Chriſti Naturæ* tum *Eccleſiæ Novi Fœderis:* oportet utique id myſticè interpretari de Chriſto ut Λόγῳ, quemadmodum ſe manifeſtavit in *complemento temporis*, in OEconomia Nova, per ipſum ſtabilita. Si itaque Chriſtus *quà Deus eſt*, & quidem *quà Deus*, *ſe manifeſtans in OEconomia Gratiæ*, cum *Patre* & *Spiritu* S. verè ſit *Lux* & *Ignis*, (qualem ſe eſſe demonſtravit per omnes Eccleſiæ OEconomias:) certum eſt, *has Virtutes Chriſti*, ut Λόγυ τῦ Πατρὸς, imprimis illuſtratas eſſe in OEconomiâ Novi Fœderis: quando *Filius Dei* inter Homines apparuit & non *typicè* amplius, ſed *verè* inter ipſos *tanquam in Tabernaculo* verſari cœpit. Videamus brevibus.

VII. α. LUCIDUM illud, quod in *Nube* fuit, indicavit, *Secundam Hypoſtaſin* Adorandæ Trinitatis eſſe, & aliquando ſingulari quâdam ratione manifeſtandam eſſe, tanquam τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων LUCEM HOMINUM. Sic ipſe Joannes Chriſtum ΛΟ'ΓΟΝ ſæpius vocavit in Evangelio, & quidem τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν LUCEM VERAM, oppoſitè ad omnem *lucem*, quâ Chriſtus, Filius Dei, in Natura aut Gratia adumbratus aut figuratus fuit. Docet autem Joannes, Chriſtum Λόγον ſe tum potiſſimum prodidiſſe ut *lucem*, quando *ipſe in mundum venit*. Unde ipſe Dominus apud eundem Joannem: *Quandiu in Mundo ſum, ſum* LUX MUNDI. Quicquid in OEconomia Gratiæ verum eſt de Deo, verum de ipſo eſt, quatenus ſe ipſum per Filium ſuum manifeſtavit inter homines. In ipſo Deus eſt factus ἀλήθεια. Cum autem *Lux* ſit emblema *Veritatis*; hinc Chriſtus ὁ Λόγος rectè dicitur *Veritas*. Chriſtus enim eſt ſumma quaſi & compendium *omnis veri*. Omne verum, in ipſo verum eſt. Ipſe quoque eſt *cauſſa omnis puritatis* ſive *ſanctitatis*, omnis rectæ cogitationis in hominibus. Ipſe unicus fons veræ & ſolidæ *lætitiæ*. Lætitia enim ſolida non datur in homine niſi quę conjuncta eſt cum certa conſcientia æternæ felicitatis. Illam verò nemo habet abſque commercio Chriſto Λόγυ, qui hominibus cauſſa æternæ felicitatis factus eſt per mortem ſuam. Sic Filius Dei eſt τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Eleganter & nervosè, ut ſolet, Coccejus: *Deus eſt lux, quia eſt,*

Joh. I. 4. & VIII. 12. IX. 5.

Joh. IX. 5.

Comm. in Joh. XIII. 20.

est, & non potest cogitari non esse; & ab ipso omnia habent esse & cognosci: & purus sanctusque est, quia non est in ipso mendacium & amor mendacii, & bonum hominis est, in quo solo potest acquiescere. Hæc de Christo dicuntur, quia est Deus, & in eo comparet veritas Dei, & omnis virtus Dei & gratia ejus. Mox de eo plura.

VIII. β. Fulgidum illud & coruscans, quod in *Nube* fuit, significavit τὴν Δόξαν τȣ̃ μονογενȣ̃ς Gloriam *Unigeniti* & *Naturalis Filii Dei*, quę demonstranda erat inter Homines cum Apparitione illius Λόγȣ in *Carne*. Joannes rem explanabit: Sermo *ille*, inquit, *Caro factus est, & vidimus* Gloriam *ejus, tanquam* Gloriam Unigeniti *à Patre*. Ὁ Λόγος manifestatus in carne, demonstratus est variis argumentis esse verus Dei *Filius*: proin, omnem habere perfectionem, quam *Pater*. Omnes illæ excellentes Perfectiones & Virtutes, quę in Deo vero insunt, demonstratæ sunt Deo inesse in *Christo* Jesu. Sapientia, Potentia, Gratia, Misericordia, Veracitas, Justitia Dei, aliæque his similes Dei virtutes, ex quibus diximus Deum *Gloriam* sive Excellentiam suam potissimum æstimari velle ab homine, vel demonstratæ sunt in Christo, vel exercitæ per Christum. Exercitæ autem à Christo quà ille est ὁ ΛΟΓΟΣ τȣ̃ Θεȣ̃. Sic Gloria *Dei* conspicua facta est in Christo Jesu, *in cujus facie Gloriam Dei* nos videre dicimur. Ob eandem rationem Christus Dominus cum respectu ad hoc nostrum Symbolum vocatur τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τȣ̃ Θεȣ̃ Effulgentia Gloriæ *Dei*. Ad quam phrasin illustrandam quę nobis aliunde observata sunt, præsens institutium non patitur adscribi.

Joh. I. 18. · 2 Cor. IV. 6. · Heb. I. 3.

IX. γ. Ignitum illud & *Candens*, quod *Nubes prætulit*, Symbolum fuit *Sanctitatis* & *Severitatis* Christi, qui impœnitentes impunitos non dimittit, sed gravissimis suppliciis castigat. Sic Deus de *sanctitate* sive *severitate Filii* sui, apud Mosen: *Cave tibi ab ipso*, (*Angelo*, in quo est Nomen Dei:) *& audientem te dicto ejus præbe, ne ipsum exacerbes:* כי לא ישא לפשעכם Quia non feret transgressiones vestras. Nec personam illam induit tantum Christus ὁ Λόγος sub OEconomia Vetere, sed & induit sub Nova. *Omne judicium illi à Patre exercendum datum est.* Mala omnia, quibus impœnitentes Dei hostes affliguntur; calamitates etiam, quibus Ecclesia castigatur in administratione OEco-

Exod. XXIII. 21. · Joh. V. 22. · Apoc. III. 20.

OEconomiæ Novæ, illis infliguntur à *Filio Dei*, hujus Univerſi Judice. Ut Chriſtus Dominus electis Credentibus eſt Sol, Vita, Cauſſa & Via æternę ſalutis & Felicitatis; ſic impœnitentibus & oblatam Gratiam negligentibus aut repudiantibus, *Ignis conſumens*.

X. *δ*. Quod autem *Lux* & *Ignis* ſe in Nubem induerint, aptè ſignificare poterit, a. Non omnem *Perfectionem Filii Dei* nobis revelatam eſſe in OEconomiâ Gratiæ. Eſt aliquid, quod de Deo à nobis non intelligitur, ut ſuprà evicimus. Id idem non intelligitur in Filio Dei. Eſt in ipſo quid *mirabile*. Quare hoc ipſi quoque datum eſt *nomen*, apud Jeſaiam. מה שם בנו *Quodnam eſt nomen Filii ejus?* meritò rogat *Agur*. Non omnis itaque *Gloria Filii* Dei videtur: neque omnis *Gloria Patris in Filio*: ſed illa tantum quę humanis perceptionibus ſubjacet. b. Gratiam & Clementiam Divinam, quæ per *Nubem*, *Ignem* temperantem, adumbrata eſt, in Chriſto Jeſu ampliſſimè demonſtratam eſſe. *Ignis*, qui in Deo & in ipſo eſt, per ipſum illum Chriſtum ΛΟ'ΓΟΝ tanquam per *Nubem* reprimitur, ne *nos conſumat*. In *Angelo Fœderis* eſt חמלה *Clementia*. c. Chriſtum Λόγον Gloriam ſuam ita hominibus eſſe revelaturum, ut tamen *aliquam ſuæ Gloriæ partem tegeret*. Sic egit Filius Dei. Induit humanam carnem, quæ videretur eſſe *caro peccatoris*. Nulla in ipſo ſpecies, nullum decus & ſplendor externus. Nec tamen *Nubes* ſic denotabit *Humanam Chriſti Naturam*: illa enim ſententia antea à nobis eſt rejecta: ſed *Modum*, quo Chriſtus ut Λόγος ſe hominibus revelare voluit.

Jud. XIII. 18.
Jeſ. IX. 5.
Prov. XXX. 4.
Jeſ. LXIII. 9.

XI. Hactenus Symbolum hoc Sacrum *in ſe* contemplati ſumus. Nunc itaque demum *Secundò* myſterium illius indagare, juxta ordinem nobis præſcriptum, liceat in σχέσει quam habuit ad Populum Judaicum, reſpectu Usuum, quos Iſraëlitæ inde perceperunt. Illi verò *Uſus*, ſive potiùs *Officia*, quæ hoc Symbolum Iſraëlitis præſtitit, ſunt vel *Generalia*, Nubi & Igni communia, vel *Specialia*, reſpectu peculiarium ſive diverſarum qualitatum *Nubis* & *Ignis*. *Nubi* & *Igni* communia fuerunt. *α*. Quod Iſraëlitæ in iis habuerint Signum Divinæ Præſentiæ. *β*. Illos duxerint in ſterili Deſerto Arabiæ in Terram Canaan. *γ*. Deus ex illis voluntatem ſuam Iſraëlitis expoſuerit.

rit. Peculiaria fuerunt, Nubi quidem; A. Israëlitas munire adversus æstum Solis. B. Protegere adversus Hostes. Igni. α. Illos de nocte collustrare. β. Hostes consumere. Quæ si ostendamus Christo Jesu convenire, ut absque magna opera ostendi potest: huic etiam parti satisfecerimus.

XII. Quod itaque *Primo* ad illa attinet Officia, quæ Nubi & Igni communia fuerunt, certum utique est, α. Credentes in *Christo Jesu* habere *illustre Symbolum Divinæ Præsentiæ. Sermo caro factus est, & inter nos habitavit.* Est inter Homines homo aliquis, in quo *Filius Dei* tanquam in Tabernaculo habitavit. Ab eo tempore dici potuit, *Habitationem Dei esse apud Homines.* Est enim *homo* aliquis, sive in terra sive in cœlo, cui Deus Gratiam & Gloriam ita conjunxit, ut cæteri homines in illo suum Pontificem, Regem, & Prophetam summum venerentur. Deus itaque est in homine, ac proin inter homines; & homines possunt *Deum* in homine venerari. Habent in τῷ Λόγῳ, Humanam Naturam inhabitante, Symbolum Divinæ Gratiæ & Gloriæ. & quidem Symbolum perpetuum, quod ipsis continuò obversatur. Hoc est magnum illud τῆς εὐσεβείας μυστήριον. β. Non minus clarè liquet, Christum Λόγον, Humanam Naturam inhabitantem & obumbrantem; ut *Nubes* & *Ignis* incumbere solebant Arcæ eamque obumbrare; Ecclesiam suam in hoc Mundo *ducere* & *perducere* ad æternam felicitatem. Supponimus autem hic, Israëlitas, Ægyptum egressos, in Deserto Arabiæ oberrantes, mysticè figurasse *Populum Electorum*, quem Christus Dominus sibi sub OEconomia Nova è communione Mundi & Diaboli vindicavit: *Desertum* Arabiæ typum esse *Mundi*, ut se Mundus habet eorum respectu, qui *Mundum* dereliquerunt: Illis enim est & fit Desertum sterile: *Canaanem* autem figuram gerere illius *Quietis* & *Felicitatis*, quam Deus electis in Christo Jesu paravit. Quæ cum difficultatem non habeant, nec facilè à quoquam in dubium trahenda sint: rei ipsi solummodò intentus ero. Christus itaque Dominus se quibusdam inter mortales *Du-*
Heb. II. 10. *cem* præbet. Quare vocatur ἡγούμενος *Dux*, & ὁ Ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς σωτηρίας αὐτῶν. Imprimis huc facit excellens quidam Locus Jesaiæ, in quo universum hujus rei mysterium nobis retegitur. Promittit Deus Ecclesiæ Novi Fœderis insignia beneficia

ficia spiritualia, desumptis loquendi modis à beneficio Columnarum Nubis & Ignis: *Non esurient & non sitient, nec percutient illos Æstus & Sol*; כי מרחמם ינהגם QUIA QUI ILLORUM MISERETUR, ILLOS DUCET. Quis autem Populi Dei *miseretur*, quàm qui eundem *ducit ad fontes aqnarum*? Magnus utique Ecclesiæ Pastor, Jesus Christus. *Ducit* autem Populum suum Dominus, tum monstrando & indicando *viam salutis æternæ*, tum eandem *praeundo*. Monstrat viam *Verbo* & *Spiritu*. *Verbo* quidem suo; cognitione veræ viæ salutis abundè Populum suum instruendo; *Spiritu* quidem, illos ad verum intellectum Verbi ducendo, & judicium eorum ad veritatem & pietatem flectendo. Utrique veluti instrumento Scriptura id adscribit. *Verbo* quidem eleganter apud Jesaiam: *Sic ait Jehova Redemptor tuus, Sanctus Israëlis: Ego Jehova Deus tuus doceo te, quid proficiat:* מדריכך DUCENS *te in viam quâ te ire oportet*. De *Spiritu* ipse Dominus: Ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν. Nec tamen aliam iis viam monstrat Dominus, præter quam ipse *præivit*. Verbum Domini est: SEQUERE ME. Populi Christi est ὀπίσω αὐτȣ̃ ἐλθεῖν POST IPSUM VENIRE. Habent Christiani omnes in Christo ὑπόδειγμα, quod ipsos imitari decet; ad quod iis lineæ quasi ducendæ sunt. Præit autem Populo suo Dominus tanquam ἀρχηγὸς *summus* illius *Dux* & *Imperator*. Est Princeps Exercitus Domini. Ut talis Populo Christiano describitur & depingitur omni die ex Verbo Dei. Veri Christiani illum itaque tanquam Ducem & Principem suum perpetuò in oculis habent; illum respiciunt; quò se moveat & vertat, diligentissimè intendunt animum. Præstat autem Dominus hoc officium illis, qui valedixerunt commercio Mundi & Diaboli, inde vindicati per ipsius sanguinem. quibus itaque *Mundus* quasi factus est *Desertum*. Qui enim *Jesum* sequuntur in Mundo, iis Mundus fit *Desertum*. Negat iis *Mundus*, quæ grata, quæ amœna, & consolabilia habet. Errarent itaque, offenderent, perirent in Mundo, omnium rerum necessariarum penuriâ laborantes, nisi Dominus illos *pasceret* & *duceret*, animos illorum tam *illustrando* quàm *consolando*, & ita in sterili quasi Deserto omnem eorum defectum supplendo. Ducit autem eos *viâ*, quæ tendit in veram Canaanem, verum illum locum *Felicitatis consummatæ* & *quietis gloriosæ*. Quod tamen ita verum est de tota Ec-

Heb. XII. 2. — Jes. XLIX. 10. — Jes. XLVIII. 17. — Joh. XVI. 13. — Luc. IX. 59. — Matth. XVI. 24. — Heb. XII. 7.

clesia & Populo Electorum, ut nulli dubitemus, quin præcipuè conveniat illis Christianis, qui in initio OEconomiæ Novi Fœderis commercio *Judaismi* & *Gentilismi* renunciarunt, & Christi causâ omnia derelinquentes, ab omnibus derelicti, omnium mortalium odiis & furoribus objecti, in mundo veluti *in Deser-*
Ps. cvii. 3. *to* errarunt. De illis eleganter apud Davidem: ERRABANT IN DESERTO, *in via solitudinis: non invenientes urbem quam tanquam* STABILEM SEDEM *inhabitare possent*. γ. Christus Jesus is est haud dubiè per quem Deus ORACULA EDIDIT. ut quondam ex Nube & Igne. Est non tantum ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, sed & veluti τὸ Λαλεῖον
Joh. 1. 18. τοῦ Θεοῦ. Ipse Deum, *quem nemo mortalium unquam vidit*, nobis ἐξηγεῖται *declarat* & *exponit*. Quid sit Deus, qualis sit, quid ipse facere constituerit, factum velit ab homine: per Christum Λόγον τοῦ Πατρὸς explicatur. In ipso vicissim Deus agnoscitur, compellatur, colitur. In ipso erectus est ὁ Θρόνος τῆς χάριτος.

XIII. Nec minus Christus Dominus Ecclesiæ suæ talia *Officia* præstat, quę NUBI & IGNI, ratione diversarum, quibus gaudent, qualitatum PECULIARIA fuerunt. α. Quis neget, Christum Dominum, Ecclesiam suam in Mundo, & speciatim Ecclesiam primi temporis in *Deserto Gentium*, ante Constantini tempora, munivisse adversus *æstum afflictionum* & *calamitatum*? Id ipsum verò est, quod per *Nubem* figuratum. *Sol*, æstu suo hominibus molestus, Symbolum est, *tum* DEI, per Justitiam suam vindicantem conscientiam malam excitantis & per signa irę suę hominem exagitantis & vexantis, *tum* REGUM & IMPERATORUM, magnâ quidem splendentium majestate, sed interea alios, sibi vicinos, exhaurientium, eosque potentiâ & majestate suâ affligentium & opprimentium. Ejusmodi *Soles* non desunt veris *Christianis* in hoc Mundo oberrantibus. Habuit Ecclesia ejusmodi *Solem* in Imperatoribus Gentilibus; & nomine Christianis, quotquot sceptra sua vibrant ad imperium Romanorum Pontificum. Adversus illum *æstum* Christus Dominus Ecclesiam suam *defendit*. Munit illam tum advèrsus *æstum Iræ Divinæ*, tum contrà afflictiones, ut non sinat illam *tentari suprà quam potest ferre*, sed in mediis afflictionibus sustentet, consoletur, & refo-
Ps. cxxi. 6. cillet; juxta fidem Ecclesiæ datam: *Sol te non percutiet de die,*
Jes. xlix. 10. *& Luna de nocte:* & apud Jesaiam: *Non percutiet illos flagrans*
æstus.

æſtus & Sol. β. Idem verò Chriſtus ſe quaſi inter *Eccleſiam* & *Hoſtes* ejus *interponit*, quando illi Eccleſiam penitus ſubvertere & extirpare moliuntur: ut *Nubes* inter Iſraëlitas & Ægyptios intervenit. Facit id Chriſtus, quotiens ſuâ providentiâ *hoſtes* ſuos tam Gentiles quàm Judæos reprimit, ne maligna conſilia ſua adverſus Populum Chriſti pro voto exequi poſſint. Sic in Chriſtianiſmi initiis Judæos, ſic Imperatores Gentiles repreſſit: quin imo fecit, ut ſibi mutui cauſſa fuerint exitii: ut Pharao ipſis illis Aquis *Maris Arabici* periit, quibus Iſraëlitas perdere decreverat. David de hoc ipſo tempore: *Clamarunt ad Dominum, cum* Pſ. cvii. 6. *anguſtiâ preſſi eſſent: ex profundis illorum liberavit illos.* Ut verò Chriſtus Dominus fungitur *Officio* NUBIS, Eccleſiam in Calamitatibus conſolando, protegendo; ſic præſtat illi *Officia* IGNIS, illam *noctu* quaſi *illuſtrando* & adverſarios ejus *conſumendo. Nox* hic eſt emblema ignorantiæ, errorum, perverſarum ratiocinationum, iniquarum cupiditatum, malitiæ, ſcelerum, &, quæ hæc omnia ſequitur, malæ conſcientiæ. In ejuſmodi *Nocte* Mundus agit. Hinc omnes quotquot ſunt homines, ut ſecundum naturæ leges eduntur, cenſentur eſſe in tenebris. Imprimis hæc obtinebant in Romano Imperio, omnium errorum, vitiorum, & ſcelerum ſede. In hac nocte *lucem præbet* Chriſtus, ὁ Λόγος τοῦ Πατρός. *Ipſe* eſt LUX MUNDI. Docet homines rectè de Deo & Divinis cogitare, rectè agere. Monſtrat iis *viam veram* æternæ felicitatis. Quod agit tam *Verbo* quam *Spiritu ſuo. Docendo* per Verbum, *ſanctificando* & *exhilarando* per Spiritum. Sic ipſe *illuminat quemvis hominem, veniens in hunc Mundum.* Denique Chriſtus ut Dux & Imperator Populi ſui pertinaces ſuos & Eccleſiæ ſuæ Adverſarios ſæpè *inſtar Ignis conſumit*, ut plurimis exemplis Hoſtium Chriſti inter Judæos & Romanos comprobatum. Pauci Imperatores & Principes ſe Chriſto rectà oppoſuerunt, in quos ipſe notabilibus ſuppliciis non animadvertit. Durum iis fuit *adverſus ſtimulos calcitrare.* Nec video eſſe hic quos nos moretur. Id modò obſervetur, *Diem* & *Noctem* hic non venire ut emblemata viciſſitudinum *ſtatuum*, quas ipſa Eccleſia Chriſti in his terris ſubiret, ſed ut emblemata *incommodorum*, quibus Populus Chriſti à Mundo afficitur. *Mundus* habet *Afflictiones*, & *Errores:* quibus Chriſtianum Populum oppugnat. Chriſtus adverſus

ſus utrumque hoc mali genus Eccleſiam munit: in *æſtu calamitatum* illam conſolando & protegendo: in *tenebris errorum* & *vitiorum* illam illuſtrando. Obſignentur ſingula hæc præcellentibus
Jeſ. IV. 5. bus Jeſaiæ verbis: *Et creabit Jehova ſuper omne habitaculum Montis Zion, & ſuper omnes Conventus ejus* NUBEM DE DIE, & *Fumum cum ſplendore* IGNIS FLAMMANTIS *de nocte: quia ſuper omni Gloria erit tegumentum.* Protegit Dominus electum Populum ſuum adverſus quælibet mala & incommoda Mundi.

XIV. *Ultimò* nunc notandum declarandumque erat, Eccleſiam hæc commoda à Chriſto percipere tanquam à עמוד COLUMNA. *Nubes* enim & *Lux* hâc potiſſimum *Figurâ* ſe Iſraëlitis commendarunt. Quæ *Figura* cum variam nobis meditandi materiam ſubminiſtret: delectum aliquem faciemus, & pauca compendio monebimus.

XV. α. *Columna Nubis* & *Ignis* in altum, ſive potius *in Cœlum* porrecta, & rectà ſurſum aſcendens, ſignificare poteſt, Chriſtum nobis *monſtrare viam in Cœlum.* Chriſtus electis Credentibus eſt *via, veritas,* & *vita:* h.e. *vera via, ducens ad vitam æternam.* Ubi ſit Locus æternę felicitatis, quis ad illum per-
2 Tim. I. 10. veniendi modus, à Chriſto expoſitum eſt. Per Chriſtum *vita & immortalitas in lucem eſt producta.* β. *Columna* illa, in *Cœlum* uſque quaſi porrecta, egregium Symbolum fuit *Divinæ* Chriſti *Naturæ*, quæ a. licet inhabitans *Tabernaculum* terreſtre, *Humanam* ſuam *Naturam*; tamen ipſum quoque Cœlum attingit, atque adeo ſimul *eſt* in *terra* & in *cœlo. Filius hominis*, ὁ ἐκ τοῦ
Joh. III. 13. οὐρανοῦ καταβὰς, nihilominus EST ἐν τῷ οὐρανῷ. ut ipſe Dominus apud Joannem. b. *Terram* quaſi *Cœlo* jungit. Utique enim *Ignis*, ſpecie *Columnæ* protenſus à Terra in *Cœlum*, *Terram* quaſi *Cœlo* conjunxit. Sic Chriſtus, ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, *medius intercedens inter Deum & Hominem*, ipſe tamen *verus Deus*, Deum quaſi homini junxit, & ſic hominibus factus eſt cauſſa æternę vitæ & fe-
Heb. IX. 15. licitatis. Ipſe eſt ὁ Μεσίτης MEDIATOR. Idem ſignificatum per
Joh. I. 52. *Scalam Jacobi*, quæ *à terra pertingebat in Cœlum.* Docet enim nos Dominus non obſcurè apud Joannem, *ſe* eſſe illam *Scalam Jacobi*, Terram jungentem Cœlo, per quam Angeli commercium exercere poſſunt cum homine. c. *Terram ita jungit Cœlo, ut ab homine avertat æſtum Divinæ iræ.* Niſi *Nubes* in altum fuiſſet

pro-

protensa & quasi Soli proxima, (loquimur cum vulgo & κατὰ τὸ φαινόμενον:) atque adeo *media* quasi inter *Solem* & inter *Israëlitas*: non potuisset Israëlitas adversus æstum Solis munire & defendere. Eo significatum, nullam Personam, tanquam *Mediatorem*, nos posse munire & defendere adversus *æstum Divinæ iræ*, & quæ eundem in nobis sequitur, *malæ conscientiæ*, quàm quæ *cum Deo*, quę *Deo proxima*, (ut est apud Zachariam) atque adeo *verus Deus sit*. d. Idemque agit *continuò*, *constanter*, *immotè*. semper sibi similis. Sic est: Christus Jesus per *omnia Sæcula Novi Testamenti* est *idem*. Ipse est Rupes & Petra Ecclesiæ. Ipse *Columna* quâ sustinetur universum Ecclesiæ ædificium.

Zach. XIII. 7. Heb. XIII. 8. 1 Cor. X. 2.

CAPUT XVIII.

Duplex cum sit PERFECTIO *hominis*, *vel* PHYSICA, *vel* MORALIS: *utraque describitur.* Moralis *cum sit* conformitas hominis *cum* LEGE; Lex *autem vel* NATURÆ *vel* GRATIÆ; Gratiæ *vel* MOSAICA *vel* EVANGELICA: *hæc definitur*, *demonstraturque consistere in* ABNEGATIONE SUI IPSIUS, & OBSEQUIO *quod est ex* FIDE, *respectu tum* Communium Officiorum, *quæ illâ Lege omnibus Christi subditis perinde mandantur*, *tum* Specialium, *ad quæ obligantur in variis & diversis* Vitæ Statibus; *unde* Moralis *Christiani hominis* Perfectio *in* ABSOLUTAM & RELATIVAM *distinguitur. Utraque non perfunctoriè explicatur*, & *in* Exemplis *exhibetur; tum quoque in* Gradum *illius* Perfectionis, *quatenus in hac vita obtineri potest*, & Media *ejus obtinendæ inquiritur*, & *quidem an in illis censendus sit* CÆLIBATUS, *ac* PAUPERTAS SPONTANEA; *expromiturque judicium de* Statu vitæ Monastico. *In universum* Perfectionis Relativæ *hominis Christiani summus Gradus ostenditur in* Ministro Evangelii Cælibe.

P[illegible] est [illegible] N[illegible] [illegible] est.

II. [illegible] Moralis & [illegible].

III. [illegible] Hominis con-formis [illegible] Legi.

IV. [illegible] vel Naturæ vel Gratiæ; [illegible] Evange-lica, vel [illegible], vel Evangelicæ [illegible] Perfectio Moralis [illegible] Legem, [illegible] Deo [illegible] ho-mines [illegible] Oeconomia Ecclesiæ, variè dicta est.

V. Perfectio Evangelica est Status Hominis Christiani, Legi [illegible] Gratiæ, quemadmodum sub Oeconomia Evan-gelii administratur, conformis: dicturque [illegible] PERFECTIO,
Col. I. 28. III. 14. Vid. III. 11, 12. Matth. V. 48. 1 Tim. I. 5. Gal. V. 6. & qui in illo sunt Statu, [illegible] PERFECTI, sc. moraliter.

VI. Legis Evangelicæ summa est, perfectus Amor Dei in Chri-sto, sive ἀγάπη, quæ est ἐκ πίστεως, & πίστις FIDES, se demonstrans & exercens per ἀγάπης CHARITATEM.

VII. Fides est sanum judicium hominis Christiani de vero Deo Patre, Filio, & Spiritu S. & de ratione salutis æternæ in communione illius Dei per Filium Dei, Christum Jesum, ob-
Joh. XVII. 3. tinendæ; conformatum ad Veritatem Revelationis Evangeli-cæ.

VIII. Ad Amorem autem, sive CHARITATEM, pertinet, tam Affectus animi, quo quis Communionem Dei in Christo, ho-mini misero summè amabilem, tanquam summum suum bonum ardenter ac intensè prosequitur; quàm Actuositas omnis Affectui illi consentanea, per quam Affectus ille animi se exerit: quâ omni proposito, dicto, actu, casu, tempore, loco, Gloriæ Dei & proximi utilitati promovendæ intentus est. Scripturæ stylo,
1 Thess. I. 3. ὁ κόπος τῆς ἀγάπης. Prior Fidei comes; Posterior Fidei consequens est.

IX. Actuositas illa ad duplex genus commodè referri potest, Abne-

Abnegationem sui ipsius, & *Obsequium*: etsi intereà verum est, omnem *Abnegationem* sui ipsius, latius sumptam, *Obsequium*, & *Obsequium*, præstitum Divinis mandatis, *Abnegationem* sui ipsius comprehendere.

X. *Abnegare se ipsum* dicitur, phrasi Christi, qui omnibus suis Vitiis, & *Affectibus* atque cupiditatibus inordinatis, quarum semen cum natalibus in omnes Adami posteros transfunditur, eum in modum renunciat in regimine vitæ, ut nusquam prodat, se aliud Bonum pluris facere, quàm summum & unicum miseri hominis Bonum, Communionem Dei in Christo Gratiosam & Gloriosam: proin nihil amet, cujus amor cum amore hujus boni consistere non potest; nihil plus vel minus amet, quam Amor Dei in Christo permittit aut suadet: Imo omnia commoda, utilitates, & delicias parvi pendat, negligat, imo *pro damno & stercore habeat*, ut Pauli phrasin imiter, si commercium cum Deo fortè turbent, aut Divini intersit honoris. Quæ enim præter summum Bonum amantur, amari debent in χίει ad summum Bonum, h. e. ut media summo Bono obtinendo subordinata. Matth. XVI. 24.

XI. *Obsequii* hominis Christiani est, omnia cujuscunque generis præstare *Officia* erga Deum & Proximum, quę Evangelicâ Lege, à Christo aut Apostolis sancitâ, imperantur & præscribuntur subditis Christi Regis per Fidem & Amorem. Πίστως est ὑπακούειν OBEDIRE. Rom. VI. 17. 2 Thes. III. 14.

XII. Quę *Officia* vel sunt *Communia Credentibus in Christum* omnis conditionis, ætatis, loci, & temporis, fundata in generali & necessario respectu, qui mutuus inter homines omnes & singulos, & inter illos ac Deum, intercedit; vel *Specialia*, quę uni aut pluribus incumbunt vi peculiaris cujusdam & arbitrariæ χίσεως, sive Politicæ, sive Ecclesiasticæ, sive OEconomicæ, quę inter homines obtinet. cujusmodi sunt officia, quæ Magistratus, Pastores, Parentes, Subditis, Ecclesiæ, Familiæ; & vicissim Subditi, Ecclesia, Familia, illis debent.

XIII. Unde duplex hominis Christiani *Perfectio*: Γενικὴ *Generalis*, quam cum omnibus communem habet; & Μερικὴ *Specialis*, sive *Peculiaris*, quæ in ipso cum respectu ad peculiarem quendam vitæ Statum, dignitatem, aut munus ipsi demandatum,

1 Cor. vii. 17. tum, requiritur. Ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ Κύριος, οὕτω περιπατείτω.

XIV. *Amorem* verò *Dei* in his cujuſcunque generis officiis præſtandis, non requirit Lex Evangelica qualemcunque, ſed *perfectum* & omnibus numeris abſolutum: cujus effectus ſit, ut officia Lege præſcripta non præſtentur tantum, ſed & *expleantur*,

Gal. vi. 2. h. e. perfectè præſtentur. quod phraſi Apoſtolicâ eſt ἀναπληροῦν τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ.

XV. Ad *perfectum Amorem*, qui Deum habet pro objecto, requiritur, ut ſit *Sincerus*, & *Intenſus in ſummum gradum*: ut facilè tum ex principiis rationis intelligimus, tum ex clariſſimis verbis *Deut.* vi. 5. quæ ſummam continent Legis, non Moſai-

Confer Deut. xxx. 6. cæ tantum, ſed & *Evangelicæ*, de qua nunc agimus.

XVI. *Sinceritatem Amoris* commendat ὁ Νομοθέτης his verbis: Amabis Jehovam *Deum tuum* בכל־לבבך ובכל־נפשך toto corde (h. e. ex integro judicio:) & tota anima tua (ſive *affectu*:) *Intenſionem* deſcribit iis quæ ſequuntur: ובכל־מאדך Omni facultate tua.

XVII. Ad *Amoris* sinceritatem pertinet, ut Regenitus per gratiam Spiritus S. certo, abſoluto, non dubio, & conſtante mentis judicio Communionem Dei in Chriſto præferat omnibus aliis cujuſcunque generis Bonis hujus Sęculi inanibus ac perituris: cum firmo & integro *propoſito* Chriſto Jeſu Aſſertori plus *placendi*, (ἀρέσκειν 1 Cor. vii. 34. εὐαρεστῆσαι. Heb. xi. 6.) quàm ulli rei alii, & offenſionem Dei in minimis etiam rebus majore ſtudio & ſolicitudine vitandi, quàm Mundi, aut hominum in

Gal. i. 10. Mundo excellentium aut amabilium. Dicuntur qui ita affecti

1 Reg. xv. 14. Pſ. cxix. 1. ſunt שלמים & תמימי דרך / & τέλειοι, nempe quoad *propoſitum*, non quoad *executionem propoſiti*.

XVIII. Ad Intensionem *Amoris*; ut quis omni loco caſu, tempore, pro omni ſua facultate & viribus, quæ ardente animi affectu intelligit ad Gloriam Dei in Chriſto facere poſſe, lubenter, alacriter, fideliter & diligenter peragat, atque adeo Divinæ Legi in omni opere ad *ultimum* quaſi *quadrantem ſatis-*

Matth. iii. 15. *faciat*. Eſt id phraſi Scriptura πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. ποιεῖν πάν-

Luc. xvii. 10. τα τὰ διατεταγμένα. Dicuntur qui ita affecti ſunt τῷ πνεύματι ζέον-

Rom. xii. 11. τες.

XIX. Sin-

XIX. Sinceritati Amoris opponitur Hypocrisis; Intensioni Languor.

XX. Per *Hypocrisin* Scriptura non tantum illud hominis Vitium designat, quo externis signis verborum aut gestuum Amorem Dei ut Summi Boni præ se fert, dum intereà animus Amore Dei prorsus vacuus & caritate Boni ψευδωνύμου repletus est; quæ species hypocrisis est gravissima & prorsus abominanda: sed solet Scriptura hoc nomine quoque comprehendere omne vagum, incertum, & fluctuans judicium de *Summo Bono*; quod summum Bonum modò *judicat* esse Deum ejusque Communionem; modò *judicat* esse Mundum ejusque delicias: unde fit, ut Amor hominis quasi inter Deum & Mundum sit divisus, dum nunc placere studet Deo, aliàs Mundo. Id verè est quod Scriptura vocat לב ולב *cor* & *cor*: h. e. judicium & judicium, affectus & affectus: quasi dicas judicia inter se pugnantia; affectus affectui contrarius. Pertinet illuc quod Jacobus habet, Cap. 1. 8. Ἀνὴρ δίψυχος ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ. & quod Dominus Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. Ps. xii. 3. Matth. vi. 24.

XXI. *Languor* est remissius & negligentius studium in diligendo Deo & exercendis virtutibus Christianis, à quali quali caussa demum illa studii remissio oriatur, sive ab imbecillitate fidei & spei; sive à tentationum Diabolicarum ac Mundanarum vi & copia; sive à flaccidiore temperamento; sive etiam aliunde. Ap. ii. 4. Heb. xii. 12.

XXII. *Sinceritas Divini Amoris* non semper excludit Peccata & Vitia, subinde etiam graviora, per πρόληψιν, h. e. *anticipationem judicii præcipitis*, Affectui carnali nimiùm ad tempus breve indulgentis commissa, ut patet ex exemplis Sanctorum: sed non potest consistere cum *Peccato*, sive Vitio Concupiscentiæ graviore *regnante*, quippe ex quo tanquam ex certissimo argumento manifestum evadit, Amorem falsi Boni hactenus in Affectu nostro dominium obtinere, & actus moresque nostros moderari. Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. Gal. ii. 11.

XXIII. Potest tamen illa constare cum *Languore*; h. e. potest esse Amor Dei languidus qui tamen est sincerus: etiamsi Languor omnis in vitio sit.

XXIV. *Sinceritatem* illam *Affectus* & *Propositi* in studio Operis Boni Deus tam absolutè requirit ab omnibus suis Fœderatis

in OEconomia Gratiæ, ut absque illa animi affectione neminem ad communionem suam in Gratia & Gloria admittere vellit. *Ambula coram facie mea* (dictum est Dei ad *Abrahamum*;)
Gen. xvii. 1. התהלך לפני והיה תמים & ESTO INTEGER. *Hypocrisis* excludit omnes hoc vitio
Math. xxiv. 51. laborantes æternâ salute. Καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει.

XXV. *Intensionem Amoris* omninò etiam Deus ab omnibus hominibus, qui Fœdus cum ipso percutere cupiunt in gratia, requirit, ut liquet ex *Deut.* VI. 5. docente Ratione, inter Amorem, quem Deus creaturæ intelligenti imperat, & Objectum, quod illi amandum proponit, intercedere debere ἁρμονίαν sive proportionem: quod Objectum cum sit *summum* hominis *Bonum*, & proin *summè amabile*: necessariò requirit *Amorem intensissimum*.

XXVI. Hoc tamen inter illa duo (*Sinceritatem* & *Languorem*:) hoc quidem in Casu interest discriminis, ut Vitium *Languoris*, quod ex *imbecillitate carnis*, oritur (discernendum à *tepore*
Ap. III. 19. & *indifferentia*) in electis verè Credentibus veniam à Deo impetret *ex gratia* cum respectu ad ἱλασμὸν, qui est in morte & sanguine Christi.
Lev. xxvi. 21.

XXVII. Etsi intereà Deus exercitium illius suæ gratiæ & clementiæ tam prudenter moderetur, ut virtutibus *Justitiæ* & *Æquitatis* ipsius eo ipso nihil decedat.

XXVIII. Ad *Justitiam Divinam* referendum est, quod in languidiores Cultores suos in OEconomia Gratiæ gravioribus judiciis & afflictionibus non rarò animadvertat, & hoc veluti
Ap. II. 5. flabello tepentia & languida illorum studia suscitet.

XXIX. Ad *Æquitatem*: quod prudenti & justo consilio suo constituerit *gloriam cœlestem* post hanc vitam conferre *pro mensura gratiæ*, quâ electi gavisi fuerunt in hac vita; sive potius, secundum gradum & proportionem studii, quo se Deo & Christo
2 Cor. IX. 6. Servatori suo in hac vita commendaverint. Ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει.

XXX. Aliud igitur est æternâ gloriâ & salute post hanc vitam non excidere; aliud ad summum illius gloriæ gradum pervenire: etsi summus Gloriæ Cœlestis gradus non minus ex gratia propter meritum Christi conferendus sit quam minimus.

XXXI.

XXXI. Deus tamen qui electos in Christo modo rationali ducere vult ad salutem, illis ante jacta mundi fundamenta paratam, nexum & proportionem, quæ est inter *Gratiam hujus Vitæ* & *Gloriam futuræ Vitæ*, iis voluit revelare, ut hâc potissimum ratione moti & impulsi ad summum Perfectionis Evangelicæ gradum in hac Vita, & hoc medio ad Summum Felicitatis & Gloriæ culmen post hanc Vitam, contenderent.

XXXII. Ex dictis jam facilè liquet, *Charitatem*, ubi secundùm Legem Evangelicam regnum obtinet in animo hominis per gratiam regeniti, ejusque moderatur Actus, comprehendere omnes *Virtutes Christianas*, earumque *perfectum Exercitium.*

XXXIII. Cum enim *Virtus* dicatur omnis Habitus aut Actus, moraliter bonus, h. e. Rationi aut Legi Divinæ consentaneus: fieri non potest, quin, ubi est rectum de Deo judicium (quod *Fidem* vocamus,) & judicio illi conformis *Affectus*, & quę *Affectum Bonum Voluntatis* sequuntur *Operationes*, Affectum illum exprimentes: (quod utrumque *Charitatis* voce notamus:) ibi *Virtus*; & cum una omnes involvat, *Virtutes* simul *omnes* adsint.

XXXIV. Imo certè ut *Amor Dei in Christo* omnium Actuum, sic & Habituum Bonorum & laudabilium, unicum & verum est principium: qui ubi perfectus est secundum Evangelicam disciplinam, *Virtutem* ibi necesse est obtinere perfectam & omnibus numeris absolutam.

XXXV. *Humilitas* itaque, *Mansuetudo*, *Promptitudo*, *Pietas*, *Bonitas*, *Benignitas*, σωφροσύνη, *Temperantia*, *Continentia*, *Justitia*, *Æquanimitas*, *Simplicitas*, *Patientia*, φιλαδελφία, & quæ Virtutes aliæ hominem Christianum ornant, & *perficiunt*; verè nihil aliud sunt quam ipsa illa *Charitas Dei*, se per gratiam Spiritus S. in his Habitibus & Actibus bonis variè exerens, ut statui hominis, quemadmodum in OEconomia Gratiæ ad Deum & Proximum relatus est, convenit.

XXXVI. Quibus Virtutibus omnibus qui ornatus & perfectè instructus est: & secundum earum præscriptum Vitam moresque suos ἀμέμπτως componit: is verè est τέλειος PERFECTUS, moraliter sc. secundum Disciplinam Evangelicam: Εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνήρ. Jac. III. 2.

XXXVII.

XXXVII. Illa *Charitatis*, sive *Virtutis*, *Perfectio* fuit in Christo Jesu, omnis Virtutis vero & vivo exemplari. *Christus*
1 Pet. II. 21. *passus est pro nobis*, ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, *ut vestigia ipsius prememus*.

XXXVIII. Ad quod proximè accesserunt Sancti antiqui & novi temporis, Enoch, Abraham, Moses, Elias, Elisæus, Jeremias, Ezechiel, Joannes Baptista, Apostoli, & præcipuè Paulus, qui suum virtutis exemplum aliis imitandum ausus est
1 Cor. IV. 16. proponere; Μιμηταί μου γίνεσθε. Licet cum suum illud exemplum nec perfectum esse sciret, nec πρωτότυπον, consultò addiderit:
1 Cor. XI. 1. καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ.

XXXIX. Quod *exemplar* Christi & Sanctorum, quatenus illi Christum sequuti sunt, ut imitentur & in Regimine vitæ ac morum suorum quàm perfectissimè repræsentent, omnes Christiani summâ virium suarum contentione eniti debent: etsi propter imbecillitatem carnis & tentationum Mundanarum fre-
Phil. III. 13. quentiam *difficulter* id possint consequi. Ipse Paulus de se: Ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι.

Phil. IV. 13. XL. Tenendum interea, Credentes πάντα ἰσχύειν ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι αὐτοὺς Χριστῷ, & Deum nullibi hominibus exposuisse hoc suum consilium, quod iis gratiam summæ perfectionis in hac vita concedere nolit; contrà omnibus omnem gratiam, quâ ad perfectionem suam indigent, prolixè condicere, si eam *seriò petierint*: ut adeo culpa tot vitiorum & defectuum, quot Christianismus laborat, sit imputanda, non Divinæ Gratiæ ac si ea ad hominem in OEconomia Gratiæ perficiendum non sufficeret; sed Regenitis ipsis, qui ob imbecillitatem carnis eam non satis ardenter à Deo flagitant. Deus *non negat Spiritum suum San-*
Luc. XI. 13. *ctum* τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν.

XLI. Nemo itaque ad hanc Perfectionem pertingere potest absque gratia: gratiam nemo impetrat nisi per preces ardentes; nemo eam fovet & conservat nisi per Lectionem, Meditationem, & ἀκοὴν Divini Verbi, sive etiam Consortia & Colloquia
Heb. III. 13. Sanctorum; quæ igitur haberi debent *media moralia*, ad electos consummandos prudenti consilio à Deo ordinata.

XLII. Imo possunt inter hæc media quoque, certis quibusdam in *Casibus* ac *Circumstantia*, censeri CÆLIBATUS & PAU-

PERTAS *spontanea*, quæ dicitur, h. e. sponte suscepta. Dominus ad Matth. XIX. 21.
Juvenem: εἰ θέλεις τέλειος εἶναι SI VIS PERFECTUS ESSE, *abi*, *vende omnia quæ habes*, *& distribue illa pauperibus*, *& habebis thesaurum in cœlis*, *& veni*, SEQUERE ME. nimirum non *per se*, sed per *accidens*.

XLIII. *Paupertas* & *Cœlibatus* non sunt media *per se* ducentia ad *perfectionem* hominis *moralem*, ἁπλῶς consideratam; sive obtinendam, sive conservandam; quia cæteroquin Deus, quando naturam rerum primò instituit, marem fœminæ non junxisset, & primorum illud conjugum par non duxisset in Paradisum, ubi omnium rerum copia iis undique affluebat. Erant autem primi homines à Deo conditi *moraliter perfecti*.

XLIV. Possunt nihilominus esse *media* consequendæ Perfectionis Moralis, *per accidens*, sic dicta: caussâ nimirum *Vitiositatis*, omnibus hominibus congenitæ, cujus semen in Regenitis ipsis nondum prorsus est extinctum, quâ fit, ut qui in Conjugio vivunt & Opibus gaudent, iis Bonis eâ sæpè non utantur moderatione, ut non liberius quàm par est & Ratio ac Lex Evangelica permittit, aliquando indulgeant suæ cupiditati. Sic tutius aliquando videri potest illa Bona non possidere, quàm carni occasionem præbere iis abutendi.

XLV. Quod tamen Christianis per *modum Legis* non præscribitur, quia *Cœlibatus* & *Paupertas*, nec sunt *certa*, nec sunt *unica media* ad finem illum h. e. Perfectionem Evangelicam consequendam, ducentia: non sunt *Medium caussale*, & necessarium, quod ita ad finem ducit ut finis absque eo obtineri nequeat; sive quod ita ad Perfectionem ducit, ut simul sit Perfectionis quædam pars, ut v. gr. *Lectio* & *Meditatio Verbi Dei*, *&c.* sed *occasionale*, *arbitrarium*, & *adjutorium*, quod (non absolutè & omni in casu:) sed quibusdam in casibus & circumstantiis occasionem præbere potest sanctimoniæ nostræ consummandę, si quis illo *medio* rectè utatur: prorsus ad eundem modum ut res habet in *Jejuniis* & *Afflictionibus* hujus Vitæ.

XLVI. Imo *Cœlibatus* & *Paupertas* ne quidem per modum *Consilii* tanquam media majoris *perfectionis moralis*, h. e. sanctimoniæ obtinendæ ullibi Christianis commendantur & suadentur, ut multi inter Veteris Ecclesiæ Doctores & hodiè Pontifi-

cię sectę Patroni sentiunt: quia *consilia* Christi & Apostolorum absque culpa à nobis non possunt sperni, atque adeo, si id verum esset, nemo Christianus absque crimine aliud vitæ genus amplecti posset.

XLVII. Electio itaque horum mediorum prorsus relinquitur arbitrio Credentium regenitorum, quò ipsi apud se decernant, an circumstantiis Loci, Temporis, Status sui, & Casuum, in quibus constituti fuerint, conveniat his mediis ad promovendam suam & aliorum sanctimoniam uti, an verò illis præ- 1 Cor. VII. 37. stet abstinere: ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω. Matth. XIX. 12.

XLVIII. Qua de re quia difficillimum est statuere plurimis de caussis, quas facilè quisque me non monente intelligit: hinc *media* illa hactenus censentur inter ἀδιάφορα.

XLIX. Quod si tamen quis ex divina ἀποκαλύψει cognosceret, velle Deum ipsum per hæc media potius quàm per alia perficere; vel hæc media Cælibatus & Paupertatis plus quàm alia conducere posse sibi perficiendo: haud dubiè per modum Legis obligaretur ad illa amplectenda, nec posset absque Peccato ea negligere.

Matth. XIX. 21. L. Cujus exemplum habemus in Juvene, cui Dominus hæc media Perfectionis Evangelicæ obtinendæ ita suasit, ut illo consilio tanquam Lege illum obligaverit ad statum vitæ Cælibatus & Paupertatis necessariò ingrediendum: quia Dominus Jesus, qui indolem ejus perspexerat, sapienter colligebat, illum, quandiu Bona illa possideret, non esse renunciaturum immoderatæ cupiditati, quâ erga ea affectus erat: vel dici potest, Dominum illi revelasse consilium Dei, quo statuerat, non absque hoc medio illum perducere ad τελείωσιν.

LI. *Monachorum* itaque antiqui temporis ut non est damnandum institutum; ita non inconsultò & temerè sequendum.

LII. *Monachus* enim, sive cælebs, qui solitariam vitam agit in Paupertate; non est *moraliter perfectior* quolibet alio homine Christiano, nisi quatenus per hæc media ad majorem perfectionem Christianam perducitur. Cælibatus enim & Paupertas neminem per se sanctum & perfectum reddunt; nec qui hoc vitæ genus sectantur homines hoc ipso aliis haberi debent perfectiores, nisi quatenus per hæc media verè sanctiores & perfectiores eva-

evadunt, aut evaserunt. Proinde qui in Conjugali vitæ statu castè, modestè, & temperanter vixit, si in hoc vitæ statu eundem in studio veræ virtutis profectum fecit, quem Monachus; Monacho absque ulla dubitatione dicendus non est esse imperfectior.

LIII. Præter *Perfectionem Evangelicam* ABSOLUTAM, & omnibus Christianis *Communem*, de qua hactenus egimus: datur etiam alia quædam PERFECTIO *Moralis* RELATIVA, sive *Peculiaris*, Hominis Christiani: quâ in varia conditione & statu vitæ inter homines sic mores suos componit, ut omnia officia, ad quæ ex peculiaribus illis & arbitrariis respectibus ad alios homines obligatus est, summâ diligentiâ & curâ expleat, & *virtutes* omnes, quę ad illum Vitæ statum aut conditionem peculiari quâdam ratione pertinent, probè exerceat.

LIV. Cum autem Generales respectus majores, qui inter homines obtinent, nascantur ex Confœderatione *Politica*, *Ecclesiastica*, aut *OEconomica*: pertinet huc ut quisque quod sibi muneris demandatum est in *Civitate*, *Ecclesia*, aut *OEconomia*, summâ fide præstet, & quam sustinet personam, decorè tueatur. In Rectore vigilantia, justitia, & clementia; in Doctore diligentia & adsiduitas; in Patrefamilias industria & cura rei familiaris; in subditis & liberis obsequium & reverentia erga Magistratum, Pastores, & Parentes; in Cultore Literarum patientia & impigritas in studiis persequendis, &c. requiruntur. Cujusque est quocunque genere & statu vitæ περισσεύειν ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου πάντοτε. 1 Cor. xv. 58.

LV. *Unus* vitæ *status*, institutâ cum alio comparatione, non videtur dici posse *alio* vitæ *statu* sive conditione, aut *Munere*, (de illis *muneribus* loquor, quæ quis in Societate humana honestè obire potest:) *moraliter* esse perfectior, si quis speciali Dei jussu ad certum quendam Vitæ statum vocatus non sit, quia omnis *moralis perfectio* oritur ex *conformitate status* aut *actuum nostrorum cum Lege*. Deus autem passim homines ad hanc vel illam vitæ conditionem eligendam Lege non solet obstringere. Sic Consul *moraliter* non est melior subdito; Pastor Gregis Christiani quà Pastor, Consule; Doctor discipulo; Cælebs Conjuge; Dives paupere; & quæ hujus generis alia. Quod idem omninò

verum

verum quoque est de illis vitæ conditionibus, quas quis Divino jussu amplexus est. Sic Sacerdos olim *moraliter* non fuit *melior* Levitâ: Apostolus Evangelistâ, καὶ τ' ἄλλα τοιοῦτα.

LVI. *Physicè* tamen (quâ perfectione Physicâ quoque complector quod *commodum Bonum* vocamus:) una vitæ conditio aliâ *melior* est, quatenus qui hanc in Societate personam sustinet alio, qui aliam sustinet personam, & aliud munus obit, *felicior* & beatior est, & quidem hisce potissimùm de caussis, α. Quod unum vitæ genus alio dignius, nobilius, & præstantius sit, & officia, quæ quis Deo præstat, in *genere entis* nobiliora sint aliis quæ in alio vitæ *statu* præstari possunt: atque adeo intelligenti creaturæ gloriosius & magis honorificum sit, ac proinde majorem illi pariat *voluptatem*, Divino consilio hoc modo & ratione vitę subservire quàm alio; hoc munus obire potius quàm aliud. Sic dubium non est, quin animo intelligentis creaturæ majorem longè voluptatem adferat res Divinas discere & docere, quippe cæteris præstantiores & majoris momenti, quàm qualescunque alterius generis colere scientias; quin dignius, & magis honorificum homini, Ecclesiam Dei regere, quàm Civitatem; & in Civitate aut Ecclesia Rectorem aut Doctorem agere, quàm regi & discere. β. Quod homini Christiano *commodius* & *facilius* sit hoc genere aut statu vitę *sanctimoniam* suam *consummare* & officio sibi demandato fungi, quàm alio. γ. Quod Deus, quantum ex Ratione & Scriptura sapimus, inter *Officia* quorundam Statuum Vitę in Gratia & Gloriam Futurę Vitę proportionem constituerit pro summa sua æquitate & justitia, ut qui officio suo per *Divinam gratiam* in hoc statu Vitę aut Munere sibi demandato probè functus fuerit, majore gradu Gloriæ post hanc Vitam sit beandus, quàm qui Deo in alio statu Vitæ fideliter paruit. V. Gr. Quis dubitet, quin qui à Deo in hac vita vocati fuerint ad gravissimas afflictiones & martyrium, & quibus id gratiæ & honoris tribuit Deus, ut constanti fidei professione Deum illo in statu honorarint: iidem *majus* post hanc vitam accepturi sint βάρος τῆς δόξης
2 Cor. IV. 17. *gloriæ pondus*, quàm electorum alii? Certè de *Apostolis* & fidis *Evangelii Ministris* id statuendum esse suadent loca Dan. XII. 3. Ap. IV. 2. Matth. XXV. 21.

LVII. Ad id, quod *secundo loco* notavimus: *commodius* & *facilius*

facilius esse hoc statu aut genere vitæ sanctimoniam suam consummare, sive etiam ad *Perfectionem Relativam* in hoc vel illo Vitæ statu pervenire; pertinent quæ Paulus de *Cælibatu* tanquam *meliore Statu Conjugali* disputat in *priore ad Corinthios Epistola*, Cap. VII. 38.
ubi exertè ait; ὁ δὲ μὴ ἐκγαμίζων κρεῖσσον ποιεῖ *qui non dat nuptum* MELIUS *facit*. Veteres Ecclesiæ Doctores multi, Monasticæ & Cælibis Vitæ Patroni, hæc verba eum in modum acceperunt, acsi Paulus *cælibem vitæ statum* hic doceret *moraliter* esse perfectiorem conjugali, quatenus nempe ut *medium* ad moralem duceret perfectionem: cum tamen Paulus clarè in *toto* illo *Capite* loquatur non de *Bono morali*, sed de eo *Boni* genere, quod *commodum* vocare solemus, & à nobis ad *Bonum physicum* refertur. ✠ʃ. 26, 28, 29. Sic verè nihil certius aut evidentius est, quàm *cælibem*, si absque crimine per gratiam Spiritus Sancti hanc vitæ rationem tenere possit, multò commodius, facilius, minore cum cura & sollicitudine, & absque majore metu offensionis, (imprimis tempore *persequutionis Publicæ*, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην:) Deo posse servire, quàm conjugem. Paulus ipse quod dixerat interpretatur de *Perfectione physica*, ✠ʃ. 40. Μακαριωτέρα δέ ἐστιν BEATIOR *est* (loquitur de *Virgine cælibe*:) *si ita manserit*.

LVIII. Ita negari etiam nequit, *Ministrum Evangelii*, cujus est gravissimum munus & curæ sunt multæ, si *dono continentiæ gaudeat*, multò commodius munus sibi demandatum administrare posse, & ad *perfectionem* illius status *Relativam* facilius longè posse pervenire, quàm Conjugii amoribus & curis implicitum. Verum cum pauci beneficio Divinæ Gratiæ sint *eunuchi*, & *Conjugium*, ut nunc sunt homines, passim illis multò magis prosit ad *perfectionem moralem* quàm *Cælibatus*, ut nempe sibi cavere possint à gravioribus vitiis: damnandum prorsus est institutum Hildebrandinum, quo Clerici ad *Cælibatum* obligati fuerunt: quod tamen Pontificiæ sectæ homines etiam nunc tuentur. Matth. XIX. 12.

LIX. Ex quibus absque ullo negotio colligitur, *perfectissimum* vitæ statum (*Perfectione* hoc sensu acceptâ:) in OEconomia Gratiæ esse illum *Ministri Evangelii*.

LX. Imo perfectissimum vitæ statum in OEconomia Gratiæ esse statum *Ministri Evangelii cælibis*, (si continentiæ dono gaudeat:)

deat:) qui in *paupertate* & *afflictione* Evangelium Christi *ad ipsius Christi exemplum* administrat; omnibus curis rerum mundanarum vacuus, & Gloriæ Deì promovendæ totus devotus. Illi enim statui hujus vitæ respondebit *summus Gradus Gloriæ futuræ vitæ.* Hoc vitæ statu Elias, Elisa, Joannes Baptista, Paulus, Origenes, Cyprianus, aliique, & præcipuè omnium Evangelii Ministrorum Princeps CHRISTUS JESUS, Deum glorificarunt. Id sibi voluit Dominus, quando quibusdam speciatim mandavit,
Luc. IX. 59. ut *se sequerentur:* Ἀκολούθει μοι.

LXI. *Regum* sub OEconomia Vetere summa erat Gloria in Ecclesia, quia tanquam typi Christum Regem repræsentabant, atque adeo is erat status Vitæ olim perfectissimus: sed sub OEconomia Nova *Reges Civiles* Christum Jesum in his terris amplius non repræsentant. *Pastores Ecclesiarum* sunt veræ imagines Christi Jesu tanquam *Regis Ecclesiæ.* Regnum enim Christi *non est de hoc mundo.* Unde status Pastoris Ecclesiæ Christianæ in OEconomia Gratiæ perfectior qualicunque alio statu aut genere vitę.

LXII. Ad illam perfectionem licet alicui honestè adspirare,
1 Tim. III. 1. nec tamen ad id omnes Lege Divinâ obligantur: non magis certè quàm in Republica Civili omnes tenentur adspirare ad dignitates Regis, Principis, Magistratus, &c. sed illi solummodò qui ad id dotibus & virtutibus necessariis sunt instructi; quibus ad id favet occasio; & qui gratiâ Spiritus Sancti se sentiunt ad hoc vitæ genus eligendum magis quàm aliud impelli.

LXIII. Est igitur illud magis Divinæ *electionis* & gratiæ quàm humani arbitrii, ut quis hanc potius vitæ sortem nanciscatur quàm aliam. Quo in Vitæ statu si quis eximiis *gratiæ dotibus* præ aliis ornatus, per eandem illam gratiam *nobiliora* Deo *officia* præstiterit, quàm in alio vitæ statu ipsi licuisset: *æquitas* & *justitia* videtur postulare, ut majus quoque & luculentius præmium Gloriæ cœlestis ipsi decernatur, quod sive *laboribus* & *afflictionibus*, quas pro Divini nominis Gloria in his terris sustinuerit, sive *dignitati*, & officio, ad quod Deus eum in hac terra dignatus est evehere, respondeat. Gloria enim futuræ vitæ respondebit *Gratiæ* hujus Vitæ, tam *communi* omnibus Credentibus electis, quàm *speciali*, quâ Deus huic vel illi in functione muneris peculiaris, ipsi à Deo demandati, necessarium auxi-

lium præstitit. Ita Dominus nos docuit in Parabola de *Minis*. Luc. XIX. 17, 19.

LXIV. Pone Imperatorem exercitum instructurum, cum plures ipsi præsto sint milites, qui excellunt peritiâ, ingenio, fortitudine; ex iis tamen aliquos eligere, quos aliis præficiat, ut Tribunos, Chiliarchos, Centuriones. Id quidem primò est arbitrii Imperatoris, hos præ aliis eligere & evehere ad splendidiores dignitates, & honores. quo tamen in statu vitæ vel munere si probè functi sint suo officio illi militum Præfecti: æquitatis & justitiæ est, ut illi ab Imperatore luculentiora & lautiora præmia accipiant quàm gregarii velites. Vel, pone esse quinquaginta milites, qui omnes eâdem animi promptitudine & obsequio Imperatori operam offerant ad suscipiendam expeditionem. Omnes illi *moraliter* æquè sunt perfecti. Imperator tamen ex illis *decem* deligit, quibus peculiare illud negotium curandum demandet: quod ubi feliciter præstiterint, Imperatoris est, hoc sibi præstitum *officium speciale* lautis muneribus prosequi. Cujusmodi in casu nemo negabit, hos ab Imperatore delectos milites aliis esse *feliciores*, quod per Providentiam & Favorem Imperatoris peculiarem ipsis subministrata sit occasio voluntatem & promptitudinem suam Imperatori præ aliis demonstrandi in peculiari munere sibi mandato: nec tamen *moraliter* aliis sunt *perfectiores*, quia aliis vitii loco imputari non potest quòd officia illa præstare neglexerint, ad quæ ab Imperatore delecti & vocati non fuerunt.

LXV. Sic igitur rem putemus: Nemini licere ad summam *perfectionem physicam* adspirare nisi *salvo ordine*, quem Deus in natura & præcipuè *in gratia* (de quo statu nunc agimus:) instituit. Ad quem ordinem pertinet, quod cuique suâ providentiâ dispensaverit conditionem statum & vitæ peculiarem, & illi statui vitæ convenientes *dotes*. Quod Dei consilium homini innotescit sive *ex eventu*, ex quo intelligit se per arcanam Dei providentiam ad hoc potius vitæ genus & conditionem ductum esse quàm aliud; quos Divinæ Providentiæ *ductus* Paulus vocat κλῆσιν *vocationem*; sive per *extraordinariam Revelationem*, quâ Deus quem ad peculiare officium administrandum vocat, ut factum in Mose, Prophetis, & Apostolis. Ut igitur Deo *non vocante*, h. e. providentia suâ res eo non dirigente, tam in conferendis dotibus quàm in occasionibus subministrandis, non licet in Civili Republica *præter ordinem*

1 Cor. XII. 5, 6, 7.
1 Cor. VII. 17, 18.

ordinem adſpirare ad munera & dignitates, noſtris dotibus & vitæ ſtatui non convenientia: ſic multò minus Deo *non vocante* id licet in *ſtatu gratiæ*.

LXVI. Ergo cujuſque eſt eo in ſtatu vitæ, quo per Providentiam Divinam conſtitutus eſt, ad ſummam adſpirare perfectionem in Gloria, illi ſtatui vitæ olim reſponſuram: ſecundum ordinem, quem Deus pro libertate & ſapientia ſua in Eccleſia conſtituit. quod faciet, ſi officia omnia, ad quæ in peculiari vitæ ſtatu aut munere obligatur, diligenter & fideliter exequutus fuerit, & *hoc ordine*, ad Gloriæ gradum ſummum, officiis illo in ſtatu per gratiam Spiritus Sancti præſtitis reſpondentem, contenderit.
1 Cor. VII. 17. Repetamus hic Pauli egregium dictum: *Quiſque*, ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεὸς UT DISTRIBUIT DEUS, (ſecundum *dotes* & *munus* ipſi à Deo collata pro ejus ſapientia, libertate, & bonitate, ut Apoſtoli, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores, Diaconi, &c.) *quiſque*, ὡς κέκληκεν ὁ Κύριος *ut* EUM DOMINUS VOCAVIT: (ſecundum *vitæ ſtatum* aut conditionem, quam ſuâ Providentiâ Dominus illi diſpenſaverit: ut v. gr. Mas & Fœmina; Dominus & Servus; Parentes & Liberi; Cælebs & Conjux:) οὕτω περιπατείτω ITA AMBULET: h. e. *hoc ordine* ſtudeat pro omnibus ſuis viribus officio diligenter præſtito adſpirare ad τελειότητα poſt hanc vitam.

LXVII. Nec eſt in concipiendis variis gradibus *Gloriæ* futuræ vitæ ſecundum proportionem dotium & munerum in hac Vita ex liberalitate & gratia diſtributorum, & fideliter per eandem Dei Gratiam adminiſtratorum, major difficultas, quàm quod Deus Angelos bonos, omnes *moraliter* æquè perfectos, *phyſicè* tamen alios aliis perfectiores, h. e. vario ordine, & *ſtatu*, pluribus aut minoribus dotibus & potentiâ inſtructos, & majore aut minore gloriâ donatos, condiderit. quod ex Verbo Dei ſatis videtur liquere. Perfectiſſimi entis in Bonis doniſque ſuis diſtribuendis eſt arbitrium nulli Legi adſtrictum. Gratiam gratiâ, gloriam gloriâ coronat, ut Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. veneraremur eſſe πάντα ἐν πᾶσι.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.



C. VITRINGA OBSERVATIONUM *SACRARUM* LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Via sternitur instruendæ Dissertationi adversus paradoxam interpretationem Oraculi Danielis *de* LXX HEBDOMADIS, *expectationi* MESSIÆ *præfinitis, quam ingenio & eruditione suâ commendavit Illustris* MARSHAMUS. *Quare post præfationem de præsenti instituto*, Oraculum *ipsum* recensetur, *in partes suas* resolvitur, *& brevi* Paraphrasi *illustratur, secundùm hypothesin eam, quæ initium illarum* LXX Hebdomadarum annuarum *repetit ab Anno* XX Artaxerxis Longimani. *Quæ hypothesis cum hâc unâ præcipuè gravetur difficultate, paulò minus temporis* inde *esse lapsum usque ad* XV Tiberii: *Eruditorum Virorum sententiæ de ea expedienda discutiuntur, quæriturque, an hic intelligendæ sint* Hebdomadæ Annorum Lunarium? *vel, an statuendum*, Artaxerxem *cum Patre suo* Xerxe *per* novennium *regnasse*?

Ustra ferè ſunt novem, à quo ſententiam ſuam, ſingularem prorſus & paradoxam, de LXX *Hebdomadis Danielis* in lucem produxit Vir eruditionis & ingenii laude ſplendidorum natalium decus longè ſupergreſſus, Joannes Marshamus, apud Britannos Eques Auratus. quæ ſi ſtet, fruſtrà ſunt omnes Chriſtianiſmi Doctores, qui poſt Tertullianum ex celeberrimo hoc Oraculo certiſſimam ſuam fidem de *Jeſu Meſſia* magna cum contentione adſtruere & Judæos oppugnare niſi ſunt. Ferè enim ita adhuc Chriſtianæ profeſſionis hominibus perſuaſum erat, hunc imprimis locum Danielis eſſe qui veræ Religioni adverſus Judaicam incredulitatem aſſerendæ eorumque pertinaciæ expugnandæ faciat.

II. Nec tamen mihi innotuit, eſſe inter Doctores Chriſtianos, qui paradoxæ Eruditiſſimi Viri ſententiæ ritè atque ordine refellendæ ſingularem operam dederunt præter Chriſtophorum Wagenſeilium, doctrinâ meritiſque ſuis in Rem Literariam Celeberrimum Virum, in *Stricturis*, quas ſubjecit Libro, cui Titulus: *Tela Ignea Satanæ.* Utique Præclarus Vir, Petrus Daniel Huetius, qui poſt Marshamum hoc argumentum commentatus eſt, & hoc ipſum telum de novo Judæis dextrè intorſit, Marshamum vel præteriit, vel, preſſo Equitis Britanni nomine, paucis his verbis obiter ſolummodò perſtrinxit, quando ſcripſit, *Virum aliquem cæteroquin Eruditum, cum nuper novum aliquid ac certius ad expediendas hujus Oraculi difficultates adferre tentaverit, in magnas delapſum eſſe ineptias.* Ego verò ipſe quoque cum aliis facilè poſſem conquieſcere in eruditis Wagenſeilii curis, tanquam qui partes ſuas, ſive potius, communis cauſſæ adverſus Judæos, hic feliciter & non vulgari cum laude ſuſtinuerit. Ut tamen ſua cuique eſt pugnandi ratio, & in bellis literariis varium armorum genus: ſic veniam facilè impetravero à Lectoribus, qui magnum rei momentum conſideratè expendent, ſi ego quoque hic virium mearum periculum faciam, atque ejuſdem hujus cauſſæ vindicias variatâ inſtruendas methodo repetam; tum quoque novis agam atque urgeam argumentis. Cum enim Vir Cl. præmiſsâ integrâ Marshami oratione, ſuas in eam ſparſim ediderit ſtrictu-

Demonſt. Evang. Propoſ. IX. Cap. VIII. §. V. & ſeqq.

strictūras, sive animadversiones, quibus quæ notari merebantur, confutavit: faciam ego *primò*, ut Nobilissimi Viri sententia, paucioribus lineis descripta, in conspectum prodeat cum præcipuis, quibus superstructa est, hypothesibus, & tota simul oppugnetur, &, ut spero, convellatur: *deinde*, cum inter hypotheses, quę præstructę sunt interpretationi Oraculi Danielis, quam protulit Marshamus, nulla hic æquè in oculos incurrat, & caussæ Nobilissimi Viri videatur favere, quàm novum illud & ingeniosum ejus εὕρημα, quo Monarchiam quandam Perso-Medicam à Medica distinctam omnium Chronologorum primus finxit, ut videlicet Herodotum cum Xenophonte in gratiam reduceret: ad hanc potissimùm rem animum meum applicabo, & Monarchiam illam novam, quomodo Marshami mente concepta est, examini subjectam conabor subvertere, ut inde saltem huic caussæ præsidium peti nequeat. quod ipsum ferè intactum prætermisit Wagenseilius, tanquam qui haud dubiè existimaverit, quod res est, posse Marshami sententiam aliunde satis refelli, etiamsi fortè hæc hypothesis illi concederetur. Sed rem ipsam properè aggredimur, ne longior præfatio nobis fraudi sit.

III. Narrat itaque historia Libri Danielis, quâ hæc pericopa comprehensa est, accidisse *primo anno Darii, Filii Ahasveri, Medi, ad quem translatum fuerit imperium in Chaldæos*, ut Daniel, ex Sacris Libris observans, Annos LXX, quos Deus exilio Judæę Gentis præfiniverat, expirare; se converterit ad supplicationes pro salute Gentis suæ cum sincera culpæ confessione faciendas; à Deo exoraturus, si pote, liberationem Gentis ex turpi Exilio, à Jeremia Propheta exertè promissam: quo pietatis officio cum Daniel pro Gente sua defungeretur, narrat ipse, Gabrielem sibi apparuisse, Angelum illustrem, qui professus sit, se à Deo missum, ut res maximi momenti, fata, inquam, Judæi Populi, huc usque distinctè adeò non revelata, Danieli declararet, terminanda in majoris partis illius Populi ἀποστασίᾳ, & Reipublicæ instaurandæ excidio. Oraculum illud Gabrielis his verbis constat: *Septuaginta hebdomadæ definitæ sunt* (נחתך) *super Populum tuum, & super Urbem tuam sanctam, ad consummandam prævaricationem, & obsignanda peccata, & expiandam iniqui-*

Dan. IX. 1, 2, 3.

Vers. 21, 22.

Vers. 24.

 tatem,

tatem, & ad adducendam justitiam sæculorum, & obsignandam Visionem, & Prophetam, & ad unguendum Sanctum Sanctorum. Et cognosces, & prudenter considerabis, ab exitu Verbi, ut reducatur & extruatur Hierosolyma, (להשיב ולבנות h. e. hebræâ phrasi, *ut iterum ædificetur Hierosolyma:*) *usque ad* MESSIAM *Ducem, sunt hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ. Rursus ædificabitur* (*Revertetur, & ædificabitur,* phrasi hebræâ, quam modò notabamus:) *platea & fossa, & quidem in angustia temporum. Et post sexaginta duas hebdomadas exscindetur* MESSIAS, *& non sibi. Et Urbem & Sanctuarium perdet Populus Ducis advena, & finis ejus cum inundatione, & usque ad finem bella, decisa desolationes. Et confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ, & mediâ hebdomadâ cessare faciet sacrificium & munus, & per Alam abominationum vastator,* sive *desolatio, & quidem usque ad consummatum & decisum, stillabit in stupentem.*

IV. Qui hanc Gabrielis orationem ritè expenderit, facili negotio observaverit, illam duabus veluti absolvi partibus, *Propositione*, & illius Ἐξεργασίᾳ, sive, *Propositionis* uberiore *Expositione*. *Propositio* continetur ℣ſ. 24. Ἐξεργασία, sive *Propositionis Expositio* ℣ſ. 25, 26, 27. In *Propositione* id agit Spiritus S. per Gabrielem, ut in genere describat excellentia quædam beneficia, sub finem certi & definiti temporis LXX *hebdomadarum* in Ecclesiam conferenda. Ἐξεργασία totum illud spatium temporis in *tria intervalla* dispescit, nempe in *hebdomadas septem, sexaginta duas,* & *unam*, docetque distinctius, quid singulis horum temporum intervallis eventurum esset; tum quoque à qua *epocha* hoc totum tempus duceretur, & in quo desineret *termino*. Communem *Epocham*, à qua tempora hæc putanda essent, ait esse *Edictum* quoddam solenne, edendum de instauranda Hierosolyma. *Terminum* autem esse varium pro variis temporum intervallis. Et quidem *septem & sexaginta duas* hoc est, *sexaginta novem* hebdomadas, junctim sumptas, terminari in Adventu *Messiæ Ducis*: *Septem* harum, dandas esse instaurandæ Hierosolymę. post *sexaginta duas*, quę sequuntur, magnos expectandos esse rerum eventus. *Messiam illum Ducem*, cujus adventum Angelus jam prænunciarat, esse *exscindendum*, & quidem *mediâ parte hebdomadæ ultimæ*. cujus ejusdem hebdomadæ *alterâ mediâ parte* Fœdus

dus Gratiæ, à Messia prædicatum, esset *confirmandum*. Quæ tandem exciperet durum fatum subvertendæ per Ducem peregrinæ Gentis illius Reipublicæ & Civitatis, quæ Leges à Christo accipere recusarat, & se ejus cæde & sanguine non dubitarat polluere. Hæc summa est præstantis hujus Oraculi, in partes suas distracti: hic, quem exhibuimus, fatorum ordo.

V. Non hæsitarunt autem Christiani Interpretes, qui hanc Prophetiam à primis Ecclesiæ temporibus diligentius inspexerunt & tractarunt, quin in ea de *Christo* ageretur, & fatis Judaismi, Christi Jesu φανέρωσιν sequuturis. Videbant enim Christum Jesum ipsum in *Evangelio Matthæi*, excidium Hierosolymæ Urbis hic memoratum, disertè referre ad ultimum, luctuosum, & pœnitendum illius Urbis & Judææ Gentis casum; & beneficia amplissima, quæ Deus Ecclesiæ in prima parte hujus Oraculi promittit, non nisi hoc tempore Ecclesiæ præstita esse. etsi negari nequit, Tertullianum, qui fortè inter Doctores Ecclesiæ primævæ, quorum scripta supersunt, primus ingenii sui in hoc vaticinio exponendo periculum fecit, illud miserè & imperitè torsisse. Et videntur omninò rectè hic & feliciter calculos suos posuisse. Admittit enim Oraculum, aliàs obscurum certè & δυσνόητον, si secundum hanc hypothesin explicetur, interpretationem satis commodam, & omnibus suis partibus sibi ritè constantem. quod operæ pretium fuerit, imo prorsus necessarium, in antecessum paucis demonstrare, ut tantò majore cum fiducia mox disputationem cum Marshamo ventilandam ingrediamur. Perstringam itaque solummodò Danielis contextum brevi commentario: remisso in cæteris Lectore meo ad Joannem Vorstium, qui peculiari *Exercitatione*, eruditè compositâ, hoc vaticinium secundum illius verum & genuinum sensum, & nostram quoque mentem, dextrè illustravit.

Cap. XXIV. 15.
Advers. Jud. Cap. V.
Exercit. V. in Fascic. III. Opusc. Philolog.

VI. Propositio, ✠. 24. LXX *hebdomadæ decisæ sunt super Populum* TUUM, *& Civitatem* TUAM *Sanctam*. Fata *Gentis*, Daniel, cujus curâ & solicitudine afficeris, non *meæ* sed *tuæ*, (quod indignationis Divinæ argumentum est, peccatis Populi nondum expiatis:) circumscripta sunt in Divino consilio LXX *hebdomadis annorum*, h. e. 490 *Annis solaribus*: sub finem cujus spatii temporis fiet, ut *coërceatur defectio*, h. e. modus ponatur τῇ ἀπο-

Exod. XXXII. 7.

ἀποστασία deterioris partis Gentis Judæę fœdifragæ, excludendæ communione veræ Ecclesiæ. *& obsignentur peccata.* Gentes vocandæ ad communionem Bonorum Regni Dei Justitiæ & veræ Religioni operam dare incipiant, & quod hactenus fecerant, *peccare*, h. e. in peccatis & libidinibus pravarum cupiditatum vitam agere desinant. *& ut expietur iniquitas.* Nempe τῷ λύτρῳ ἱλασμῷ, quod Deo Vindici persolvendum erat in morte Christi. *& ut adducatur justitia seculorum.* Æterna justitię & vitę perennis caussà, quam Credentes habent *in obedientia Christi*, à Paulo insignita nomine τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης. *& ut obsignetur Visio & Propheta.* Impleantur, quę de Christo & Ecclesia Novi Testamenti, circa quę Spiritus in Prophetiis præcipuè occupatus fuit, extant: *Lex enim & Propheta usque ad Joannem vaticinati sunt. Et ut unguatur Sanctum Sanctorum.* Ecclesia Novi Fœderis, Corpus Christi Jesu mysticum, largè perfundatur donis Sp. S.

Rom. v. 17.

Matth. xi. 13.

VII. Ἐξεργασία, ℣s. 25. *Et cognosces & animum advertes: Ab Exitu Verbi*, sive *Edicti*, *de Hierosolyma readificanda usque ad* MESSIAM *Ducem*, *sunt hebdomada septem*, *& sexaginta dua.* Ab anno vicesimo Artaxerxis Longimani, qui primus Regum Persarum edictum edet de Hierosolyma ædificanda & munienda, usque ad tricesimum annum *Jesu* Messiæ, ex Maria nascituri, quo ipse tanquam נגיד *Dux* & *Doctor* in publico compariturus & Judææ Genti præiturus est, erunt Anni 483. *Rursus adificabitur platea & fossa*, *& quidem in calamitate temporum.* Hujus Intervalli hebdomadis *septem prioribus*, hoc est, annis 49 putandis à vicesimo Artaxerxis Longimani, Urbs Hierosolyma, usque ad illud tempus sordidè neglecta, instaurari incipiet & muniri, & antiquam æmulari tum structuram tum amplitudinem; etiamsi res Judæorum, pressorum à jugo Persarum, tenui sint futuræ loco. *Et post hebdomadas sexaginta duas exscindetur* MESSIAS, *sed non sibi.* Inde jam post Hierosolymam instauratam & firmatam Rempublicam si numeraveris annos 434. compariturus est *Messias*, in flore ætatis ferro perimendus, & violentâ manu obtruncandus à Judæis: non adeò sui ipsius quàm aliorum caussâ; electorum nimirum & credentium, qui fructu mortis ipsius gavisuri sunt. *Et Civitatem & Sanctuarium destruet Populus*

Ducis

Ducis Advenæ, & finis ejus cum inundatione, & usque ad finem bellum, & decisa desolationes. Postquam fœdifraga Judæorum Gens hoc se enormi crimine obstrinxerit: suscitabit Deus adversus eam Romanos, qui, Duce Tito, Vespasiani Filio, Urbem Hierosolymam captam diruent atque subvertent, & ipsum quoque augustum & splendidissimum Templi ædificium in cineres redigent. Belli autem, quod Romani cum Judæis gerent, ea erit ratio, ut in totam Judæam sit illaturum certissimam vastitatem & desolationem, nec terminandum sit, antequam Deus vindictam de hac Gente cum summa severitatis suæ demonstratione, per plura secula protrahenda, sumpserit. *Et confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ.* Habebit tamen intereà Deus rationem *electorum*, benè *multorum*, κατ' ἐκλογὴν χάριτος servandorum, quibus à Christo & ab Apostolis ejus *Fœdus* Divinæ Gratiæ exponetur; illustribus tam miraculis quam donis Sancti Spiritus inter illos confirmandum & obsignandum, per *septem* potissimum annos, ducendos à tempore, quo Dominus munus suum publicum inter Judæos auspicatus fuerit. *Et mediâ hebdomadâ cessare faciet sacrificium & munus.* Impetrabit autem Messias *suâ morte piaculari*, quæ incidet *in mediam hebdomadam*, h. e. *medium annum quartum* postquam orsus fuerit administrationem officii sui inter Judæos, ut Ecclesia, à se redimenda, liberetur vindiceturque à molestissimo jugo Legum & Rituum carnalium, cujus partem magnam faciunt *sacrificia*. *Et per Alam abominationum erit desolator*, sive *desolatio*, *& quidem usque ad consummatum & decisum stillabit in stupentem.* Et per exercitus Romanos, in quorum *signis* erunt Aquilæ & Imagines Imperatoris, cujusmodi idola Scriptura שקוצים *abominanda* appellat, summa in Sanctuarium inferetur *desolatio*, quę secundum præcisa Dei consilia Judæos ingente *animi stupore* perculsos occupabit, & identidem ad novos casus & mutationes rerum in variis mundi plagis per longa tempora, repetitis vicibus, veluti *stillando* consumet: ut speciminibus sub Trajano & Adriano demonstratum est. Dan. xi. 31. & xii. 11.

VIII. In hac interpretatione Oraculi Danielis nihil, ut videtur, est coactum. Historia ubique Prophetiam illuminat, & veram illius expositionem firmat. Tantum difficultas aliqua hæret in calculo temporum, ut hic à Daniele expressa sunt. Secun-

cundum Danielem, quemadmodum à nobis expositus est, intervallum, quod inter *undevigesimum Artaxerxis*, & *Annum Jesu Christi tricesimum primum* intercessit, constat Annis 483. Tot enim effluere oportebat à *vicesimo* Artaxerxis usque ad Christi *tricesimum* completum. Sed minus temporis est inter duo hæc intervalla in historia profana, quæ medium tempus inter duas illas Epochas ferè circumscribit Annis 474. *Vicesimus Annus* Artaxerxis Longimani secundum communem Chronologiam connectitur cum Anno P. J. 4269. Christi Jesu verò *Annus tricesimus ætatis*, qui secundum vulgatam sententiam incidit in XV Tiberii, illigatur Anno P. J. 4742. Inter quæ interstitium est Annorum 473. Quibus si accedat ipse Annus *Artaxerxis vicesimus*, sunt 474. ut adeo *novennium* hic supersit. Quæ differentia calculi cum non nullius momenti sit, & verè tota, quam dedimus, expositio, in hanc veluti recumbat hypothesin: meritò Eruditi Viri ingenium suum ad hanc difficultatem expediendam applicarunt, licet illud diversimodè tentarint.

IX. Et quidem sunt inter illos, qui Julium sequuti Africanum, præstantem in Vetere Ecclesia Virum, hic cogitarunt de *Annis Lunaribus*: quorum partes nuper quæsitâ eruditione suâ sustinuit Illustris Huetius. Sed nemo non videt esse quid in hac interpretandi ratione, quod offendat. Cum enim Anni in Calculis Scripturæ S. ubique, quod sciam, censeantur secundum periodos Solis: quæ caussa in solo hoc Loco cogitandi de periodis Lunaribus? Sed quod plus est in hoc negotio: hypothesis de *Annis Lunaribus* non sufficit huic nodo solvendo. Anni enim Lunares 483 non explent intervallum 474 Periodorum Solarium, sed multò minus exhibent temporis quàm petitur, ut cuique supputatione per calculum institutâ licet experiri.

Demonst. Evang. Propos. IX. Cap. VIII. §. IX.

X. Non substiterunt igitur hic Docti Viri, quibus curæ fuit Hebdomadas Danielis à *vicesimo Anno Imperii Artaxerxis* ordiri. Cum enim memorias, quæ supersunt de Xerxe & Artaxerxe, diligentius excuterent: reperisse sibi visi sunt, Imperii Artaxerxis Longimani, de quo agimus, duplex esse initium. Alterum quidem, quo *cum Patre annos circiter decem* regnavit, Anno nimirum Regni Xerxis *duodecimo* in Regni societatem adscitus; Alterum, post Parentis obitum, Annorum ferè 40. Cujus rei con-

conjecturam inde arcessunt, quod cum ex certa & communi historiæ fide constet, Themistoclem, malè ab Atheniensibus suis habitum, ad Regem aliquem Persarum confugisse: Pars optimorum Historicorum tradat, illum se commisisse fidei *Artaxerxis, qui nuper imperare cœperat*, ut nimirum faciunt Charon Lampsacenus & Thucydides, quibus Cornelius Nepos & Plutarchus subscribunt; Pars verò, illum pervenisse ad *Xerxem*, adhuc superstitem, & ab ipso humaniter exceptum: quippe quod Ephorus, Dinon, Clitarchus, aliique complures scripserunt. Qui Veteris historiæ Auctores non spernendæ fidei, aliter inter se conciliari posse non videntur, quàm si dicamus, *Artaxerxem à Patre destinatum Imperii successorem, ex vetere Persarum consuetudine, annis aliquot ante Patris obitum, Regni Collegam factum:* ut ipsi quoque Xerxi acciderat, à Patre Dario in Imperii societatem assumpto, cum adversus Ægyptios & Athenienses exercitum compararet; testante Herodoto; ut adeò Themistocles tam Xerxem quàm Artaxerxem salutare, sive potius *adorare*, potuerit. Quæ jam si admittatur hypotheses: facillimum dictu est, Nehemiam tempora Artaxerxis putare à priore, non à posteriore ejus initio. Placuit hæc sententia Petavio, qui passim pro ea seriò & diligenter disputat: quem sequuti ferè sunt inter Recentiores Doctissimus Rupertus, &, quem modò laudabamus, Vorstius. etsi utroque antiquiorem auctorem habet Bizarum; & jam ante Petavium prolixè discussa est à Pererio.

Lib. VII. Hist. in initio.

Lib. X. de Doctrina Temp. Cap. 25. & Ration. Part. II. Lib. III. Cap. X. In Synopsin Besoldi Min. Cap. VI. in Artaxerxe. Exercit. d. §. XXXV. Rer. Pers. Lib. II. pag. 67.

XI. Verum etamsi negari nequeat, Petavium probabilem suæ huic sententiæ obducere speciem: facere tamen non potuit, ut eam hactenus omnibus eruditæ Gentis hominibus persuaserit. Vidimus enim illam nostrâ ætate à duobus impugnari illustribus in re literaria Viris, Petro Daniele Huetio, & Ezechiele Spanhemio, quibus quis meritò in omni studiorum genere plurimùm tribuat. Observant illi, non modò Veteres Historicos hac de re prorsus silere, sed & Artaxerxem fratrem habuisse se majorem natu Darium, deinceps dolo Artabani interfectum, qui ante ipsum in Imperii societatem adsciscendus fuisset à Parente, si hoc Xerxi stetisset consilium. Tum præterea, ex historia demonstrari non posse caussam, quare Xerxes id agere instituisset.

Comm. in Dan. Lib. II. Part. II. L. c. §. VIII. Observat. in Orat. I. Jul. p. 278.

Xerxem enim postquam defunctus fuerit expeditione illa infelici in Græciam, (quæ in *sextum* Regni ejus Annum incidit:) nullam aliam illius generis memorabilem suscepisse. Persarum autem Reges solitos non esse Regni sibi ex filiis successores declarare, & in Imperii communionem illos assumere, nisi in notabilibus majorum Expeditionum casibus. Urget insuper Abrincensis Episcopus; si vel maximè quis admittat illam Petavii hypothesin: neutiquam tamen probabile videri, Nehemiam ab illa Epocha communicati cum Artaxerxe Imperii Annos Artaxerxis putaturum esse. Annos enim Imperatorum & Regum vulgò ab illo censeri temporis articulo, quo post obitum Decessorum suorum plenam & liberam regnandi potestatem adipiscuntur. Quæ argumenta licet non sint omnia ejusdem ponderis, & pleraque eorum jam anticipaverit Petavius, ac probabiliter evincere conatus sit, Artaxerxem Patre jam *Rege* procreatum fuisse, ac proinde secundùm Persarum instituta ad illum, ut ut natu minorem, pertinuisse Jus Imperii: ego tamen hic pedem non figam, nec Petavianæ hypothesi defendendæ me immiscebo, cum in proclivi sit hunc nodum longè faciliore & commodiore ratione solvere.

Caput II.

Continuatur disputatio de vero initio Artaxerxis Longimani; *quo* regnare incipiente, *cum Præstantiores Scriptores Veteris ævi tradant Themistoclem, fugâ elapsum, in Asiam venisse; historia Themistoclis in medium producitur, & inde evincitur, initium* Artaxerxis primi *per aliquot annos esse anticipandum, & Imperio* Xerxis *minus esse dandum temporis, quàm* historia vetus, *aut* Astronomorum Canon *illi tribuit*, *laudato* Usserio. *Examinantur deinde sententiæ Eruditorum Virorum, qui in contrarium nituntur, & Thucydidis* traditionem hanc historicam de Themistocle *cum* traditione

tione vulgata de Annis Imperii Xerxis *componere laborant*; *quas inter præcipuè* Annales Thucydidei, *nuper admodum studiosissimè instructi. Denique tempora* Pausaniæ & Themistoclis, *quæ apud* Diodorum Siculum *vitiosè digesta sunt*, *commodius ordinantur*, & *cum hypothesi de* vero initio Artaxerxis primi *componuntur*.

NEmpe vix est ut amplius dubitem, quin vulgata Chronologia & Historia verè laboret in temporibus Xerxis, cui Annos dat 19, 20, aut 21. quin omninò putem, Xerxem Regem *Anno* Regni post obitum Darii Patris sui *tertio decimo* verè vitam finiisse; ex communi Historicorum fide interemptum ab Artabano, Satellitum Regiorum Principe, cum filio suo majore natu Dario, sive, ut Ctesias scribit, Dariæo; & illo ipso tempore successorem habuisse Filium suum secundo sive potius *tertio* loco natum Artaxerxem; atque adeò per errorem illi, sive apud Veteres quosdam Historicos sive in Laterculo Ptolemæi, tribui Annos 20, aut 21. tum quoque Imperium hujus ejusdem nostri Artaxerxis in eodem Laterculo per vitium circumscribi Annis 41, cum potius constiterit Annis 50. Ita sanè mihi præluxit Vir in omni genere eruditionis sacræ verè excellens & memoriæ immortalis, Usserius, Armachanus, optimus temporum instaurator, in *Annalibus* suis, ubi hujus rei pro instituti sui ratione strictim quidem, sed sapienter, & fortè inter omnes Historicorum Systematum Auctores primus, meminit. quæ si stet sententia: omnia salva erunt & tuta, & certissimam habebimus præclari Oraculi Danielis interpretationem. Et verò stabit, si nos non fallat Thucydides, Historicorum, qui de hac re testari potuerunt, vetustissimus, & accuratissimus, quippe qui huic ipsi Artaxerxi fuit σύγχρονος, & Peloponnesiaci belli, sub hoc ipso Artaxerxe cœpti, historiam summâ fide condidit. Hoc itaque arbitro litem experiri licebit.

Ad A. M. 3531. Æræ. VI. p. 106.

II. Thucydides itaque in Historia sua primò accuratè notavit tempus obitus Artaxerxis; quem scribit fatum suum explesse *septimo Anno* Belli Peloponnesiaci. Narrat enim, Aristidem,

Archippi Filium, unum è Ducibus classis, ad socios ob pecuniam cogendam missæ, apud Eïonem, quę est super Strymonem, cepisse Artaphernem Virum Persam, ab Artaxerxe Rege ad Lacedæmonios cum literis missum, quibus Rex præter alia illos hortatus sit, ut cum hoc Viro, cui se tutò committere possent, ad se mitterent legatos, qui clarius desideria sua Regi exponerent: Athenienses verò, perlectis literis, Artaphernem unà cum Legatis triremi misisse Ephesum; ubi cum accepissent, *Artaxerxem*, *Xerxis Filium*, *proximè excessisse è vita* (*per id enim temporis*, ait, *decesserat:*) *domum rediisse*. Verba Thucydidis; ut leguntur *Libro Quarto:* Οἱ πυθόμενοι αὐτόθι βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Χέρξου νεωστὶ τεθνηκότα (κατὰ γὰρ τοῦτον χρόνον ἐτελεύτησεν) ἐπ' οἴκου ἀνεχώρησαν. Et mox post pauca interjecta: Καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα, καὶ ἕβδομον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψε. *Atque ita hyems exiit*, *simulque* SEPTIMUS ANNUS *hujus belli*, *quod Thucydides conscripsit*. Is verò Annus est *Quartus Olymp*. LXXXVIII, qui connectitur cum Anno P. J. 4289. cum *Bellum Peloponnesiacum* cœperit ad finem decurrente *Anno primo* Olymp. LXXXVII, qui illigatur Anno P. J. 4283. Terminum habemus Regni Artaxerxis: quæramus initium.

Edit. Steph. p. 137.

III. Refert itaque Thucydides ejusdem *Historiæ suæ Libro Primo*, Lacedæmonios, post sumptum de Pausania supplicium, Themistoclem apud Athenienses detulisse, tanquam qui ejusdem criminis reus esset, & Patriam Persis, perinde ac Pausanias fecerat, prodere niteretur: Themistoclem, Athenis jam per Ostracismum exulem, & apud Argos agentem, cum id præsentiret, primò in Corcyram profugisse; mox cum iis gravis esset, se contulisse ad Admetum Molossorum Regem; & tandem pervenisse Ephesum: inde verò in mediterranea profectum *literas dedisse* εἰς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου, νεωστὶ βασιλεύοντα, *ad Regem Artaxerxem Xerxis Filium*, *qui* NUPER INCEPERAT *regnare*. qui jam Annus si à nobis demonstrari possit: verum simul demonstraverimus Artaxerxis initium. Est autem, ut Eusebius jam in *Chronico suo* notavit, *Quartus* Ol. LXXVI, sive potius *primus* Ol. LXXVII, qui illigatur Anno P. J. 4241. aut 4242. *traditioni Thucydidis*, ait ὁ πάνυ, modò laudatus, *satis convenienter*, *qui inter Naxiorum obsidionem*, *& nobilem illam Cimonis de Persis ad Eurymedontem partam victoriam*

P. 44.

riam Themistoclis ad Artaxerxem adventum statuit. Benè quidem id observavit Usserius. Themistoclis fuga incidit in illud tempus, quo Naxus ab Atheniensibus obsessa est. Narrat enim idem Thucydides, Themistoclem ab Admeto Molossorum Rege dimissum, cum navem conscendisset onerariam, quæ se in Joniam transferret, ortâ tempestate delatum esse in Exercitum Atheniensem, qui *Naxum* obsidebat, & non absque magno salutis suæ discrimine salvum evasisse. Naxum verò obsessam & occupatam esse ab Atheniensibus ante celeberrimam illam Cimonis victoriam tam navalem quàm terrestrem de Persis reportatam, *ad fluvium Eurymedontem in Pamphylia*, ex alio Thucydidis loco evidentissimè liquet. Quæ victoria à Diodoro Siculo refertur ad A. III. *Olymp.* LXXVII. *Archonte* apud Athenienses *Demotione*. Ex quibus ἐν πλάτει satis demonstratur, Artaxerxis initia per aliquot annos altius esse repetenda, quam à vulgatis fit Historicis, & ipso nostro Diodoro.

Lib. 1. Hist. p. 32.
Biblioth. Lib. XI. p. 273.

IV. Imo certè: si stare hic possimus auctoritate Thucydidis, & certò constet, Themistoclem in Persiam fugisse ante A. III. *Olymp.* LXXVII. Ab his enim duobus principiis demonstratio nostra pendet. Quod verò ad auctoritatem Thucydidis attinet: cum aliàs quod ad fidem historiæ sit summa & spectatissima, tum verò inter Veteres Historicos, qui supersunt, neminem habemus, qui ad hæc tempora propius accesserit, quippe qui circa vel paulò post Themistoclis fugam in lucem editus est, & ipsi Artaxerxi σύγχρονος vixit. Herodotus enim, qui ante Thucydidem floruit, nos hic destituit, utpote qui historiam suam solummodò ad *nonum Annum* Xerxis perduxit. Sustinet autem fidem Thucydidis hoc in casu *Charon Lampsacenus*, Thucydide prior, qui de *Persicis* commentatus est circa ipsa hæc tempora, de quibus nunc agimus, & ipse quoque scriptum reliquit, *Themistoclem* ad *Artaxerxem*, Xerxis Filium, venisse, ut auctor est Plutarchus. qui idem summæ fidei & judicii Scriptor his nixus auctoribus se neutiquam commisit posteriorum temporum traditioni, quam *Ephorus*, *Dinon*, *Clitarchus*, *Heraclides*, & plures alii recentiores promoverunt, acsi Themistocles ipsum adhuc superstitem convenisset Xerxem; censens, nimirùm *temporum rationem*, quam iniit Thucydides, *hic magis congruere.*

In Themistocle, p. 124.
l.c. Τοῖς δὲ χρονικοῖς

quod judicium prudens jam ante fuerat Nepotis, qui, hoc ipso de casu Themistoclis agens, *Scio*, ait, *plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse: sed ego potissimum Thucydidi credo, quod ætate proximus de his, qui illorum temporum historiam reliquerunt, & ejusdem Civitatis fuit.* Ad quæ jam accedit, quod nulla vetus historia Annos Regni Xerxis ἀποτόμως definiat, & quæ Xerxes post XII Imperii Annum egerit, non constet. Stat igitur hactenus Thucydidis auctoritas.

δοκεῖ μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθ. In Themist. Cap. IX.

VI. Quod verò ad *Alterum* illud attinet, nempe, *Themistoclem in Persiam fugisse ante* Annum III. *Olymp.* LXXVII. Veteris Historiæ & Chronologiæ Auctores omnes, quos consulere potui, concedunt, præter Funccium. (a) Ille enim Vir, cætera diligens & eruditus, cum rectè observasset in *Commentariis suis Chronologicis*, tempora Xerxis in Vetere Historia confusè digesta esse; rem alio modo conatus est expedire. Conjicit ille demùm fugam Themistoclis in *Annum* IV. *Olymp.* LXXVIII. idque hac ratione nititur adstruere. Patere ait ex Plutarcho, *pulso Themistocle statim apud Athenienses Imperatorem factum Periclem, atque id honoris obtinuisse Annis* 40. Thucydidem verò tradere, *Periclem vitâ functum esse Anno Belli Peloponnesiaci tertio. Bellum* autem *Peloponnesiacum* cum *initium habuerit Olymp.* LXXXVIII. quippe quod liqueat ex Xenophonte, *vicesimum primum illius Belli Annum cum Olympiade* XCIII. *conferente:* consequens esse, ut Casus ille Themistoclis inciderit in *Annum* IV. *Olymp.* LXXVIII.

Lib. II. p. 44.

VI. Ego verò non nego, Funccii hanc Chronologiam nostras turbare rationes, si certis nixa sit principiis. Sed vacillat sanè, nec fert rigidius examen. Etenim, α. Post Chronologiæ studium felicius excultum egregii & Funccio tum Posteriores tum quoque peritiores Viri ex Thucydide, & variis characteribus Astronomicis, hic amicè conspirantibus, certò demonstrarunt, Bellum Peloponnesiacum incidisse in *Olymp.* LXXXVII. *Annum* I. ad finem decurrentem, non verò in Annum I. *Olymp.* LXXXVIII.

(a) Sic scripseram ante hosce septem annos, quando mihi nondum videre contigerat Chytræi & Dodwelli *Annales Thucydideos*, quorum *hi* post illud tempus demum in lucem sunt editi; de quibus sententiam meam mox explicabo.

LXXXVIII. Post Scaligerum id evicit Petavius, in majore Opere de *Doctrina Temporum*, qui metachronismos Xenophontis, elegantissimi cæteroquin Scriptoris, qui Historiam hujus Belli Thucydideam continuavit, deprehendit ac detexit. Nec ea de re nunc amplius, quod sciam, à Doctioribus dubitatur, aut disputatur. nisi quod nuper admodum Cl. Dodwellus, (a) harum literarum peritissimus, conjecerit *Characteres* illos *Olympiadum*, qui extant in Hellenicis Xenophontis, ab aliena esse manu. Disputat enim Vir eruditus probabili specie, morem tempora per Olympiades signandi, hactenus, certè ante Xenophontem, receptum non fuisse. quin & ante eum id monuerat Marshamus (b). Utique qui illos Olympiadum Characterismos apud Xenophontem notavit, in errore fuit, & erroris ansam præbuit Funccio. β. Quod Funccius dicit, *Periclem*, *pulso Themistocle*, *mox factum esse Imperatorem*, idque liquere ex Plutarcho, (hâc enim hypothesi tota ferè ejus sententia nititur:) quantum intelligo, falsum est. Themistocli enim per Ostracismum exuli non mox substitutus est Imperator Copiarum Atheniensium Pericles, sed Cimon, Miltiadis Filius, ut concors Nepotis, Diodori, Plutarchi, áliorumque est traditio, qui res Græcorum ex Veterum Monumentis posteritati commiserunt. Plutarchus: *Capessentem Rempublicam* (Cimonem) *excepit Populus lubens*, καὶ μεστὸς ὢν τοῦ Θεμιστοκλέους ἀνῆγε εἰς τὰς μεγίστας ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχὰς, *& jam fastidiens Themistoclem*, *ad magnos in urbe honores & imperia provexit*. Sic omninò etiam Diodorus, postquam Themistoclis fugam retulisset ad A. II. *Olymp*. LXXVII. mox ad sequentem Annum: Ἐπὶ δὲ τούτων Ἀθηναῖοι στρατηγὸν ἑλόμενοι Κίμωνα

De Doct. Temp. Part. II. Lib. X. Cap. XXVII, XXVIII.

In Cimone, Edit. Par. p. 481.

Biblioth. Lib. XI. ad h. A.

(a) Dodw. *Præl. Inaug. de Antiq. Historia Græca* in Præl. Acad. ad Hist. Aug. *Sunt enim aliunde suspectæ mihi*, *quas in hodierno Xenophonte legimus*, *Olympiades*. *Nec sibi constat in hac caussa ipse Xenophon*. *Unam alteramque memorat Olympiadem*: *sic tamen ille ut longè sæpius omiserit*, *nec mendæ suspicione careant paucæ quoque illæ*, *quas memorat Olympiades*, *à veris temporum rationibus nonnunquam alienissimæ*. *Librariis itaque*, *aut studiosorum marginalibus Annotamentis tribuenda illa potius arbitror*, *quam ipsi Xenophonti*.

(b) Canon. Chron. ad Sæc. XVI. p. 487. *Nam ineptissima ista* Olympiadum, Archontum, Ephororum, συγχύσεις, *quæ in Hellanica Xenophontis irrepsit*, *glossatoris cujuspiam inscitiam prodit*.

Κίμωνα τὸν Μιλτιάδου, καὶ δύναμιν ἀξιόλογον περιθέντες· καὶ τὰ ἑξῆς. Sed nullo hic alio indigemus impræsentiarum teste ac ipso Plutarcho, ad quem Vir Doctus provocat. Is enim neutiquam id dicit, quod Funccius præfert, *statim pulso Themistocle* ad Imperatoriam dignitatem provectum esse Periclem; sed potius, quod quod nos modò monebamus, inter Themistoclem & Periclem medium interponit Cimonem. Verba ejus: Ἐπεὶ δὲ Ἀριστείδης μὲν ἀπεθνήκει, καὶ Θεμιστοκλῆς ἐξεπεπτώκει, Κίμωνα δ' αἱ στρατεῖαι τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ἔξω κατεῖχον, οὕτω δὴ φέρων ὁ Περικλῆς τῷ δήμῳ προσένειμεν ἑαυτόν. *Postquam verò defunctus esset Aristides, & Themistocles ejectus; Cimon autem in Expeditionibus extra Græciam distringebatur: tum demum Pericles se studiosè adjunxit partibus Plebis*, sive, ut Interpres, *accessit ad Rempublicam*. Nihil igitur ejus hic est, quod Vir Doctus suæ sententiæ substravit: & possunt adeò suo stare loco, quæ ex Thucydide ritè demonstrata sunt (a).

In Pericle, p. 155.

VII. Tantùm tamen ἐν πλάτει tempus pulsi Themistoclis hactenus deteximus: ipsum verò *Annum*, quo in Asiam trajecit, nondum κατ' ἀκρίβειαν indicavimus. Et liceret omninò hic sub-

(a) Post hæc paucis abhinc annis scripta, in manus meas incidit *Chronologia Historiæ Herodoti & Thucydidis*, instructa à Davide Chytræo, erudito Viro & de Ecclesia Christi *Sæculo Reformationis* præclarè merito, *Argentorati* edita A. CIƆIƆLXIII. quem observavi tempora *Themistoclis* pariter sic componere, ut *fugam Themistoclis* in *Corcyram*, *Epirum*, &c. in Annum *Xerxis* XIX, & XX. post Διάβασιν Ejus XII. conjiciat. Quod ut efficiat: historiæ sive rebus Pausaniæ, cum Persis colludentis, usque ad supplicium de eo sumptum; dat annos integros *novem*. Facit enim Pausaniam, Ducem Spartanum, cum Aristide & Cimone Atheniensibus, Græcas Urbes in Cypro & Hellesponto liberantem, A. Xerxis X. eundemque post occupatam Byzantium literas ad Xerxem dantem *Anno sequente*, h. e. Xerxis XI. OL. LXXVI. I. in quo à Grege Historicorum nihil differt: eundem tamen Pausaniam per tot annos proditorem Patriæ, nec tamen convictum plenè, punitumque statuit ante Annum Xerxis XIX. quando exitio ejus adversarii nisi sunt involvere Themistoclem, tum quidem temporis apud Argos exulem. Verum si aliâ ratione impetrare nequeat Chytræus, ut producantur tempora Themistoclis: perdiderit operam. Historia enim Pausaniæ proditoris Patriæ suæ tanti temporis moram nec postulat, nec ferre poterit, si vel ipso stemus judice Thucydide. Plus temporis illi lubens

ſubſiſtere, niſi aliunde, ut mihi perſuadeo, major lux affulgeret. Diodorus Siculus conjicit Exilium & Fugam Themiſtoclis in Annum II. *Olymp.* LXXVII. qui incidit in A. P. J. 4243. quem Temporum digerendorum Auctores, Petavius, Jacobus Cappellus, aliique, paſſim ſequuntur. Euſebius verò tam in *Chronico*, quàm in *Canone Chronico*, hoc charactere ſignat Annum I. *Olymp.* LXXVII; non IV. *Olymp.* LXXVI. ut ſcripſit Uſſerius. L. c.

I i

lubens concedo, quàm Diodorus: ſed *octennium* vel *novennium* lapſum eſſe à primo ſceleris tentamine uſque ad ejus exitum, narratio Thucydidis, & ipſa ratio, & ingenium Pauſaniæ, credere vetant. Quod addit Vir Doctus in demonſtrando initio Artaxerxis: *Inter finem belli Xerxis & initium Peloponneſiaci, interſunt anni, teſte Thucydide & Diodoro Siculo* L. *Vixit autem Artaxerxes in Imperio* XLIV, *annos, ut omnes conſentiunt, & obiit anno* VII. *Belli Peloponneſiaci, ut Thucydides ſcribit. Ergo neceſſe eſt, eum anno* XXXVII *ante initium belli Peloponneſiaci Regnum inchoaſſe.* largior, certam eſſe collectionem, ſi indubitatò conſtet, Artaxerxem ſolummodo per XLIV annos regnaſſe. in quo *omnes conſentire*, cum ſcripſerit Vir optimus, nullam eorum habuit rationem qui diſſentiunt. Nihil certius quàm Veteres, Diodorum putà, Canonem Aſtronomicum, Euſebium, huic Artaxerxi, dare vel XL vel XLI annos, non XLIV. Sed id ipſum eſt, quod ego nunc diſputo.

Mitto Chytræum, dum longè gravioris me premit auctoritatis & rationis pondus in *Annalibus Thucydideis*, quos tam diligenter quàm eruditè compoſitos proximis hiſce annis in lucem miſit Cl. Dodwellus. Admittit Vir Eruditus receptam hypotheſin de Annis *Xerxis*, ejuſque Imperio ſecundùm *certiſſimum*, ut ſcribit, *Canonem Aſtronomorum* dat annos XXI; utique *poſt* XXI *Thoth* fato ſuo eſſe perfunctum, etiamſi fortè poſtquam primum anni XXI *diem ſuperaſſet*, breviſſimo tempore ſuperfuerit. Artaxerxi ex fide ejuſdem *Canonis* concedit Annos XLI. Hypotheſin verò Petavii in ſuperioribus relatam, quæ Artaxerxen cum Parente ſuo Xerxe per aliquot annos *regnaſſe*, ſupponit, rejicit ac ſatis operosè refellit. Quando tamen, nixus auctoritate Thucydidis & illo ſuperioris Charontis Lampſaceni, certum habet, Artaxerxem jam admotum fuiſſe imperio, quo tempore Themiſtocles, fugâ elapſus, in Aſiam venit: neceſſe habet Themiſtoclis, atque adeò etiam Pauſaniæ, tempora longius multò producere, quàm vulgus Chronologorum facit; idque ita exequitur, ut quis à ſumma ejus peritia in hoc ſtudii genere meritò expectet. Στρατηγίαν itaque Pauſaniæ, ejuſque prima proditionis tentamina, poſt expugnatam

Annal. Thucyd. p. 80.

Annal. Thuc. p. 146.

Annal. p. 78.

rius. In *Canone Chronico* explicatè huic Anno, hoc est, I. *Olymp.* LXXVII subjicitur: Θεμιστοκλῆς εἰς Πέρσας φεύγει. Usserius tamen, ut dixi, id adscribit *Anno* IV. *Olymp.* LXXVI. atque adeò *biennio* distat à Diodoro Siculo. Connectitur autem A. IV. *Olymp.* LXXVI. cum A. P. J. 4241. quem eundem *Annum* Armachanus Præsul *primum* facit Imperii *Artaxerxis*. Ego verò nullus dubitem, quin Vir ubique prudens & oculatus, Annum hunc rectè

gnatam Byzantium, cum Atheniensium Ducibus Cimone & Aristide, demùm refert ad A. Olymp. LXXVII. $\frac{2}{4}$, ante Christ. 470. *decennio integro post* Διάβασιν Xerxis in Græciam; spretâ auctoritate Diodori. In *annum sequentem* Olymp. LXXVII. $\frac{3}{4}$, conjicit *Ostracismum Themistoclis*, & *exitum Pausaniæ*. Fugam Themistoclis, quâ delatus in Asiam est, illigat Olymp. LXXVIII. $\frac{2}{4}$. Ejusque adventum in Aulam Persicam *Anno sequenti*, quo Artaxerxes νεωστὶ *nuper admodùm* inceperit *regnare*. Fundamentum huic Chronologiæ præcipuum substernitur locus insignis Isocratis in *Panathenaico*, quo Lacedæmonii *Imperium in Socios Græcos* solummodò tuiti esse dicuntur per *annos decem*; Athenienses autem per *annos* LXV. Constat autem satis, socios se subtraxisse *Imperio Spartanorum*, quo tempore Pausanias apud Byzantium se insolentius in Præfectura gerebat, & Aristides suâ tum humanitate tum existimatione virtutis, illorum sibi conciliabat favorem. Initium *Imperii* simul patet arcessendum ab Anno *Expeditionis Xerxis*. Non errasse autem Isocratem in *calculo*, inde vel maximè videtur liquere, quod anni illi LXV, quos adscribit *Imperio Atheniensium*, terminentur in A. Ol. XCIII. $\frac{1}{4}$. quo victi Athenienses ad *Ægospotamon*, & cum clade illa tam *libertatem* quàm *Imperium in Socios* amiserunt. Ab *Expeditione* enim *Xerxis* usque ad illum Annum nobilissimæ Civitati fatalem lapsi omninò sunt Anni LXXV. Verba Isocratis: Σπαρτιᾶται μὲν γὰρ ἔτη δέκα μόλις ἐπεστάτησαν αὐτῶν, ἡμεῖς δὲ πέντε καὶ ἑξήκοντα συνεχῶς κατέσχομεν τὴν ἀρχήν. Fateor hæsisse me ad hunc locum, cum primùm oc urreret. videtur enim demonstrationem complecti solidam & perfectam, in qua nihil desideretur, si Isocratis testimonium hic sit omni exceptione majus. Atqui nec Isocrates tàm longè ab illis temporibus abfuit; & fuit ille Historiæ Græcæ imprimis peritus; &, quod hic præcipuè observandum; Intervalla bina, ab ipso descripta, reddunt accuratè illud tempus, quod aliunde constat lapsum esse ab Expeditione Xerxis usque ad inclinatam rem Atheniensium. Accedit etiam illud, historiam Diodori in rebus Pausaniæ absque omni dubitatione vitiosam esse. Et tamen si hypothesin Cl. Viri, in Isocratis hoc loco fundatam,

rectè hâc notâ insigniverit. Thucydides enim, Plutarchus, & Nepos quoque, tradunt, Themistoclem, jam per Ostracismum exulem fuisse Athenis, & in Peloponneso apud Argos versatum esse, quo tempore Pausanias turpissimum illud scelus de Patria sua Persis prodenda meditabatur: operam verò dedisse Pausaniam, ut, commodâ illâ captatâ occasione, Themistoclem in societatem illius criminis perduceret. de qua re cum quoque

Hist. Lib. I. p. 44. In Themist. p. 123. In Themist. Cap. VIII.

Ii 2 con-

tam, sequare: magnam in historia Græca deprehendis lacunam illius temporis, quod proximè sequutum est Expeditionem Xerxis; quo probabile non est, otiosos fuisse Græcos, maximè Lacedæmonios; (Atheniensibus enim plus dari potest temporis ad Urbem suam reparandam necessarii; etsi id quoque opus certum sit festinatò processisse;) & quo tamen quid egerint, demonstrari nequit. Quod ut clarius liqueat: utriusque hypotheseos schema per modum ἀντιθέτως inter se comparabo.

P. J.	Usserii.	Ol.	Xerx.	Dodwelli.	A. Ch.
4234.	Expeditio Xerxis.	74. 4. 75. 1.	6. Secundū Usser.	Expeditio Xerx.	480.
4235.	Prælium Platæense, duce Pausaniâ.	75 1/2.	7.	Prælium ad Platæas.	479.
4236.	Xerxes in Persia indulget Epulis & amoribus.	75 2/3.	8.	Urbem instaurant Athenienses.	478.
4237.	Pausaniæ, & Sociorum Atheniensium sub Aristide, Expeditio in Cyprum.	75 3/4.	9.	Athenienses absolvunt Portum Piræeum.	477.
4238.	Pausaniæ post expugnatam Byzantium prima Proditionis tentamina. Dimissio Captivorum. Literæ ad Xerxem. Defectio Sociorum à Pausania.	75. 4. 76. 1.	10.		476.

P. J.

constiterit Lacedæmoniis ex scriptis quibusdam à Pausania relictis, & post ejus interitum inventis, tum verò Lacedæmonios gravem illam accusationem de Themistocle absente instituisse apud Populum Atheniensem, & cum eo de Themistocle prehendendo, & hujus criminis publicè postulando, iniisse consilia. Pausaniæ autem interitus, cum vulgò ab Historicorum Systematum Scriptoribus referatur ad A. IV. *Olymp.* LXXV. quomodo

P. J.	Usserii.	Ol.	Xerx.	Dodwelli.	A. Ch.
4239.	Pausanias Spartam revocatus, & mox iterum, ab Ephoris accusatus proditionis.	76 $\frac{1}{2}$.	11.		475.
4240.	Pausaniæ exitus. Sociorum, sub Præfectura Atheniensium, commune Ærarium. Xerxis Mors. Initium *Artaxerxis*.	76 $\frac{2}{3}$.	12.		474.
4241.	Themistoclis fuga, & adventus in Asiam. Naxi obsidio.	76 $\frac{3}{4}$.	Artaxerx. 1.		473.
4242.	Themistocles in Persia apud Aulam.	76. 4. 77. 1.	2.		472.
4243.	Cimonis, Atheniensium Ducis, victoriæ in Caria & Lycia.	77 $\frac{1}{2}$.	3.		471.
4244.	Cimonis victoria apud Cyprum & Eurymedontem fluvium.	77 $\frac{2}{3}$.	4.	Στρατηγία Pausaniæ, Aristidis, Cimonis. Byzantium captum. Pausaniæ proditionis initia.	470.

P. J.

modo fieri potest, ut fuga Themistoclis demum referatur ad *Annum* II. *Olymp*. LXXVII? An enim probabile est, Lacedæmonios, pessimè in Themistoclem affectos, per *sexennium* præstolaturos esse, antequam illum, magni adeò criminis suspectum, apud Athenienses accusarent? Maximè cum illi ob hoc Pausaniæ scelus in magnam apud Græciæ Populos incidissent invidiam, & vehementer cuperent illius partem aliquam in Athenien-

P. J.	USSERII.	OL.		DODWELLI.	A. Ch.
4245.	Cimonis aliæ victoriæ.	$77\frac{3}{4}$.	5.	Cimonis ad Eurymedontem prælium. Ostracismus Themistoclis. *Pausaniæ detectum scelus* & *supplicium*.	469.
4246.		77. 4. 78. 1.	6.	Fuga Themistoclis, dubium, an *hoc anno*, an *sequente*.	468.
4247.		$78\frac{1}{2}$.	7.		467.
4248.		$78\frac{2}{3}$.	8.	Obsidio Naxi. Adventus Themistoclis in Asiam. Xerxis mors sub finem hujus Anni vel initio sequentis.	466.
4249.		$78\frac{3}{4}$.	9.	Hoc anno Themistocles venit ad Aulam Persicam.	465.

Videt quisque lacunam ingentem in Chronologia Eruditissimi Viri inter *Expeditionem* sive *Trajectum Xerxis in Græciam* & Στρατηγίαν *Pausaniæ*, Lacedæmoniorum & Græcorum omnium summi Imperatoris, victoriam de Persis Græciâ exactis, cum Aristide & Cimone, Atheniensium *Ducibus*, persequentis: quo *Decennio* post instauratas Athenas & instructum sive absolutum *Portum Piræeum*, nihil actum esse à Græ-

Lib. xi. p. 269. nienses devolvere? Non ignoro equidem, Diodorum Siculum, quem Systematum Historicorum Scriptores, Petavius, Capellus, Simsonius, aliique in Rationibus Chronologicis hic sequuntur, Casus illos notabiles Pausaniæ & Themistoclis aliter paulò enarrare, & duplicem memorare accusationem, Themistocli à Lacedæmoniis de conspiratione adversus Græciam intentatam, à quarum altera ipse præsens adhuc Athenis ante Ostra-

à Græcis, in Persas summo jure valdè animatis, ratio credere vetat; & tamen quid actum sit, nemo doceat vel demonstret, si à *vulgata Chronologia*, qualis emendata est ab Usserio, (res enim Pausaniæ in unum annum contractas à Diodoro, longius postulare spatium, dubium non est:) discesseris. Quin Plutarchus *Aristidis* & *Cimonis* gesta sic describit, ut Expeditionis in Cyprum & Byzantium mox post *Prælium Plataeense* meminerit. Et quidem de Cimone exertè: Ἐπεὶ δὲ Μήδων φυγόντων ἐκ τῆς Ἑλλάδος, ἐπέμφθη στρατηγὸς κατὰ θάλατταν. Justinus Trogi: *Post hæc* (prælium ad Platæas & refectas Athenas:) *Spartani, ne vires otio corrumperent, & ut bis illatum à Persis & Græcis bellum ulciscerentur, ultrò fines eorum depopulantur.* Pariter Nepos: POST ID PRÆLIUM *eundem Pausaniam cum Classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt*, &c. Sed nemo liquidius ipso Thucydide: *Et Athenienses quidem ad hunc modum cum alia munierunt, tum muros extruxerunt* εὐθὺς μετὰ τὴν Μήδων ἀναχώρησιν STATIM POST DISCESSUM MEDORUM. *Pausanias autem Lacedæmonius, Cleombroti Filius, Græcorum Dux, cum viginti navibus ex Peloponneso missus est, quem comitatæ sunt triginta Atheniensium naves, & aliæ sociorum permultæ; ingressique hostiliter Cyprum, multa ejus oppida subegerunt; deinde profecti Byzantium*, &c. Sensus est, Græcos ita *inhæsisse vestigiis Persarum*, quam primum id res ipsorum permiserunt, ut non *siverint* illos ἀναπνεῦσαι καὶ στῆναι *respirare & consistere*, quod Plutarchus de *Cimone*. Nullibi comparet *Decennale* ejusmodi *otium*, tam adversum rebus Græcorum, quàm Persarum commodissimum. Et credas etiam, Pausaniam, Themistoclem, Cimonem, Aristidem, consilio & manu promptos Viros, Persas tantum temporis inultos reliquisse? aliud ipsis indulturos esse *Decennium* instruendæ novæ *Expeditioni*? *Decennium* enim inter Pugnam Marathoniam & Expeditionem Xerxis intercessisse, testatur Thucydides, & aliàs liquet ex Herodoto. Accedit etiam illud, Virum Cl. cum *Annales* maximè *Thucideos* construeret, ut tempora Themistoclis pro voto producere posset, suas rationes ab iis Thucydidis palam sejunxisse. Cum enim Thucydides Naxi obsidionem & expugnationem clarissimè dicat præcessisse

Vita Cim. p. 481. — Lib. II. Cap. IV. — In Pausania, Cap. II. — Lib. I. p. 31. — p. 485.

stracismi Exilium fuisset absolutus; alteram verò cum absens esset, à Lacedæmoniis cum optato successu repetitam, sequuta esset illa, de qua agimus, Themistoclis fuga. Sed nullam nos rationem habemus hic deserendi certum, & illis temporibus proximum, Auctorem Thucydidem, & gravem atque accuratum imprimis Plutarchum: estque illorum auctoritas apud nos potior illa Diodori, alios hic, & haud dubiè minoris fidei Auctores,

fisse Atheniensium prælium cum Medis ad *flumen Eurymedontem*: ipse contra hoc *Prælium* illigavit Anno Ol. LXXVII. $\frac{1}{4}$. & *Naxi obsidionem* retulit ad Ol. LXXVIII. $\frac{2}{3}$. *triennio* post. Ejusdem consilii fuit, quod cum Thucydides scribat, Themistoclem cum appulisset Ephesum, *literas dedisse ad Artaxerxem*, νεωστὶ βασιλεύοντα: ipse quo spatium daret majus itineri Themistoclis in Persiam: *Hoc tandem anno ad aulam Persicam venit Themistocles. Ad Regem Artaxerxem, Xerxis Filium*, νεωστὶ βασιλεύοντα, inquit Thucydides. Addo, moram temporis, quæ in hac χρονολογίᾳ interjicitur inter damnationem Pausaniæ, & accusationem Themistoclis, ejusque fugam in Asiam, nimis extendi, quàm ut conciliari queat cum ratione aut narratione Thucydidis. Sed frustra fortè ego tot verba fundo, cum non dubiè obstet disertum testimonium Isocratis. Obstare videtur, fateor; fortè tamen non absque ratione contendo, quod evincam, locum etiam hic esse exceptioni. Quid si enim Isocrati Rhetori opponam ejusdem artis & studii præclaros Viros de hac ipsa re contrarium testantes, & Imperium Lacedæmoniorum arctiori spatio includentes, Demosthenem, inquam, & Lysiam? Demosthenes utique apertè: Οὗτοι μὲν πέντε μὲν καὶ τετταράκοντα ἔτη τῶν Ἑλλήνων ἦρξαν ἑκόντων *Hi autem* (Athenienses) *annos quidem* QUINQUE ET QUADRAGINTA *volentibus Græcis imperarunt*. Terminus horum quidem *quinque & quadraginta annorum* est *initium Belli Peloponnesiaci*. *Bellum* verò Peloponnesiacum ex certissimo Thucydidis testimonio distat ab *Expeditione Xerxis* per *annos quinquaginta*. Consequens est, secundùm Demosthenem Præfecturam Lacedæmoniorum non *decennio*, sed *quinquennio* circumscribi. Lysias: Ἑβδομήκοντα μὲν ἔτη τῆς θαλάττης ἄρξαντες. Athenienses sc. Finis horum *septuaginta annorum* est idem qui decretoriæ pugnæ ad Ægospotamon. Subduc igitur, sis, his *septuaginta* annos *quinque & viginti* Belli Peloponnesiaci, & cum superesse deprehenderis 45; inde colliges, Lysiam *Imperio* Lacedæmoniorum totidem dare annos, quot Demosthenes, h. e *quinquennium*. Imo verò Athenienses ipsi in oratione ad Lacedæmonios apud Thucydidem, clarissimè dicunt, Lacedæ-

Olynth. III. p. 37. Ed. Bas.

Lib. I. p. 37.

Orat. XXXI. §. XVI.

Not. ad Nep. Cap. VIII. Epist. 9. & 31. res, sequuti. Ne dicam, Doctos Viros jam observasse, Thucydidis historiam hic congruere ipsius Themistoclis narrationi in *Epistolis*, quæ illi tribuuntur. Quorum itaque si fides constet narrationi: non licet Casus Pausaniæ & Themistoclis tanti temporis spatio ab invicem divellere: sed erunt illi proximè conjungendi. quod commodè fiet, si cum Usserio Pausaniæ interitum referamus ad A. III. *Ol.* LXXVI. & Themistoclis fugam in

Lib. I. p. 26. Lacedæmonios δι' ὀλίγου BREVI admodùm TEMPORE præfecturam in Græcos gessisse circa *tempora Medica*. Verba ejus: Εἴπερ οἷα καὶ τότε πρὸς τὸν Μῆδον δι' ὀλίγου ἡγησάμενοι ἀπεδείξατε, ὅμοια καὶ νῦν γνώσεσθαι. Atqui illud δι' ὀλίγου verè *hic minus* est *Decennio*. Fortè igitur tutius fuerit *historiæ* hic fidere quàm τοῖς λογογράφοις *Rhetoribus*, qui *suavius* sæpè quàm ἀληθέστερον *verius* loquuntur, ut nos ipse monet Thucydi-
Lib. I. p. 8. des. Et tamen ægrè me patior ab Isocrate divelli, tum ob Viri peritiam & accurationem, tum quod tempus Imperii Lacedæmoniorum magis producat quàm contrahat; quod non aliunde quàm ex veritatis studio profectum videtur. Primò itaque dici potest; cum incertiora essent hæc tempora, & jam Isocratis etiam ætate haberentur: illum ἐν πλάτει hac de re loqui voluisse, & id maximè curasse, ne minus daret Lacedæmoniis, quàm ipsi censere possent sibi competere; deinde fieri posse, ut Isocrates loquens de *termino Imperii Lacedæmoniorum* aliam aliquam *Epocham* respexerit, quàm vulgò solent qui de hoc casu meminerunt Historici alii. Verum est, Historicos passim *terminum* ἐφ' ὃ Imperii Lacedæmoniorum figere in *Expeditione Thracia* apud Byzantium, quando Pausanias Socios à se suâ superbiâ & ferociâ alienavit. Sed id factum invitis Lacedæmoniis. Illi enim etiam post id tempus non mox renunciarunt illi imperio; quin animum habuerunt id sibi denuò vindicandi, tanquam quod existimarent sibi jure competere. Verum post fatum Pausaniæ, cum rem in deliberationem misissent, dissuadente Hetœmarida, à cœpto hoc destiterunt, & *imperium* illud volentes Atheniensibus reliquerunt. quod Diodorus refert ad A. II. Ol. LXXVI. qui respondet A. P. J. 4239. & 4240. *sexennio* post Διάβασιν Xerxis. Quod si fortè Diodorus tempus, quo id accidit, per unum vel alterum annum anticiparit: quod facili negotio evenire potuit: constaret nobis plenissima ratio dicti Isocratis. Quin Athenienses Legati in sua apud Lacedæmonios
Lib. I. p. 24. oratione, quam exhibet Thucydides: *Principatum* illum *non vi se adeptos esse* dicunt, sed *Lacedæmoniis reliquias Barbari persequi recusantibus*. quod certè apud Byzantium factum non est. Addo, potuisse etiam Isocratem illum respicere *terminum* Imperii Spartani, quo Athe-

in proximè sequentem IV ejusdem *Olympiadis*. Et videtur omninò insuper id necessariò suadere historia rerum ab ipso Pausania gestarum. An enim probabile est, Pausaniam brevi adeò spatio temporis post laudem illustris illius victoriæ, quam de Persis ad Platæas retulerat, aucupari voluisse favorem Persarum, & in illorum transire partes? Refert autem Diodorus Prœlium Platæense ad A. II *Olymp.* LXXV. & verè in illud incidisse tempus, certus hic testis est Herodotus. quod proinde secundum ejusdem Diodori calculos *biennio* tantum ejus necem antecessit. Et quid si Pausanias tam citò animum & consilium mutasset: an reliquarum rerum, ab ipso & circa ipsum gestarum, ratio id permittit? Post prœlium enim ad Platæas commissum, ipse

K k de

Athenienses *Naxios*, qui *societati* renunciarant, *vi ad obsequium redegerunt*; quando τὸ ἀξίωμα sui Imperii primò ostentarunt, cum usque ad hoc tempus res ex *communi Sociorum consilio* egissent, ut Thucydides accuratè notavit. Id verò accidit secundùm nostras rationes *septennio* post *Expeditionem Xerxis*. Atqui, si vel maximè hæc concederentur omnia, ais, obstat *Canon*, qui Ptolemæi dicitur, qui Xerxi dat A. XXI. saltem *Thoth* XXI *Anni* superasse. Respondeo ego, me *Canonis* illius auctoritatem non spernere, ubi *Observationibus Astronomicis* ex Ptolemæo munitur, & confirmatur: ut v. gr. in Annis Cambysis & Darii Hystaspidæ; atqui illæ in hæc tempora nullæ incidunt, quæ *Chronologiam Xerxis* adstruunt: deinde, me *Canonis* auctoritatem (certè in Medicis:) revereri magis quod ad *integram summam annorum*, quos durationi illius Imperii ab initio Cyri Babylonico tribuit usque ad Alexandrum, subinde à Ptolemæo ipso consignatam, quàm in definiendis annis singulorum Regum Persarum, maximè Dario Hystaspis Filio posteriorum, quorum tempora *Astronomicis Observationibus* non adstruuntur. In cæteris enim Auctor illius *Canonis*, quiscunque tandem sit, non meretur majorem fidem quàm *optimi Historici* posteriorum temporum. Atqui & illi hic immunes non fuerunt ab errore, nec tempora semper *exactè digesserunt*, ut de Historicis suam ætatem præcessis Thucydides. Lib. I. p. 32. Ne nunc dicam, esse inter Doctos Virum clarissimum, Hermannum Conringium, qui auctoritatem *Canonis* conatus est labefactare, eamque apertè rejecit. Sed is mihi non sedet animus. Habeo illum in magna veneratione. *Advers. Chronol.* Cap. XII. Annos tamen singulorum Imperatorum aut Regum ad auctoritatem *Canonis* cæcâ fide non admitto, nisi probabilis ratio, aut auctoritas alia, traditionem Canonis corroboret. Acquiesco igitur in sententia Usserii, usque quò major lux aliunde mihi affulserit.

de novo Imperator cum classe missus est in Hellespontum: inde cum omnium primò venisset in suspicionem turpis illius sceleris, cujus posteà convictus est, Lacedæmonem revocatus, accusatus, & cum clara probationis indicia deessent, in judicio absolutus est. Tandem ipse, licet jam imperio destitutus, in Asiam rursus trajecit, quando de novo domum ab Ephoris revocatus, ejusdem criminis postulatus, illius convictus, & pœnâ affectus est. Hæc verò tam varia & notabilia, quæ Thucydides narrat, an probabile est biennii spatio omnia contigisse? Id equidem mihi ob rationes, quas quisque palpat, difficulter persuaserim. Quæ itaque si rectè hactenus & cum ratione à nobis disputata sint: liquidissimam habebimus solutionem illius difficultatis, quæ unica nos in interpretatione Vaticinii Danielis morabatur; & possumus adeo asserere, secundum optimam temporum rationem, initium & terminum Lxx Hebdomadum Danielis sibi planè constare. quod ego pretii & momenti hic censeo esse maximi.

Caput III.

Interpretatio Oraculi Danielis, *quam fecit* Marshamus, *summatim exhibetur; observaturque, laborare eam notabilibus vitiis, tam quod ad ipsam* Expositionem *verborum Prophetæ, quàm respectu* Hypothesium, *in quibus fundatur.* Exegesios *ipsius* vitia *primò ostenduntur, & ex illis evincitur, coactam & violentam esse.*

Adstructâ vindicatâque pro instituti nostri ratione verâ & sanâ interpretatione illustris Vaticinii, quod apud Danielem extat de Lxx *Hebdomadis*, quibus Deus fata Judææ Gentis post reditum ex Exilio Babylonico inclusit: faciendum nobis nunc est, ex ordine præscripto, ut ipsa Marshami de hoc Oraculo sententia tum proponatur, tum refellatur. quod itaque operis nunc absque ulteriore mora, aut longioribus ambagibus, actutum suscipio.

II. Mars-

II. Marshamus in Oraculo illo, quod modò recensebamus, nihil omninò videt quod ad Christum Jesum; nihil quod ad calamitatem, Judææ Genti à Romanis illatam, attinet; sed censet, illud partim esse referendum ad *Reditum Judæorum ex Exilio Babylonico*, partim ad *Afflictionem illam gravissimam*, quâ Judæi pressi sunt sub *Antiocho Epiphane*. Ponit enim, tempus LXX hebdomadarum, sive 490 Annorum, cujus in hoc Vaticinio mentio est, *divisim* esse capiendum, & in duo discernendum intervalla, quę à diversis inciperent Epochis, h. e. VII *Hebdomadas*, sive 49 Annos, & LXIII *Hebdomadas* cum *dimidia*, sive Annos 444. Quod autem Angelus Danieli dicat, LXX *Hebdomadas definitas esse super Judæam Gentem*; sic esse intelligendum: Angelum ad Danielem jussu Dei verba facturum esse de *duobus Hebdomadum Intervallis* diversis, quę junctim & *καθ' ὁμάδα* sumpta efficerent LXX Hebdomadas, sive, ut Marshami verba retineam; *Ego*, ait Angelus, *de septies septuaginta Annis enunciaturus venio. quomodo autem numerus iste dividendus, quomodo computandus sit, Angelum ipsum mox indicare.* Prius itaque Intervallum VII *Hebdomadarum*, sive 49 *Annorum*, de quo Angelus prius loquitur, putandum esse ab *Exitu Verbi*, h.e. ab illo ipso tempore, quo Revelatio hæc Prophetica Danieli per Angelum obtigit. Revelationem verò hanc Danieli contigisse supponit & contendit Anno XXI post Templum & Hierosolymam sub Tsedekia Rege excisa, qui idem ipsi est *Annus vigesimus primus* Exilii Babylonici. Adstruit autem illud ex Cap. X. 2. ubi Daniel *jejunasse dicitur tres hebdomadas dierum*, h.e. Annorum, ab exciso Templo numerandorum. Annum verò hunc *vigesimum primum* eundem esse censet, quo *Medo-Persa* Rex *Astyages*, qui illi est *Darius Medus*, expugnaverit *Susa*, (quàm Urbem hactenus sibi obnoxiam habuerant Chaldæi:) atque ita *Susiano Chaldæorum territorio potitus sit.* Hoc sensu accipiendum, quod apud Danielem dicitur, *hoc ipso Anno Darium Medum regnasse super Regnum Chaldæorum.* nempe *Chaldaici territorii ditione primum potitum esse.* Terminari autem has VII hebdomadas in *Primo Anno Cyri*, quo ipse Imperio potitus Babylonico Judæos ex Exilio in Patriam suam dimisit. Ab Anno 21 enim Exilii usque ad Cyrum sunt Anni 49. Cyrum itaque esse illum *Unctum Ducem*, qui Edictum

Can. Chron. ad Sec. XVIII. p. 610.

Cap. IX. 1.

emitteret de *redeundo*, & *readificanda Hierosolyma.* de quo Angelus.

III. Alterum jam Intervallum LXIII *Hebdomadarum* propriè & exactè censet esse LXIII *Hebdomadarum* & *dimidiæ.* cujus *dimidiæ hebdomadæ* Angelus in ipsa hujus Periodi expositione mentionem facit, etsi illam, ubi has hebdomadas in summam redigit; non commemorat, cum numerum amaret rotundum LXX Hebdomadarum. Constare itaque hanc Periodum Annis 444. quorum initium peti vult ab *Exilio Babylonico*, sive *ab Excidio Templi Salomonis.* Terminum verò hujus Periodi in genere quidem ponit tempora Antiochi Epiphanis; sed ab Angelo in *tres partes* dispesci. *Partem primam continere* Hebdomadas LXII. id est, Annos 434. qui terminentur in *initio Regni Antiochi Epiphanis.* Intrà illud tempus *readificandam esse plateam & fossam, sed in angustia temporum.* Res enim Judæorum usque ad Antiochum tenui fuerunt loco. *Alteram partem* terminari in fine *hebdomadæ sexagesimæ tertiæ*, sive in *septimo Anno* ejusdem Antiochi. *Confirmaret* enim Antiochus Judæis *fœdus*, *hebdomadâ*, h. e. *primo Regni sui septennio.* Sub finem verò illius hebdomadę; h. e. *septimi Anni Regni sui*, horrenda illum in exitium Judæorum patraturum esse, nempe *excisurum esse Unctum*, h. e. aboliturum Pontificatum, cujus successio tum interrupra fuerit, & *Civitatem ac Sanctuarium corrupturum*; desolaturum, nimirum & profanatu-
Cap. VII. 21. rum, &, quod alibi apud Danielem dicitur, *Bellum gesturum esse cum Sanctis, & illis pravaliturum.* Restat *Tertia Pars* hujus Intervalli, quæ constat *dimidiâ hebdomadâ*, LXX hebdomadis adjiciendâ, h. e. Annis tribus & *dimidio.* Quo tempore *cessare faceret*
Dan. XII. 7. *sacrificium & oblationem.* Cultus enim Publicus Templi, Sanctuario profanato, cessaret per *tempora*, *tempus*, & *dimidium Temporis*; sive per *tres Annos & dimidium:* usque quo per Assamonæos instauratus, & sacris suum decus redditum sit. Liquere jam ait ex Historia, ab Excidio Templi usque ad tres illas hujus Intervalli partes tantum præcisè temporis effluxisse, quantum Angelus suis *Hebdomadum* summis expressit, idque per partes demonstrat. Tum denique sententiæ huic suæ ex eo conciliat probabilitatis speciem, quod *Quatuor illæ Visiones*, quę *Ultimis sex Danielis Capitibus* continentur, sint *parallela*, & se mutuò illu-

illuſtrent. Reliquas verò tres ex conſenſu plerorumque Interpretum non excurrere ultrà tempora Antiochi Illuſtris. proinde rationem ſuadere, ut idem ſentiamus de hoc ipſo Oraculo, ejuſdem cum cæteris argumenti. En eruditiſſimi Viri ſententiam quâ potuimus fide & perſpicuitate compendiosè expoſitam!

IV. Nititur autem, ut quiſque videt, his *Hypotheſibus*, 1. Revelationem hanc Danieli divinitus obtigiſſe *Anno viceſimo primo* Exilii Babylonici poſt conflagrationem Templi, quo tempore *Aſtyages Rex Medo-Perſa*, Cyaxaris Medi Filius, ab alio *Aſtyage*, Medorum Rege, & ejuſdem Cyaxaris Filio, diſtinctus, inſigni Chaldaici territorii ditione, *Suſianâ*, potitus ſit, ipſis *Suſis*, Chaldaici Imperii propugnaculo, expugnatis. 2. Proinde, α. *Darium* illum *Medum*, cujus *Anno primo* hoc Vaticinium editum eſſe dicitur apud Danielem, non eſſe, vel *Nabonnedum* Beroſi, vel *Cyaxarem* Xenophontis, ſed *Aſtyagem*, Medo-Perſarum Regem, Cyri Avum, ab alio quodam Aſtyage, Medorum Rege, diverſum. β. *Darium* illum *Medum*, ſive Aſtyagem, apud Danielem *Regnum* dici *conſecutum* eſſe *in Chaldæos*, quâ tempeſtate Chaldæis eripuit *Suſianam*, Imperii Chaldaici ditionem. γ. *Primum Annum* illius *Aſtyagis*, ſive *Darii Medi*, apud Danielem ab illa ipſa putari Epocha, quâ Regno ejus hæc inſignis facta eſt acceſſio. 3. Oraculi Danielis, ſecundum has hypotheſes expoſiti, in omnibus demonſtrari poſſe implementum, tam quoad Beneficia ipſa, his Hebdomadis in Eccleſiam conferenda, & Caſus notabiles, hac tempeſtate eventuros, quàm quoad ipſa *tempora*, quibus Deus collationem illorum beneficiorum, & memorabiles illos eventus rerum, alligavit. Proinde, α. Tempore *Cyri* dici poſſe *cohibitam eſſe tranſgreſſionem*, *obſignata peccata*, *expiatam iniquitatem*, *adductam juſtitiam æternam*, & *obſignatam Viſionem*, & *Prophetam*. β. Tempore profanati Sanctuarii ſub Antiocho Epiphane *ſucceſſionem Pontificum* eſſe interruptam, atque hoc ſenſu *Pontifices Unctos excidos*. γ. A Conflagratione Templi ſub Tſedekia Rege uſque ad τὰ ἐγκαίνια Templi, celebrata auſpiciis Judæ Maccabæi, lapſos eſſe Annos 444. quot Marshami hypotheſis in calculo requirebat, h. e. Hebdomadas LXIII. & *dimidiam*. δ. Simul lapſos eſſe Annos 434. ab eodem Templi Excidio uſ-

Dan. ix. 1.

Cap. vi. 1.

que ad initia Regni Antiochi Illuſtris. 4. Denique *quatuor* illas *Viſiones*, quę ultimis *ſex Capitibus* Danielis exhibentur, inter ſe eſſe parallelas, & extra tempora Antiochi Epiphanis non excurrere, ac ſe mutuo illuſtrare.

V. Mirandum ſanè, errorem ejuſmodi oblini poſſe ingenii & eruditionis fuco, ut ſæpè nos decipiat ſpecie veri; ferè ut in multis obtineat, quod de omnibus falsò impii aliqui Philoſophi prædicarunt, τῇ ἀληθείᾳ φαντασίαν παράκεισθαι ψευδῆ. Faciemus tamen, ut ſpero, abſque magna opera, ut veri & falſi ſpecies ex ſuis coloribus hic rectè dignoſcantur, & tam ipſius vitia *Interpretationis*, quàm *Hypotheſium*, in quibus fundata eſt, clarè pateſcant.

Chromachi ſententia apud *Herm. Irriſ. Phil. Gent.* p. 178.

VI. Noſtra itaque ſententia eſt, α. Eſſe in *Expoſitione ipſa* Oraculi Danielis, quàm protulit Marshamus, quæ quemque eam ritè & diligenter expendentem, meritò offendant, etiamſi fortè *Hypotheſes*, quas Vir Nobiliſſimus illi Expoſitioni ſuppoſuit, veræ eſſent, & rectè ſe haberent. β. *Hypotheſes*, illi ſubnixas, pleraſque *falſas* eſſet & *erroneas*; atque adeo, etiamſi ipſa Expoſitio hujus Oraculi quod ad partes ſuas omnes rectè ſibi conſtaret, propter manifeſta Vitia Hypotheſium, in quibus fundata eſt, eam nihilominus rejiciendam repudiandamque eſſe.

VII. Et *primo* quidem *loco*, quod ad Expositionem ipsam. 1. In manifeſtam incurrit offenſionem, quod Vir Eruditus Lxx Hebdomadas, quæ in hoc memorantur Oraculo, non faciat *tempus continuum*, quod à certa quadam Epocha ad terminum ſuum integrâ ſerie decurreret: ſed *ſummam* velit eſſe totius temporis, cujus Angelus in ſequentibus mentionem faceret, in varias dividendi partes, quarum partium duę majores ſibi continuo quodam effluxu non ſuccederent, verum in idem inciderent tempus, & *ſimul*, non *ſucceſſivè*, quod ajunt, laberentur. Id enim ſanè quàm eſt paradoxum, & ab omni vera interpretationis ratione alienum? *Septuaginta Hebdomadæ*, inquit Angelus, *deciſæ ſunt ſuper Populum tuum & Civitatem tuam Sanctam ad cohibendam defectionem, obſignandam Viſionem & Prophetam*, &c. Id verò an non intelligam de tempore tot *hebdomadum Annuarum*, continuato ordine effluxurarum, ad quarum finem præſtanda ſint beneficia hic recenſita? Quis enim ita loquens ſic intel-

intelligi nollet? vel, quo tandem hominum sermone hæc verba aliud sonabunt? Quod autem Vir Nob. ait, Angelum hic dicere velle, *se de variis temporum articulis verba facturum, qui in summam collecti facerent* Lxx *hebdomadas annuas*, sic tamen ut illarum *hebdomadarum* aliquæ essent σύγχρονοι: prorsus insolens est & paradoxum, neque ullo exemplo, ex Sacris aut Profanis Scriptoribus in rem producto, illustratur. Qui enim tempora varia in summam redigunt homines, id nunquam instituunt nisi in temporibus, continuo, vel saltem *successivo*, fluxu decurrentibus. Annos enim συγχρόνες, sive *contemporaneos*, in summam referre, ut nullum usum habet, sic prorsus ludicrum videtur. quod enim Mathematici ad annorum characteres ritè signandos cyclos quosdam combinent, huc nihil facit. *Hiskia*, v. gr. & *Merodachi*, *Serubabelis Principis* & *Josua Pontificis*, *Augusti* & *Herodis* M. tempora fuerunt σύγχρονα. Illorum verò Annos regiminis comtemporaneos in summam referre, cui cederet usui? Sic enim fieret, ut unum idemque intervallum temporis absque ulla utilitate in calculo repeteretur. Tempora equidem σύγχρονα inter se utiliter variis in casibus comparantur: sed in summam eadem referre, nullum, ut dixi, habet usum, nulla fert consuetudo. Et quid si etiam alibi obtineret: hic tamen locum habere non posset. *Periodi* enim, in quas hæ Lxx Hebdomadæ discernuntur, ut sunt VII & LXII *Hebdomadarum*, atque *Unius Hebdomada*, singulæ in sequente Orationis contextu continuâ serie recensentur, tanquam quæ se mutuò continuo fluxu exciperent. quem contextum nemo legat, nisi per rationem & receptam consuetudinem loquendi ubique inducatur ad cogitandum de tempore *continuo*.

VIII. 2. Offensam dat, quod Marshamus *duo priora Intervalla*, in quæ Angelus summam Lxx Hebdomadarum dispescit: VII nimirùm & LXII *Hebdomadarum:* ab invicem separet, atque divellat; &, ut hanc hypothesin suam obtineat, contendat, *Versum illum*, quo hæc duo Intervalla comprehenduntur, per *punctum*, sive maximam distinctionis notam, in duas esse distinguendum partes. Apud Danielem dicitur ℣. 25. *Ab Exitu verbi de instauranda Hierosolyma usque ad Messiam Ducem*, *sunt Hebdomada* VII & LXII. Punctum sive στιγμὴν, maximam distin-

stinctionis notam, poni vult Marshamus post numerum VII. & orationem deinde cum *novo commate* ita continuari: *Et sexaginta duabus Hebdomadis ædificabitur platea & fossa.* ferè acsi in hunc modum concepta esset oratio:

Ad Exitu Verbi usque ad Messiam Ducem, hoc est, *Cyrum*, *sunt Hebdomadæ* VII.

Et Hebdomadis LXII *ædificabitur platea & fossa.*

Quam suam sententiam hoc firmat argumento, quod in Hebræo Codice vocabulum שבעה *septem* per notam distinctionis majorem, *Accentum Atnach*, à sequente orationis contextu retrahatur, laudatque *Interlinearem Pagnini Versionem*, quod στιγμὴν *posuerit* post vocem *septem*, indiciumque adeò præbuerit, duas has Orationis partes ab invicem esse separandas. *Distincti omninò sunt numeri isti*, ait Vir Eruditus, *& res diversas aliquot seculis inter se dissitas designant.* Nos verò ut ut non negemus, *numeros hos esse distinctos*, & diversorum temporum intervalla complecti: prorsus tamen existimamus, novam hanc orationis distinctionem manifestò incurrere in illius simplicitatem, & certè cum *sequente contextu* planè non posse consistere. Etenim si ex hac hypothesi distinguatur Oratio Angeli apud Danielem, quid tum fiet *verbis*, quæ ἀμέσως consequuntur: *Et post* LXII *Hebdomadas exscindetur Messias?* Si *Messias Dux* secundum sententiam Marshami venturus esset post VII Hebdomadas, ab hoc Oraculo edito lapsuras: quomodo demùm *Messias* in eodem hoc Oraculo dici potest *exscindendus esse post Hebdomadas* LXII? Quo modo hæc inter se consistere aut conciliari poterunt? Nullo equidem, nisi violento, qui ipse quoque eandem hanc interpretationem, atque adeò novam hanc distinctionem, subvertit. Nempe cum Vir Eruditus hic in angustias redactus esset, ex ingenio finxit, per *Messiam*, cujus mentio in ℣s. 26. alium intelligi, vel potius aliud hominum genus, quàm per *Messiam Ducem*, qui memoratur in *Commate*, immediatè antecedente, 25. Per *hunc* enim *Messiam Ducem* intelligit *Cyrum*: per *Illum* verò, qui excidendus dicitur, *Pontifices* Hebræorum, quorum *Successio*, sæviente Antiocho Epiphane, interrumperetur. Sed quis non videt, hâc ipsâ expositione textui manifestam vim inferri? Quis enim credat, in uno eodemque Oraculo, quod paucis verbis descri-

ſcriptum eſt, ubi alicujus משיח Uncti mentio fit, antonomaſticè ſic dicti, duas, & quidem diverſiſſimi generis, hoc nomine deſignari Perſonas, *Cyrum* & *Pontifices Hebræorum*? Si verò per משיח ſive Unctum, cujus bis mentio eſt in hoc Oraculo, una eadem intelligenda ſit Perſona: ut ratio ſuadet: nihil certius eſt, quàm Contextum Danielis, quem in duas pericopas diſtinctum volebat Marshamus, ſic legendum & interpungendum eſſe: *Ab Exitu Verbi de instaurandâ Hieroſolyma uſque ad* Messiam Ducem, *ſunt Hebdomadæ* vii, & lxii. Hebdomadis vii (a) *rurſus parabitur platea & foſſa, & quidem in anguſtia temporum. Et poſt Hebdomadas* lxii *excidetur* Messias. Sic plana omnia & facilia. Quod autem Vir Nobiliſſimus hic provocet ad *Accentum Athnach*; nullius eſt momenti. *Athnach* non ſemper periodos diſtinguit; raro utique per σιγμὴν, ut Vir Nobiliſſimus vult: ſed de poteſtate, quam in diſtinguendis ſententiis obtinet, quibuſdam in Locis potius ex ipſis illis ſententiis, quàm ex virtute hujus *Accentus* judicium ferendum eſt: ut Buxtorfius Parens, & poſt ipſum Glaſſius, adverſus Huntlæum diſputans, certi Hebrææ Linguæ Magiſtri, dudum obſervarunt, & exemplis illuſtrarunt. Ad quæ accedit, ipſum Illuſtrem Virum in interpretatione latina hujus Oraculi Danielis nullibi hanc diſtinguendi poteſtatem Accentui Athnach tribuere, quam eidem hic vindicare ſtudet, ſed pro eo *bis tantum* δύο σιγμὰς, *ſemel ſemicolon, aliàs ubique ferè leviſſimam interpunctionis notam, quam comma, ſive* ὑποσιγμὴν, *aut Inciſum vocant, bis verò ne hanc quidem, adhibere*. quod rectè & diligenter obſervavit Cl. Wagenſeilius, qui rem fuſius proſecutus eſt, & optimè confecit.

Theſ. Gram. Lib. II. Cap. XXIII.

Phil. I. Lib. I. Tract. I. p. 116.

In Diſſert. de h. l. p. 30.

L l IX.

(a) Ellipſis hic eſt in textu Danielis, quæ occaſionem & rationem præbuit Marshamo interpretationem horum verborum ſecundum hypotheſin ſuam inflectendi. Plena oratio eſt, ut hic ſcripſi: *Hebdomadis* vii *rurſus parabitur platea & foſſa:* ſed neglexit Angelus in repetita hac oratione vii *hebdomadum* rurſus mentionem facere, quia illarum in verbis immediatè præcedentibus jam meminerat, & ex toto orationis contextu facilè intelligi poterat, illum quæ hic dicit, de vii hebdomadis intellecta velle. ut verè *ſequens contextus* hanc, & nullam aliam, interpretationem probat. Ellipſes autem ejuſmodi, quæ ex ipſo orationis contextu ſuppleri poſſunt, in Scripturâ familiares eſſe, cuique notum. Imperitiores conſulant *Glaſſium*, Gram. S. Lib. IV. Tract. II. Obſerv. III. p. 705.

IX. 3. Atque debita & vera [illegible] [illegible] temporis, Marshamum duas Periodos VII, & LXII Hebdomadarum, a diversis repetere Epochis; Illam quidem ab Anno Excidii Babylonici 21. quo [illegible] [illegible] hanc esse Revelationem; Hanc vero, ab ipso Templi Excidio. Faciamus nos, & tantisper concedamus Erudito Viro, quod modo falsum esse demonstravimus: Periodos harum Hebdomadarum nobis non exhibere tempora continua, quorum posterius exciperet prius, sed haec Intervalla esse σύγχρονα, & orationem Angeli secundum hanc hypothesin intelligendam esse: faciamus, inquam, & demus aliquantisper Erudito Viro id ita esse: an probabile est vel cum ratione recta constare poterit, has periodos, si vere sint σύγχρονοι, a diversis Epochis initium trahere? Id enim si fieret, an non debuisset esse explicitâ oratione significatum ab Angelo? an illius in verbis Angeli non debebat extare qualiscunque nota aut indicium? *Ab Exitu Verbi*, ait Angelus, *usque ad Messiam Ducem sunt* VII *Hebdomadae*: h. e. secundum Marshamum, Ab hoc ipso tempore, quo tecum verba facio, quod incidit in Annum 21 Excidii Templi, usque ad *Cyrum* erunt Anni 49. Benè habet. Tantisper illud concedo. Sequitur in Oratione Angeli: *Et* LXII *Hebdomadis parabitur platea & fossa*. Id jam quo modo intelligam, aut a qua Epocha has hebdomadas putabo, si haec tempora vere sint contemporanea? *Ab ipso Templi Excidio*, ait Marshamus, non vero ab *Anno* XXI *Excidii Templi*, à quo VII Hebdomadae numerantur. Sic, inquam, Vir Eruditus: sed contrà omnem rationem probabilem, ut quisque sentit. Primò enim nullum indicium, nulla significatio illius rei extat in verbis Angeli. debuisset autem extare, si Angelus hoc vaticinium intelligi voluisset. Nemo enim mortalium ut ut ingenio sagax cogitare poterat, Angelum, duo tempora σύγχρονα memorando, diversas intendere Epochas, à quibus Intervalla illorum temporum putanda essent, si ipse Angelus id non expressè indicaret. Quotquot enim hic de Annis συγχρόνοις cogitarent, omnes utique per rationem induci deberent ad easdem eorum temporum figendas Epochas. Deinde nulla ratio produci potest, quare Angelus, sive Deus, hujus Oraculi summus Auctor, à diversis Epochis haec tempora, si contemporanea essent,

nume-

numerari voluiſſet. Non poterat enim non id maximam hic parere & obſcuritatem, & confuſionem. Potuiſſet enim Angelus, ſi omninò ſtatutum habuiſſet de temporibus Antiochi agere, *tres hebdomadas* minus hic putare quam facit; & loco, quo dicit, LXII *hebdomadis reparandam eſſe plateam & foſſam*, dicere ipſi in proclivi fuiſſet, LIX *hebdomadis Urbem eſſe inſtaurandam & muniendam*. Utique certi ſumus per vim neceſſitatemque defendendæ hypotheſis inductum fuiſſe Eruditum Virum ad diverſa utriuſque periodi ponenda initia.

X. 4. Cum in hoc Oraculo *bis* commemoretur Illuſtris aliqua Perſona ſub titulo משיח Messiæ, ſive Uncti, φερωνύμως ſic dicti: cujus *Apparitionem* & *Necem* maxima tum comitarentur beneficia, tum conſequerentur effecta: quem non offendat, quod Marshamus *duos* hic, & quidem diverſiſſimi generis *Meſſias*, ſive *Unctos*, faciat, & in neutro eorum videat characteres illius *Chriſti*, ſive *Uncti*, Filii Dei & Hominis, quem nos hoc nomine colimus & veneramur: eodem hoc nomine jam deſignatum in aliis Oraculis, & vulgò appellatum à Judæa Gente? Admiranda verè res eſt, Chriſtianum hominem, qui *Servatorem ſuum* colit ſub nomine משיח Uncti, in præclaro Oraculo, quod de maximarum rerum eventibus agit, per *Meſſiam* quamcunque tandem aliam Perſonam potius intelligere velle, quàm *ſuum Meſſiam*: & cum quæ de illo Meſſia dicuntur, in *uno* aliquo *Meſſia*, à ſe quæſito, non poſſet demonſtrare; potius *duos* hic fingere *Meſſias*, à Chriſto noſtro diverſos, quàm *noſtrum Chriſtum* reſpicere, & in ipſo acquieſcere. Quam verò hæc rurſus abludunt, imo verò abhorrent ab omni ratione probabili? Etenim α. ut à poſteriore ordiar: cum in hoc Vaticinio in uno eodemque Orationis contextu, *verſibus duobus proximè inter ſe conjunctis*, aliquis deſignetur *Meſſias*, abſolutè ſic dictus; an à ratione impetrari poterit, *duas* hic diverſiſſimi generis Perſonas ab Angelo indicari, ut ſunt *Cyrus*, Perſiæ Monarcha, & *Pontifices Hebræorum*? Cui enim hæc verba legenti & expendenti id in mentem poterat venire? Vel potius, cui hæc interpretandi ratio dura non videatur & violenta? Qui legit in *Commate* 25. *Ab Exitu Verbi de inſtauranda Hieroſolyma uſque ad* משיח Unctum, *ſunt hebdomadæ*, &c. Et mox in *commate* inſequente: *Et poſt*

Hebdomadas LXII *excidetur* משיח Unctus. qui, inquam, fieri potest, ut non cogitet de una eademque *Persona*, hoc nomine designata? Si enim diversos hic notare voluisset homines Spiritus, tam officio & vitæ ratione quàm tempore à se longè disjunctos: an nomina non suppetierunt Spiritui Sancto, optimo dicendi Magistro, quibus illas distinctè appellaret? β. Si jam constet, *unam* aliquam Personam per *Messiam* in hoc Oraculo intelligendam esse: an durum pariter & violentum non fuerit, de alia hic cogitare *Persona* quam de *Christo illo*, *Servatore Mundi*, qui jam ab Ecclesia Judæa illius temporis sub hoc
1 Sam. II. 10. eodem nomine & titulo expectabatur? Illum enim Hanna in
Vers. 2. *Cantico suo*, & David in *Psalmo secundo*, (ne nunc alia huc adferam loca:) hoc eodem nomine insigniverant. Et quæ tandem alia est Persona, quæ ἁπλῶς *absolute* hoc nomen ferre, hunc titulum sustinere possit? Qui enim *absolute* hoc nomen sustinebit: illum oportet esse משיח *Unctum*, κυρίως & κατ' ἀντονομασίαν sic dictum, omnium *Unctorum* ἀντίτυπον. prorsus ad eandem rationem, quâ idem noster Christus κυρίως & antonomasticῶs מלך Rex di-
Ps. XLV. 2. citur à Davide: non המלך *Rex ille*, etiamsi & illud usum habeat. Est tamen in *Antonomasticis* illis appellationibus major longè vis & emphasis. Quare licet nemo inficias eat, *Cyrum* apud Jesaiam dici משיח *Unctum Domini*, & *Pontificem Hebræorum* hoc eo-
Jes. XLV. 1. dem nomine הכהן המשיח *Sacerdotis Uncti* venire in Sacris: non fa-
Lev. IV. 3, 4. cilè tamen nobis patiemur persuaderi, eosdem illos ἁπλῶς & antonomasticè designari posse nomine משיח *Uncti*, ubi hoc epitheton in orationis Contextu ad ipsa hæc ὑποκείμενα non refertur. Quin γ. quod majus est: epitheton hoc משיח *Uncti* ita tribuitur illi Personæ, de qua apud Danielem agitur, ut non obscurè innuatur, *Nomen* hoc Messiæ olim evasurum esse *proprium nomen* illius Personæ, quæ hic ab Angelo designatur. Nimirum nomen משיח verè quod ad primum suum usum est *Appellativum*, quod dicitur, & *Commune*. Sed postquam David hoc nomine evidenter designasset *Servatorem Mundi*, à Judæis expectatum: haberi cœpit in familiari sermone Piorum instar *Proprii* illius Personæ Illustris, quam Judæi ut salutis suæ auctorem expectabant: & factum inde est, ut cum Servator noster præsens in his terris adesset, Judæi in ipsum Credentes *Nomini* Jesu, quod
Ange-

Angeli jussu illi impositum erat, addiderint *Cognomen* משיח CHRISTI, sive UNCTI, pro more apud multos illius temporis Judæos recepto; atque adeo משיח UNCTUS evaserit pars *Nominis* Christi, prorsus ut illud *Cepha* sive *Petri* partem fecit *Nominis Proprii* illius Personæ inter Apostolos Christi eximiæ, quæ ante hanc appellationem illi à Christo tributam solo nomine *Simonis*, *Jonæ Filii*, cognita fuerat. Instar *Proprii* verò *Nominis* τὸ משיח apud Danielem usurpari, non tantum inde patet, quod absque demonstrationis notâ ullâ antonomasticè dicatur משיח / UNCTUS, non המשיח UNCTUS ILLE, quod modò monebamus: verum etiam, quod singulari quadam constructionis ratione appelletur משיח נגיד UNCTUS, ANTECESSOR. non, ut fortè aliàs scribendum fuisset, נגיד משיח ANTECESSOR UNCTUS, ut vidimus in Exemplo, τȣ̃ כהן משיח SACERDOTIS UNCTI. quam sententiam nostram mirificè firmat similis loquutio, quam in verbis Samaritanæ Mulieris offendimus apud Joannem, quæ Christo in hunc modum respondisse fertur: *Scio* ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, ὁ λεγόμενος Χριςός· MESSIAM *venire*, *qui dicitur* CHRISTUS. Non dixit illa, ὁ Μεσσίας, cum *Articulo*, ut alibi Andreas fratri suo Simoni, de eodem Christo nostro referens; sed simpliciter, משיח MESSIAS: prorsus eodem constructionis genere, quod in hoc occurrit Oraculo. Quid tergiversamur itaque, cum tot indicia adsint, de nostro hic cogitare *Jesu*? Cap. IV. 25. Joh. I. 42.

XI. 5. Quis pariter absque admiratione observet, & calculo suo probet, interpretationem æquè paradoxam, & non minus rationi adversam, quam produxit Vir Eruditus ad hæc verba Oraculi: *Et* POST HEBDOMADAS LXII *excidetur Unctus*, *& non ei*. *Id est*, ait, *circa finem hebdomadæ illius*, *quæ* LXII *proximè sequitur*. Itane verò? Si Messias excidendus esset *circa finem*, vel, secundum hypothesin Nob. Viri, *post finem hebdomadæ illius*, quæ LXII Hebdomadas proximè sequeretur: quare non dixit Angelus, *post hebdomadas sexaginta &* TRES? quare *sexaginta duas* expressit, cum omninò indicare vellet *sexaginta tres*? Et quæ adeò, obsecro, hæc est interpretandi ratio, ut, quod Verba Oraculi ferunt; *Christum esse excidendum post hebdomadas* LXII, exponatur de *hebdomadis* LXIII? Studium nimirum defendendæ hypothesis rursus Eruditum Virum in has compegit

angustias. Statuerat, LXII *hebdomadas* terminari in initio Regni Antiochi Epiphanis. tum porrò hunc ipsum Antiochum Judæis *servaturum esse pactum*, h. e. illos non esse turbaturum, *per hebdomadam unam*, hoc est, *primo Regni sui septennio*, sed hoc tempore lapso illos afflicturum, & facturum etiam ut *Successio Pontificum interrumperetur*: quæ ipsi est *Excisio Messiæ*. Non potuit igitur, salvâ hypothesi, quin quæ de *Excidendo Christo* dicuntur *post* LXII *hebdomadas*, exponeret de eo, quod demum eventurum erat post *Hebdomadas* LXIII. Sed neutiquam tamen ita satisfacit verbis Angeli, quæ alium manifestè præferunt sensum.

XII. 6. Inter vitia Commentationis Marshami meritò quoque censemus, quod ad implementum hujus Vaticinii secundum hypothesin suam demonstrandum *plures* necesse habeat advocare *annos*, quàm summâ apud Danielem expressâ definiti sunt. Gabriel Angelus summam omnium Annorum, de quibus verba facturus erat, reducit ad Hebdomadas LXX, h. e. Annos Julianos 490. Marshamus contrà ad Hebdomadas LXX cum *dimidia*, h. e. Annos Julianos 493½. Contendit enim, *dimidiam* illam *hebdomadam*, quâ *aboleretur sacrificium* & *munus*, non consistere intra spatium LXX Hebdomadarum, sed esse supernumerariam. Mirum id quidem, cum Angelus exertè dicat, שבעים שבעים נחתך
De Emend. Temp. Lib. VI. p. 606. LXX *Hebdomadas esse* PRÆCISE DEFINITAS. Fateor, Scaligerum jam ante Marshamum hanc vulgasse sententiam, & suam hic ipsum prædicasse vigilantiam. Sed nos ita existimamus, Eruditos illos Viros nunquam ab ingenio suo hoc subsidium petituros esse, nisi per necessitatem ad id fuissent adacti: quicquid etiam suam hic *vigilantiam* & perspicaciam Scaliger jactet. Angelus, ut modò monebamus, non tantum ait, *Hebdomadas* LXX esse *præcisè definitas*, sed de *media* hac *Hebdomada* loquitur ὁριστικῶς cum respectu ad *Hebdomadam* illam *unam*, quâ dixerat *confir-*
Vers. 26. *mandum esse pactum. Et faciet prævalere*, ait, *pactum*, MULTIS *hebdomadâ unâ*: *& in medio* השבוע ILLIUS (τῆς ἑβδομάδος:) HEBDOMADÆ, *cessare faciet sacrificium & munus*. In *medio*, inquam, *illius hebdomadæ* unius, h. e. ultimæ, de qua proximè verba fecerat. Nobis itaque persuasum est, omnem illam interpretationem Oraculi Danielis esse vitiosam, quæ non consistit intrà

intrà summam temporis LXX *Hebdomadarum*, sive 490 Annorum Julianorum, hic *præcisè* ab Angelo *definitam*.

XIII. Tum prætereà 7. si scopus Angeli in hac Revelatione sit prænunciare tum *calamitatem temporum Antiochi Epiphanis*, tum *liberationem Judæorum ex illa calamitate per Maccabæos*: quæ Marshami est hypothesis: quis non miretur, illius *salutis* & *liberationis*, quam Deus Populo suo per Maccabæos præstaret, hic clariorem mentionem non fieri? Sanè enim si hoc vaticinium in universum editum sit ad Judæis revelandum finem tot malorum & calamitatem, cum quibus usque ad tempora Assamonæorum conflictarentur: cur non simul salutem & liberationem ipsam, cur non etiam illius salutis & liberationis sub Deo auctores Maccabæos, Angelus commemorasset? Nihil enim quicquam secundùm Eruditi Viri hypothesin plus facere potuisset ad scopum & consilium Dei in hac facienda Revelatione, hoc est, ad Judæos efficaci consolatione in tot afflictionibus erigendos, & spem illorum validè fulciendam, quàm hoc ipsum. Sed contrarium ejus observamus in hoc Oraculo. Nihil hic de Maccabæis; nihil etiam de Templi ἐγκαινισμῷ, & instauranda per eos Republica, & Religione vera penitus collapsa. Terminatur Vaticinium in *Desolatione per Alam Abominationum*, hoc est, per Exercitus Idololatricarum Gentium, Idolorum suorum imagines secum portantes, *inferenda* in Locum Sanctum: quam *desolationem* nunciat fore perpetuam, & absolutam, dum Judæi ad admiranda hæc Divinæ Vindictæ effecta attoniti & animi pendentes in *stupore* illo, quo jam dudum occupati fuerant, *magis magisque obfirmarentur*. Quod autem Marshamus ultima hujus Oraculi verba; עד כלה ונחרצה תתך על־ שמם referat ad vindictam, quæ Antiochum maneret, ac proinde ad *Liberationem Populi Dei*: illa cum Vetere Interprete Latino convertens; *Donec consummata decisio se effundet super desolatum*: nec admitti potest, nec si admittatur, nobis obest. Primò enim in Oratione Danielis non est simpliciter עד *usque*, sed ועד ET *usque*: quæ copula manifestè indicat, voces כלה ונחרצה referendas esse ad illud ὑποκείμενον, cujus in præcedente Orationis Contextu facta fuerat mentio, h. e. *Desolationem Templi*, quam Angelus ait fore absolutam & præcisam. Deinde, si verba; תתך על־ שמם vertan-

tantur; *stillabit in desolantem*, (voce [illegible] acceptâ pro [illegible]:) & explicentur de *Hostili Exercitu*, *Templum Desolante*, non minus commodè hæc transferuntur ad Romanos quam ad Syros & Antiochum. Romani enim non magis impunè tulerunt desolationem Judæis licet ex justa Dei sententia illatam, quàm olim Babylonii & Syri. Simplicitas tamen orationis vetat hæc pauca de alio intelligere subjecto quàm de quo proximè, & pluribus, actum erat. Præterquam quod hæc ipsa pauca verba, si ex hypothesi etiam de Syris intelligerentur, nihil explicitè nuncient de *Liberatione Populi Dei*, & illius Auctoribus, à Deo suscitandis, Assamonæis.

XIV. Denique 8, ad omnia hæc vitia, quæ in interpretatione Eruditi Viri deteximus, accedit; quod directè incurrat in clarissimam orationem Christi Jesu, *desolationem Templi*, quæ hic memoratur, interpretantis de ipso *Templi Secundi Excidio per Romanos*, atque adeò veram certamque nobis tradentis totius Oraculi rectè exponendi clavim. Verba Domini & Servatoris nostri hæc sunt apud Matthæum de fato Reipublicæ Judæorum
Matth. XXIV. 15, 16. ultimo, quod nemo negat, differentis: *Cum igitur videritis* τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ Προφήτου ABOMINABILE ILLUD DESOLATIONIS, DE QUO LOQUUTUS EST DANIEL PROPHETA, *consistens in loco sancto*: ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, QUI LEGIT, ANIMADVERTAT! *tunc qui in Judæa fuerint*, & quę seqq. Constat utrinque, α. Doctorem, qui hæc verba protulit, esse ἀληθινὸν, & auctoritatis summæ. β. hic propheticè differere de Excidio, quod Judæorum Reipublicæ imminebat à Romanis. γ. Illuc referre locum aliquem Danielis, quem de hoc Excidio agere dicit, & cum debita νοήσει *animadversione legi* vult. δ. Locum illum Danielis, quem Dominus respicit, hoc ipsum esse Oraculum, in cujus vera interpretatione vindicanda nos versamur. Quid itaque inde colligas, quàm hoc Danielis Oraculum verè & directè agere de novissimo Reipublicæ Hebræorum excidio? Nec tamen hic Vir Eruditus ab ingenio suo destituitur. Contendit, *per modum* παρῳδίας dicta & accipienda esse, quæ apud Matthæum leguntur, *cujusmodi allusiones*, ait, *apud Matthæum occurrunt plurimæ; sensu typico intelligenda, non historico*. Sic *illud*; ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ Προφήτου:

Hosea

Hoseæ nimirum verba, (Evocavi Filium meum ex Ægypto:) Hos. xi. 1.
ad Jesum puerum transfertur, quod dictum de egressu Populi Israëlitici ex Ægypto. quod insuper aliis etiam exemplis confirmare nititur. Sed frustrà. Etenim 1. Si vel maximè Nobilissimo Viro id concederemus, accidere subinde, ut à Christo aut Apostolis loca adducantur ex Scriptis V.T. ad orationem suam confirmandam, quæ illuc non *directè*, sed *indirectè*, sive potius, *mediatè*, pertinent, & per modum *convenientiæ typicæ*, sive etiam, *allusionis*, aut, *accommodationis*, quam vocant, eò referuntur: negamus tamen, id hic obtinere posse, α. Quia Dominus in dicto hoc allegando dictione usus est emphatica, & singulari, quá omnes docere voluit, Oraculum Danielis *directè* agere de novissimo Reipublicæ Excidio. Non ait igitur hic Dominus, aut Matthæus Evangelista: ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ Προφήτου, UT IMPLERETUR QUOD PRÆDICTUM EST PER PROPHETAM: formulâ loquendi alibi satis usitatâ, sed quæ subinde latiorem vel strictiorem fortè admittere possit interpretationem: sed ait directè; *Quando videritis* ABOMINABILE ILLUD DESOLATIONIS, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ, τοῦ Προφήτου, DE QUO LOQUUTUS EST DANIEL PROPHETA: directè, inquam, & absque ulla verborum circumloquutione indicans, Danielem de *Desolatione Romanensi* esse vaticinatum. Estque illud jam diligenter à Cl. Wagenseilio observatum, nullum esse in Evangelio Matthæi locum, in quo, ubi hæc aut similis adhibetur phrasis, non notet, testimonia Scriptorum Veterum directè & immediatè ad illa ὑποκείμενα esse referenda, de quibus illis in Locis agitur. Ut v. gr. de Joanne Baptista: Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἠσαΐου τοῦ Προφήτου, λέγοντος: Φωνὴ βοῶντος; & alibi de eodem Joanne: Οὗτος γάρ ἐστι περὶ οὗ γέγραπται. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω. Et prodit verè hæc dictio magnam significationis vim. Efficacius enim non potuit loqui Dominus, si Loca Scripturæ Veteris directè & immediatè applicare voluerit ad res illas, circa quas in Oratione versabatur. β. Accedit, & omnem exceptionem vincit, quod Dominus, postquam hæc verba Danielis allegasset, subjungat; ὁ ἀναγινώσκων νοείτω· *Qui Locum illum legit, diligenter* ILLUM AD ANIMUM REFERAT. Quid enim, obsecro, hæc sibi volunt verba Domini, quam Locum illum Danielis directè agere de novissima Judæorum calamitate?

Marginal notes: Matth. II. 17. coll. cum Jer. xxxi. 15. Matth. I. 22. — Matth. III. 3. — Matth. XI. 10.

Quorsum enim aliàs νόησις in lectione illius Loci? Voluit igitur Dominus his verbis discipulos confirmare in sententia de imminente excidio Hierosolymæ, de quo hoc tempore agebat, illustrans suam Prophetiam ex Daniele, cujus Oraculum quotquot cum debita attentione & νοήσει legerent, illos ait Dominus observaturos, Danielem de nulla alia loqui *desolatione*, quam de ipsa illa calamitate, de qua ipse verba fecerat. Hic clarus & certus sensus est horum verborum, qui omnem Marshami exceptionem enervat. Frustrà esset lectio & νόησις loci Danielis, si Judæi ex illo non possent confirmari in illa sententia, quam Christus D. hic proponit de novissima calamitate suæ Gentis: confirmari verò non poterant, si locus Danielis ageret de temporibus Antiochi Epiphanis, non verò de Neronis & Vespasiani.
2. Non concedimus Marshamo, quin potius directè negamus, ullibi apud Matthæum, aut alios Scriptores Sacros accidere, ut loca aliqua cum præfatione; *Ut impleatur quod dictum est*, &c. allegentur ex V. T. quæ per modum παρῳδίας, *ingeniosæ translationis* vel *allusionis*, tantum referantur ad res & personas, de quibus agitur. Hypothesis illa, ut existimo, est falsa, & Scriptoribus Sacris injuria. Duplex tantum, ut nos sentimus, modus est locorum ex V. T. ad res sub Nova OEconomia gerendas probandi vel illustrandi caussâ translatorum, aut κατὰ τὸ γράμμα, *secundum Literam*, aut κατ' ἀλληγορίαν, *sensu mystico*, sive *allegorico*. Plures ignoramus, & vel maximè repudiamus illum παρῳδίας, sive *Accommodationis*, quem nobis hic objecit Marshamus: etsi satis constat, multos Divinarum Scripturarum Interpretes, (inter quos suo etiam loco comparet Alexander Morus:) ubi aqua ipsis hæret, ad hanc veluti salutis anchoram confugere: sed verè non absque injuria Fidei nostræ Magistris & Interpretibus summis illata. Eorum enim quæ simpliciter solummodò *inter se conveniunt*, absque quo alterum alterius *typum* vel *figuram* gessit, quo pacto quæ de *uno* dicuntur in *altero* dici possunt *impleta* esse? Roma expugnata & spoliata olim est à Gallis, longo post tempore à Gothis, & recentiore adhuc ab Hispanis, & Germanis. Inter illa fata est haud dubiè aliqua convenientia, & possunt locutiones à clade Gallica ad Gothicam & Hispaniensem transferri per modum παρῳδίας: sed neutiquam

In Axiomat. Theol. Cap. V.

tiquam ſanè ita ut ſi quę fortè de clade Gallica *vaticinia* extitiſſent, ea ullo ſano ſenſu dici potuiſſent impleta eſſe in Gothica aut Hiſpanienſi? Sic omninò quæ de Templo à Syris profanando per Danielem propheticè expoſita ſunt: nemo majore jure dicet *impleta eſſe* in Excidio Reipublicæ Judæę illato à Romanis. Duo enim illi Caſus longè à ſe invicem diſtant: etiamſi inter illos *ἀναλογία* aliqua, quę tamen nec magna hic nec myſtica & typica eſt, in quibuſdam circumſtantibus obſervari poſſit. Loca verò quę Marshamus ad hypotheſin Scripturæ V. T. *κατὰ παρῳδίαν* exponenda allegavit, nos *κατ᾽ ἀλληγορίαν* interpretanda eſſe contendimus, & prolixius poſſemus evincere, ſi neceſſitas, quę hic nulla eſt, id exigeret. quę ratio explicandi locum Danielis cum hic locum invenire nequeat: (*Profanatio* enim Templi Judaici per Antiochum non geſſit figuram Reipublicæ exſcindendæ per Romanos:) nihil reſtat, niſi ut dicamus, Locum illum Danielis, de quo agimus, directè & immediatè referendum eſſe ad noviſſima Reipublicæ Judæę tempora. quo admiſſo: corruit tota Marshami Expoſitio.

CAPUT IV.

MEDO-PERSARUM REGNUM, *cujuſmodi fuit in mente Illuſtris Marshami, deſcribitur, illiuſque &* MEDICI, Succeſſio *in* Schemate *exhibetur. Quæritur deinde & diſputatur, an veſtigia illius Regni in Scriptoribus antiqui temporis deprehendantur? Quod cum negandum videatur: loca* Æſchyli, Herodoti, *& ipſius quoque* Xenophontis *hiſtoria, hunc in finem à Cl. Viro laudata, in medium proferuntur, explicantur, & diverſæ ſententiæ favere, non adverſari, evincitur.* Suidæ *quoque non negligitur de* Dario, Hyſtaſpidâ *antiquiore, teſtimonium; & quæ ex Prophetarum Oraculis de* Elam, *ſive* Elymæis, *ad hypotheſin Re-*

gni Medo-Persici *accommodantur*, *quo modo accipienda sint*, *docetur*.

QUid? si præterea huic interpretationi subjectæ sint *Hypotheses* vel incertæ vel falsæ, & à probabili ratione alienæ; quantumvis, quod non negem, ingeniosè fictæ, & variâ eruditione coloratæ. Prima harum & proxima est, Revelationem hanc Propheticam de LXX Hebdomadis Danieli obtigisse XXI Annis post *desolationem Hierosolymorum*; quo tempore *Astyages Medo-Persa* potitus est *Susiana*, ditionis Chaldææ terra, eâque suum Regnum auctius fecit. neutiquam verò, quod Interpretum vulgus ex *Cap.* IX. I. colligit; editum hoc à Gabriele Oraculum esse sub finem LXX *Annorum Exilii Babylonici*. ab hac autem *Epocha* usque ad Cyri *initia Babylonica*, *septem hebdomadas*, à cæteris distinctas, putari.

II. Hæc Prima ὑπόληψις plures involvit, easque notabiles; cujusmodi sunt,

α. Circa tempora florentis Imperii Chaldæorum sub Nebucadnezare, extitisse in Oriente *Regnum* aliquod *Medo-Persicum*, idque amplissimum, à *Medico* distinctum.

β. Illius Regni *primum* fuisse Rectorem *Astyagem*, Filium *Cyaxaris*, tertii Medorum Regis post excussum jugum Assyriorum; secundum traditionem Herodoti.

γ. Hunc ipsum *Astyagem* esse illum *Darium Medum*, בן אחשורוש *Filium Ahasueri*, sive *Cyaxaris*, *è semine Medorum*, cujus *Anno primo* Daniel hanc *Revelationem* accepisse dicitur, eundemque fuisse *Avum Cyri*, ex Filia ejus *Mandane*, Nobili Persæ *Cambysi* collocata, suscepti.

δ. Hujus *Astyagis Medo-Persa* filium fuisse *Cyaxarem*, secundum Regem Medo-Persam, eundem illum Principem, cujus in Historia sua meminit Xenophon, Herodoto prætritum.

ε. *Cyaxarem* hunc juniorem esse *Asuerum* illum, cujus historia consignata est in *Libro Esthera*; eumque cum prole careret masculâ: Successorem in hoc Regno habuisse *Cyrum*.

ζ. *Astyagem* hunc *Medo-Persam*, sive Darium Medum, probè distinguendum esse ab *Astyage* alio, *Medorum Rege*, ejus-

ejusdem temporis, *Cyaxaris Medi* in Regno Medico Successore, ejusdemque pariter, ut videtur, Filio; qui *Astyages* verè à Cyro victus sit, & Regno exutus, quando Persæ imperium adepti sunt in Mediam; non sanè *Astyages*, Cyri avus, malè cum *Astyage*, Medorum Rege, in *vulgata traditione Historica* confusus. En σχῆμα Successionis utriusque Regni ex mente & ingenio Cl. Viri:

Reges Medi.	Medo-Persæ.
DEIOCES. Medorum Rex.	
PHRAORTAS.	
CYAXARES.	
ASTYAGES. à Cyro victus.	DARIUS MEDUS. (qui & *Astyages.*) *Medo-Persarum Rex.* Cyaxaris Medi Filius.
	CYAXARES. Estheræ Maritus. MANDANE. Mater Cyri.
	CYRUS. *Cambysis*, nobilis Persæ, Achæmenidę, & *Mandanes* Filius.

III. Sat materiæ nunc est disputationis ordiundæ. plura non coacervabo, ne quod expediendum est, impeditum faciam. mox usu veniet cætera adscribere. Mea hæc est sententia, α. *Regnum* ejusmodi *Medo-Persicum*, quale sibi Vir Eruditus ingenii lusu finxit, à *Medico* distinctum, nullum esse in historia. nullum demonstrari posse. β. Si omnino ostendi & demonstrari posset: non videri unquam cum historia Libri Danielis componi posse hypothesin, quæ *Astyagem*, sive Medum, sive *Medo-Persam Regem*, infert illum esse *Darium Medum*, cujus historia illa meminit.

IV. Quod ad *prius* attinet: paradoxum equidem & à probabili fide remotius videtur, uno eodemque tempore duos in Oriente Monarchas cognomines, utrumque nimirum *Astyagem*, successores *Cyaxaris*, illum *Medis*, hunc *Persis* præfuisse, & gloriosè regnasse, & id quidem ætatis, quo Chaldæi Reges vel maximè florebant. quando tamen id nemo dixerit esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, & historia antiqui ævi alia etiam suggerit exempla *cognominum*, eodem Parente genitorum: nihil hâc parte movebo difficultatis. Quæro tantum, cum facti & exempli historici sit quod hic disputatur, quo stet auctore sententia de Regno *Medo-Persico*, à *Medico* distincto? cujus nitatur fide? Historici enim Veteres qui præ manibus sunt, vel nullum hoc tempore, id est, ante Cyrum, Regnum *Persicum* admittunt; vel si quod admittant: (ut Xenophon solus qui *Cambysen*, Cyri genitorem, Persarum *Regem* facit:) illud supponunt *Medorum Regno* longè inferius, eidemque obnoxium; idque adeo Regnum faciunt *Persicum*, non *Medo-Persicum*, à Medico diversum. Ita est, nec tamen Vir Eruditus nos hic destituit. Opus sibi esse vidit auctoritate prisci temporis; quam diligenter conquisitam, ratus est invenisse. Æschylum nominat, Herodotum ipsum, Suidam etiam & Cedrenum, & quod plus est, Prophetas quoque de *Persis* loquentes, suæ faventes sententiæ; quæ ille argumenta compendio exhibet in *Canone suo Chronico*, magni haud dubiè ingenii & laboris opere, jam ante à nobis in hanc rem producto; tum multò fusius in *Diatriba Chronologica* hujus argumenti, cujus, à me quidem non visæ, *Excerpta* habentur apud Stanlejum, cui hypothesin hanc suam Marshamus persuasit. an præ-

Ad Sec. XVIII. p. 605, 606.

In *Persas* Æschyli p. 774.

ter

ter illum aliis, hactenus non liquet. Sed hæc cura nos hoc tempore minus vexat.

V. Præcipuus auctor, cujus fide tanta hypotheſis in hiſtoriam infertur, laudatur Æſchylus; qui in *Tragœdia* quæ inſcribitur *Perſæ*, introducit Darium Hyſtaſpis filium, damnantem deplorantemque imprudentiam temeritatemque conſiliorum Xerxis, filii ſui, bellum in Græciam cum immenſo ſumptu & jactura hominum transferentis, quippe qui *Suſa Urbem* florentiſſimam *viris vacuam fecerit* magis quàm *unquam* aliàs *ex quo hunc honorem Jupitex Rex præbuit*, UNUS UT VIR TOTI PRÆESSET ASIÆ. Quando ille mox ſeriem illorum *Monarcharum Aſiæ* à prima ſua origine repetens, ſic continuat ſuam orationem: Verſ. 760, 766. & ſeqq.

> Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ·
> Ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσε·
> Φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν.
> Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος, εὐδαίμων ἀνήρ,

Καὶ τὰ ἑξῆς.

> MEDUS *enim* PRIMUS *erat Dux exercitus*;
> ALTER *verò* EJUS FILIUS *hoc opus confecit*;
> *Prudentia enim animum ejus Gubernabat.*
> *Tertius autem ab illo Cyrus, Vir fortunatus*,

Et *quæ ſequuntur* de ejus Imperio.

Adſcribo nunc verba ipſa Marshami, fiduciâ hujus loci *Regnum* ſuum *Medo-Perſicum* adſtruentis: *Cyrus quidem vulgò Perſarum Rex primus habetur, non ſine auctoritate Veterum: verum duos Reges in Regno Perſico anteceſſiſſe Cyrum & Æſchylus docet, & Xenophon, auctores vetuſtiſſimi, qui ipſi Perſarum temporibus vixerunt.* Sequitur locus Æſchyli. quando ita pergit: *Primus itaque cognominatur* MEDUS; *ſecundus eſt anonymus. Tertius Cyrus. Xenophon ſecundum Regem appellat Cyaxarem; primum ejus Patrem Aſtyagem.*

VI. *Illuſtrem* hunc eſſe locum, productum primò à Scaligero, & hoc nomine laudatum, non nego: Marshamum illum rectè interpretari, & qui illum hic ſequitur, Stanlejum, præſtantem doctrinâ Virum: id pernego. Commemorat Æſchylus ſub perſona Darii Hyſtaſpidæ duos *Perſarum Reges, qui Cyrum* Emend. Lib. VI. p. 590.

ante-

antecesserunt. accipio. *Illi Reges*, ait, Vir Doctus, fuerunt origine *Medi*, quia *primus Dux exercitus* dicitur *Medus*. admitto. Quid inde? Ergo infert, *duo fuerunt ante Cyrum Reges Medo-Persæ*. Neque ego etiam hic intercedo. Ain' tu, evictum esse, quod quærebatur? Nego rem ita se habere. Demonstrandum enim incumbebat illustri Viro, *Cyrum* in Regno Persico antecessisse *duos Reges Medo-Persas* à *Medicis* diversos. quod non attingitur. Cætera nemo negat, antiquæ traditionis historicæ, quam Æschylus sequutus est & nos etiam maximam partem amplectimur, tenax: *Reges* nimirum *Medos* (Phraortem, ut mox dicam:) *Persiam armis suo adjecisse imperio*, atque non *Persis* minus quàm *Medis* imperasse, atque ita evasisse potentissimos Asiæ Monarchas. De his Regibus *Medis* loquitur Æschylus, qui *ante Cyrum* tam *Persiam* quàm *Mediam* sibi subjectam habuerunt. Id enim ipse totidem verbis effert & declarat, quando per Xerxen *Susorum Urbem* Viris exhaustam dicit magis quàm factum,

Ε'ξ ὅτε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήνδ' ὤπασεν,
Ε'ν' ἄνδρα πάσης ἀσιάδος μηλοτρόφου
Ταγεῖν, ἔχοντα σκῆπτρον εὐθυντήριον.

Ex quo hunc honorem Jupiter Rex tribuit,
UNUS *ut* VIR TOTI ASIÆ OVIUM ALTRICI
PRÆESSET, *habens directorium sceptrum*.

h. e. ex quo Medi, inclinatâ jam re Assyriorum, adspirarunt ad summum in Oriente Imperium, idque *Persis* primò, dein *Assyriis*, Lydis, Phrygibus, Jonibus, Babyloniis, sibi subjectis, tandem obtinuerunt. Nullus itaque Æschylus agnoscit hic potentes aliquos Reges *Medo-Persas* à *Medis* diversos; sed ex traditione historica recepta *Persarum* Reges memorat, qui iidem *Medorum*, illius fundamenta jecerunt magnæ Monarchiæ, quę recentioribus *Persica*, antiquis Scriptoribus *Medica* dicitur. Quid plura? Agnosco *Reges potentes Asiæ*, *Medo-Persas*, h. e. *Mediæ* Reges, *Persis* imperantes; & omnis agnoscit historia: sed *Medo-Persas* à *Medis* diversos nullos novi ego, nullos Æschylus.

VII. Quæris igitur, & meritò, quinam illi sint *Persarum Reges*, *Cyri Decessores*, *duo*, quos hic signat Æschylus? *Mediæ* enim

enim Reges si hic intelligas, qui Persas imperio suo complexi sunt: plures utique fuerunt ante Cyrum. *Tres* quidem, Phraortes, Cyaxares, Astyages, si stes Herodoto: si Xenophontis Cyaxarem addas; *quatuor*. atqui Æschylus *duos* tantùm memorat. Sic est. Scaliger *Cyaxarem* demonstrat, ejusque Filium *Astyagem*, cui successit *Cyrus*: nec tamen rationem dat, quare Æschylus hic prætereat *Phraortem*, qui primus Mediæ Regum Persas sub jugum misit. Deinde non facilè *Astyagi* aptes quod Poëta hic prædicat de illo *primi Medi* FILIO, qui posteris viam stravit ad Monarchiam Orientis. Describit enim illum ut *prudentem* & *solertem* Virum, qui *opus*, à Parente *cæptum*, *perfecerit*. Atqui is non est *Astyages*, cujus virtutes & gesta bellica historia non prædicat. contrà fama antiqui temporis, cui Æschylus non minus quàm Herodotus fidem habuit, *Astyagem* Principem facit animi impotentis, invidi, meticulosi, crudelis; quę imbellium & pessimi ingenii hominum vitia sunt. fert præterea, eundem hunc *Astyagem*, cum Harpago commisisset exercitum, victum esse à Cyro. iterumque superatum & Regno exutum, cum ipse, postquam proditus esset ab Harpago, rem per se administraret. Quæ si falsa fortè sint, & Xenophonti potius sit credendum de Medicis scribenti: parum præstiterit Astyages, & laus omnis bellorum à Medis sub Cyaxare gestorum, erit Cyri, utriusque Populi copiarum Imperatoris. atqui ob hanc ipsam rationem, fidens communi famæ de Imperii Medici origine & successione Æschylus, *Astyagem* & *Cyaxarem* præteriit. Loquitur enim de Cyri decessoribus, Viris strenuis, fortibus, *ductoribus Exercitus*, qui Monarchiæ Medicæ rem auxerunt & promoverunt; ut ipse: Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν ςρατοῦ· *Medus enim erat primus* DUX EXERCITUS; *alter verò* EJUS FILIUS *opus perfecit*. ipse videlicet quoque ἡγεμὼν ςρατοῦ *Imperator*, Dux vel *Ductor Exercitus*, qui rem *Medicam* confirmaverit & amplificaverit. qualis non fuit Astyages. Id ipsum dicere voluit Poëta quod apud Livium Volumnius, suâ ad Populum oratione: *Se, nisi consideret eum consensu Populi Romani consulem declaratum iri, qui haud dubiè* PRIMUS OMNIUM DUCTOR *habeatur*, *Dictatorem fuisse extemplo dicturum*. *Ductor* Livio est Æschylo ἡγεμὼν ςρατοῦ. Ergo quid hæsitamus? *Medus* ille Æschyli *primus* ductor *Exercitus*, qui *Persiam* subegit, viamque aperuit cæteris Hist. Lib. x. Cap. xxi.

ad Monarchiam Orientis, fuit *Phraortes*, de quo Herodotus:
Lib. I. p. 27. Παραδεξάμενος δὲ οὐκ ἀπεχρᾶτο μούνων ἄρχειν τῶν Μήδων, ἀλλὰ στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Πέρσας πρώτοισί τε τούτοισι ἐπεθήκατο, καὶ πρώτους Μήδων ὑπηκόους ἐποίησε. *Accepto verò Regno non fuit contentus solis imperare Medis, sed* EXERCITU DUCTO *in Persas, hos primos invasit, primosque Medis subjecit.* Sequitur mox: *Quibus nationibus duabus potitus, validâ utrâque,* κατεστρέφετο τὴν Ἀσίην ASIAM SUBEGIT, *aliam deinceps atque aliam invadendo Gentem, donec ad Assyrios pervenit,* &c. Hic *primus* est *Medus* ἡγεμὼν στρατοῦ. Major gloria est *Cyaxaris*, filii ejus, qui post *devictos Assyrios* & *Lydis* quoque bellum illatum, recuperato à Scythis Imperio ipsam etiam *Ninum* expugnavit & excidit, καὶ τοὺς Ἀσσυρίους ὑποχειρίους ἐποιήσατο, πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης· ASSYRIOS*que, exceptâ Babylonicâ quapiam portione, subegit.* Hic igitur est ille *Phraortis Medi* FILIUS, qui, reliquiis Monarchiæ Assyriorum destructis, τὸ ἔργον ἤνυσε *opus confecit.*

VIII. Hoc soluto nodo, cætera omnia facilia. Quod enim Vir Illustris addit, *Xenophontem* hos *duos* Persarum Reges Æschyli appellare *Astyagem* & *Cyaxarem:* primò quidem nego, Poëtam illos respexisse, nullâ bellicæ virtutis laude insignes, ut modò demonstratum dedi; deinde quid certius & ex Xenophonte notius, quàm hos Principes ex sensu Xenophontis fuisse *Mediæ* Reges, qui in ipsa resederunt *Media*, non sanè in *Persia*; etsi *Persas* sibi *obnoxios* habuerint. quos si tu hanc ob rationem *Medo-Persas* appellare velis: non impetraveris tamen, ut à Medorum Regibus discernantur, quos Xenophon ostendit *Regiam* in *Media* habuisse & ibi vibrasse sceptrum; dum *Persis* suum dat Regem *Cambysen*, Cyri Patrem, sive honoris caussâ sic appellatum, sive quod verè Regiam gesserit dignitatem, licet Medorum Regum non fœderatus tantum sed & tributarius; certè illius ὑπήκοος. Difficile hic est elabi: & tentat tamen Vir Cl. quâ viâ cognosce, sis, ex *Diatriba*, cujus verba excerpo ex Stanlejo:
l. c. *Verum Xenophonti Astyages & Cyaxares sunt Mediæ Reges. Esto. Non autem de* MAGNA MEDIA *intelligendum, cujus Regia erat Ecbatanis; nullus ibi post* ASTYAGEM REGNAVIT CYAXARES: *sed de* ELYMAIDE, *sive Persica illa Regni parte interpretari licet, ubi Medus ille (sive Darius is nominetur, sive Astyages) novum Regnum erexerat; testamento paterno, an defectione, an Scythicæ incursionis occasione, incertum.*

IX.

IX. Mallem id alium ſcripſiſſe quàm Marshamum, in quem æquum eſt eam me ſervare reverentiam, quam tanti ingenii meritis debeo, debent omnes. Quod tamen hic literis expreſſit: quis tandem probet, qui cum Erudito Viro ſponte ſuâ errare nolit? Si Xenophontis repudiaſſet auctoritatem; ſi illum Philoſophi magis quàm Hiſtorici officio in rebus Cyaxaris & Cyri percenſendis perfunctum eſſe dixiſſet: tolerabilior longè mihi videretur exceptio. Eſtne probabile, Xenophontem, hiſtorici ſuſceptâ perſonâ, de *Medorum* & *Perſarum* rebus ſcribentem, alias Mundi regiones per *Mediam* & *Perſiam* intellexiſſe, quàm Hiſtorici & Geographi omnes, qui Mediæ & Perſiæ meminerunt? idque ſi agere voluiſſet Xenophon: nullibi lectorem moniturum, ſe per *Mediam* non illam quæ ſic propriè dicitur, *Mediam* ſignificare, ſed *Elymaidem*, Mediæ proximam? Et ſi omninò *Elymais Mediæ* pars cenſeatur, ut verè non fuit (etſi Ptolemæus minus accuratè eam *Mediæ* accenſeat) & ab ipſo Viro Cl. non habetur: num propterea *Elymais* Media appellari queat, abſque ulla nota diſcriminis? Cum Prophetæ in ſuis Oraculis, ab ipſo Viro Cl. recenſitis, עילם & מדי Elymæos & Medos accuratè ab invicem diſtinguant; ut apud Jeſaiam: *Aſcende* Elam, obſide Madai: iidem autem Prophetæ in iiſdem locis per *Elam* intelligi velint *Perſas*, per *Madai*, *Medos*, ſuo nomine notos: eſtne qui nobis perſuadeat, ipſos quoque *Elymæos* non *Perſas*, ſed *Medos* eſſe? Atqui *Elymais*, inter *Eulæum* & *Oroatim* fluvios media, veriſſima eſt antiqua *Perſia*, olim *Elymais* dicta, ſtylo Scripturæ. quæ enim illi ad ortum eſt *Perſis*, ſic poſtea propriè dicta, illius eſt acceſſio; & quæ ad occaſum, *Suſiana*, antiquitus adſcripta fuit *Aſſyriæ*. Fac mihi jam ex hoc *Cyaxare*, *Elymaidis* & quoque *Suſianæ* Rege, ſi placet, *Aſuerum*, Eſtheræ maritum: (quæ eſt inter hypotheſes Ill. Viri:) & demonſtra mihi hic illas CXXVII *Satrapias* ampliſſimi Imperii, quod illi Principi hiſtoria hujus libelli tribuit. Ridiculum illud videtur, vel ſi *Perſidem* utrique ditioni adjungas; etſi Xenophon Regnum *Cambyſis* à Regno terriſque *Aſtyagis* & *Cyaxaris* accuratè diſtinguat. Quid multa? *Media* Xenophontea eſt regio ampliſſima, cujus incolæ cultu, veſtitu, moribus, inſtituto vitæ, luxu, opibus, à *Perſis* Xenophontis diſtincti diviſi fuerunt; quæ pro-

Cap. XXI. 2.

Lib. I. p. 11. Edit. Steph. Lib. II. in initio. Ibid. Lib. II. p. 34. Lib. VIII. p. 235.

xima fuit *Assyria*; cujus distincti fuerunt à Persiæ Præsidibus *Dii*; in quam venit Cyrus postquam *Persidis* ὅρια *limites* superasset; cui Medorum Populo commodum fuit bellum gerere cum hostibus *Lydis*, *Cappadocibus*, *Phrygibus*: ὅμοροι *finitimi* fuerunt & *tributarii Armenii*; quam Mediam totam (Μηδίαν τὴν πᾶσαν) Cyaxares *dotem* statuit Filiæ, Cyro elocandæ. quæ qui negaverit, rectius de *Media*, sic propriè dicta, sive de *magna Media*, affirmari quàm de *Elymaide*: vel ex imperitia errat, vel suæ hypothesis tenacior est quàm Virum veri studio affectum decet. Addo denique, Xenophontem cum omnes confines Orientis Populos, Assyrios, sive Babylonios, qui sic dicuntur Xenophonti; Armenios, Chaldæos, Bactrianos, Hyrcanios, Cadusios, Indos, Lydos, Cappadoces, in hac historia sua sæpius appellet & commemoret: nullibi ullorum meminisse *Medorum*, ab his diversorum *Medis* quibus imperarunt Astyages & Cyaxares. Est igitur illud verum quod Strabo: Ἡ δὲ μεγάλη Μηδία, τὸ μὲν παλαιὸν τῆς Ἀσίας ἡγήσατο πάσης· Magna Media *antiquitus toti imperavit Asiæ*. Atqui hæc est Media Astyagis & Cyaxaris.

Geog. Lib. II. p. 361. Ed. Cas.

X. Credas jam, majore cum successu in hanc scenam duci Herodotum, cujus historia tota de *Medorum* & *Persarum* Gentibus sic est instructa, ut hypothesi de Regno *Medo-Persico*, à *Medico* distincto, maximè adversetur? Et tamen placet Erudito Viro ad illum quoque allegare hujus sui εὑρήματος patrocinium, in medium productis verbis Cambysis moribundi, quibus obtestatur *Persas præsentes, maximè Achæmenidas*, μὴ περιιδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖτις ἐς Μήδους περιελθοῦσαν· *ne per socordiam permitterent imperium rursus redire ad* Medos. Inde quid colligas, quàm *Medos* ante Cyrum *Persis* imperasse? Atqui id verissimum ex traditione Herodotea, Ctesiana, & historiæ Veteris. Quid ultra? Num vero aliquod ante Cyrum viguisse Regnum *Medo-Persicum* à *Medico* diversum? Nihil ejus est in his verbis Cambysis. Herodotus hic ubique sibi est similis. Nihil plus, nihil minus dicit, quàm Medos Persis ante Cyrum imperasse, utique Persas sibi obnoxios habuisse; quod nemo temerè neget. Sic Magi ad Astyagem, Cyaxaris Patrem: *Nostra etiam, Rex, magni interest, tuum stare principatum, qui si alienetur, & ad hunc puerum* (Cyrum) *qui* Persa *est, transeat*; ἡμεῖς ἐόντες Μῆδοι δουλούμεθά τε,

Hist. Lib. III. Edit. Steph. p. 119.

Herod Lib. I. p. 33.

καὶ λόγου οὐδενὸς γινόμεθα πρὸς Περσέων, ἐόντες ξεῖνοι· *nos quoque qui* MEDI *sumus, in servitutem redigeremur, nulliusque pretii essemus apud Persas, utpote extranei.*

XI. Atqui Suidas, ais, exertè meminit cujusdam *Medi*, Persarum Regis, ad *vocem* Μῆδος, quando scripsit: Μῆδος, ὁ Περσῶν βασιλεύς. MEDUS, PERSARUM REX. & alibi etiam cujusdam *Darii*, Dario Hystaspis Filio, antiquioris, ubi *Daricos stateres* exponit. *Darici*, inquit, *sunt stateres aurei*, οὐκ ἀπὸ Δαρείου τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν· *non à Dario, Xerxis Patre, sed* AB ALIO QUODAM ANTIQUIORE REGE *denominati.* quod idem monuit Scholiastes Aristophanis. Ego verò non eo inficias, hæc doctè observata esse tum Marshamo, tum aliis: sed quicquam in his esse quod nos cogat Præstantissimi Viri partibus accedere: cur annuerem? Suidæ ille Μῆδος vel est Æschyli, vel Danielis DARIUS MEDUS. Si prius: nihil aliud vel plus dicere potuit quàm Æschylus; cujus mentem jam interpretatus sum. Si posterius: nullus dubito quin sententiam tenuerit eandem quam Eruditi inter Græcos plures; *Darium Medum* Danielis esse *Astyagem*, eundem Medorum & Persarum Regem. de qua mox videbimus. Utraque infert, Suidam agnovisse aliquem Regem *Medo-Persam*, qui Μῆδος, vel ὁ Μῆδος, antiquis Scriptoribus dicatur. Neutra infert, illum agnovisse aliquem Regem *Medo-Persam*, à Medorum Rege alium. quod hic disputatur. Nec potuit id cogitare vel fingere Suidas, qui hic non sui profert meditata ingenii, sed Veterum vel sequitur, vel interpretatur dicta & traditiones; in quibus nihil ejusmodi invenias. *Darium* autem illum, à quo *Darici Numi*; *Regem* quendam fuisse, qui ante *Hystaspidam* vixerit, & *Persas* quoque suo subjectos vidit imperio: adeò nihil nos moratur, ut ultro illud largiamur; modò illum rursus ne feceris *Medo-Persam* à *Medo* diversum. Sive enim *Astyagem* illum esse dixeris, sive *Cyaxarem* Xenophonteum, illum Cyri Avum, hunc Avunculum & Socerum; de quo mox videbimus: *Medus* semper Rex fuerit *Darius* ille; & *Medo-Persa* etiam, si vis, sed nullius Elymaidis à Mediæ magnæ Rege distinctus.

Ad voc. Δαρεικός.

In Ἐκκλησ. p. 741.

XII. Potuisset intra hos consistere limites prior hæc disquisitio; nec necesse fuisset Scriptores etiam Sacros advocari ad

Nn 3 hanc

hanc fulciendam hypothesin. Quando tamen sic prævivit Vir illustris: sequor. Equidem extant Oracula quædam apud Prophetas de *Elymais*, sive etiam de ELAM & MADAI, *Elymais* & *Medis*. Hæc verò ille interpretatur de Regno suo *Medo-Persico*.
Cap. XIII. 7. veluti quando apud Jesaiam in Vaticinio de *Babele* legimus: *Ecce suscito contra illos* מדי MEDUM. Et; *Ascende* ELAM, *obside*
Cap. XXV. 25. MEDE. apud Jeremiam: *Regibus* ELAM, & *Regibus* MEDIÆ.
Cap. XLIX. 38, 39. Nec non: *Ponam solium meum in* ELAM. Sed idem vitium λογισμῶ continuò recurrit. Prophetæ nomine *Elam* & *Madai* non intelligunt *Medo-Persas*, quorum sedes Regni fuerit *Elymais*, ut Vir Cl. fingit: sed distinctos diversosque Populos *Medorum* & *Persarum* à Deo suscitandos ad Regnum Babylonium junctis viribus destruendum; ut destructum esse in historia docet Xenophon. Babylonia illa Monarchia, olim fundata à Nimrodo, circa ætatem Jesaiæ demum caput in Mundo rursus incipiebat exerere; & tamen Propheta clarissimè jam prædixit, tum subitaneum illius Imperii incrementum, tum ejusdem subversionem, ex Divino Consilio efficiendam à *Medis* & *Persis*, diversis distinctisque Populis, hoc nomine notis in Literis Divinis. *Persarum* enim nomen cum circa tempora Jesaiæ & Jeremiæ usu nondum receptum esset, quippe recentioris originis & primò
Cap. XXVII. 10. XXXVIII. 5. usurpatum inter Sacros Scriptores ab Ezechiele, etsi vel inde satis liqueat esse Cyri Imperio antiquius, quicquid Docti Viri in contrarium nitantur: solent Scriptores Sacri nomine עלם *Elam*, non *Elymaos* tantum sed & iis affines *Persas*, propriè sic di-
Geog. S. Lib. IV. Cap. X. ctos appellare, idque jam docuit & adstruxit Bochartus. licet ego non negem, inter Persas olim *Elymaos* ita excelluisse, ut confines Populi, ejusdem ortus, ab iis meritò nomen suum mutuati sint. Nec aliud sonat hæc notio in Vaticinio de fatis *Ely-*
Cap. XLIX. 34. *maorum* apud Jeremiam. Oraculum illud, si sensum verborum spectes, clarum est; si implementum, ut multa alia, obscurum. Prædicitur illo Oraculo manifestissimè destructio Regni & Imperii Persici per Populos bellicosos cum terribili significatione Divinæ severitatis in illud concitandos: cujus implementum frustra quæsiveris in alia quàm Alexandri Macedonis historia. Certè verba quæ Vir Cl. ex hoc Oraculo excerpsit: *Ponam solium meum in Elam*; & ita est interpretatus; *solium Regum à me electo-*

electorum ad perdendam Babylonem: nihil magis commendant hypothesin Marshami quàm superiora. Intelligentur enim ipsissimi *Persæ*, qui, duce Cyro, à Deo delecto, magnum illud opus Domini in Babylonia effectum darent. Sed qui aperuerit Jeremiæ Librum, & tum scopum Oraculi consideraverit, tum inspexerit hæc verba, ut cum *sequentibus* cohærent: ægrè subscripserit huic interpretationi. Superiora enim omnia cum tristia sint, & dira Gentis fata prænuncient: tum verò additur eâdem Orationis serie: *Et ponam* SOLIUM MEUM IN ELAM, *&* PERDAM INDE REGEM ET PRINCIPES, *ait* DOMINUS. *Thronus* hic est *judicii* & *justitiæ*, ut quisque videt; non gratiæ, non clementiæ. *Thronus*, inquam, *judicii* quo *thronus Cyri* ejusque *Successorum* destruendus dicitur in longum, donec postliminiò *Persarum Regnum* restitueretur. de quo prolixius hic agere nihil attinet: cum id caussam meam nec juvet, nec, si secus sit, prodat. Ps. ix. 5, 8.

CAPUT V.

Transit disputatio ad DARIUM MEDUM, *cujus mentio occurrit in historia* Libri Danielis, *quæriturque an hoc nomine intelligendus sit Rex aliquis sive* Medo-Persarum *sive etiam* Medorum ASTYAGES, *Cyri Avus; ut inter Veteres aliqui opinati sunt. Sententia illorum rectè proponitur; origo ejus investigatur; & quantum ab ea* Marshami *distet, ostenditur. Pariter illud discutitur, an* Astyages *aliquis* Medo-Persa *Rex expugnatâ Urbe* Susis, Susianam *Regi Babyloniæ ereptam, suo adjecerit Regno, & num faveat huic traditioni, quæ est inter Illustris Viri hypotheses,* Æschylus? *idque an evenerit Anno à* desolatione Templi XXI? *Terminatur hæc dissertatio.*

Cre-

CRedin' jam, majorem esse speciem in *altera* illa *hypothesi*, quæ *Astyagem*, Regem *Medo-Persam*, illum fert esse Darium Medum, cujus mentio occurrit in historia *Libri Danielis*? Sanè quidem destructo *Regno Medo-Persico*, omnia corruunt; & possemus adeò hâc disputatione supersedere. Sic facerem, ni argumenti utilitas, & color inde quoque novæ interpretationi quæsitus ex ejusdem ingenii & doctrinæ opibus, contrarium suaderent.

Cap. VI. 1. II. Darium illum Medum, in Danielis historia commemo-
seq. IX. 1. ratum, esse *Astyagem*, non *Medo-Persarum*, sed *Medorum Re-*
XI. 1. *gem*, Cyaxaris, *tertii Medorum Regis* ex Herodoti sententia Filium, arbitrati sunt Docti quidam inter Græcos, ex quibus Vir
Chronogr. Ill. Syncellum & Cedrenum laudat. qui præterquam quod sint
p. 232. recentioris temporis: si idem sentirent & profiterentur absque
p. 142. probabili ratione aut majoris auctoritatis præsidio, quod Marshamus: nihil planè nos moverent. Cedrenus enim, nec judicio nec fide probatus, quem Vir Cl. *aliunde forsan edoctum* scribit, sequutus hic haud dubiè est Syncellum: Syncellus autem, qui alias benè multa sibi putavit licere in historia, quæ veri studiosorum hominum calculis nunquam probabuntur; quantum hic merebitur fidei, qui eodem hoc in loco de *Dario Medo* falsissima scribit? Idem enim ille, qui ex *Dario Medo* facit *Astyagem*, eundem fait *Nabonnidum* illum, ex Fragmentis antiquæ histo-
p. 231. riæ Chaldaicæ satis notum. Sic ille: Ναβόννιδος ὁ τελευταῖος βασιλεὺς Μήδων, Ἀστυάγης παρ' αὐτοῖς λεγόμενος, ὁ αὐτὸς δὲ καὶ Δαρεῖος Ἀσσουήρου.
p. 232. Mox iterum: Ὁ αὐτὸς καὶ Ἀρταξέρξης ἐλέγετο, καὶ Ἀστυάγης, καὶ Δαρεῖος Ἀσσουήρου. Et post pauca: Ὁ αὐτὸς Πάππος τοῦ Κύρου, Δαρεῖος, Ἀσσουῆρος καὶ Ἀστυάγης. Atqui hæc quàm imperitè! Dic enim, *Darium Medum* Danielis esse *Nabonidum* antiquæ historiæ, quod opinari constat Scaligerum, Petavium, pluresque alios: si ex eodem hoc homine feceris *Astyagem*: omnes summas antiquæ historiæ conturbaveris. Sed quicquid etiam hac de re fuerit: certum utique nec Syncellum, neque Cedrenum cogitasse de aliquo *Astyage*, Avo Cyri, *Medo-Persa*; sed hoc nomine intellexisse *Regem Medorum ultimum*, ut exertè Syncellus. quare rectè ipse Vir Cl. *Syncellum duos Astyages non satis distinguere*. imo verò distinctos fuisse in rerum natura nunquam cognovit.

III. Ver-

III. Verbum addo. Syncellus in sententia de *Dario Medo* sequutus est Theodoretum, qui in *Commentario* suo in *Danielem*, rejecto Josepho qui ex *Dario Medo* facit Cyaxarem Xenophontis, illum docet esse *Astyagem*, Avum Cyri. Sententia autem hæc, quam fortè ante Theodoretum tenuerunt etiam alii, repetenda est ex *Additamentis Libri Danielis*. in *fine* enim *Capitis* XIII. 65. sive *Cap.* XIV. I. hæc legas verba: Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀ'συάγης προσετέθη πρὸς τὺς πατέρας αὐτῦ· Καὶ παρέλαβε κῦρος ὁ Πέρσης τὴν βασιλείαν αὐτῦ. Trahere debuisset auctoritas hujus *Fragmenti* Veteres omnes in has partes, si eadem ab omnibus agnita fuisset: sed prudentiores eam spreverunt. Nec tamen inficias eo, esse in hac sententia, quæ ex *Dario Medo* facit *Astyagem* aliquem, *Cyaxaris* Medi Filium, quod ad primam speciem cui blandiatur. Marshamus: *Astyagem hunc, sive Darium Medum, fuisse Cyaxaris Medi filium, testatur Daniel*; cui dicitur Darius *filius* Assueri, *de semine* Medorum. Cy-axarem *enim esse* Assuerum, *docet Scaliger*. Facessat igitur nunc tantisper hypothesis de *Astyage*, *Cyaxaris Filio*, *Medo-Persa*. Quæramus simpliciter, an *Darius Medus* Danielis sit *Astyages*, Cyaxaris Filius? Sic statuerunt aliqui Veterum; sic Marshamus, quia dicitur *Filius Assueri*. hebraicè: בן אחשורוש מזרע מדי *Filius* Achasverosch, *ex semine* Medico. atqui illud *Achasueros* ipsissimum est nomen *Cy-axares*, sive *Axares*, ut jam monuit Scaliger. Fateor, si hic subsistas & cætera Danielis de *Dario Medo* negligas: id neutiquam videri absurdum, quin potius rationi amicum. Agnosco enim ego quoque, quod jam docuit Scaliger, nomen *Assueri* idem esse quod *Cyaxares*; sive potius *Axares*. ex *Axares* formatum esse Græcorum Ξέρξης. Utrumque autem esse Hebræum *Achasueros*. Deme enim *puncta*, à Criticis Hebræorum subjecta literis hujus *vocis*, אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ / & substitue iis alia; אחשורוש: ipsissimum habebis *Axoros*, sive *Axares*, si vocalem *a* in Latina voce *Axares* & Græca Ἀ'ξάρης ore contracto per modum *Kametz Hebræi* enunciaveris. *Axares* autem esse ipsissimum Nomen *Xerxis*, quis dubitet? Si jam verum sit, quod Scaliger affirmat, *Ku* vel *Kau* Persis idem valere quod Græcis δυνάςης: constabit certa hujus Nominis rectè exponendi ratio.

Comm. in Dan. Lib. VI. p. 616.

p. 601.

Cap. IX. 1.

Emend. Temp. Lib. VI. p. 587.

IV. Hactenus equidem nihil est ad quod offendas. planâ viâ

incedere tibi videris. Sed si gradum ultra promoveris: deprehendis, te esse in errore. Quæ enim historia *Libri Danielis Dario Medo*, *Asueri Filio*, tribuit: *Astyagi* non conveniunt. Characteres diacritici *Darii* illius *Medi*, quales in illa consignantur
Cap. IX. 1. historia, qui nos nunc spectant, sunt, α. *Esse* CONSTITUTUM REGEM *super Regnum Chaldæorum*. Hebræa Danielis sunt: אשר המלך
Cap. VI. 1. על מלכות כשדים. β. *Accepisse* illud *Regnum annos natum sexaginta duos*. γ. Post obtruncatum Belsazarem, cui Deus paulò ante
Cap. V. 28. per Danielem denunciaverat, *fore ut Regnum ejus tradatur Persis & Medis*. δ. Eventum hunc notabilem incidere in illum temporis articulum, quo LXX *Anni* exilio Babylonico præfiniti,
Cap. IX. 1. brevi expirarent. ε. Successorem habuisse in *Imperio Babylonico Cyrum*, cujus Regnum immediatè cum Regno hujus *Darii*
Cap. VI. 29. conjungitur: *Et Daniel prosperè agebat in Regno* DARII, *& in Regno* CYRI PERSÆ. ζ. Probabile fieri, *Darium* illum *Medum*, *Medorum Regem*, Cyri decessorem, per *unum* tantum *annum* tanto
Cap. IX. 1. XI. 1. Imperio præfuisse. certè plures illi in historia Danielis non dantur.

V. Hæc si ex *Libro Danielis* bonâ fide à nobis collecta, & rectè intellecta fuerint: consequens erit, vacillare hypothesin, quæ ex *Dario* illo *Medo* facit *Astyagem*, sive jam *Medorum*, sive *Persarum*, aut *Medo-Persam* Regem. Si enim Herodoti sequare traditionem: *Astyages*, Mediæ Rex, dudum regno fuerat exutus, antequam *Cyrus* potitus est *Babylone*; nec contigit illi unquam *Chaldæis* imperare. si Xenophontem: fato suo jam fuerat perfunctus Astyages, quando Cyrus cum Cyaxare, Astyagis illius Filio, post alias Gentes devictas Babylonios domuit. Et constat satis, *Astyagem*, qualem qualem volueris, Regnare & esse desiisse inter homines, quo tempore Cyrus Babylonem expugnavit, & post *expugnatam Babylonem* Judæis indulsit libertatem in Patriam remeandi. Quas difficultates cum Græci quidam Chronologi ad animum revocarent, & tamen grave iis esset ab hac se disjungere sententia: finxerunt illi, *Astyagem*, Medorum Regum ex sua opinione ultimum, ipsissimum esse *Nabonnedum Berosi*, *Nabannidochum* Megasthenis: *Nabonadium* Canonis Astronomici, *ultimum Babyloniorum Regem*, Belsazaris successorem. Magnum haud dubiè paradoxum; ἔκτρωμα infelicis

cis ingenii, omni hiſtoriæ antiquæ contrarium. Sic enim Cyrus Babylonem non Chaldæis, ſed Medis eripuiſſet; nec Babyloniorum Regem Babylone, ſed ipſum ſuum *Avum Aſtyagem* Chaldæorum exuiſſet Imperio: ne plura hic alia hujus generis advocem. Id cum viderit peritiſſimus vetuſtatis Marshamus: ſimul obſervavit, neutiquam conciliari poſſe cum principiis illis, quibus ſuppoſitis opus habebat in ea interpretatione Oraculi Danielis, quam mente ſua conceperat. inter quæ principia ſive hypotheſes eſt, *editum eſſe hoc Oraculum de* LXX *Hebdomadibus*, 49 *annis ante initia Cyri Babylonica*; ſive 21 *anno poſt deſolationem Templi*. Atqui *Nabonidus* ille ex communi conſenſu reliquiarum Veteris hiſtoriæ ſolummodò 17 annos in imperio ſuo exegit. cujus proinde *anno primo* ſi obtigerit Danieli hæc *Revelatio*: ut ipſe Cap. IX. I. ſcribit: falſum fuerit, editam hanc eſſe Revelationem 49 annis ante Cyrum. Neceſſe itaque habebat Vir illuſtris alias in ſubſidium vocare *hypotheſes*, ad ſuum illum *Darium Medum*, *Aſtyagem* nimirùm *Medo Perſam*, felicius defendendum, quàm ſuum *Aſtyagem* Medorum Regem defenderant Græci; ſimul ut obtineret, fieri poſſe ut *primus Annus* hujus *Aſtyagis Medo-Perſæ*, ſive *Darii Medi*, ſit *annus* ante *Cyrum*, Babylonici Imperii Præſidem, *quadrageſimus nonus*. Tentavit id Vir Cl. videbimus, an aſſequutus ſit. In duplice itaque hoc problemate diſcutiendo nunc exercebo ingenium. Prima quæſitio eſt, *an characteres diacritici Darii Medi demonſtrari queant in Aſtyage, Rege Medo-Perſa?* Altera, *an primus annus hujus Aſtyagis ſit ante Cyrum quadrageſimus nonus?* Problemata hæc diſtincta ſunt, & tamen ſimul ventilanda, quia hypotheſes novæ quas Vir Cl. ad affirmantem utriuſque *Quæſiti* ſententiam ſuſtinendam fingit, utrumque inferunt. Faciam tamen, quantum licet, ut minimè ſit impedita diſputatio.

VI. Nego itaque ego, *Aſtyagem Regem Medo-Perſam* (ſi vel maximè largiar, verum, non fictum eſſe hominem:) eſſe *Darium Medum* Danielis, quia *Darius* ille *Medus* Danielis REX p. 606. FUIT CONSTITUTUS SUPER REGNUM CHALDÆORUM: quod quâ ſpecie, quo colore de ſuo *Dario Medo* aſſeruerit Vir eruditus, cum ſtatuat, illum fuiſſe *σύγχρονον Nebucadnezari*, potentiſſimo Babyloniæ Regi, & primum *Annum Darii*, quo præfectus eſt Imperio Babylonico, connecti cum *octavo decimo Nabocolaſſari*

 ſive

ſive *Nebucadnezaris*? Quid? an Nebucadnezare, glorioſiſſimo Rege, cum maximè florente, cogitare licet de alio quodam *Rege Medo-Perſa* qui *Rex conſtitutus ſit ſuper Regnum Chaldæorum*? Dignus dubio procul vindice nodus. Solvit vel ſecat Marshamus, quando hanc ſummam difficultatem, ad quam quivis alius
p. 606. hæreret, ita expedit? *Aſtyagem*, Medo-Perſam, *Regem dici conſtitutum ſuper Regnum Chaldæorum, non quo fuit Rex primùm inſtitutus, ſed quo Chaldaici territorii ditione primùm potitus eſt*; Suſianâ nempe, quam, expugnatis Suſis, ſuo adjecerit Regno. Sic ipſe Vir Cl. *Eulæus amnis inter Suſianam Babylonicæ & Elymaidem ditionis Medo-Perſicæ terminus erat. Ad hunc amnem ſita erant Suſa, maximum Chaldaici Imperii propugnaculum. Urbe illâ à Dario Medo expugnatâ, Chaldæi totâ Suſianâ exuti ſunt, & Darius Medus regnavit ſuper Regnum Chaldæorum.* Si hæc rectè ſe habeant, & verè atque ad rem dicta ſint à Marshamo: non intercedo, quo minus totâ hac lite cadam. Ego nec vera, nec probabilia eſſe evincam. à poſteriore ordiar.

VII. *Primò*, nihil probabile contendo eſſe in hac oratione, quia, ſi vel maximè admitterem, *Suſianam* ab *Aſtyage* aliquo Rege ereptam eſſe *Chaldæis*; quâ linguâ ullius Populi, quâ veritate enunciationis, dicetur quis *Rex conſtitutus eſſe ſuper Regnum* alicujus Gentis, qui ditionem vel qualecunque *territorium* alterius Regni, jure belli aut fœdere occupatum, ſuo adjecerit Regno vel Dominio? veluti ſi Seleucida aliquis Rex *Cœlen-Syriam*, poſt Alexandrum, Ægyptii Regni partem habitam; vel Galliarum Rex *Alſatiam*, ejuſque celebre oppidum & munimentum *Argentoratum*, ſibi armis vindicet, & à proximis terris avellat: inde *Ægypti* aut *Germaniæ Rex factus eſſe* dici queat, & *anni* Regni ejus ab hujuſmodi aliqua *Epocha* ſupputari. quod quantò longiùs abeſt à communi loquendi more, inter homines recepto; tantò cenſenda eſt improbabilior illa interpretandi hujus loci ratio quam Vir eruditus hic inivit. Quin ipſa vox המלך / quæ valet, *Rex factus* vel *conſtitutus* eſt, non niſi quâdam vi rapitur in hanc ſententiam. Significat vox, non ſuo tantum arbi-
Confer trio, ſed aliorum etiam & publico conſenſu, *Regno potitum eſſe.*
2 Sam. xi. 15. Minus eſſet, ſi diceretur imperaſſe vel præeſſe *territorio* aut *Regno Chaldæorum*: etſi ne illud quidem ullo commodo ſenſu dici

dici queat, & ſemper abhorreat à communi hominum ſermone.

VIII. *Deinde*, non minus id paradoxum cui videatur, *Aſtyagem* aliquem Regem *Medo-Perſam* Regi *Nebucadnezari*, cum maximè florenti, cujus & potentiam & felicitatem in bellis gerendis, ampliſſimè prædicant Sacræ literæ, eripere tam inſignem Regni ſui portionem quàm verè fuit *Suſiana*, cum illius regionis metropoli & arce munitiſſima *Suſis*? Quis id præſumat, vel mente aſſequatur, eo factum fuiſſe tempore quo Nebucadnezari integræ fuerunt vires, opes immenſæ, ſumma auctoritas, copiæ exercitorum militum, præſidia, & gloria Regni qualis illa potentis Monarchæ, cujus majeſtatem prædixerat Jeremias ipſos *Mediæ* & *Perſiæ Reges* reverituros eſſe? Iſne Rex ſuperſtes & florens tam notabilem integræ provinciæ ſive ditionis cultiſſimi ſoli qualis *Suſiana* fuit, fecerit jacturam? Non impetrat fidem quiſquis dixerit, niſi ex certa demonſtraverit hiſtoria; quod perſuaſum habeo, qui tentaverit, non præſtiturum. Cap. xxv. 25

IX. Age itaque inſpiciamus probationes, à Viro illuſtri in medium prolatas. Quando enim eventus in rebus humanis plures accidunt ἀπροσδόκητοι, qui opinionem & expectationem communem licet deludant, ex hiſtoriæ tamen indubiis monumentis certò adſtruuntur; & ſubinde caſus aliqui necopinati, qui noſtram fugiunt notitiam, univerſum rerum Populi ac Regni ſtatum immutant: ſæpè uſu venit fallere argumenta, quibus ex probabili adverſus facta hiſtorica diſputatur. Sunt autem rurſus duplicis generis, vel ex ſacris vel profanis literis petitę.

X. Ex profanis unicus producitur locus Æſchyli, cujus partem jam in ſuperioribus expoſitam dedi. Sic habent Nobiliſſimi Viri verba: *Urbem autem* (Suſorum) *à Dario Medo expugnatam eſſe docet Æſchylus; docent Prophetæ.* p. 604.

> Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ
> Τὸ δ' ἄστυ Σούσων ἐξεκείνωσε πεσόν.
>
> *Medus erat primus dux exercitus:*
> URBEM AUTEM SUSORUM EVACUAVIT CADENTEM.

Verſiculum hunc: ſic pergit: *ſuo loco reſtituit Scaliger. Suſa à Medo vaſtata, à filio inſtaurata, dicit Æſchylus.* Inſpice, ſis, Æſchy-

ſchylum: nihil ejus reperies. Verſus enim hic, ex quo probatio unicè petitur: URBEM AUTEM SUSORUM EVACUAVIT CADENTEM, non ſubjicitur apud Æſchylum huic *verſui:* MEDUS *erat primus dux exercitus:* quod hic legis apud Marshamum: ſed *ſuo loco* ſic legitur, ante aliqua interjecta, in initio interlocutionis Darii Hyſtaſpis, ſtulta conſilia Xerxis Filii ſui deplorantis, in hunc modum:

Τοιγὰρ σφιν ἔργον ἐςὶν ἐξειργασμένον
Μέγιςον, ἀειμνηςον οἷον οὐδέπω,
Τὸ δ᾽ ἄςυ Σούσων ἐξεκείνωσεν πεσόν.

Ab ILLIS *nempe* (peſſimis conſiliariis Xerxis quos Atoſſa deſcripſerat:) *opus peractum eſt*
Maximum, ſemper memorandum quale nunquam. Urbem *verò hanc* SUSA *perditam*
Viris vacuam fecit magis quàm unquam fuit, *Ex quo*, &c.

Simplex & facilis verborum ſenſus, cuique ea meditanti obvius, eſt, Xerxem, peſſima ſequutum conſilia, tanto exercitu conſcripto & in Græciam ducto, *Suſa* Urbem, ampliſſimam quidem & populoſam, viris & opibus exhauſiſſe. Quid hic de *captis Suſis ab Aſtyage*, & *ſubacta Perſiæ Suſiana?* Benè quidem, ait Vir eruditus: verum *verſus* hic ſuo loco non legitur in vulgatis Æſchyli, ſed ſubjiciendus illi: Μῆδος γὰρ ἦν, ὁ πρῶτος ἡγεμ. Quâ ratione aut auctoritate? *Suo loco*, ait, *reſtituit Scaliger.* Verum eſt, Scaligerum ſic præiviſſe poſt exſignatum hunc elegantem Æſchyli locum: *Præterea verſiculum ſeptimum*, τὸ δ᾽ ἄςυ Σούσων *à tertio loco huc traduximus. Erat enim alieno loco poſitus. Suſa à Cyaxare vaſtata, à filio Aſtyage in integrum reſtituta, non obſcurè dicit.* Nihil agit Scaliger ab ingenio & more ſuo alienum. Quæro rurſus, quâ inductus ratione? An igitur *verſus*, quo in *vulgatis* occurrit loco, commodum ſenſum non fundit? non cohæret fortè cum oratione? non quadrat τῷ ὑποκειμένῳ? Non dicit Scaliger; ſed pro auctoritate quam ſibi in re Literaria vindicabat; *Verſum illum huc traduximus. Erat enim alieno loco poſitus.* Marshamus neque ipſe plus adfert rationis: *Scaliger ſuo loco reſtituit.* Idem eſt Scaligeri quod pericopæ integræ Æſchyli à ſe deſcribendæ præ-

De Em. Temp. Lib. VI. p. 590.

præfixerit *asteriscos*, acsi aliquid *deeßet. Sed asteriscos*, ait, *initio posuimus, quod deeße quædam omninò constet nobis*. Si cum tantis mihi Viris res non esset hoc tempore: dicerem, hujusmodi τολμήματα non tantum non ferenda, sed & ridicula esse, & rei literariæ planè noxia. Quis enim non Scaligero & Marshamo eruditione & auctoritate multò inferior, idem vel simile tentet: si id tentare liceat absque *ratione*? Nihil deest huic pericopæ Æschyli. Plena oratio est. Darius Hystaspis, Filii sui Xerxis temeritatem & stultitiam improbat, damnat. Illi attribuit crimen *evacuatorum Susorum*; quam Urbem ipse Darius insigniter honestaverat atque amplificaverat. Atqui id gaudeo cum senserit, dicere voluisse Eruditum Æschyli Interpretem Thomam Stanlejum; licet in cæteris erga Marshamum liberaliorem, quam vellem. Scribit enim, *se Marshamo in omnibus assentiri*, Not. in Persas Æsch. p. *præterquam in quibus ille Scaligero*. NEC ENIM VERSUM, addit, 776. Τὸ δ' ἄςυ Σύσων ἐξεκείνωσεν πεζὸν, LOCO SUO MOTUM ESSE CENSEO.

XI. Nullum esse ostendi fundamentum novæ hujus sententiæ in Æschylo. An in Scripturis Divinis? exploremus. *Susorum expugnationem*, ait Vir Cl. *non obscurè indicat Propheta: Cursor* Jer. 51.31. *occurret cursori, nuncius occurret nuncio, ad narrandum Regi Babylonis, captam esse Urbem ejus à* FINE, *vel* AB EXTREMITATE, id est, *extremam, vel in confinio regni positam:* ET TRANSITUS OC- Vers. 32. CUPATUS EST, ET PALUDES COMBUSSERUNT IGNE. *Transitum ap-* Q. Curt. *pellat* SUSIDAS PYLAS, *arctissimas montium fauces, Persidi objectas.* Lib. V. p. 145. Plura addit, inter quæ ex ℣. 41. adstruere laborat, esse hanc *Urbem* SESACH, vel SUSACH, *addito*, ait, *tertio puncto, ut fiat Kibbuts; quæ Danieli est* SUSAN. In aliis sæpè mihi contingit laudare & mirari ingenium Marshami, ubi diversum ab eo sentio: hic nec laudo nec miror, sed potius aversor studii defendendæ incertæ hypotheseos excessum. Ad incerta enim & dubia colore aliquo veri commendanda non incertiora tantum multò sed falsa etiam (non scriberem, modestiæ caussâ; ni res liquida esset:) assumuntur. Estne enim illud mihi hic operosè probandum, quod cuique *Sacrum Codicem* inspicienti apertum est; in quo nemo hæret; nemo nisi volens hærere potest; prophetiâ hâc nihil agi de *Susis*, sed de ipsa *Babele*, urbe amplissima, à Medis

Medis & Persis obsidenda, expugnanda; quomodo eam à Cyro obsessam, expugnatamque docent Herodotus & Xenophon, hâc quidem parte, satis inter se concordes? Id vident omnes; agnoscunt omnes; nemo hæsitat; advocant Herodotum & Xenophontem ad Jeremiæ hoc Oraculum illustrandum. non videt tamen Marshamus, tantoperè captus specie *Susorum*, 49 annis ante *Babelem* ex ejus hypothesi expugnatorum, ut persuadere conatus sit aliis, quod de altera dictum, de altera interpretandum esse. Quid itaque illud est quod per hanc prophetiam sparsum legitur:
Vers. 6. *Fugite ex medio Babylonis. Subitò cecidit* BABEL, *&*
Vers. 8. Vers. 12. *fracta est. in* MUROS BABYLONIS *tollite signum.* SEDENS APUD A-
Vers. 13. QUAS MULTAS, *ampla thesauris, venit finis tuus. Sacramento adigi-*
Vers. 28. *te adversus eam Reges Mediæ, & Præfectos ejus, & omnes Pro-*
Vers. 35. *ceres ejus, & omnem terram potestatis ejus. Et fiet* BABEL *acervi,*
Vers. 44. *habitatio Draconum, vastitas & sibilus. Et visitabo super Bel* IN BA-
Vers. 48. BELE. *Etiam* MURUS BABEL *cecidit. Et canent super* BABYLONE
cœli & terra, & omnia quæ in iis sunt, cum AB AQUILONE *venient vastatores ipsis. Vox clamoris à* BABEL, *& fractionis magna à terra Chaldæorum. nam vastat Jehova* BABYLONEM.

XII. Hujus argumenti cum integra sit prophetia, quâ graphicè & omni colore Prophetico pingitur calamitas & clades, quæ in *Babelem* ipsam, subverso ejus imperio, inferretur à Medis & Persis: quis non miretur, *Susa* hic invenire potuisse illustrem Virum, ubi *Babylon* ipsa, suo nomine, per totam orationem occurrit? Quin ipsa illa loca, quæ pro sententia sua firmanda ex hac prophetia descripsit, in suas partes vi rapit; quæ de *Babele* accepta, intellectu facillima omnibus patent. Quod enim dicitur: CURSOR *occurret* CURSORI, *& nuncius occurret nuncio, ad indicandum Regi Babylonis*, URBEM EJUS *captam esse* מקצה AB EXTREMO: quis hic cogitet de alia *urbe* quàm *Babele*, de qua in superioribus agitur; quę hic exertè suo appellatur nomine: quę verissimè *Urbs Regis* dicitur, sedes quippe ejus, metropolis imperii. atqui hæc fertur *capienda* esse ab EXTREMO, quâ parte Euphrates, aquis ejus à Cyro abductis, urbem ingrediebatur, ut Herodotus & Xenophon concordes testantur. Sed Herodotus eâdem hic utitur voce quę legitur in prophetia, suntque verba ejus quasi ad illustrandum hoc oraculum certo consilio scripta, huc

adducenda: *Nunc ex inopinato Persæ iis* (Babyloniis) *supervenerunt:* ὑπὸ δὲ μεγάθεος τῆς πόλιος, ὡς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ οἰκημένων, τῶν περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος ἑαλωκότων, τοὺς τὸ μέσον οἰκέοντας τῶν Βαβυλωνίων, οὐ μανθάνειν ἑαλωκότας, ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι, ἐς ὃ δὴ καὶ τὸ κάρτα ἐπύθοντο· καὶ Βαβυλὼν μὲν οὕτω πρῶτον ἀραίρητο· *præ* MAGNITUDINE AUTEM URBIS, *quemadmodum narrant accolæ, cum capti essent qui* EXTREMA URBIS *incolebant, Babylonios qui mediam incolebant urbem, captos se esse, non sensisse, sed*, CUM FORTE IIS FESTUM ESSET, *choreis hoc tempore & oblectationibus operam dedisse, donec planè hoc resciverint. atque* ITA *primò* CAPTA EST BABYLON. Amplificat id etiam & in majus effert Aristoteles: quem tamen *Babylonem* cum *Nino* confudisse, existimat, nec absque ratione, Vossius. quod nunc ad nos nihil attinet. Τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος Herodoto idem sunt quod קצה in *Oraculo* Jeremiæ. Polit. Lib. III. Cap. III. Isaac. Voss. Variar. Observ. Cap. VIII. p. 40.

XIII. Cætera ex hoc specimine æstimari possunt. sunt enim ejusdem generis, & æquè intellectu facilia. quod enim mox additur: *Et* TRAJECTUS (המעברות) *occupati sunt, & stagna combusserunt igne:* quare Marshamus *trajectus* de *Susidis Pylis* interpretari voluit; quare *Paludem* sive *arundinem* quæsivit in *Castro Susiano*? an invenire non potuit *Babele*, de qua in *Oraculo* hoc agitur? Atqui vox Hebræa מעברה significat propriè *trajectum fluvii, vadum.* ut עברה *navis quâ trajicitur fluvius. ponto.* ab העביר *transmittere.* Hæc propria vocis est significatio: quæ si hic retineri queat, melius est. Non nego interim, occurrere locum, in quo מעברות etiam de *angustiis petrarum* translatè usurpatur: sed id rarius. Et quid si versionem admittam: quàm planè abs re est hic de *Susidis* aut *Persidis Pylis* cogitare? Illæ enim non sunt quærendæ proximè *Susa:* sed jam in ipsa *Perside*, montibus cincta, quâ parte à *Media* discernitur? Sunt ait Doctissimus Vir, de *Geographia* & Literis optimè meritus, *ultra Pasitigrim, in ipsa Perside, à qua alii has Pylas, seu fauces denominant.* Strabo, & Historiæ Alexandri scriptores, Arrianus, Diodorus, Curtius, palam testantur. atqui hæ *Pylæ Susidæ*, rectius *Persidæ*, erant, & semper fuerunt in potestate sive *Persarum* sive *Medorum.* Quid igitur *trajectuum* illorum occupatio hic ut res nova infertur quę *Susiis* incutiat terrorem, & urbis hujus expugnationem faciliorem reddat? 1 Sam. XIV. 4. Cellar. Geog. Antiq. Lib. III. Cap. XVI.

reddat? Quis præterea *Caſtrum Suſianum* vocari ferat *paludes*, quia *ſtabat in aqua*, *in Medio fluminis*, ut ait Vir Cl. ſive, quod rectius, *Eulæus amnis*, Herodoto *Choaſpes*, *hanc urbem præterfluit?* quis, inquam, hic loquendi modus? Piget plus operæ ſumere in iis refellendis, quæ niſi à Doctiſſimo Viro profecta eſſent, planè negligi deberent. Quis genuinus ſit hujus pericopæ Propheticæ ſenſus docuerunt jam Vatablus & Grotius; quorum verba hic ut legantur, faciendum duxi. Vatablus: *Et* VADA והמעברות. Et TRANSITUS. ſub. *ex Euphrate in Urbem, quos aliò derivans Perſa, exuſtis carectis ex alveis fluminum, ut expeditior eſſet via ad Urbem, occupavit eam. Apud Euphratem & Nilum creſcunt arundines arborum magnitudine.* Rectius etiam & facilius Grotius: *Et* VADA PRÆOCCUPATA SUNT] *Inventus tranſitus per abacti Euphratis alveum. Et* PALUDES INCENSÆ SUNT: id eſt, *munimenta τῦ ἕλυς paludis*, cujus ἕλυς *paludis* meminit Herodotus. *Ea munimenta ſunt τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη muri extra urbem, Beroſo.* Non diſcutiam ſingula. מעברות *Trajectus* ſunt *vada Euphratis*, à Cyro abducti. Per אגמים *ſtagna* intelligit præcipuè *magnum illud* Herod. Lib. 1. p. 47. *paludis receptaculum*, (ἔλυθρον λίμνης) *effoſſum* multò ſuprà Babylonem, in quod per *foſſas*, inde in Euphratem ductas, *Nitocris* regina abduxerat aquas Euphratis, ut *averſo fluvio* parare commodius poſſet magnifica illa opera quæ ad ornamentum Babylonis, quâ parte à fluvio perluitur, mente ſua conceperat. quę poſtquam abſolviſſet: reduxit Euphratem ex illo *magno aquarum receptaculo* in proprium *alveum*; quando ex illo *receptaculo*, aquis quantum fieri poterat exhauſto, magna effecta eſt *palus*, quæ ut fit *juncis* & *arundinibus* (quæ inde etiam אגמים dicuntur) repleta eſt. Cyrus cum, obſeſsâ Babylone, munitiſſima Urbe tam muris quàm fluvio, parum proficeret, atque inſtitutum hoc reginæ Nitocris ad animum revocaret: placuit exemplum. *Receptaculum* itaque illud ſive magnam illam *voraginem ſtagnantem* inſpexit Cyrus, & cum deprehendiſſet *juncis* & *arundinibus* eſſe confertum locum, & *foſſas* quoque veteres, illuc ferentes: *arundines* & *juncos incendit*, foſſiſque quæ in *Eluviem* illam ducebant refoſſis, & *palude* denuò in priſtinum uſum inſtructâ, reduxit alveum *Euphratis* in illam *voraginem uliginoſam*: quod *Babyloni* exitio fuit. Hic ſenſus eſt Prophetæ. Infra Babylonem multæ quidem fue-

fuerunt *paludes:* sed de illis hic non agitur, quod earum occupatio & *arundineti* earum incensio usum habere non poterat ullum in Babylone expugnanda. *Receptaculum Nitocris*, magna illa & vasta *palus*, in quam Cyrus fluvium abduxit, fuit supra Babylonem in *climate Septentrionali*, versus *Occidentem*.

XIV. Non versor in hac parte disputationis magna cum voluptate, dum video, non id agere Virum illustrem, ut Scripturam ducem sequatur, quod boni est officium interpretis; sed eam ipse ducat, flectat, & quod pessimum genus est, rapiat ad se sequendum, & hypotheses malè locatas defendendum. Hujus utique generis est commentatio ℣s. 33. *Filia Babylonis quasi area.* venit *tempus trituræ ejus.* ADHUC MODICUM, *& veniet tempus messionis* EI. id est, ait *Babyloni.* SUSA, *Filia* BABYLONIS; *Urbs Babyloniæ secunda; de qua loquitur historicè tanquam de re præterita; de Babylone autem, propheticè.* Atqui si *Filia Babylonis* hic non est *Babylon* ipsa: quâ lege quę *in fine hujus commatis* dicuntur ab ipso Viro Cl. ad *Babylonem* referuntur? Cum præterea receptissimo Scripturæ usu, *filia Zion*, *filia Tharsis*, *filia Zidon*, & quæ hujus generis, ipsam *Zionem*, *Tharsim*, *Zidonem*; *Filia Ægypti* ipsam significet *Ægyptum:* quâ lege interpretationis, quâ ratione *filia Babelis* non erit *ipsa Babel?* Quando igitur Vates ait, FILIAM BABELIS *vastandam esse*; & ipse Jeremias: *Ecce populus venit ab aquilone, & Gens magna, & Reges amplissuscitabuntur à lateribus terræ . . . ad bellum contra te*, FILIA BABYLONIS: num hic etiam intelligenda erunt *Susa?* Denique si Regnum Chaldæorum sit *triturandum* in Susis: an *messis* facienda erit in *Babele?* Quàm id præposterum & ab omni ratione & elegantia alienum? an enim *tritura* non sequitur *messem?* Verte igitur verba, ut sonant hebraicè & facillimum dant sensum: *Filia Babel* (Babel ipsa) *est ut area.* adest *tempus trituræ ejus. adhuc modicum & venit tempus messis illi. Messem* Babelis sequeretur *tritura ejus.* Messis est *interfectio civium*; tritura quæ messem sequitur, *dissipatio urbis.* sic Grotius. quanto hic prudentior Marshamo?

Ps. lxxxvii. 8.

Cap. l. 41.

XV. Vitium idem recurrit in ℣s. 41. quod *comma* sic legitur in hebræo: *Quomodo capta* SCHESCHACH; *& prehensa est* (תתפש: sic ad verbum:) *gloriatio totius terræ! quomodo in desolationem fa-*

cta est Babel inter Gentes! Lamentum est Propheticum super calamitate *Babelis*, ut plura in Verbo Dei. *Babel* autem hic nomine mystico appellatur ששך / quod occurrit omnium consensu de *Babele* apud eundem Prophetam nostrum, Cap. xxv. 26. sive sit nomen formatum ex aliquo nomine vel cognomine idoli; sive secundum morem antiquæ Scholæ Sapientum Hebræorum, quo nomina mysticè enunciaturi, inverso ordine *ultimam Alphabeti literam primâ, penultimam secundâ*, & ita porro, substituebant per *formam* quam recentior Schola אתבש *Athbasch* appellavit. Ego posterius verissimum habeo, & mihi persuadeo, pios in *Babelem* abductos, cum in invidiam Babelis loquerentur quod à vulgo intelligi nollent, eam *Scheschach* appellare solitos esse, idque Jeremiam, quod nomen hoc in Schola piorum notum & receptum esset, esse imitatum: etiamsi cætera in hac prophetia apertè satis de *Babele* loqueretur. Varietatis tamen & elegantiæ caussâ, ne vocem *Babel* in *uno sticho* bis adhiberet, hanc etiam, à Spiritu inductus, usurpavit. Quæ cum facilia & quod ad rem ipsam, h. e. per *Scheschach Babelem designari*, certissima sint: cognosce jam, quid tentaverit Marshamus, ut hic etiam *Susa* inveniret. Verba ejus: *Neque aliter intelligendum illud:* Quemadmodum capta est Sesach: (*vel* Susach, *addito tertio puncto ut fiat Kib-*
Dan. VIII. 2. *buts; quæ Danieli est* Susan; *unde Ortelio* Susa, *quæ* Sesach) *etiam capienda est inclyta universa terra; id est*, Babylon, *Orientis decus.* Non discutiam singula quæ hic notari possent. quod enim scribit, *addito tertio puncto*, nempe τῷ *Tsere, ut fiat Kibbuts:* οἱ φιλεβραῖοι norunt, *Kibbuts* quidem *tribus* constare *punctis* ut *Tsere duobus*; sed inter hæc puncta, quod ad sonum & usum, *nihil* commercii esse; utique *Tsere* cum *Kibbuts* Grammaticè non commutari. In eo tamen nemo hæreret: si cætera expedita essent: cum satis constet, *vocales* in enunciatione nominum facillimè mutari. Sed hic aliud nomen est ששן / *Schuschan*, aliud ששך *Scheschach*. nec est inter literas ן & ך ulla communio quod ad enunciationem. Præterea liquet in alio loco Jeremiæ per ששך *Babel* designari, omnium Interpretum consensu. Hic verò nomine *Scheschah Babelem* intelligendam esse, tum ex totius prophetiæ argumento patet, tum ex ipso hoc *commate*, quod Vir illustris sibi interpretandum sumpsit. Quod enim hic præcipuè animadvertendum

est;

est; verba Prophetæ neutiquam ferunt hujusmodi versionem, quæ comparationem infert inter duas Urbes, ut instituit Vir Cl. QUEMADMODUM *capta est Scheschach*: ETIAM *capienda erit Babel*. Sensum, inquam, hunc respuit hebræa oratio. Vocula איך ubique per Scripturam (neque enim putem contrarium ullum exemplum proferri posse:) *interrogativè* sumitur, eodem sensu quo Græcorum πῶς, (etsi hoc etiam latius pateat:) sive merè *interrogatoria* sive etiam querula aut *miserabilis* sive *lamentabilis* sit oratio, ut apud Jesaiam: איכה Quo MODO *facta est meretrix* Cap. I. 21. *Civitas fidelis!* Atqui posteriore hoc sensu in *hoc versu* occurrere, manifestissimè liquet ex *fine versus*; quæ verba si antecedentibus adjecisset Marshamus, integro *commate* descripto, sensus verus sententiæ neminem potuisset fugere. Subjicitur, inquam, cæteris, repetito lamento: איך Quo MODO *facta est Babel in desolationem inter Gentes!* Converte igitur locum, ut jam ante institui: Quî (quomodo) *capta est* SCHESCHACH! *capta est* GLORIATIO TOTIUS TERRÆ! QUOMODO *facta est in desolationem* BABEL *inter Gentes?* Quæ cum certissima sint, & rectè demonstrata: nihil omninò curamus auctoritatem Ortelii, alias non spernendam: qui tamen in *Synonymia* sua *Geographica* ejus nihil meminit. Nimis liquidum est, quod huc adduxi, quam ut dubitationem ullam amplius reliquam faciat. בבל ששך Primæ Edit.

XVI. Audivimus Nobilissimi Viri testes. nihil nos docuerunt. aliud, vel de diversa re, testantur. Est itaque nobis caussæ & rationis satis, quare repudiemus hypothesin, temerè susceptam, de *Susis* à *Dario Medo*, sive *Astyage Medo-Persa* expugnatis, & *Elymaidi*, sive *Persico Regno* adjectis; quam etiam in *superioribus* evici, minimè esse probabilem. Ne quâ tamen parte officio meo hic desim: evincam ego, probatione, ut opinor, longè meliore & certiore, *Susa* Urbem, & *Susianam*, illi subjectam, adhuc fuisse in *potestate Chaldæorum Regum* post obitum Nebucadnezaris; ac proinde falsum videri, *Astyagem* Nebucadnezari superstiti hanc ditionem eripuisse. Argumentum probationis desumo ex ipsa Danielis historia, in qua hæc scripta extant: *Anno tertio Regni Belsazaris Regis visio mihi aliqua obtigit, mihi Danieli post illud quod in principio videram. Et vidi in visione & factum est cum viderem*, & EGO ERAM IN SUSAN ARCE, *quæ* Cap. VIII. 1.

est in Elam. Verba, simplicissimè accepta, ferunt, & sic ab optimis quibusque Interpretibus accipiuntur, Danielem, cum hæc *Revelatio* Prophetica illi obtingeret, fuisse in *Susiano Castro*, sive in ipsa *Urbe Susis*. Atqui *Belsazar* hic, quiscunque tandem fuerit, sive *Evilmerodach*, Filius Nebucadnezaris, ut Marshamus autumat; sive *Laborosoarchodus*, ut Scaliger & Petavius, sive *Nabonidus*, ut plures alii, quorum sententiam veriorem puto; fuit certè aliquis Successorum Nebucadnezaris; in cujus ministerio versatus est Daniel, haud dubiè publico aliquo munere, ut Grotius rectè conjicit, hoc tempore *Susis* functus. unde utique luculenter patet, *Susa* atque adeò *Susianam* post Nebucadnezarem adhuc fuisse in potestate Chaldæorum Regum. Quod si ita se habuerit: vel oportet, Susianam usque ad illud tempus non fuisse à Regno Chaldaico avulsam; vel si avulsa fuerit, ditionem illam à Belsazare, aut Rege alio esse recuperatam & Babylonico Imperio redditam. Sed posterius neutiquam est probabile. Persarum enim tanta si fuerit potentia, ut florenti Imperio Babylonico sub Nebucadnezare hanc urbem ademerint Chaldæis: estne simile veri, labante & nutante illo Imperio post Nebucadnezaris excessum, *Susa* rursus erepta esse Persis, & Imperio Chaldæorum restituta?

XVII. Et tamen id vult Scaliger, & præ se fert in *Prolegomenis* Librorum de *Emendatione temporum*. *Quanquam errat Strabo*, inquit, *dum ait Susianam à Cyro Medis ademptam. Nam potius Medis ademta, Chaldæis adjuncta est. Dan.* VIII. 2. *Æschylus enim* in Persis *Arcem Susa à Cyaxare vastatam, ab Astyage instauratam scribit. Astyages autem à Cyro debellatus fuit. Quare sub Astyage Susiana Imperio Chaldæorum adjecta, utique post Nabonassarum, ut puto*, (fateor, me non videre quid sibi hic velit *Nabonassari* nomen:) *&* p. xxxv.
si locus conjectura est, ab illo Assuero Medo prodita, cum ejus fortasse Satrapes esset. Parum liquidi est in hoc discursu Scaligeri; multum obscuri & incerti. quod enim Æschylum dicere ait, *Urbem Susa* à *Cyaxare vastatam, ab Astyage instauratam*, aliter se habere, in superioribus evici. Nunc addo, quod hoc in loco dicere volui; si locus Æschyli eo modo legeretur, quo Scaliger & post eum Marshamus vult, non illud dicere Æschylum, quod Docti illi Viri volunt, sed ejus contrarium. Lege locum, ut illi præcipiunt: *Me-*

Medus erat primus Dux exercitus,
Urbem autem Susorum EVACUAVIT CADENTEM,
Alter ejus filius OPUS PERFECIT:

an *perficere opus* in his verbis sit *instaurare urbem evacuatam?* contra, τὸ ἀνύειν ἔργον *opus perficere*, relatum ad τὴν ἐκκένωσιν τῆς πόλιος, quid hic significet quàm plenariam *Urbis destructionem?* Si Cyaxares *evacuaverit Urbem*, *Astyages perfecerit opus*, nempe *evacuationis & exaninitionis:* oportet Astyages Urbem planè destruxerit. quod ipsum quoque jam observavit Stanlejus, in *superioribus* laudatus. Cætera quod attinet, incertissima sunt, & temerè profusa, licet Marshamo, in Æschyli loco Scaligero consentienti, planè contraria. Quam enim Urbem Marshamus vult sub suo *Astyage Medo-Persa* Chaldæis ademptam; Scaliger statuit, sub *Astyage Medo* rediisse ad *Chaldaos*, per *proditionem* scilicet, ficti illius *Assueri Medi*, Patris Darii, fortè *Susiana Præfecti.* Piget longioris moræ in hac disputatione exigendæ & otii. Res antiquorum temporum, multæque aliæ in omni scientiæ genere, etiamsi sæpè sint involutæ quibusdam tenebris, longè tamen expeditu essent faciliores, si quibus hoc datum est negotii ut eas explicent, sæpè ex dubiis & obscuris non facerent obscuriores. quod vitium præcipuè arcessendum est ab immodico studio propugnandarum *hypothesium*, sæpè per errorem adscitarum. Si hanc rem inspiciamus æquo animo, consultis quæ supersunt monumentis antiquæ historiæ: liquet clarissimè, *Susianam*, sive post destructum Assyriorum Imperium *Medis*, sive *Babyloniis* paruerit, (quod mihi planè perinde est:) *Persis demum* subjectam esse à *Cyro*. Strabo quidem *Medis* usque ad Cyri Imperium subfuisse, sentire videtur: sed probabilius, subfuisse Babyloniis, & suum habuisse Satrapam, sive *Regem tributarium*, Babyloniis Regibus subjectum. Fidem facit Xenophon in historia *Abradata*, SUSORUM REGIS, sive *Reguli*, qui partes *Babylonii* & Confœderatorum sequebatur adversus *Cyrum*, & postea ab uxore capta inductus est, ut ad Cyrum transiret. In qua historia si quid veri inest, ut videtur: (pigmenta enim ejus nihil curo:) patet utique, *Susianam* demum per *Cyrum Babyloniis* ereptam; quod inobservatum non reliquit Vir absque dubitatione doctissimus, Joannes Baptista Gramæus, in *Historia sua Universali Asiati-*

d. l.

Geog. Lib. XV. p. 500.

Lib. V. in initio.

De Susiana, Cap. II. p. 410. ſiaticarum Gentium, ubi *Suſiana* hiſtoriam percenſet. Quin Strabo ipſe, *Suſorum muros, templa, regiam*, BABYLONICÆ STRUCTURÆ (ὥσπερ τὰ τῶν Βαβυλωνίων) à quibuſdam perhiberi aſſerit. Eſtque eadem ratio, quare *Daniel* in *Viſo Prophetico Regem Perſiæ* ſub emble-
Dan. VIII. 2. mate *Arietis bicornis* videret ſtantem *ante fluvium Eulæum*, (Ulai) ad *Perſiam* nimirum adverſus Græcos defendendum; quia *Eulæus fluvius*, apud quem ſita erant Suſa, habebatur terminus *Perſiæ*. *Eulæus* enim *Suſianam* ab *Elymaide*, quæ ſub Perſia cenſebatur, dirimebat. Si tempore Danielis *Suſiana* feciſſet *Perſiæ* ſive *Perſidis* partem: vidiſſet Daniel *Arietem* illum *ſtare* ante *Tigrim*; & verè tum *Tigris*, adjectâ Perſiæ *Suſiana*, fuiſſet *Perſici Regni* terminus. Poſtea ſatis conſtat, *Suſa* à *Dario Hyſtaſpis Filio* electam cultamque ſedem Imperii, & hoc ſenſu Stephano dici Περσικὴν
In Solin. Cap. LIV. p. 840. πόλιν; de quo videri poterit Salmaſius. ſed id nihil ad nos. Sufficit deſtruxiſſe hypotheſin, quæ fert, *Suſa Urbem* cum ampliſſimo *Suſianæ* territorio ab *Aſtyage eſſe ereptam Babyloniis*. quod ut paulò faceremus operoſius: erat tanti.

XVIII. Evici hactenus, *Aſtyagem Medo-Perſam* (ſive homo fuerit ille verus, ſive hominis larva) nunquam dici poſſe REGEM CONSTITUTUM FUISSE SUPER REGNUM CHALDÆORUM. ne quidem ſi *Suſianam* ſibi ſubjeciſſet: etſi id ex hiſtoria demonſtrari nequeat factum eſſe. Inſto nunc; ſi vel maximè *Aſtyages* Medo-Perſa ſibi vindicaſſet *Suſianam*, Chaldæis ereptam; & hoc nomine dici poſſet *Rex Chaldæorum conſtitutus* eſſe: factum id minimè eſſe *Anno primo* & *viceſimo* poſt deſolationem Templi, & *quadrageſimo nono ante Cyri initia Babylonica*, α. quia *Darius ille Medus Regnum in Chaldæam* ſuſcepit poſt *Belſazarem*, qui, ſive fuerit Nebucadnezaris Filius, ſive nepos, quod mihi nunc perinde eſt: *anno ante Cyrum quadrageſimo nono* nondum inceperat regnare, cum *Nebucadnezar* verè per annos regnaverit 45.
Cap. V. 30. VI. 6. Sic habet hiſtoria: Eâ ipsâ *nocte interfectus eſt Belſazar Rex Chaldæus. Et* DARIUS MEDUS ACCEPIT REGNUM *annos natus ſexaginta duos.* nempe poſt Belſazarem. β. Quia quo tempore Daniel hanc accepit revelationem, qui *annus primus* dicitur Darii Medi *conſtituti Regis ſuper Regnum Chaldæorum*, LXX anni Exilii Babylo-
Cap. IX. 1. nici ad finem decurrebant. Sic Daniel ipſe: *Anno*, inquam: *primo cum Rex eſſe incepiſſet*, (Darius Medus) *ego Daniel conſideravi*

ravi in Libris numerum annorum, de quibus extiterat sermo Jehova ad Jeremiam Prophetam, de consummandis vastitatibus Hierosolymorum LXX *annis; & verti faciem meam ad Dominum Deum.* Hæc clara videntur esse, & sunt, atque eruditi Viri hypothesin planè evertunt. Audiendus tamen ipse est, & videndum, quâ arte ingenii hos ictus declinet.

XIX. Ad prius hæc leguntur in *Diatriba* de hoc argumento apud Stanlejum: *Quod autem* DARIUS MEDUS SUSCEPISSE REGNUM *dicitur, Dan.* V. *ult. id de Medo-Persico, non de Babylonico Regno, nec de Regni inauguratione, sed rationibus fisci constituendi intelligendum puto. Nullum est uspiam nec in sacris, nec in exteris Scriptoribus Darii Medi Babylone regnantis vestigium. Nam successionis argumentum ex dicto Danielis loco petitum, ideo quod in proximè præcedentibus de cæde Balthasari scripserat, omninò nullum est: nec quicquam vel successionis, vel electionis sapiunt verba ista.* Equidem difficile est caussæ non bonæ benè patrocinari. Duo excipit Vir Cl. α. Verba illa: *Et Darius Medus accepit Regnum*, esse *exordium* novæ historiæ, non cohærentis cum superiore: *Illâ ipsâ nocte occisus est Belsazar, Rex Chaldæorum.* β. Τὸ *suscipere Regnum* hic non esse intelligendum de *inauguratione Regni*, sed de *rationibus fisci constituendi.* Utrumque quàm rursus est paradoxum, & à probabili ratione disjunctum? Quo stylo enim, quâ linguâ hominum dicitur quis *Regnum suscipere*, qui *Regni* statum ordinat, & *fisci rationes constituit?* Si exemplum sit ejusmodi loquutionis apud sacros aut profanos auctores: oportebat illud in medium produci. Absque eo quis recipiat hanc interpretationem? Daniel utique ipse aliter usurpat phrasin in *sequente prophetia:* ויקבלו מלכותא קדישי עליונין *Et* ACCIPIENT REGNUM *Sancti Excelsorum.* Joannes in *Apocalypsi: Decem autem cornua decem Reges sunt,* οἵτινες βασιλείαν ἔπω ἔλαβον· *qui* REGNUM *nondum* ACCEPERUNT. Græcis autem, ut mox dicam, τὸ ἐκδέχεσθαι, διαδέχεσθαι τὴν βασιλείαν, de *inauguratione Regni* receptissimum. Speciem ita nullam habet effugium posterius. Sed nec prius. Si quis enim absque ullius sententiæ præjudicio verba historiæ Danielis inspiciat: num ambiget ille, an hæc pericopa de *Dario Medo* cum superiore de morte *Balsazaris* cohæreat? Videt enim quisque, Danieli intentus, historiam hanc de *Dario Medo* superiori narrationi hoc con-

p. 776. Cap. VII. 18. Cap. XVII. 12.

filio subtexi, ut ostenderetur implementum sententiæ, adversus Bellazarem Angeli cujusdam manu in pariete inscriptæ; cu-
Cap. v. 21. jus interpretationis à Daniele editæ partem faciunt verba: *Divisum est regnum tuum*, & *traditum* Medis & Persis. sequitur mox: *Illâ ipsâ nocte occisus est Belsazar*, *Rex* Chaldæorum; & *Darius* Medus *accepit* Regnum. Quale verò? *Chaldæorum* utique, de quo agitur; quod hic exertè memoratur; quod prædixerat Deus *in eo esse*, ut *dividatur* (divisim occupetur) à *Medis* & *Persis*, nempe à Dario *Medo* primum, dein à *Cyro* Persa. Vox autem Hebræa קבל ut notat *successionem*, quâ Rex Regem *excipit* in eodem Regno; sic Græcis τὸ ἐκδέχεσθαι & διαδέχεσθαι hoc
Lib. I. p. 27. sensu apud Scriptores Græcos obvium. Herodotus variis locis: ΦΡΑΟΡΤΗΣ τελευτήσαντος Δηϊόκεω .... παρεδέξατο τὴν ἀρχήν. παραδεξάμενος
p. 29. δὲ οὐκ ἀπεχ. Rursus: Ἐκδέκεται δὲ Ἀστυάγης ὁ Κυαξάρεω παῖς τὴν βασιληΐην.
Lib. IV. p. 373. Alibi: Διεδέξατο δὲ τὴν βασιληΐην τούτου τοῦ Ἀρκεσίλεω παῖς Βάττος. In Fragmento Berosi: Διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλισσόορος. Unde διάδοχος usitatum pro *successore Regni*. Faciunt hæc ad demonstrandum, phrasin, *accipere Regnum*, exponi non posse de *rationibus* Regni sive fisci constituendi, sed omninò significare *Regni initium* sive *inaugurationem*; tum quoque si in historiæ contextu de *morte Regis* alicujus mentio est; necessariò accipiendum esse de *successione* in eodem *Regno*, de quo historia loquitur. Cætera non nego *literam* ו quandoque reperiri in *Exordio novæ historiæ*, quod nimirum supponatur omnis historia cum superiore aliqua, non expressa quidem sed mente concepta, cohærere: sed ubi hæc *litera* præfigitur vocibus in *contextu unius historiæ*, cujus patet filum esse continuum & non abrumpi: nulla est ratio, quare amitteret suæ significationis potestatem.

XX. Imo verò *Darium* hunc *Medum*, ad quem *Imperium Chaldæorum* translatum fuit post *necem Belsazaris*, quippe *Regem*
Cap. IX. 1. *constitutum* super Regnum Chaldæorum, successisse Belsazari in *Regno Chaldæorum*, non *accepisse Regnum aliquod Medo-Persicum*, ut Vir illustris vult: clarissimè etiam evincitur ex ejus-
Cap. VI. 28. dem hujus historiæ clausula: *Et Daniel prosperè agebat in Regno* Darii & *in Regno* Cyri Persæ. *Darius* utique hic alius intelligi nequit, quàm *Babylonici* Imperii Monarcha, *Cyri* decessor. *Cyri* enim hic *Regnum Babylonicum* designari non *Persicum*, inde faci-

facilè patet, quod Daniel in imperio Babylonico versatus, & amplissimo functus sit munere. Tempore necis *Belsazaris* erat Babylone. prædixit Imperium illud è potestate Chaldæorum transiturum esse ad Medos & Persas, & adesse tempus quo Deus hoc suum consilium exequeretur. Darius Medus, hoc est, *Cyaxares* Xenophontis, Medorum Rex, Filius *Astyagis*, Cyri Avunculus & mox Socer, cujus auspiciis bellum gestum erat adversus *Assyrios* qui dicuntur, sive *Babylonios*, ex pacto haud dubiè & voluntate Cyri, Medorumque & Persarum Procerum consensu, successit *Belsazari*, qui est *Labynitus* junior Herodoti, *Nabonadius* vel *Nabonnedus* Berosi, jam annos natus *sexaginta duos:* sed breve tempus in hoc Imperio exegit, quando Successorem habuit *Cyrum*, nepotem ex sorore & generum suum. quod mihi nunc curæ non est demonstrare, cum id egregiè exequutus sit Nicolaus Abramus. Id ipsum est quod ex traditione Megasthenis apud Abydenum, cujus locum ex Josepho & Eusebio descriptum exhibet Scaliger, Nebucadnezar fato suo proximus prædixerat, fore ut *in servitutem redigantur Babylonii* à MULO *Persa* (Cyro) adjutore MEDO. Verba Abydeni: οὗ δὲ συναίτιος ἔσαι Μήδης τὸ Ἀσσύριον αὔχημα· *cujus adjutor* (caussa socia) *erit* MEDUS, *Assyriorum gloriatio*. Miserè vexat hæc verba Scaliger, qui acerrimè contendit, *Darium Medum* esse *Nabonidum*, acsi eorum sententia esset, *culpâ Medi* (hoc est, *Nabonidi*) *illam calamitatem eventuram esse Babyloniis*. Verum *Abydenus non dixit*; οὐ δὲ αἴτιος, sed συναίτιος: *quo verbo societas & communio alicujus facti significatur*. Sic alibi optimè Henricus Valesius, purgati Vir judicii. Intelligendus est Cyaxares, qui post destructum à Medis & Chaldæis Assyriorum Imperium, magnam Assyriæ portionem sibi habebat subjectam. Sic facilè patet, quo modo cohæreant verba; *Danielem prosperè egisse in Regno* DARII (MEDI) *& Cyri* PERSÆ; atque *Chaldæorum Regnum* datum sit *Medis* & *Persis*. Si verò per *Darium Medum* intelligas *Astyagem*, *Medo-Persam*, inter quem & *Cyrum* intervenit *Cyaxares:* minus cohæret oratio, & adversatur interpretatio toti historiæ Danielis, qui in *Imperio Babylonico*, non *Medico*, (ut absque auctoritate Josephus asserit) versatus est.

In *Phare* Lib. XII. Cap. I. II. & seqq. Post Lib. de Emend. Temp.

Annot. in *Orat. Constant.* ad Sanct. *Cœtum.* Cap. XVII.

XXI. *Alteram* rationem, quâ impugnaveram hypothesin

de *Oraculo Hebdomadum* edito XLIX annis ante *Cyri Imperium Babylonicum*, depromseram ex ipsa illius Revelationis historia, quæ docet, obtigisse Danieli beneficium hujus Revelationis ad preces, ab ipso fusas circa finem temporis LXX annorum huic Exilio præfiniti. Neglexit id Vir Cl. acsi minus ad se pertineret, videturque verba historiæ sic accepisse, acsi Daniel tum demum nactus notitiam Prophetiæ Jeremiæ de LXX Annis Exilio statutis, hanc supplicationem Deo obtulisset. Et constat satis, Scaligerum, ejusque & Petavii sequaces, ipsos quoque per hypothesin suam de *Dario Medo*, tanquam is fuisset *Nabonidus*, ultimus Babyloniorum Rex, coactos esse simili aliquo effugio hunc ictum eludere. Sed frustra. Reclamat narrationis simplicitas, & supplicationis argumentum. *Primo anno Darii quo ille Rex constitutus erat super Regnum Chaldaeorum, consideratè expendit* numerum annorum, de quibus Deus loquutus fuerat per *Jeremiam*. Si id ita capias, Danielem post expugnatam Babelem à Cyro, & Imperium delatum *Cyaxari*, Avunculo ejus, cum tanta rerum in Imperio Babylonico facta esset mutatio, inspexisse vaticinia Jeremiæ, & exputasse *numerum annorum* qui fluxerant à variis *Epochis*, in quibus censeri poterat figi posse illorum annorum initium, (id enim ante eventum incertum haberi poterat, an Epocha illa figenda esset in quarto *Jehojakimi*, an in *deportatione Jechoniæ*, aut *Conflagratione Templi*:) an non spem concipere posset, instare nunc liberationem Populi; & observasset, Epochâ fixâ in *Quarto Jehojakimi* penè expirasse illud tempus LXX Annorum: tum verò se dedisse *precibus* & *jejunio* pro implemento Divini promissi: omnia sunt facilia, & apparet ultrò, quare *primo Anno Darii*, hoc est, *Cyaxaris*, Daniel tanto opere pro liberatione Populi Dei intercesserit. Si verò ab hac sententia discesseris, & dicas cum Marshamo, Danielem hanc profudisse supplicationem *Anno* XXI *post Conflagrationem Templi*, quo tempore Astyages aliquis Rex Medo-Persa potitus fuit Susiana: nulla patet ratio, quare Daniel tam seriò intercesserit apud Deum precibus & jejunio pro *Liberatione Populi*, cum scire posset ipse, majorem partem illius temporis nondum esse elapsam; tum præterea non facilè declinaveris absurdum, Danielem hactenus ignorasse, Jeremiam suis Revelationibus, ad Judæos in Exilio transmissis,

Jer. XXIX. 1, 2.

missis, definitum Annorum Exilii numerum perscripsisse. Supplicationem verò ipsam Danielis si inspexeris: videbis illum, ℣s. 16, 17, 18. pro instante *Liberatione Populi*, & *Urbis* ac *Sanctuarii* instauratione orare. Quod cur egisset *uno & viginti* annis demum *Exilii* elapsis ex hypothesi Marshami: quis perspiciat caussam?

XXII. Equidem ad hypothesin suam Vir Cl. accommodat verba *commatis tertii Capitis sequentis:* ILLIS DIEBUS *ego Daniel lugebam* TRES HEBDOMADAS DIERUM; eaque ita interpretatur; *Orare & jejunare solebat à desolatione Hierosolymorum usque ad diem hujus Visionis, per tres integras annorum hebdomadas, sive per annos* XXI; *ab anno scilicet Nabon.* 141. *quo conflagravit Templum, ad an. Nab.* 162. *quo Angelus Danieli comparuit; quo etiam Darius Medus Susiano Chaldæorum territorio potitus est.* At hæc quorsum abeunt? Disputando enim & commentando audacior factus Vir illustris putavit tandem omnia sibi licere. Ego verò id quod hic legitur, non amplius dicerem improbabile, non paradoxum, ut omnia; sed manifestè falsum esse, & nihil omninò sani habere, si ad sententiam verborum ipsam magis quàm Auctoris ejus nomen & merita reflecterem animum. Inspice enim Danielem, & observa, Vaticinium illud, cujus partem faciunt hæc verba; *Et ego lugebam per tres hebdomadas dierum;* cum superiore de *hebdomadis* nihil commune habere, sed editum esse *Anno tertio Cyri.* Sic incipit *Caput decimum*: ANNO TERTIO CYRI, REGIS PERSIÆ, *res revelata est Danieli, cui nomen Beltsazar.* . . . ILLIS DIEBUS *Ego Daniel lugebam per* TRES HEBDOMADAS DIERUM, CIBUM GRATUM NON COMEDI, & quæ seqq. Utique *tres* illæ *hebdomadæ*, sive dierum, sive annorum sint, *terminum suum* habent in *tertio anno Cyri:* ut habet inscriptio hujus Prophetiæ. Quomodo igitur per *tres hasce hebdomadas* intelligas *Annos primos unum & viginti* Exilii Babylonici? Si omninò hic anni intelligendi sint: nulli intelligi queunt alii quàm extremi illius Exilii, & quidem terminandi *anno liberationis Judææ tertio.* Fateor, me non perspicere, quorsum tendat hoc institutum producendarum probationum pro hypothesi, vera vel ficta, quæ *inspecto textu* mox falsi convincuntur. Si obtigisset hæc *posterior* Revelatio Danieli *eodem tempore* quo *prior*, hoc est, *Anno*

Cap. x. 7.

Darii primo, ex hypothesi Marshami ante Cyrum *quadragesimo nono:* aliquam saltem speciem, licet longè arcessitam, habuisset hæc interpretatio: nunc non tantum omninò nullam, sed & prodit non optimum studium auctoris judicii Lectoris qui fortè Danielem non inspiceret, à vero alienandi. quod alterius mallem esse quàm Marshami. Error ex imprudentia commissus aut ignorantia, quid habet humani, quod apud æqui animi homines veniam impetrat: sed spontanea veri dissimulatio, occultatio, aut aversio, in quo vitio fraus & dolus inest, ab omni studio honesto investigandæ veritatis absit. Verum si etiam id seponas quod nunc moneo: quis ferat, HEBDOMADAS DIERUM explicari per HEBDOMADAS ANNORUM? Dicuntur enim exertè *hebdomadæ* DIERUM, ut ab *hebdomadis* ANNORUM
Lev. xxv. 8. (שבתות שנים) distinguantur; & Scriptor Sacer hoc ipso innueret, nosque moneret, alias hic intelligendas esse *hebdomadas* quàm in Oraculo de *Hebdomadis Septuaginta*. Quis insuper non arbitretur, absurdè Danieli *luctum* & *jejunium* tribui annorum *vi-*
Cap. x. 3. *ginti unius?* Quando, inquam, sic scripsit Daniel: CIBUM GRATUM NON COMEDI, *&* CARO *atque* VINUM NON INTRAVIT IN OS MEUM, *&* NON UNXI ME *donec complerentur* TRES SEPTIMANÆ JUSTÆ: scilicet, id ego intelligam de *hebdomadis annorum*? An Daniel, apud aulam versatus, se non *unxit* per spatium *annorum unius & viginti?* Benè habet. hic subsisto. Cepit me jam hujus disputationis tædium. amo enim de *probabilibus* disputare, & rationes cum rationibus conferre. cujus generis non sunt postrema, in quibus desiit mea disceptatio. Cætera si telam hanc ad extima fila pertexere vellem, agerem cum Nobilissimo *Viro de Epocha* LXX *annorum Exilii*, *& Cyaxare Juniore* tanquam *Assuero*, *Esthera* marito; atque demonstrarem, *Pontificatus Successionem* tempore *Afflictionis Epiphanicæ* non esse interruptam; quorum *Problematum* discussio argumentum illud, in quo versatus sum, proximè contingit. Sed quæ in medium protuli, abundè sufficiunt hypothesi Viri illustris refellendæ; adversus quem si calore disputationis abreptus nimiâ subinde libertate sententias meas propugnavi, quod fecisse nolim; id mihi invidiæ ne cesserit, æquitas faciet & candor lectoris mei. Eruditioni enim, ingenio, laboribus, Marshami eam reverentiam animo meo ser-

vo,

vo, quam decus Natalium & pulcherrimæ mentis præſtantia atque cultus eximius; tum quoque egregia ejus obſervata & conamina alia, merentur.

CAP. VI.

Communis Judæorum & Chriſtianorum Doctorum ſententia de DEFECTU PROPHETIÆ *poſt* Malachiæ *ætatem proponitur, & propoſita confirmatur ex* Joſepho *primum, cujus inſignis locus ex* priore Libro *adverſus* Apionem *explicatur; dein ex* Maccabaicis, & Hiſtoricis *atque* Chronologis Hebræis *recentiorum temporum; ubi* ἐν παρόδῳ *ad* Chronologiam *illorum de duratione* Monarchiæ Perſicæ *quædam obſervantur. Adduntur aliqua quæ aggravandæ huic ſententiæ faciunt de* DEFECTU SPIRITUS S. & *ſilentio* Oraculi, *quod* URIM & THUMMIM *dicitur, ex opinione Magiſtrorum, illuſtrato rurſus* Joſephi *loco in argumento poſteriore.*

CONſtans, quantum ſcio, ſententia eſt *Judæorum & Chriſtianorum* purioris fidei Doctorum, *Malachiam* ſub OEconomia antiqui Fœderis *poſtremum* Judæo populo apparuiſſe *Vatem*, atque adeo *Canonem* Librorum, qui *Legalem Codicem* efficiunt, ejus Prophetiâ *clauſum* obſignatumque eſſe. Quæ ſententia paſſim in hunc modum ab hominibus Chriſtianæ profeſſionis intelligitur & exponitur, acſi inde ab hoc tempore uſque ad τὴν ἐπιφάνειαν Chriſti Servatoris, ejuſque circumſtantias, omnes *Revelationes Divinæ Voluntatis extraordinariæ* cujuſcunque generis, quibus gens Hebræa per multa ſæcula gavisa & gloriata eſt, *ceſſaßent*. Quandoquidem verò id intervallum temporis extenſum eſt ultra *quatuor ſæcula annorum:* quis, qui rem ſerio expendit & ad animum revocat, non miretur hoc tam longum & triſte *Oraculorum Divinorum ſilentium*; eum quidem apud populum, qui ſe hâc gratiâ nullis novis criminibus, ut videtur, præ Ma-

joris

joribus suis indignum fecerat; & eo sæpè statu Reipublicæ, quo, si ullo alio, consilia, exhortationes, & consolationes fidelis Prophetæ maximo fuissent usui? Ego certè ut & ipse miratus sum; sic existimavi, me otio ingenioque meo non abusurum, si paullò diligentius inquirerem atque examinarem, quid *receptis hisce hypothesibus veri subsit*, *quid falsi?* quatenus illæ recipiendæ sint vel repellendæ? Verum ne cum umbra mea luctari videar; simul ut certum habeam sequentis meæ disputationis fundamentum, *primum* enotabo, & ubi opus fuerit, illustrabo quædam *Veterum* (Judæorum imprimis, quorum caussa hic agitur:) de hac re *testimonia*; dein progrediar ad materiam ipsam prolixius & explicatius pertractandum, & dubia, inde oritura, solvendum. Clemens Deus sic ducat mentem meam, ut veritatem, quæ plerumque in obscuro latet, assequar!

Contra Apion. Lib. I. p. m. 1036.

II. Josephus, de Libris à Gente sua receptis differens, postquam dixerat, *duo* tantum & *viginti* Judæis *volumina* esse *sacra*, quorum *priora quinque* Mosi attribuit, sic pergit: *Ἀπὸ δὲ τῆς Μωϋσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται τὰ κατ᾽ αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψαν, ἐν τρισὶ καὶ δέκα βυβλίοις· αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν· ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν· A morte verò Mosis usque ad imperium Artaxerxis, Persarum Regis post Xerxen, Propheta, Mosen sequuti, ea, quæ suâ ætate gesta sunt, consignarunt in tredecim Libris. Reliqui quatuor hymnos in Deum, & præcepta vitæ humanæ rectè instituendæ exhibent. Ab Artaxerxe autem usque ad hoc tempus singula quidem perscripta sunt; tanta tamen fides iis non defertur, quanta superioribus illis libris, propterea QUOD MINUS EXACTA FUIT PROPHETARUM SUCCESSIO.* Eusebius hunc textum Josephi transtulit in historiam suam. Dignus est, cui paulisper inhæreamus.

Hist. Lib. III. Cap. X.

III. *Primo* observamus ex hisce verbis, Josephum omnes libros Scripturæ Testamenti Veteris in *tres* distinxisse *classes*, *Legales*, (quinque Volumina Mosis) *Propheticos*, & *Poëticos* sive *Didascalicos*. Ea verò *Librorum Sacrorum* divisio hactenus quidem convenit cum ea Masoretharum in תורה *Legem*, נביאים *Prophetas*

tas & כתובים *Hagiographa*, quam aliunde satis constat ætate Josephi jam fuisse apud Judæos receptam; id tamen singulare habet, quod Josephus numeret *Propheticos tredecim*, & *Hymnicos* sive *Didascalicos quatuor*; Masorethæ verò *Propheticos octo* & *Hagiographa Novem*. *Hymnici* & *Didascalici quatuor*, quos Josephus respexit, sunt, nisi fallor, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, & *Canticum Canticorum*. *Hagiographa* autem Masoretharum præter hos *signatos quatuor* constituunt Libri *Jobi*, *Danielis*, *Esthera*, *Esra* & *Nehemia*, (quos pro *uno* habuerunt Veteres) & *Chronicorum duo*, quos itidem illi pro *uno* sumpserunt. At dubium suboritur ex loco Josephi, an illius ætate hi *quinque* Libri *posteriores*, qui à Masorethis deinceps & porro in *Hagiographis* censiti sunt, ita ad *Propheticos* sint relati, ut verè ab Ecclesia Judaica illius temporis pro *Propheticis* habiti censitique, & inter eos, non autem inter *Hagiographa*, numerati sint? An verò Josephus, videns, hos *quinque Libros posteriores* ratione *materia* convenientius reduci ad *Historicos* & *Propheticos*, quàm ad *Hymnicos* & *Didascalicos*, suo ingenio judicioque tantum tribuerit, ut, neglectâ consuetudine sui temporis, *novam divisionem* commentus sit, & *quinque* illos modò notatos *Libros* inter *Propheticos* & *Historicos* recensuerit? *Prius*, quod veri non admodum dissimile videtur, si admittatur; non opus fuerit hoc tempore multis disputare, cur *Daniel* olim in *Hagiographis* positus sit? Certe enim *Daniel* à Josepho ad *Propheticos* Libros refertur. Imo patebit ratio, quare *Daniel* à Christo Domino, ex consensu Gentis Judææ sui temporis, *Propheta vocetur*, & ab ipso Josepho εἷς τῶν μεγίςων προφητῶν *unus maximorum Prophetarum*. Nihil definio tamen, quippe fieri potuit, ut Josephus, observans, vulgatam sui temporis partitionem *Librorum Sacrorum* in *Legales*, *Propheticos*, & *Hagiographa* hoc incommodi habere, quod *Hagiographa* complectantur Libros diversi prorsus generis, *Hymnicos* scilicet & *Historicos*; satius duxerit *Historicos Propheticosque omnes* ad eandem speciem reducere, & vulgatæ huic divisioni Sacrorum Librorum in *Legales*, *Propheticos*, & *Hagiographa* substituere accuratiorem aliam in *Legales*, *Propheticos*, & *Hymnicos*; quæ verè etiam præcedenti accuratior est: adeo sanè, ut magna caussa non sit, cur Buxtorfius in *Commentario* Masorethico, his ipsis

Math. xxiv. 15.
Antiq. Lib. x. Cap. xii.
Cap. xi.

Josephi verbis, à se adductis, subscripserit; *Obscurè hoc, satis distinctè*. Partitio enim Josephi satis est *distincta*, & ipsius ratio non admodum *obscura*. Magis hæreo quid sibi velit Henricus Valesius, Vir laudatissimus, qui, postquam hanc ipsam discrepantiam *partitionis Librorum Sacrorum*, quæ inter Josephum & Masorethas est, probè observasset, in suis ad Eusebii locum
p. 47. *Animadversionibus* sic claudit sententiam: *Sed* Josephus *Libros* Josuæ *&* Judicum: Regum *item* ac Paralipomenôn *libros* & Esdram *inter Prophetica volumina reposuisse videtur; non quod Prophetias continerent, quemadmodum Prophetarum Libri: sed ideo quod à Prophetis essent conscripti*. Est equidem ac si Valesius opinatus fuerit, *Libros Josua*, *Judicum*, *Regum*, *Paralipomenôn* & *Esra* eos ipsos *quinque Libros* esse, qui à *Masorethis* ad *Hagiographa* & à Josepho ad *Propheticos* referuntur: quod tamen de duobus posterioribus (*Esra* nimirum & *Chronicis*) solummodo verè dici potest, cum certum sit, *Josua*, *Judicum*, & *Regum* libros ab ipsis Masorethis inter *Propheticos* computari. Si enim sic non senserit Valesius: nullatenus perspicio, quid hæc verba ad rem faciant, de qua disputat. Certum est, quod jacit, hos libros *Historicos* à Josepho *Propheticis* accenseri, quia Josephus credidit, eos à *Prophetis* conscriptos esse. Sed & Masorethæ Libros *Josua*, *Judicum*, & *Regum* accensent *Propheticis*, ut satis notum; quia eos à *Prophetis* consignatos esse existimant. Verum quid id ad rem, de qua Valesius, & qua de caussa hos *quinque Libros*, de quorum *tribus prioribus* nulla omnino controversia est, conjunxit, & de iis conjunctim observat, à Josepho ad *Propheticos* reduci, additâ simul illius facti ratione, si non supposuerit, *omnes illos* à Masorethis ad aliud librorum genus referri? Sit venia verbis, si mentem Valesii assequutus non sim.

IV. Transeo ad ultimam partem contextus Josephi, quâ ait, *Libros*, post *Artaxerxen* (Longimanum) *scriptos* eâ auctoritate & pretio non haberi à gente sua, quâ superiores, qui vel ante vel sub imperio *Artaxerxis* compositi sunt, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν Προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχὴν *quia Prophetarum non fuit accurata successio*. Hoc vult dicere, ni fallor: Quia *exploratum* non est, eorum Auctores fuisse *Prophetas*, & hoc nomine ab hominibus sui temporis cognitos cultosque esse. Josephus non di-
cit

cit disertè, post *Artaxerxen* nullos extitisse *Prophetas*; neque inficias it, quosdam Librorum illorum posteriorum ab ejusmodi Viris conscriptos esse, qui ratione doctrinæ & sanctitatis non procul aberant à dignitate *Prophetarum*; sed negat τὴν ἀκρίβειαν τῆς διαδοχῆς τῶν Προφητῶν ACCURATIONEM *successionis Prophetarum*; quandoquidem *Auctores posteriorum librorum* tantâ argumentorum evidentiâ non probaverant Ecclesiæ Judaicæ veritatem doctrinæ & fidem scriptionis suæ, quantâ qui ante eos fuerant *Prophetæ*. Quod cum clarissimum Josephi testimonium sit, de re, quæ ipsi fuit cognita; in qua probabile est, illum noluisse, & si voluisset, non potuisset certè *Apionem* fallere; imo quam, si necessitas ipsi veritatem non extorsisset, lubenter dissimulasset, quia minimè faciebat ad honorem Gentis Judaicæ: liquet, quàm vana & fallax sit assertio Cl. Simonii de continuatis post ipsa tempora *Artaxerxis Scribis* Judaicæ Ecclesiæ *Publicis*, qui *à Deo acti*, instar *Prophetarum*, (quod *nomen* tamen agnoscit ipsos tum deposuisse:) *Historiam* Judaici Populi literis consignarint, & summam *Sacrorum Librorum*, ad ædificationem vulgi edendorum, curam habuerint. Sic scribit: *Parum in eo situm est, quod* Posteriores *hi Scribæ non gavisi sint nomine* Prophetarum, *quando ejusdem fuerunt auctoritatis*. Rursus: *Verum est, quod post reditum ex Babylone potius assumpserint nomen* Scribarum, *quàm* Prophetarum: *at mutatio* nominis *nullam omnino inducit mutationem in rem ipsam*. Fuisse verò hos *Scribas posteriorum temporum Divino afflatu actos*, scribit secundum hanc suam hypothesin in sequentibus. Sed notarunt & castigarunt, ut merebatur, τὸ αὔθαδες harum asseverationum, nullo prorsus fundamento nixarum, Eruditi Viri, qui sub nomine *Theologorum Batavorum* judicia sua de *Critica* ejus vulgarunt, præter alios plures.

Hist. Crit. V. T. Lib. I. Cap. VIII. p. 55.

Des personnes inspirées de Dieu. Lib. III. Cap. XXII. p. 490.

Theol. Bat. Sentimens &c. p. 90, 91. & Defense &c. p. 210, 211.

V. Cæterum, quod Josephus secundum sententiam Ecclesiæ suæ ætatis testatur, post *Artaxerxen* non fuisse *certam*, exploratam vel *accuratam successionem Prophetarum*; inde validè confirmatur, quod non tantum nullus eorum *Librorum*, qui nunc à nobis post Hieronymum *Apocryphi* dicuntur, commendetur nomine alicujus *Prophetæ*, distincti à Prophetis in Verbo Dei cognitis, qui ante *Artaxerxen* vel sub eo vixerunt; verum etiam quod in quibusdam eorundem illorum *Librorum* exertè tradatur vel sup-

ponatur, eo tempore, quo compositi sunt, nullos *Prophetas* Judææ Genti cognitos fuisse. Clara utique & notabilia verba sunt, quæ extant in *Primo Maccabæorum:* Καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς· *Fuitque afflictio magna in Israel, qualis non fuerat, EX QUO DIE NON EST VISUS PROPHETA INTER EOS.* Observandum est, hoc in loco id temporis demonstrari, quo *Judas* Maccabæus cum exercitu suo à *Bacchide* fusus, & *Jonathas* frater ejus ipsi substitutus est, rebus Judaici populi ad extrema redactis. Atqui à fine *imperii Artaxerxis* (supposito, *Prophetiam* cessasse sub *Artaxerxe Longimano*, quod hactenus cum Josepho suppono;) usque ad initium Principatus *Jonathæ* effluxerunt *plures ducentis & quinquaginta annis.* Hoc verò satis longo intertitio temporis *nullus*, ut in textu est, *Propheta Israëli apparuerat.*

1 Maccab. IX. 27.

Josephus eandem rem sic effert, *Judæos* tantam *calamitatem expertos non esse* μετὰ τὴν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον, *post suum ex Babylone reditum:* quod & ipsum verè dictum est, sed nequaquam cum his verbis, ut sonant, comparandum. *Prophetas* enim *veros*, *Haggæum*, *Zachariam*, post solutam Captivitatem Babylonicam apud Judæos floruisse, nec ignoravit nec negare voluit *Auctor* hujus *Libri Maccabæorum:* verum quod *ille* strictius, id laxius dixit Josephus.

Antiq. Lib. XIII. Cap. 1.

VI. Similis sententia est alterius cujusdam dicti in hoc eodem *Libro* Cap. IV. 46. *Et reposuerunt lapides in monte domus*, (בהר הבית) *in loco conveniente*, μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν· *DONEC VENIRET PROPHETA & responderet de illis.* In verbis nihil hæret difficultatis. Mentio in iis est de *altari*, profanato ab *Antiocho Epiphane* & restaurando à *Sacerdotibus*, sub principatu *Judæ Maccabæi*. Commodum visum est *Sacerdotibus* illud diruere, asservatis lapidibus, & *novum* loco illius exædificare; usque quo veniret *Propheta*, hunc nodum ex Divina revelatione soluturus. Præterquam verò quod ex hoc loco evidenter liqueat, eo tempore nullum inter Israëlitas extitisse *Prophetam*; insuper etiam illud ex eo rectè colligas, Judæos illius tempestatis nondum desperasse de adventu alicujus Prophetæ. Nullus equidem Vates longo tempore inter ipsos apparuerat. Neutiquam tamen exploratum ipsis erat, (etiamsi probabile

bile esset, ceu in sequentibus dicemus:) ante *Messiam Prophetam* sive etiam ante *Eliam*, quem ex vaticinio *Malachiæ* Cap. IV. 5. intellexerant, *Messiam* esse præcessurum, nullum venturum esse alium. Verum cum postea tam *Judæi* quam *Samaritani* animadverterent, nullum ejusmodi Vatem alium post molestam plurimorum annorum, imo sæculorum quorundam expectationem prodire, & dubia circa Religionem indies multiplicarentur, atque invalesceret Doctorum super iis dissensio; tum demum hoc ipsum clarius videntur percepisse. Id quodammodo latet, ni fallor, in verbis Samaritanæ mulieris ad Dominum, postquam ille disseruisset de *loco adorationis publicæ. Scio*, MESSIAM *venturum, qui dicitur Christus:* ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα· QUUM VENERIT ILLE, ANNUNTIABIT NOBIS OMNIA. Joh. IV. 25.
Dubia multa, quæ cum tempore valdè accreverant, solvenda; lites variæ dirimendæ restabant tam apud *Judæos* quam *Samaritanos:* neque tamen ullum tantæ auctoritatis tribunal eo tempore utrinque agnoscebatur, quod illi negotio credebatur sufficere. Imo *Samaritani* tam infesto adversus Judæos odio occupati erant, ut judicium caussæ suæ nulli *inferioris gradus* & *ordinis* Prophetæ, *ex Judæis oriundo*, facilè commisissent. Quare omnium vota & desideria ferebantur ad excellentissimum illum *Prophetam*, quem Moses, vel ad *Eliam*, quem *Malachias* promiserat, ceu unicum divortii sententiarum & animorum remedium. Quâ spe cum *Samaritana* quoque mulier esset: *primum* quidem mirari eam subiit, quando ex argumentis quibusdam intellexit, *Jesum* esse *Prophetam*, ℣ſ. 19. sed cum simul imbibisset, *ante* & *præter Messiam alium illustrem Prophetam eo tempore non expectari*, (Ipsa enim, utpote *Samaritana*, *Eliam* non agnovit:) extemplo adorta est Jesum proposito dubio, tum temporis maximè familiari & famoso, &, ut ipsa quidem sibi persuadebat, solutu difficillimo; ad quod quum Christus respondisset, sic ut mulieris præjudicia destruxerit, & tamen eam animo suspensam reliquerit: tum demum illa spem suam de adventu *Messiæ Prophetæ* clarius explicat, ℣ſ. 25. non implicitè significans, se fidem suam nulli ante & præter Messiam Prophetæ Judæo facile commissuram.

VII. Sic omnino res habuisse videtur, ut dixi. Quod enim

prætereundum non est: in *tabula*, quam Populus Judaicus *Simoni*, Jonathæ fratri, suspendit, quæ exhibetur in Cap. XIV. ejusdem hujus *Primi Libri* Maccabæorum, sic scriptum erat. ℣ſ. 41. Καὶ ὅτι εὐδόκησαν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ οἱ ἱερεῖς τοῦ εἶναι Σίμωνα ἡγούμενον καὶ ἀρχιερέα εἰς τὸν αἰῶνα ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστόν· *placuisse Judæis & Sacerdotibus, ut esset Simon Dux & Pontifex Maximus in æternum, donec exurgeret* PROPHETA FIDELIS. Emphasin habet, quod dicitur, προφήτης πιστὸς *Propheta* FIDELIS. *Vel* ELIAM *significant*, ait Drusius, *ex loco* Mal. IV. 5. *perperam intellecto; vel Prophetam illum, de quo Moses longè ante vaticinatus fuerat. Is est Christus, Prophetarum omnium caput & antesignanus. Continet ergo hic locus insignem Prophetiam de temporibus Messiæ.* At dubito, an conjectura Drusii admittenda sit. Quod si enim vel *Eliam* vel *Christum* Prophetam innuissent Judæi: utique mentis suæ sententiam clarius expressissent. Nec tamen de nihilo esse censeo, quod mentionem faciant προφήτου πιστοῦ PROPHETÆ FIDELIS. Etenim cum longum adeo tempus absque *Propheta* transegissent: meritò ipsis suspectus erat quiscunque homo, qui se *Prophetam* jactabat & non simul evidentissimis documentis auctoritatem suam adstruebat. Summo itaque jure Judæi non quemvis sed πιστὸν *fidelem*, indubium & magnæ fidei *Prophetam* desiderabant.

VIII. Atqui quod Veteres *Græci* de Judæa Gente *Scriptores* de *Cessatione Prophetiæ* testimonium perhibent; idem multò luculentius repetunt & confirmant *Hebræi* sequentium temporum. Tradunt illi constanter disertissimis verbis, *Prophetandi munus* hebrææ genti negatum esse post *Malachiam*; imo, ut accurati sunt, præcisum tempus הפסק הנבואה *Cessationis Prophetiæ* definiunt. Id honoris dabimus præstantissimo Auctori Libri *Cosri*, ut ipsius discursum prius exhibeamus, quam *Chronologos* ipsos consultum eamus. Sic ille, expositurus modum Successionis perpetuæ *Traditionum*, quam contribules sui jactant. (Part. III. §. LXV.) התנבאות התמידה עם אנשי בית שני ארבעים שנה מהזקנים הנעזרים בכח השכינה שהיתה בבית ראשון שהנבואה הנקנית נסתלקה בהסתלק השכינה ולא היו מקיים לה אלא בעת מופלא ובעבור כח גדול כמו אברהם ומשה והמשיח שאנחנו מקוים אליהו והדומי' להם אשר הם בעצם' מעון לשכינ' ובהמצאם יקנו הנמצאי' הדרגת הנבואה ונשאר לעם בשובם אל הבית חגי זכריה ועזרא וזולתם:

Pro-

Prophetia (Buxtorfium sequor:) *duravit inter Viros secundi Templi per* QUADRAGINTA ANNOS *in Senioribus, qui adjuti* (instructi) *fuerunt virtute Præsentiæ Divinæ, quæ fuit* (inter ipsos) *sub Templo primo; quia* PROPHETIA HABITUALIS *sublata est, sublatâ Præsentiâ Majestatis Divinæ; neque ea expectanda iterum est, nisi tempore miraculoso & per virtutem magnam* (h. e. in hominibus summâ virtute & sanctitate præditis) *qualis fuit in Abrahamo, Mose, Messia, quem expectamus, Elia & similibus, qui per se ipsi sunt habitaculum Majestatis Divinæ, adeo ut si tales inveniantur & existant, illi gradum* Prophetiæ *acquirunt. Superstites ex illis* (Senioribus ante commemoratis) *cum ad Templum reverterentur* (ex Babylonia) *fuerunt Haggæus, Zacharias, Esras,* & alii. Sententia Auctoris, alibi prolixius in eodem hoc Libro exposita, sic ferè habet, *Prophetiæ donum* dependere tum ab *interna constitutione facultatum mentis* & *corporis*, tum à loco in quo vivitur. Porrò *internam* illam *facultatum animi* διοίκησιν (si mentem ejus bene peceperim) vel acquiri *habitu* & *exercitatione*, vel singulari Divinæ Providentiæ beneficio *cum natura ipsa* in hominibus à Deo dilectis & ad magna ordinatis produci & formari. Qui ejusmodi *facultatibus* & *virtutibus* præditi sunt *naturâ*, in quorum numero ponit *Abrahamum*, *Mosen*, & *Messiam*, vix esse statuit, ut id χάρισμα iis non certò obtingat, vel, sicut ipse mentem suam interpretatur; הם בעצמם מעון לשכינה ILLI PER SE IPSI SUNT HABITACULUM DIVINÆ PRÆSENTIÆ: quod certe posterius (opinionem enim ipsam, quæ non admodum abludit ab ea *Auctoris Tractatus Theol-Politici* nunc non discutiam:) si de solo *Messia* dixisset; conferri posset cum phrasi Scriptorum Sacrorum Christianæ Fidei, quâ de *Christo* loquuntur tanquam de מעון לשכינה / *sive quod idem est*, σκηνῇ τῆς δόξης τῦ Θεῦ *Tabernaculo Divinæ Gloriæ*, & κατοικητηρίῳ τῦ πληρώματος τῆς Θεότητος. Cætera sic sentit *Auctor*, alios sanctos Joh. 1. 14.
piosque Viros inter Israëlitas *adjutos* fuisse ad hanc *facultatem* Pro- Col. II. 9.
phetici muneris consequendum per שכינה *Divinam Præsentiam*, quæ *Primo Templo* Israëlitis constanter adfuit: verum hoc beneficio præsentiæ *Divinæ Gloriæ* sublato cum destructione Templi illius Primi, Israëlitas simul privatos esse beneficio *Prophetiæ*, postquam eo per *quadraginta ferè annos* gavisi fuissent post *Reditum* ex Babylone virtute videlicet ejusdem *influxus Divinæ Gratiæ*, derivati

ab

ab externo illo Divinæ Gloriæ & Præſentiæ ſymbolo, quo Populum Judæum Templo priore ſtante Deus honeſtaverat. Sic

Part. III. §. XXXIX. idem hic Auctor; וכבר התמידה הנבואה בבית שני קרוב לארבעים ש״ה *Duravit autem Prophetia ſub Templo Secundo propemodum quadraginta annos.*

IX. Conſulamus nunc, ſi placet, *Chronologos* Hebræos, & videamus, quid novæ rei apportent. Ita legere eſt in *Seder Olam*

Cap. XXX. Fol. 30. col. 2. *Rabba.* והצפיר השעיר מלך יון וגו והוא המלך הראשון ועמד מלך גבור וגו׳ וכעמדו תשבר וגו׳ הוא אלכסנדרוס מקדון שמלך י״ב שנה׳ עד כאן היו והנביאי׳ מתנבאי׳ ברוח הקודש מכאן ואילך הט אזנך ושמע דברי חכמי׳ *Hircus autem ille villoſus eſt Rex Græciæ, & Cornu magnum, quod eſt inter oculos ejus eſt Rex primus.* (Dan. VIII. 21.) *& ſtabit Rex potens,* &c. (Dan. XI. 3.) *Et cum ſteterit frangetur,* &c. (Ibid.) *Hic eſt Alexander Macedo, qui regnavit annos duodecim.* Usque huc vaticinati sunt Prophetæ per Spiritum Sanctum. *Hinc & porrò inclina aurem tuam & audi verba Sapientum.* Suſpenſum fortè te habet, qui ad Chronologiam Hebræorum Scriptorum hactenus animum tuum non applicaſti, legere te in hoc *Chronico, Oracula Divina,* ut à Prophetis enunciata ſunt, demum *ſiluiſſe* cum imperio *Alexandri Macedonis,* quod longo diſtitit intervallo annorum ab eo *Artaxerxis Longimani.* Sed mirari deſines, ſi calculi illius rationem & hypotheſin declaravero; quod fiet, poſtquam alia duo teſtimonia, huic materiæ ſervientia, ad hæc adjecerim. Habe itaque hæc prioribus conſona, in *Se-*

Fol. 35. col. 1. *der Olam Zutha.* בשנת שמנה עשרה למדי היא שנת שבעים לחרבן הבית עלה עזרא הסופר לירושלים וגלות אח״ת עמו ובנה חומת ירושלם והכין את בית המקדש וחזר זרובבל לבבל ומת שם ועמד אחריו משולם בנו ובימיו מלכה מלכות יון בשנת חמשים ושתים שנה למדי ופרס מתו חגי זכריה מלאכי באותו הזמן פסקה נבואה מישראל היא שנת ג׳ אלפים וד׳ מאות וארבע לבריאת עולם מכאן ואילך הט אזנך ושמע דברי החכמים אלכסנדרוס מקדון מלך יון מלך שתים עשרה שנה וכו׳ *Anno octavo decimo Medorum, qui eſt annus ſeptuageſimus deſtructionis Templi, aſcendit Eſra Scriba Hieroſolymam, & alter una cum ipſo deportatorum cœtus, & ædificavit murum Hieroſolymæ & Ædem Sanctuarii, rediitque Zerubabel Babelem, & ibi obiit diem: Cui ſucceſſit Meſullam, Filius ejus. Ipſius verò ætate imperavit Regnum Græciæ. Anno quinquageſimo ſecundo Medorum & Perſarum mortui ſunt Haggai, Zacharias & Malachias:* EO

TEM-

tempore cessavit Prophetia in Israele. *Hic est annus ter millesimus, quadringentesimus, & quartus à creatione mundi. Hinc & porro adverte aurem tuam & audi dicta Sapientum. Alexander Macedo, Græciæ Rex, imperium obtinuit duodecim annos,* &c. Viden' rursus *Prophetiæ defectum* comparari cum fine *Imperii Persici* & initio *Græci?* Idem percipe ex Kabbala *R. Abraham Ben Dior*, eodem *Libello* minoris formæ, in quo hæc Chronica conjuncta sunt. Mentionem fecerat R. A. eversi Imperii *Persici*, congressus *Simeonis Justi* cum *Alexandro Magno*, nec non *Æræ Contractuum*, cujus initium ad illud tempus refert, eamque suam orationem sic continuat: והיא שנת ג' ארפים ות'נ ליצירה באותו רזמן נפטר עזרא הסופר והגי וזכריה ומלאכי ונסתלקה נבואה מישראל וכו' *Et hic est annus termillesimus, quadringentesimus & quinquagesimus Creationis mundi:* (Hic, inquam, annus, quo *Simeon Justus* cum *Alexandro Macedone* colloquutus est, & *Æra contractuum* initium sumpsit) *Atque hoc ipso tempore mortui sunt Ezra Scriba, Haggai, & Zacharias, & Malachias, &* ablata est Prophetia ab Israele. Vixerunt itaque *Ezras*, *Haggai*, *Zacharias*, & *Malachias* usque ad initia Imperii *Alexandri Macedonis*. Fol. 56. Col. 2.

X. Sed quid ita? ais. Utique Monarchia Persarum perstitit ultra *ducentos annos?* utique à primis *Cyri* usque ad ultima *Artaxerxis Longimani* lapsi sunt plus quam *centum anni*, & ab iis usque ad devictum ab *Alexandro Darium Codomannum* longa rursus fluxerunt tempora *centum* ferè *annorum?* Quomodo itaque Prophetæ ultimi, qui sub finem imperii *Artaxerxis* vitâ excesserunt, mortui dicuntur anno Imperii Persici *quinquagesimo secundo?* Quomodo *Artaxerxen* sequutus fuit *Alexander Macedo*, tam longe ab illo remotus? Ita est, mi lector: hæc sibi non constant, neque unquam constabunt. Dicam verbo, quod ante me dixerunt & evicerunt Doctissimi Viri, & inter eos summa cum laude acuminis, & eruditionis, Joannes Morinus, computum *Chronologorum Hebræorum*, ut passim, sic hoc loco esse turbatissimum & confusissimum, & nullo remedio sanandum. Exercit. Sacrar. Lib. II. Exercit. V. Cap. I.
Verum equidem est, in *Seder Olam Rabba* legi, *loco* modò descripto, *Imperium Persicum* perstitisse חמשים ומאתים שנה *quinquaginta & ducentos annos*, (quod & observare non neglexit Cl. Coccejus) veruntamen pro מאתים heic legendum esse שתים / non Com. in Hag. Cap. I. I.

 tan-

tantum ipse ille Morinus, quem modò laudavi, evidentissimis argumentis probavit, sed & inter Hebræos *Chronologos* David Ganzius exertè notavit. Adeo certè ut hac quidem in re *plenus inter Hebræos Chronologos*, quantum scio, sit *consensus*, contra quam Cl. Coccejus, qui errori *Scribæ* vel *Typographi* Libri *Seder Olam Rabba* implicitus hæsit, putavit. Vidit tamen aliquid, allegato quoque in contrarium testimonio ex *Seder Olam Zutha*, sed non pervidit, ubi scripsit: *Mirum, Judæos pauciores Reges & plures annos facere*. Morinus ita: *Constantissima est omnium Judæorum assertio, Imperii Persici durationem non excessisse annos quinquaginta duos, & quinquagesimo secundo Darium ab Alexandro occisum esse & imperium Persicum in Græcos translatum*. Ex *Hebræis* igitur *Chronologis*, nisi calculos nostros cum ipsis malè velimus ponere, nihil amplius proficimus, quàm quod constanter asseverent, *Malachiam* Vatum omnium suæ Gentis fuisse postumum. Cætera ferè fabulosa vel falsa sunt. Nisi quis *confusæ* ipsorum *traditioni* tantum velit dare, ut eâ fultus facilius credat, *Prophetiæ donum* verè perdurasse in Ecclesia Judæa ad tempora *Alexandri Macedonis*.

Ad Annum 3442.

XI. Christiani Doctores hic, quod ad summam rei, passim non dissentiunt. quod cum vulgò satis notum sit: paucis hic defungar. Hieronymus in *Jesaiam* Ecclesiam Judæam sterilem ad exemplum Orationis Prophetæ sic loquentem introducit: *Quis mihi istos genuit? Ego eram sterilis & vidua deserta atque captiva in populo Judæorum, filios habere desieram, multo tempore non pepereram:* POST *Aggæum, & Zachariam &* MALACHIAM NULLOS ALIOS PROPHETAS USQUE AD JOANNEM BAPTISTAM VIDERAM, *& quomodo quæ fueram sola & viri auxilio destituta, tantos filios nunc habere cæpi?* Sed Augustini clarior adhuc est oratio in Libris de *Civitate Dei:* TOTO AUTEM ILLO TEMPORE, EX QUO REDIERUNT DE BABYLONIA, POST MALACHIAM, *Aggæum & Zachariam, qui tunc prophetaverunt, & Esdram*, NON HABUERUNT PROPHETAS USQUE AD SALVATORIS ADVENTUM, &c. Lactantii, aliorumque his consona testimonia in proclivi esset adducere, si opus esset. Omnium enim eadem vox, eadem sententia est.

Com. in Jesaiæ Cap. XLIX. ad verba vers. 21.

Lib. XVII. Cap. XXIV.

XII. Imo apud *Christianos*, sed & apud *Judæos*, ulterius itur. Non

Non monent tantum vulgò *Interpretes* in Expositione hujus Vaticinii, *Malachiam* esse *Prophetarum* Testamenti Veteris *ultimum*; verum etiam, ipsum illum *Malachiam* Canonem Librorum Testamenti Veteris *suâ Prophetiâ obsignasse*; quippe qui in eadem illa Prophetia sua non obscurè significaverit, *alios* post se *Prophetas* usque ad *implementum promissionum* cum *Joanne Baptista*, Christi ad brevissimum tempus præambulone, expectandos non esse. Supervacaneum est multa Christianorum Interpretum dicta huc congerere: inveniet ea quisque absque ulla sua opera, qui eorum commentarios percurrerit ad Mal. cap. IV. 4, 5. Grotii verba in h. l. exsignasse suffecerit. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*] *Prophetis destituemini ad tempus. Primus Propheta post me erit ille Messiæ monstrator; de quo supra cap.* III. I. *Hebræos* verò *Doctores* ab hac sententia non esse alienos, non tantum inde collegeris, quod *Malachiam* passim vocare soleant חותם הנביאים SIGILLUM PROPHETARUM, quippe cujus vaticinatione omne Verbum Propheticum ita obsignatum clausumque sit, ut aliud illi non sit adjiciendum; verum etiam ex disertis ipsorum testimoniis. Abarbanel utique clarè dicit, *Malachiam* postremis libri Com. in sui verbis describere *Judicium* Dei ultimo tempore de *piis* & *impiis* solenniter habendum vulgandumque, כדי לחתום בו חזון ונביא Cap. III. 1. *ad* VISIONEM & PROPHETAM *eo* OBSIGNANDUM. Respicit omninò verba *Danielis* cap. IX. 24. Quin Abraham Ben Dior in *Kabbala sua*, idem hoc vaticinium *Danielis* explicans hæc ipsa verba Fol. LV. applicat *morti* ultimorum *Prophetarum*. ולחתום חזון ונביא פטירת col. 1. חגי זכריה ומלאכי שאז פסקה נבואה מישראל *Ad* OBSIGNANDUM VISIONEM & PROPHETAM] *Designatur mors Haggai, Zachariæ, & Malachiæ, quia tum Prophetia ab Israële cessavit.* Imo verò *Glossâ* in *Bava Bathra* asseritur, Synagogam *Magnam Duodecim* Prophetas Fol. XV. ad unum redegisse volumen, tum quod formæ essent minoris, col. 1. tum quod *cognoscerent, Spiritum Propheticum post se ab Israële defiturum.* Buxtorfius hoc testimonium jam produxit in *Commentario Masorethico.* Cap. X.

XIII. Quid dicam, Scholæ Hebrææ Doctores non restrin- p. 25. gere hunc defectum ad solam *Prophetiam*, sic propriè dictam, sed eosdem quoque loqui de *Defectu* רוח הקדש SPIRITUS SANCTI, השכינה SCHECHINÆ, (Symboli Divinæ Præsentiæ) & URIM &

Thummim ſub Templo Secundo. De *duobus prioribus* alibi diſſerui, quantum ſatis eſt. De *poſteriore* Judaicæ Religionis *arcano*, quantum id nunc ad inſtitutum meum facit, verbum addam. Modum Revelationis Divinæ Voluntatis, ut fiebat per *Urim* & *Thummim*, deſtituiſſe Iſraëlitas ſub *ſecundo Templo* non tantum ex genuina & famoſa eorum *confeſſione* de *quinque Templi Secundi Defectibus*, quos inter & *hunc* cenſent, aliiſque eorum teſtimoniis à Cl. Buxtorfio magnâ diligentiâ congeſtis; ſed & ex ipſa *Hiſtoria Sacra* liquet. Sic apud *Nehemiam* exertè, *Hittirſatam* injunxiſſe Filiis *Barzillai*, qui ſuam de Sacerdotali ſtirpe originem non ſatis validè adſtruebant, *ne comederent de ſacris* עד עמד הכהן לאורים ותמים *uſque quo officio ſuo fungeretur Sacerdos cum* Urim *&* Thummim. Idem legitur apud *Ezram*. Vocula עד in hoc textu non notat *nunquam*, quod contendit Spencerus. Notio עד idem prorſus ſignificat quod Latinorum *uſque*: quare ſi illius ſignificatio non *terminetur* per alias voces illi adjectas; denotat *æternitatem: ſi terminetur*, ſemper notat *tempus* meâ cogitatione *finitum* & *limitatum*; prorſus ut fit in Latino vocabulo *uſque*. Sic, verbi gratiâ, quod dicitur: *Non vidit Samuel Saulum* עד יום מותו usque *ad diem mortis ſuæ*; non eſt ita explicandum, ut Spencerus inſtituit: *nuſquam poſtea vidit*; ſed, *nunquam eum poſtea vidit de vita ſua*. Neque inde ſequitur, *Samuelem* vidiſſe *Saulum*, poſtquam *mortuus* eſſet; quia cum apud omnes conſtet, *mortuos non videre*: Hiſtoriographus ſimpliciter voluit dicere, *Samuelem* dum in vivis ſuperſtes fuit, *Saulo* poſthac non occurriſſe. Sic pariter quod hic dicitur, quoſdam de *ſacris* non *comeſturos* usque *quo appareat Sacerdos cum Urim* & *Thummim*: id ſimpliciter ita non eſt explicandum, *hos homines* nunquam *eſſe comeſturos de ſacris*, quia illud *uſque* terminatur ejuſmodi aliquâ re, cujus exiſtentia *incerta* quidem attamen *poſſibilis* erat. Simplex itaque verborum ſententia eſt, *Nehemiam* illius fuiſſe incertum, an poſthac unquam Deus Gentem Judaicam dignaretur oraculo *Urim* & *Thummim*, quod tunc deficiebat; juſſiſſe autem, ut *ad id uſque tempus* hi *Barzillaitæ* Sacris comedendis abſtinerent. Hæc difficultatem, quod video, nullam implicant. Nam quod R. Azarias inde colligat, beneficium Oraculi *Urim* & *Thummim* verè aliquantum temporis ſub *ſecundo Templo* Iſraëlis indultum fuiſſe,

Obſerv. Sacr. Lib. 1. cap. IX.

Diſſertatione de *Oraculo Urim & Thum.* Cap. V.

Cap. VII. 64.

Cap. II. 62, 63.

Diſſert. de *Urim & Thum.* Cap. VII. p. 439.

1 Sam. XV. 35.

se, abs re est. Nehemias certus erat defectus præsentis; incertus autem futuri, de quo proin nihil determinat, ὑποθετικῶς solummodò disserens. Plus negotii facessunt Doctis Viris Josephi verba alibi explicatè scribentis, *Oraculum* hoc in usu esse desiisse ante *annos* demum *ducentos*, quàm Librum *Antiquitatum* composuit. Ἐπαύσατο μὲν οὖν ὅ τε ἐσσὴν καὶ ὁ σαρδόνυξ τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι τὴν γραφὴν, τοῦ Θεοῦ δυσχεράναντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων· *Desiit tam* ESSEN *quam Sardonyx fulgorem amittere* ANNIS DUCENTIS *ante quam hæc conscriberemus, irato Deo propter Legum suarum transgressionem.* Spencerus accusat *fidem* Josephi. Alii satis habent Josepho contradicere. Ego existimo, Josephum hoc suo testimonio respexisse ad Joannem Hyrcanum, de quo hæc testatur notatu in rem nostram dignissima: Τρία γοῦν τὰ κρατιστεύοντα μόνος εἶχε, τήν τε ἀρχὴν τοῦ ἔθνους, τήν τε ἀρχιερωσύνην καὶ προφητείαν· ὡμίλει γὰρ αὐτῷ τὸ δαιμόνιον ὡς μηδὲν τῶν μελλόντων ἀγνοεῖν· *Tria denique excellentissima solus habuit; imperium Gentis suæ, summum Sacerdotium, &* PROPHETIAM. *Nam Deus* (τὸ δαιμόνιον. si Deo placet, suo loco de eo disseram:) *ita cum ipso conversabatur, ut futurorum nihil ignoraret.* *Antiquitatum* Libri à Josepho editi sunt in lucem Anno tertio decimo Imperatoris Domitiani, quippe quod ipse testatur ad eorum *calcem*: inde verò si regrediaris ad ultima Joannis Hyrcani, florentissimi illius Judææ Gentis Principis & Pontificis, inveneris *annos ducentos*. Si eo non respexerit Josephus; vel error in scripturam irrepsit, vel gloriam suæ Gentis studio prætulit veritatis: licet, si Hyrcanum respexerit, quod ferè mihi persuadeo, ne tum quidem optimâ fide egisse videatur.

Antiq. Lib. III. Cap. IX.

De *Bello Jud.* Lib. I. Cap. III.

CAPUT VII.

In ÆTATEM MALACHIÆ, *Canonicorum Prophetarum OEconomiæ Veteris ultimi, diligentius inquiritur, firmaturque post diversas Doctorum opinationes de ea discussas sententia, quæ eam restringit ad tempus postremum Imperii* Artaxerxis Longimani, *cum aliis argumentis, tum prophetiâ* Malachiæ *cum historia Libri* Nehemiæ *collatâ. De ipso deinde* Malachia *agitur, & liberæ quædam conjecturæ de significatione* Nominis *hujus, aliisque quæ ad* personæ *ejus notitiam faciunt, proponuntur.*

REctè tenueris, ex communi sententia Doctorum quà Judææ quà Christianæ professionis, *Silentium Divinorum Oraculorum* ab eo repetendum esse tempore quo Malachias vivere desiit, vel suam edidit prophetiam, quæ in *Volumine Prophetico* ultimum occupat locum. Sed quod proximum est: quæris, quis fuerit homo *Malachias*? quo *tempore* vixerit? Prius dum sciscitaris, *hominem* fuisse supponis, & Origeni, juxta ac ego facio, lubens relinquis suum *Angelum cælestem*, sub hac persona latitantem, Divinæ Voluntatis, in hac prophetia consignatæ, interpretem. Mihi certè non sedet id nunc discutere, cum id dudum ab aliis factum sit; & oppugnare nolim, quod nemo hoc tempore propugnat. Atqui si ex *Angelo Ecclesiastico* non facias *Cælestem:* licet, quod ad cætera, ignores hunc hominem; modò mihi concesseris *Prophetam* fuisse, sive Doctorem *publicum*, integræ existimationis & auctoritatis in sua Gente, quem Spiritus Dei afflatu suo adspiraverit, & virtute sua ad præclarum hoc officium instruxerit. Et habeo tamen mecum pauca de *nomine* & *persona Viri* monenda: sed, ne id præpostere fiat, in *ætatem Malachiæ* primò inquiram, quippe quod me nunc propius spectat; deinde quæ in mentem venerint cogitata de persona ipsa *Malachiæ*, adscribam..

II. *Quo tempore* concionatus sit Malachias, titulus *Concionis* non

non docet; unde res videri poſſet dubiæ diſceptationis. Et eſt certè; licet aliqua ſint in quibus omnes, niſi fallor, conſentiunt. Primum eſt, *vixiſſe Malachiam poſt reditum Judæorum ex Exilio Babylonico*. Fulcit hanc hypotheſin *Argumentum totius Prophetiæ* conſentiens *communi Synagogæ traditioni*. Accipio id ut ritè ab aliis demonſtratum, & ſupervacaneo labore ſuperſedeo. Nemo inſpexerit Prophetiam quin id agnoſcat. Si quis in *Titulo* hæreat, qui eſt; *Prolatio verbi Jehovæ ad* ISRAELEM, & inde evincere nitatur, Prophetiam editam eſſe adverſus *Iſraëlitas Decem Tribuum* antequam abducti ſint in Aſſyriam: expedivit jam hanc difficultatem Aben-Eſra, docuitque α. Judæos reduces ex Exilio paſſim hoc nomine venire apud Ezram & Nehemiam. β. Eoſdem illos, qui in inſcriptione Prophetiæ veniunt nomine *Iſraëlis*, deinceps appellari nomine *Judæ*. ut Cap. II. 11. *Perfidè egit* JEHUDA, *& commiſſum eſt flagitium in Iſraële & Hieroſolymis, quia Jehuda profanavit Sanctum Jehovæ quod diligit*. Sic impletum quod prædixerat Ezechiel, fore ut diviſi Populi, & ſuis nominibus diſtincti *Juda* & *Iſraël*, ex Exilio reverſi in unum denuò coaleſcerent Populum, & uno nomine appellarentur. Quid multa? Prophetia Malachiæ edita eſt ad Populum, non à Rege ſed *Duce* Civili adminiſtratum; apud quem *Templum* erat veri Dei, ubi *ſacra* à Sacerdotibus & Levitis ex Lege, ſecundum ſpeciem exteriorem, celebrabantur; quorum præcipuè *Sacerdotum* & *Levitarum* mores hac concione caſtigantur. quare verbum non addo.

Comm. in verſ. 1. Cap. 1. Eſræ II. 70. VI. 17. Neh. XII. 47. Ezech. XXXVII. 22. Cap. I. 8, 10, 12. III. 1.

III. Alterum non minus concorde ſententia tenent quibus de hoc Propheta agere contingit; *poſteriorem* eſſe *Haggæo* & *Zachariæ*; utique ſi *Malachias* non ſit cum *Haggæo* confundendus; hanc ſaltem *Prophetiam* poſt eas Haggai & *Zachariæ* vulgatam eſſe. Argumenta exhibet Liber ipſe certiſſima; quippe α. Edita hæc eſt prophetia *Templo* à Reducibus inſtaurato, & Cultu Divino ſecundùm Ritum Moſaicæ Legis vigente; ut liquet ex *Cap.* I. 10. *Quis jam eſt inter vos? & claudat* VALVAS (Templi;) *& ne accendatis ignem altaris mei fruſtra*. nec non Cap. III. 1. *Et confeſtim veniet ad* TEMPLUM SUUM *ille Dominus quem vos quæritis*. ℣ſ. 10. *Afferte omnes decimas in domum theſauri, ut ſit cibus* בביתי *in* DOMO MEA. Atqui Haggæum & Zachariam concionatos eſſe

con-

constat ante *absolutum* Templi *ædificium*, quod opus suis illi concionibus pro virili promoverunt. *Absolutum* autem illud est ædificium *anno* Darii *sexto*, non *nono*, ut per errorem scribit Josephus. β. Vitia quæ taxat Propheta in Sacerdotibus, Levitis, & plebe Judæa, esse posterioris ætatis, tum ratio suadet credamus: (si per *Darium* hic intelligamus Hystaspis filium; de quo mox:) tum ex *Libris Esræ* & *Nehemiæ* luculenter patet. Parva enim cum sint omnium rerum principia: non fit probabile, contagionem, qualis in hac prophetia describitur, tam brevi tempore post reditum ex Exilio serpsisse per corpus Ecclesiæ Judaicæ, studio Religionis suæ incensæ & à crassioribus vitiis repurgatæ. γ. Historia hujus temporis quæ *Haggai* & *Zacharia* exertè meminit; meminisset haud dubiè etiam *Malachiæ*, si is vel ab utroque diversus fuisset, vel eodem floruisset tempore; ut rectè etiam hic Kimchius [a]; etsi facilis & tralatitia observatio est.

Esræ Cap. v. 1. Cap. vi. 15. Lib. xi. Cap. iv.

Cap. v. 1. vi. 14.

IV. Hactenus inter Interpretes consensus; sed superest ampla satis dissentiendi materia. Est enim magna intercapedo illius spatii temporis quod à *Templo* reparato usque ad *Natales Joannis Baptistæ* excucurrit. Sic est; & tamen communior sententia tenet, Malachiam ab illis temporibus non esse nimis longè removendum, quibus Haggæum & Zachariam floruisse constat; & ferè restringit illius ætatem ad Imperium Artaxerxis. Et sunt tamen, qui majorem hic exigunt temporis latitudinem, è quibus nunc solummodò appellabo Ludovicum Cappellum, ut mihi tantò liberius hac de re agere & disputare liceat.

In Oper Post. p. 178.

V. Vir ille Doctus aliquantò majore studio & accuratione indagavit *ætatem Malachiæ*, quàm qui ipsum præcesserant, in eodem versati argumento. Cogitata ejus, facili methodo digesta, ferè huc redeunt. α. Malachiam ante *primum annum Ptolemæi Euergetis* vixisse jam & vivere desiisse, siquidem Sirachides, qui

(a) Kimchius ad h. l. *Haggai, Zacharias, & Malachias prophetarunt sub Templo secundo; & quidem priorum duorum adscriptum est prophetiæ tempus; sed non item Malachiæ. Probabile autem, esse omnium postremum*, כי לא נזכר בדבר בנין הבית *quia ejus nulla memoria occurrit in historia extructi Templi*, (sic propriè Kimchius, non ut Thomas Nelus; *quod nullam omninò ædis extruendæ mentionem faciat:*) *ut Haggæi & Zachariæ*, &c.

Interpret. Comm. Kimchi. Cap. v. 1. vi. 14.

qui sub Euergete Rege in Ægyptum se venisse scribit, & se tum temporis applicuisse ad edendum *Ecclesiasticum*, jam meminerit *duodecim Prophetarum*, veluti fato suo functorum, Cap. XLIX. 12. Καὶ τῶν δώδεκα Προφητῶν τὰ ὀςᾶ ἀναθάλοι ἐκ τῦ τόπυ ἀυτῶν· *Et* DUODECIM PROPHETARUM OSSA PULLULENT E LOCO SUO. β. Eundem Prophetam non esse functum munere publico inter Judæos ante secundum reditum Nehemiæ in Canaanæam, qui incidit in annum *tricesimum secundum* Regis Artaxerxis; siquidem Nehemias qui post illud tempus historiam suam scripsit, Neh. XIII. 6. nullibi Malachiæ meminerit. γ. Artaxerxem illum, cujus in historia Nehemiæ mentio occurrit, esse Artaxerxem Mnemonem, siquidem Nehemias in illa historia jam prodiderit natum Cap. XII. 11, 22. *Jadduam*, ultimum sub Persis Pontificem, qui obviam processit Alexandro Macedoni. Quæ tandem disputata in hanc colliguntur summam, Malachiam medio vixisse tempore inter XXXII *Artaxerxis Memoris* & *primum annum Ptolemæi Euergetis*, quod intervallum est CXXVI annorum. Hæc simplicia videntur, & parum habere caliginis; nec tamen fortè tam certa vel rectè demonstrata, quam prima species præfert. observabimus pauca.

VI. Primò optandum esset, ut qui se applicant ad *tempus Malachiæ* Prophetæ investigandum, minore id latitudine possint circumscribere; si videlicet principia occurrant in historia, ex quibus id præstari queat. Intervallum enim *centum* & *viginti* annorum & quod excurrit, satis est longum; nec, ut probabile, ejusdem *qualitatis*. Certè jucundius accidit illis qui historiam tractant, notabiliores casus & eventus constringere posse intra terminos, minore spatio ab invicem distantes.

VII. Secundò, potuisset ipse Vir Cl. *suas* etiam sequutus *hypotheses* tempus Malachiæ concludere intra terminos minore intervallo ab invicem divisos, quàm instituit. Quod enim ipse non ignoravit, & in ipsa etiam hac dissertatione prodit: Liber hic qui *Ecclesiasticus* dicitur, non est *compositus* sub *Ptolemæo Euergete*, sed id temporis *ex hebræo sermone in Græcum* translatus à nepote *Jesus* vers. 8, 9. *Sirachi*, vero hujus libri auctoris; ut ex *Prologo* ejus patet. Quare si Ptolemæus hic Euergetes verè sit *Euergetes* hujus nominis *primus*, Filius & successor Philadelphi, sub quo Nepos librum

convertit in ſermonem Græcum: probabile eſt, *Avum*, verum auctorem ſententiæ de XII *Prophetis*, vixiſſe ſub Ptolemæo Lagi, vel ſuperfuiſſe adhuc in initiis Philadelphi; quando rectius multò ſecundùm ſuam hypotheſin dixiſſet Cappellus, vixiſſe Malachiam inter XXXII^um annum Artaxerxis Mnemonis & initia Philadelphi; quod ferè ſpatium eſt LXXXVIII annorum.

VIII. Tertio, etiamſi demonſtratio Cappelli ſe rectè habeat, ſi non fallant hypotheſes in quibus fundatur: fortè tamen eſt in iis quod quis deſideret. Nempe α. Supponit Vir Cl. in ea parte ſuæ diſſertationis, quæ concernit *terminum* temporis *poſteriorem*: Sirachidem illum, nepotem Jeſu, qui *Avi* ſui Librum græcè converſum edidit, vixiſſe ſub *Ptolemæo Euergete primo*, Philadelphi Succeſſore; & tamen maximè eſt probabile & non contemnendis rationibus evinci poteſt, *Euergetem* illum Regem eſſe *Euergetem* illius nominis *ſecundum*, *Phyſconem* aliàs dictum, Ptolemæi Philometoris fratrem, ut Grotius, Uſſerius, Huetius, alii, jam monuerunt; quando ſtatuendum eſt, Jeſum, Sirachi filium, Avum, verum auctorem hujus *Libri ſententiarum*, floruiſſe ſub Ptolemæo Epiphane, non multo ante quam regnare cœpit Antiochus Epiphanes, & Librum hunc ſuum compoſuiſſe non longè poſt obitum *Simonis* II, Oniæ II Filii, in cujus laudes in fine Libri digreditur; non *Simonis primi*, ut Euſebius jam rectè cenſuit, immeritò hic à Scaligero
Animadv. ad Euſeb. p. 137. notatus. Non neſcio interea, Cappellum ſuam hanc ſententiam, ſatis vulgatam, debere Scaligero, & hæſitaſſe etiam hic ipſum
De Emend. Temp. Lib. V. p. 434. Seldenum: ſed nullus dubito, quin adverſa veriſſima ſit. Mihi quidem nunc ſufficit illud monuiſſe. non auſim enim id accuratius
De Succeſſ. in Pontif. Lib. I. Cap. VI. diſputare, ne ad alia dilabar. β. Supponit Cappellus, Nepotem Sirachidem, ſe applicaturum ad Librum Avi ſui edendum, in Ægyptum veniſſe *Anno Euergetis* Regis *primo*. Sed quiſcunque tandem hic fuerit Euergetes; id planè falſum vide-
verſ. 8. tur; etiamſi Scaliger rurſus Cappello ita præiverit. Verba *Prologi*: Ἐν γὰρ τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου Βασιλέως παραγενηθεὶς εἰς Αἴγυπτον· *Nam octavo & triceſimo anno ſub Euergete Rege cum veniſſem in Ægyptum*, & quæ ſeq. Obſcurior locus, nec ſatis certum, quid ſibi auctor velit, cum neuter Euergetarum, de quibus hic quæritur, tot annis regnaverit. Scaliger

liger itaque intellexit verba de *tricesimo octavo anno Philadelphi*, qui *primus fuit Euergetis*. Mirum illud quidem si id voluerit auctor, quare Philadelphi nomen non adscripserit, & potius tempus signaverit charactere Regis defuncti, quàm Successoris superstitis; quod longè facilius. Et Scaliger primus se deseruit ipse quando mox addit: *Sed fortasse intelligendum de anno* XXXVIII *Jubilai vicesimi quinti, qui incidit in* EUERGETÆ *decimum*. Longè illud rectius accipitur de *tricesimo octavo anno Ætatis* ipsius auctoris cum Huetio, vel de Anno *octavo* & *tricesimo Euergeta Secundi*, à quo, pulso Philometore, fratre majore natu, Rex factus est ab Alexandrinis; ut Usserius. Prius simplicissimum. Utique patet, nullo fundamento hic memorari *Annum primum* Euergetis Regis. γ. Cappellus in sua hac dissertatione supponit, *Artaxerxem* illum, sub quo Nehemias Rempublicam Judæam instauravit, esse *secundum* hujus Nominis, sive *Mnemonem*, non verò *Longimanum*, atque adeò tum Nehemiam tum Malachiam propius accessisse ad tempora Alexandri. Hypothesis ipsa rursus est Scaligeri, pro qua non negem magna cum specie rationis pugnari posse. Sed fortè verius est, *Artaxerxem* illum esse *primum*: de quo mox videbimus. Quod si jam *terminos* hujus temporis malè collocaverit Vir Eruditus, & per *Artaxerxem* sit intelligendus *Longimanus*; & *Sirachides*, auctor *Ecclesiastici*, vixerit sub Ptolemæo Epiphane: longius multò producitur hoc intervallum, quàm ut scopo auctoris conveniat; qui haud dubiè sibi propositum habuit ætatem Malachiæ intra brevius aliquod annorum intervallum constringere. Cætera agnosco, demonstrationem, si in bonis fundata fuisset hypothesibus, non malè esse institutam, & locum *Sirachidis*, quem Vir Cl. laudavit, esse insignem in adstruenda maximi momenti sententia, Canonem Librorum Sacrorum Veteris Testamenti jam ante tempora Antiochi Epiphanis constitutum esse. De Emend. Temp. l. c.

IX. Meæ hypotheses de *tempore Malachiæ* sunt binæ. α. Editam hanc Prophetiam esse à Malachia circa illud tempus quo Nehemias alterâ vice ex Persia rediit in Canaanæam, quod accidit post annum XXXIIum alicujus *Artaxerxis*, Persarum Regis, cujus favore Nehemias Politiam Populi Dei instauravit. β. *Artaxerxem* illum esse non *Mnemonem*, sed *Longimanum*.

X. Prius ab omnibus ferè qui hanc prophetiam commentati sunt, conficitur ex *ipsa prophetia*, collata cum *historia* librorum Ezræ & Nehemiæ. Quæ enim vitia historia illorum Librorum demonstrat regnasse inter Judæos tempore Ezræ & Nehemiæ: eadem planè notantur & perstringuntur in Prophetia. Id omnes ferè observarunt, & poterat etiam observasse Cappellus, si sibi non persuasisset, *prophetiam hanc propriè conceptam esse adversus Judæos, non eos qui tempore Malachiæ vel proximè post eum vixerunt; sed adversus eos, qui Christi, & Apostolorum ipsius prædicationem Evangeliumque sibi oblatum protervè repudiarunt.* Fugit igitur Vir Eruditus collationem hujus Prophetiæ cum Historia Ezræ & Nehemiæ, ne ab hypothesi sua avocaretur. Interim deprehendimus collationem illam tam esse facilem & cuique obviam, ut difficile sit oculos ab ea abstrahere. Non enim tantum *eadem crimina* in utroque Monumento culpantur, sed *iisdem* etiam *verbis*; quod hic maximè observasse velim. Primum exemplum sit, quod *Levitæ* & *Sacerdotes Fœdus Dei*, secum pactum, dicantur *rupisse*, *uxores* ducendo ἀλλοφύλους, & *hebræas*, quibus juncti erant, sive negligendo, sive repudiando. Confer *Mal.* II. 11. cum *Ezra* IX. 1. *Neh.* XIII. 23--29. Id jam *crimen* dico utrobique iisdem verbis designari. Sic legimus apud Mala-
Cap. II. 8. chiam: *Vos verò recessistis de via, multos fecistis offendere in Lege,* שחתם ברית הלוי CORRUPISTIS FOEDUS LEVI, *dicit Dominus Exer-*
Cap. XIII. 29. *tuum.* Apud Nehemiam postquam actum esset de Sacerdotibus, eâdem maculâ pollutis: *Recordare eorum, mi Deus,* על גאלי הכהנה וברית הכהנה והלוים *propterea quod* PROFANAVERINT SACERDOTIUM, *imo* FOEDUS SACERDOTII ET LEVITARUM. Alterum documentum sit, quod apud eundem hunc Nehemiam disertè habeatur, *Decimas* ab Israëlitis ex Lege non fuisse persolutas *Levi-*
Cap. XIII. 10, 11, 12. *tis*, qui proinde quique ad *agros* suos profugerant quò sibi de necessariis vitæ subsidiis prospicerent; quod vitium Vir pius, quantum in se erat, curæ habuit emendare. Audi nunc Mala-
Cap. III. 10. chiam, Judæos in hunc modum obtestantem: *Adducite* את כל המעשר TOTAS DECIMAS *in domum thesauri. Domus thesauri* (בית האוצר) dubio procul hic est *conclave* illud, in quod *collectæ Decimæ* inferendæ erant, ab *Eliasibo* Pontifice in usum affinis sui Tobiæ instructum, de quo Neh. XIII. 5. Confer Neh. X. 38, 39.

Atqui,

Atqui, ut neglecta fuerat *Decimarum solutio* ante priorem, sic etiam ante alterum Nehemiæ adventum in Canaanæam, ceu patet ex *Cap.* XIII. 6, 7, 8, 9. Accessit *neglecta cura* & *depravatio* Divini Cultus, de qua Malachias conqueritur, *Cap.* I. 13. II. 8. coll. cum *Neh.* XIII. 15. & seqq. ut Usserius & Ligtfootus rectè adscripserunt. Quid vetat itaque ex hisce notabilibus characteribus convenientiæ prophetiæ cum historia colligere & certò statuere, eodem illo tempore editam esse prophetiam, quo historia demonstrat illa invaluisse vitia, quæ in prophetia perstringuntur? Maximè cum oratio Prophetæ eum in modum sit concepta & prolata, ut *præsentis* potius quàm *futuri temporis delicta* eâ castigari videantur. Sed & sunt mihi alia in promptu, quibus hanc sententiam confirmem.

XI. *α*. Malachias eo tempore concionatus est quo Israëlitæ adhuc suum habuerunt *Ducem Politicum*, *Politarcham*, inquam, à *Pontifice* distinctum, à quo regebantur. Sic habent verba Prophetæ: *Et cum offertis cæcum ad immolandum; non est malum? &* Cap. I. 8.
quum offertis claudum & ægrotum; nihilne vitii illud habet? הקריבהו
נא לפחתך *Offer illud quæso* DUCI TUO: *an acceptum te habebit?* Atqui non patet ex historia, post *Nehemiam* Principem aliquem Politicum Judæis præfuisse. Ipsius certè & Ezræ tempore nullum fuisse, inde satis liquet, quod in omni illa historia, in qua frequens mentio est Procerum Populi, cum quibus Ezræ & Nehemiæ negotium intercessit, memoria *Principis* aut *Ducis* nulla occurrat. Ante Ezræ & Nehemiæ tempora historia solum demonstrat Zerubabelem. Plures tamen fuisse, ex ipso liquet Nehemia: licet non Cap. V. 14.
constet, quales. Pontifices sibi omnem auctoritatem vindicarunt, & res Populi fuerunt tenues. *β*. Insignis locus, quem in superioribus produxi ex *Libro Maccabæorum*, clarissimè docet, magnum intercessisse spatium temporis inter Malachiam & obitum Judæ Maccabæi. Verba sunt: *Et facta est tribulatio magna in* Cap. IX. 27.
Israële, qualis non est visa ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη Προφήτης ἐν αὐτοῖς, A QUO TEMPORE NON EST VISUS PROPHETA INTER ILLOS. Qui hæc scripsit, non usus est hoc dicendi genere, nisi ut eo designaret *longum tempus*, quod inter utrumque hunc terminum interfluxerit. Atqui Judas Maccabæus, ad cujus tempora hæc verba pertinent, cecidit in prælio cum Bacchide postquam

Chasidæis per *sexennium* præfuisset; ferè CLXIV annis post Alexandrum, quod nemo dixerit esse tempus adeò longum, ut probabile sit, sic locuturum esse hunc auctorem, si non supposuisset ipse longè plus temporis lapsum esse inter *defectum Prophetiæ*, & hanc Judææ Gentis *Calamitatem*. Imo verò certum habeo, Historicum his verbis alludere ad *Afflictionem Exilii Babylonici*, ejusque *Consequentias*, ut quando dixit; *à quo tempore non est visus Propheta inter illos:* dicere voluerit, *ab Exilio Babylonico*, ejusque proximis consequentibus, quæ sunt *reparatio Templi* & *instauratio Reipublicæ*. quando *Prophetæ esse* desierunt. Sic accepit hæc verba Josephus. Benè habet; sed tum supponitur, *Prophetas* illos tempus *solutæ Captivitatis Babylonicæ* propius contigisse. quod ignorare non potuit suo tempore Scriptor *primi Maccabæorum*. γ. Ex Josepho evidenter colligi posse videtur, Malachiam vixisse ante initia *Joannis Pontificis*, Patris *Jaddi*. Peto probationem ex historia *Jesu*, Filii Jojadæ natu minoris, à *Joanne*, fratre majore natu (*Jonathan* dicitur in *Libro Nehemiæ:*) in ipso Templo interempti, cum inter se de Pontificia dignitate animosius altercarentur. Illud flagitium à Joanne perpretatum, narrat Josephus, de cujus fide hic dubitandi rationem non
Ant. J. L. XI. Cap. VII. habeo. Atqui pone id commissum esse scelus fratricidii ante tempora Malachiæ: estne probabile, Prophetam, cætera vitia Sacerdotum & Levitarum diligenter percensentem, & acri oratione insectantem, hujus tanti criminis nullam facturum esse mentionem? Cætera autem omnia delicta, & ipsius quoque profa-
Cap. III. 5. nitatis & impietatis, distinctè commemorat; non reticet, non dissimulat; non parcit Sacerdotum & Levitarum *Ordini sacro:* sed *sanguinis* & *parricidii* non meminit. Colligo inde, ut modò facere institui, Malachiam ante initia *Jonathanis*, sive *Joannis*, ut eum appellat Josephus, jam vivere desiisse; proinde vel sub *Eliasibo* vel filio ejus *Jojoda*, sub quo adhuc vitam protraxit Ne-
Cap. XIII. 28. hemias.

XII. Statuo autem, Malachiam potius hanc edidisse *Concionem* circa extremum tempus *Præfecturæ Nehemiæ*, *post secundam ejus Remigrationem in Canaanæam*, quæ incidit in A. XXXII^um
Demonst. Ev. Prop. IV. p. 456. Artaxerxis, non verò ut Huetius, ante *Adventum Ezræ* in Canaanæam, sive, *inter instaurationem Templi*, *quæ sexto Darii Hystaspi-*

Iaspida anno contigit, & Ezræ reditum, qui incidit in VII *Artaxerxis* Μακρόχειρος. α. Propter accuratum consensum, qui inter postremam partem historiæ Nehemiæ, & prophetiam Malachiæ intercedit; quem jam ostendi. β. Quod ex historia Ezræ clarissimè videatur liquere, ante ejus adventum in Canaanæam neminem hactenus fuisse qui se grassanti vitio *Conjugiorum contractorum cum* τοῖς ἀλλοφύλοις & *profanis ex Lege*, objecerit. primum Ezram esse, qui hanc sustinuerit invidiam: etsi tam Sacerdotes & Levitæ quàm Israëlitæ jam inescati harum Affinitatum commodis in idem crimen identidem relapsi sint, & Primores, Pontificii etiam Ordinis, hic præiverint. γ. *Corruptio* Ecclesiæ Judææ, & ipsius quoque *Sacri Ordinis*, tanta quanta prophetiâ Malachiæ describitur, nos monet plus spatii concedere incremento illius depravationis, quàm Vir ille eruditus facit. Nemo enim repentè ex bono fit malus, nec ex malo pessimus; sed per gradus. Minus id in Populo integro obtinet. Quo tempore Malachias vixit, semina gravium vitiorum & ipsius quoque profanitatis jam sparsa erant per Ecclesiam Judæam: quod longè probabilius in *ultima* quàm prima *Artaxerxis* conjicitur. δ. Quo tempore Ezras reformandæ Ecclesiæ operam dedit: vitii illius *defraudationis Decimarum* nulla adhuc mentio occurrit; sed in historia *Nehemiæ*. Ezras solummodò de *vitiatis Conjugiis* egit. Cap. IX. 1, 2.

XIII. Infers contra, Malachiæ nullam mentionem fieri in historia Nehemiæ, nec proinde videri illis temporibus extitisse. Respondeo, α. Me consequutionem hanc neutiquam admittere: non extitit Malachias quia ostendi nequit in historia illius temporis. Nehemias enim non perscripsit perfectam historiam rerum suo tempore gestarum. res *à se* gestas Annalibus commisit; nec has etiam omnes, nec plerasque, sed aliquas solummodò insigniores, ad necessariam Ecclesiæ instructionem & honestam Nominis & Exempli sui memoriam apud posteros. Et quis præterea ignorat, paucos Prophetas ex historia sui temporis cognosci? In Annalibus *Regum* & *Chronicorum* rarior illorum est memoria, quorum prophetiis in *Canone Sacrorum Librorum* fidem ac reverentiam nostram obstringimus. Addo, in ipso Nehemiæ Libro supponi, id temporis, quo ipse ad clavum fuit illius Reipubli-

publicæ, plures fuisse Hierosolymis non *fallaces* tantum sed & *veros Prophetas*. De *falsis* Prophetis ipse Nehemias in Oratione ad
Cap. VI. 14. Deum: *Memento, mi Deus, Noadjæ* PROPHETISSÆ, (הנביאה) *& reliquorum* PROPHETARUM (וליתר הנביאים) *qui metum mihi incutere studuerunt*. *Veros* autem *Prophetas*, *Nehemiæ* faventes, eodem tempore Hierosolymis egisse plures non obscurè colligas ex Sanneballathi calumnia, in Nehemiam jacta, cap. VI. 7. *Atque etiam* PROPHETAS (נביאים) *subornasti, ut de te Hierosolymis proclament: Rex est in Juda*. Consonus est locus insignis apud *Za-*
Cap. VII. 3. *chariam*, ubi spectabilium Virorum delegatio memoratur facta *ad Sacerdotes qui erant in Domo Dei Exercituum*, ואל הנביאים *& ad* PROPHETAS, caussâ *jejuniorum*, quæ Ecclesiis oneri erant. Planè enim videtur, nomine *Prophetarum* plures hic intelligi Vates quàm *Haggæum* & *Zachariam*. Plura non addo. sufficit enim, tempus Malachiæ ἐν πλάτει definivisse.

XIV. *Altera hypothesis* mea est, per *Artaxerxem*, cujus in Ezræ & Nehemiæ historia mentio est, intelligendum esse *Artaxerxem primum*, sive *Longimanum*, Xerxis Filium; non *secundum*, sive *Mnemonem*, Dario Notho genitum. Sic plerique hoc tempore opinantur in re historica & Chronologica exercitatissimi Viri, ingratiis Scaligeri, qui solitâ ingenii præfidentiâ posteriorem sententiam orbi erudito non persuadere modò verum etiam obtrudere conatus est. Petavius cum Veteribus ferè contrarium tenuit; & scissâ in partes turbâ literatorum hominum, tot disputationibus & concertationibus hæc trita controversia est, ut difficile sit dictis utrinque addere, quod alios doctiores faciat. Et quod ad rem quam ego nunc tracto: quid meâ multùm refert, si Malachias fortè sub *Mnemone*, non sub *Longimano*, vixerit? Mihi enim nulla cura est producendi illud intervallum temporis, quo Gentem Hebræam tam præclarum Spiritus S. donum defecit. Possem ego in eo acquiescere, Malachiam interfuisse rebus humanis circa tempora Nehemiæ, qui floruit sub aliquo Artaxerxe sive primo, sive secundo. Non nego tamen, me partes cum iis facere, qui hic Μακρόχειρα intelligunt; non quod hæc sententia nullis, sed quod minoribus prematur difficultatibus. Historia Ezræ & Nehemiæ quibusdam locis videri posset secundum eam scripta esse hypothesim, quę Templum sub Da-

rio

rio Notho reparatum, & Ecclesiam sub Artaxerxe Mnemone reformatam esse statuit; sed aliis locis ipsa reclamat. Prophetiæ autem Haggæi & Zachariæ clarissime supponunt docentque, Darium illum, cujus *anno secundo* Templum denuò ex ruderibus LXX annorum exsurgere cœpit, esse *Darium Hystaspis Filium*; cujus consequens est, Artaxerxem illum, sub quo Ezras & Nehemias vixerunt, esse Longimanum. Sanè si id certum & extra dubium positum sit, *primo anno Cyri* Zerubabelem & Josuam cum prima expeditione Judæorum exulum reversos esse in Canaanæam: vel humanæ fallunt rationes omnes, vel certum exploratumque haberi debet, Darium illum esse primum, sub quo Haggai & Zacharias eosdem Populi Principes exhortati sunt ad hoc ædificium instaurandum. Nothi enim tempora nimis longè ab hoc principio distant. Atqui Zerubabelem & Josuam *primo Cyri anno* Exulum primam catervam reduxisse in Canaanæam, liquet clarissimè ex Libro Ezræ, & *Tabulis Genealogicis*. Sed hæc sæpius in medium adducta & ventilata sunt ad usque nauseam. Unum igitur hic solummodo addam quod ex ipsius Nehemiæ depromptum est historia. Patet ex illa historia, à primo Cyri usque ad Alexandrum Macedonem *sex Pontifices*, successione continuâ, sacris præfuisse, quorum primus fuerit *Jesus*, postremus *Jaddus*, tempore Alexandri adhuc superstes. Eadem historia docet, Nehemiam sub Artaxerxe in Judæam venisse, *Pontifice* Cap. XII. 10, 11.
ELIASIBO, ordine *tertio*, quem duo præcesserint; *Josua* & *Jo-* Cap. III. 1.
jakim; tres sequuti sint, *Jojada*, *Jonathan*, *Jaddua*. quin eun- Cap. XIII. 4.
dem ELIASIBUM adhuc in vivis fuisse Anno *Artaxerxis* Regis XXXII. Sede jam mecum ad calculos, & partire tempus Monarchiæ Persicæ, quod paulò pluribus constat quàm ducentis annis. Si *Eliasib* adhuc superfuerit Anno XXXII *Artaxerxis Mnemonis*: feceris ita ut in partitione hujus temporis *tribus prioribus Pontificibus* cedant minimùm CLXVI Anni; reliquis *tribus*, eorum Successoribus, Anni XLIII, aut paulò plures, si Jaddua vitam post Alexandrum longius protraxerit. Vides, sentis, hanc partitionem admodum esse inæqualem in illo successionis genere, quo filii Parentes suos exceperunt. Sed fac, si placet, Artaxerxem illum, de quo hic quæritur, esse Μακρόχειρα: pulchrè sibi omnia consentiunt. Cum enim Annus XXXII Arta-

xerxis primi ferè *sexto* ſupra *centeſimum* illigetur anno Imperii Perſici: æqualia propemodum erunt ſpatia Regiminis ſive Ἱερουργίας horum *ſex Pontificum*, & totidem ferè annos utrique *trium Pontificum* ordini ante & poſt Nehemiam adſcripſeris.

XV. Quin tu hoc telum in me retorques. Si enim, inquis, Nehemias Jadduæ Pontificis in hiſtoria ſua jam fecerit mentionem; ſaltem ad illum natum inter homines ſuperſtes fuerit; rectius illum ſub Artaxerxe ſecundo, quàm primo vixiſſe dixeris. Sic inſtituit Cappellus. Ego verò non nego τὸ ἀκόλουθον τῆς ὑποθέσεως. Probabile eſſe ajo, quod hic infertur, ſi Nehemias Jaddum vel Pontificem, vel etiam natum viderit: etſi poſterius hoc ſecundum noſtram quoque hypotheſin minus abſurdum ſit. Sed ego in eo nunc non hæreo. Rectius & certius reſpondetur, *Fragmentum* illud *Genealogicum Succeſſionis Familiæ Pontificalis*, & *Principum quorundam Ordinis Sacerdotalis uſque ad tempora Alexandri*, quod comprehenditur *verſiculis ſex* & *viginti* primis *Capitis* XII Libri *Nehemiæ*; non eſſe à manu Nehemiæ, ſed huic *Libro* inſertum, ut ex *contextu hiſtoriæ* & ℣ſ. 26. ab aliis jam evictum eſt. perinde ut factum in aliis *Libris Sacris*, & *Tabulis Genealogicis* quę extant in *Libris Chronicorum*; qui Libri ſi ſint ab Ezra; ſaltem tempore Ezræ non ſint poſteriores: omninò ſtatuendum
1 Chron. III. 21. ſeqq. erit, laciniam inter alias inſignem, quę proſapiam ZERUBABELIS ad recentiora tempora percenſet, iis eſſe adtextam. Complectitur enim plurium *generationum ſucceſſionem*, quæ Ezræ ævum longè prætercurrit; etiamſi illum ſub Mnemone floruiſſe dicas. Cætera huic objectioni affinia de *Saneballatho*, & filio *Jojadæ*, quem Nehemias removit à Sacerdotio, rectiſſimè mihi viſus eſt expedire Iſaacus Voſſius; cui tamen multa alia ſua
Chron. S. Cap. x. p. 245. ad Joſephi errores palliandos adducta, relinquo.

XVI. Hæc propriè ad inſtitutum meum pertinebant, ut verum *tempus Silentii Oraculorum Divinorum* ex communi hypotheſi cognitum haberemus. Habeo tamen mecum pauca quę de *Nomine* & *Perſona* MALACHIÆ adſcribere animus eſt. Dicam itaque abſque ambagibus, ſæpius nolenti, cum in Malachiam inciderem, ſurrepſiſſe cogitationem, *Malachiæ* nomen eſſe non verum, ſed fictitium; ſive potius non *perſonæ*, ſed *officii*; appellativum ſc. in formam proprii Nominis tranſlatum. Eſſe enim
com-

compositum ex מלאך & יהוה / ut idem valeat, quod *Angelus Jehovæ*. adeò ut ultima litera י / quę prima est nominis יהוה / totius illius Nominis vicem impleat. Deinde, fieri posse, ut *Malachias* Propheta idem sit homo cum *Haggæo*. Fecit autem ut hæc mihi subnasceretur cogitatio locus Haggæi, qui se ipse exertè vocat מלאך יהוה ANGELUM DOMINI, & in hac voce ludit, Cap. I. 17. *Et dixit Haggai*, מלאך יהוה ANGELUS JEHOVÆ, במלאכות יהוה *in* LEGATIONE JEHOVÆ *ad Populum, dicendo*, &c. Idem nomen est, vox eadem. Excutiamus utramque hypothesin, & videamus an quid solidi huic meditationi subsit.

XVII. Quod ad priorem: nova non est. Veteres Judæi sibi omninò persuaserunt, nomen מלאכי non esse verum & primum Nomen hujus Prophetæ, sed aliquod ejus cognomen formatum ab *officio*, siquidem illi per *Malachiam* intellexerint ipsum *Ezram*, Sacerdotem, vitia Ordinis sui taxantem. Sic Paraphrastes exertè: ביד מלאכי דיתקרי שמיה עזרא ספרא *per Malachiam, cujus nomen propriè appellatur* EZRA *scriba*. Cappellus observat, LXX Intt. hoc nomen Græcè extulisse Μαλαχίας, non Μαλαχί. probabile itaque esse, illos in suis Codicibus legisse מלאכיה / quasi compositum ex מלאך יה / h. e. מלאך יהוה *Angelus Jehovæ*. Id verò nomen ab iis, qui illud huic Libro præscripserunt, desumptum videri ex *versu primo*; *Sententia Verbi Jehovæ* ביד מלאכי / quod illi legerunt in suis Codicibus, ביד מלאכיה *per manum Angeli sui*, ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ. flexione Chaldaicâ מַלְאֲכֵיה pro מלאכו. Vocem autem מלאכיה in *versu primo* omninò accipi potuisse ut *appellativum*, & merum nomen officii. Meditatio haud dubiè docta est, & meretur expendi. Sed si vel maximè antiquitus scriptum fuerit מלאכי / non מלאכיה / ut nunc præferunt Codices Hebræi: posset tamen esse *Nomen officii*, compositum ex מלאך & יהוה. In compositione enim Nominum subinde *una* etiam *litera* integrum vocem sustinere potuit, ut ה in voce אברהם & שרה refert vocem המון / cujus vocis litera ה primum signum est; & י in voce יהושע / additum nomini הושע / signum sustinet, ut videtur, Nominis יהוה. Certè vel id verum est, Prophetam hoc nomine explicare voluisse *suum officium*, quod maximè probabile habeo; vel Prophetam se hoc nomine symbolicōs appellasse, quod Vaticinium ediderit clarissimum in hac Gen. XVII. 5. Num. XIII. 16.

prophetia de aliqua illustri persona, *Sacerdote*, Præcursore Messiæ, Joanne Baptista, titulo ANGELI DOMINI: *Ecce mitto* מַלְאָכִי MALACHI, *Angelum meum*; & mox de ipso Messia ut מַלְאַךְ MALACH, *Angelo Fœderis*. quo sensu Cl. Coccejus doctè scripsit: *In hoc nomine est μνημόσυνον potissimæ prophetiæ hujus Libelli, quæ extat* Cap. III. I. Quid dicam, illum de Sacerdotibus in genere idem hoc *nomen* usurpasse? *Labia Sacerdotis servabunt scientiam, & Legem requirent ex ore ejus*, כִּי מַלְאַךְ יְהוָה צְבָאוֹת הוּא *quia* MALACH, LEGATUS JEHOVÆ *Exercituum ipse est*. Singula hæc confirmant, Nomen hoc sive sit *Officii* sive sit *Memoriale* & *symbolicum*, non esse verum & proprium Nomen Prophetæ, sed *factitium* & σημαντικὸν, ab ipso Propheta formatum.

Cap. III. 1.

Cap. II. 7.

XVIII. Quod itaque ad *Alteram* hypothesin, an *Malachias*, sic dictus, sit *Ezras*, vel *Haggai* Propheta? Prius non est adeò absurdum cogitatu, ut multis videtur. Obstat tamen, Ezram nullibi insigniri titulo *Prophetæ*. Posterius autem ipsum quoque tutius putem seponi; etsi cogitatio ipsa se specie aliqua commendet, α. Quod quo tempore compositus est *Canon Scripturæ*, (*Prophetarum* autem illum compositum esse ante tempora *Antiochi Epiphanis*, ex insigni illo loco *Sirachidis* patet, quem in *superioribus* vidimus. argumentum enim, quod ex LXX Intt. petitur, quod ad *Prophetas*, non est ejusmodi, ut exceptionem excludat:) ignorari non potuerit, *Malachiam* fuisse hominem ab *Haggæo* distinctum; cujus vaticinium proinde non videntur Eruditi Viri illius temporis ab illo *Haggai* distincturi esse, si ea de re ipsis constiterit; etsi inter *Vaticinia* ipsa interjectum fuerit satis magnum temporis intervallum. β. Quod in Loco *Sirachidis* & inscriptione *Codicis Minorum Prophetarum*, exertè exprimatur numerus *Duodecim Prophetarum*, תרי עשר / δώδεκα Προφητῶν. Præstat itaque in tutioribus, *traditioni* antiquæ Ecclesiæ consentaneis, subsistere, quàm lusibus ingenii nimium hic indulgere.

Caput VIII.

Rationes, quæ vulgatam sententiam de Defectu Prophetiæ post Malachiam *commendant, in medium proferuntur; nec tamen hanc sententiam ita accipiendam esse docetur, acsi Deus sanctos, qui medio tempore inter* Malachiam & Joannem Baptistam *vixerunt, nullis planè dignatus esset* extraordinariis Revelationibus suæ Voluntatis, *cum* Historia Evangelica, Josephus, & Talmudici *ipsi contrarium passim testentur; atque adeò, communem illam opinionem non esse admittendam absque quibusdam* Temperamentis, *in sequentibus producendis. Quare* specimina Extraordinariarum Revelationum, *quæ apud* Josephum *occurrunt, absque expresso* Revelationis *modo, primo loco exhibentur atque illustrantur, & quæ ad notitiam piorum hominum, quos* dono Prophetico *instructos* Josephus *laudat*, Judæ Esseni, Pollionis, Sameæ, Menahemi, *faciunt, adscribuntur.*

EXposui *communem* ferè Doctorum quà *Judæorum*, quà *Christianorum* de *Defectu Prophetiæ* sententiam. Inquisivi quoque in tempus illud quo ora hominum, à Divino Spiritu aperta, loqui desierunt. quod si in illam incidit quam fixi Epocham, & *terminum* facias apparitionem *Joannis Baptistæ:* longè jam excurrit ultra *annos quadringentos*. Fundamenta hujus opinionis tam tritæ & calcatæ si explores: absque opera ostenduntur. Primò inter *Malachiam* & *Joannem Baptistam* nullus *Propheta Canonicus*, verè & propriè sic dictus, demonstrari potest. Secundò, Libri medio tempore editi, quales illi Maccabæorum, apertè docent, nullos post Malachiam Doctores Judææ Genti probatos fuisse nomine & titulo Prophetarum, ut in *superioribus* vidimus. Tertiò, *Malachias* ipse perspicuè monet Judæos, nullum expectan-

dum esse *Prophetam* ante *Angelum* Messiæ *Præcursorem*, quem ipse Eliam Prophetam vocat, Sacerdotem Sacerdotes castigaturum, jubetque interea temporis diligenter observari *Legem*
Cap. III. 1. *Mosis*, ut canonem fidei & morum. Id præcipuum est, & om-
IV. 5. nes ferè horum locorum Interpretes observarunt.

II. Atqui hæc, si rectè accipiantur, non est dubitandum quin certa & verissima sint. Sic inquam, *si rectè & prudenter accipiantur*. Si enim *communem* illam *sententiam* ita interpreteris, acsi medio hoc tam longi temporis intervallo nulla plane Judæis obtigisset *Divinæ Voluntatis Revelatio Extraordinaria*: durior quàm probabilior videtur oratio. Digna enim res admiratione, cujus non patet ratio, Deum quam gratiam Populo per totum intervallum OEconomiæ Veteris, corruptissimis etiam temporibus, indulsit, ultimâ illâ periodo temporis ita negasse & subtraxisse, ut *Operationum Spiritus S.* Divinæque inter eos *Præsentiæ* tam longo temporis spatio exempla omninò nulla occurrant? Fac enim, Israëlitas aliquandò plurimorum annorum tractu nullos vidisse *Prophetas Canonicos*; quod non nego accidisse sub *Judicibus*: non deerant tamen hoc tempore illustria specimina *Divinæ* hujus *Gratiæ* sive in *Apparitionibus*, in quibus Deus se cum piis subinde communicabat; sive in *motibus* atque *affectibus* animi *sanctis* & *heroïcis*, quos Spiritus Dei præclaris in hac Gente quà Viris quà fœminis concivit; ut sane documentorum esset satis, ex
Jes. LXIII. 11. quibus Populus Dei persuaderi poterat, *Spiritum Dei sanctum in madio sui præsentem adesse*. Mirum igitur fuerit, tam sterile esse hoc non pessimum tempus Ecclesiæ Judææ, post instauratam à Maccabæis Rempublicam, ut beneficii hujus singularis, quo Populus Dei à reliquis Gentibus discernebatur, nulla indicia, vestigia nulla, hic illic occurrant. Quid dico? Reclamat Historia ipsa Evangelica, quæ utique in Eventis Mariæ, Josephi, Elisabethæ, Simeonis, contrarium docet, & *Revelationum Extraordinariarum*, veluti illo etiam tempore minimè insolentium, mentionem clarissimam injicit. Quin Josephus ipse & Talmudici, quicquid aliàs de *Defectu Prophetiæ* satis aperte pronunciant, Ἀποκαλύψεις *præterordinarias Divinæ veritatis* Sanctis post Malachiam omnibus promiscue non abjudicant. unde satis patet, vulgatam illam sententiam de *Prophetiæ Defectu* non esse admitten-

tendam absque quibusdam Temperamentis, quibus accuratius definiatur & prudentius circumscribatur.

III. Id mihi nunc præcipuè propositum est docere, idque hoc ordine, Deo favente, exequar. *Primo* probabo evidentibus documentis, *Scriptores* Judæos tam *Græcos* quam *Hebræos*, de *Defectu Prophetiæ* post *Malachiam* loquentes, sic intelligendos non esse, acsi Ecclesiæ Judaicæ post *Artaxerxem* quascunque abnegarent *Revelationes Extraordinarias* Divinæ Voluntatis, & inter eas *ipsum donum Prophetiæ*, quippe ipsi illi Auctores in Scriptis suis non rarò disertam faciunt mentionem *Divinarum ἀποκαλύψεων*, earumque *varii generis*, quę piis sequentium sæculorum hominibus obtigerunt. Dein disputabo *argumentis* tum *certis* tum *probabilibus*, Oracula Divina non defecisse penitus post *Artaxerxem*; quando simul disquiram; quam fidem Josephus cæterique Scriptores Judaici de *Extraordinariis* ejusmodi *Revelationibus* verba facientes mereantur. Postea *resolvam difficultates*, quę sive ex *Scriptura* sive *aliunde* huic hypothesi cum specie objiciuntur; præsertim digressurus ad explanandum notabilem locum *Joh.* v. 37. qui *Revelationibus* per בת קול / quas omnes non rejicio, obesse videtur. Tandem diligentius examinabo, quid tamen hisce non rejectis, veri subsit *communi* illi *opinioni* de *Cessatione Prophetiæ*, & *Auctores*, qui eam supponunt & simul alias *Revelationes Extraordinarias* post *Malachiam* memorant, inter se conciliabo. Denique investigabo caussas, cur Deo non placuerit, Populum Judaicum post tempora *Artaxerxis* usque ad *Christum* amplius instruere per oracula *clarorum* & *Canonicorum Prophetarum*, ceu certam & indubiam *fidei* & *morum* illius populi sive Ecclesiæ *regulam*.

IV. Quod ad *primum* attinet, statui, Scriptores Judaicos, ubi de *Prophetiæ Defectu* loquuntur, sic intelligendos non esse, acsi Ecclesiæ Judaicæ post *Malachiam* omnes negarent *Revelationes Extraordinarias* Divinæ Voluntatis; ejusque meæ sententiæ hanc dedi *rationem* minimè dubiam, quia ipsi illi Auctores non rarò *Extraordinariarum* ejusmodi *Revelationum*, post *Malachiæ* decessum factarum, mentionem faciunt. Certè enim præsumendum non est, eos sibi ipsis in *re facti*, circa quam judicium eorum vacillare non potuit, apertè voluisse contradicere, quam-

diu

diu ulla alia commoda patet via eorum dicta inter se conciliandi. Id itaque nunc à me requiritur, ut *rationem*, *primæ* huic meæ *positioni* adjectam, evidentibus documentis confirmem & illustrem. Quod ut *ordine* fiat, *primo* ejusmodi producam *loca*, quibus DONUM VATICINANDI certis post *Artaxerxem* hominibus *in genere* tribuitur, absque expressa adjunctione, *quo modo* Spiritus Sanctus *vaticinantibus* illis suam de futuris voluntatem notam fecerit. Deinde in medium proferam specimina aliarum de *præsentibus* aut *futuris Revelationum Extraordinariarum*, quarum *modum* ipsi illi Auctores exertè referunt. Has ad *quatuor species* reducam, quarum *duæ priores* sensus *externos*, *duæ posteriores* sensus *internos* concernunt. Sunt autem *Divina* ALLOQUIA, APPARITIONES, SOMNIA, & IMPULSIONES sive *Instinctus*.

V. *Primò* itaque DONUM VATICINANDI à Josepho non uni sed *pluribus* post *Artaxerxem* absolutè tribuitur. Excerpamus initio, quę de JUDA *Esseno* refert dignissima notatu. Eum *Judam*, *Essenum genere*, ait Josephus prænunciasse claris verbis *tempus* & *locum* mortis *Antigoni*, Filii *Hyrcani*, Fratris *Aristobuli*, primi Judæorum *Regis* post Μετοικεσίαν Babylonicam, & plura passim prædixisse alia, quorum eventus nunquam fefellit. Verba Josephi hæc sunt: *Maximè autem hic mirari licet* JUDAM *quendam* ἐσσηνὸν μὲν τὸ γένος *Essenum genere*, ὐδέποτε δὲ ἐν οἷς προεῖπε διαψευσάμενον τ' ἀληθές QUEM NUNQUAM VERITAS IN IIS, QUÆ PRÆDIXIT, FEFELLIT. *Is cum videret Antigonum accedentem ad Templum* (reducem è *Bello*) *exclamavit apud sodales & familiares suos*, (*discipulos* intellige) οἳ διδασκαλίας ἕνεκα τῦ προλέγειν τὰ μέλλοντα παρέμενον *qui eum*, *quod in* FUTURIS PRÆDICENDIS *exercitatus erat*, *affectabant*, *quod nunc sibi conveniat mori*, *quandoquidem fallacem se reddiderit Antigonus vivens*, *quem cum prædixisset hodiè moriturum in Stratonis*, *quæ dicitur*, *turri*, *præsentem videt*, *atque ab eo loco*, *in quo eum occidendum esse prædixerat*, *per sexcenta stadia remotum*, *magnâ diei parte nunc exactâ*, ὥς' αὐτῷ κινδυνεύειν τὸ μάντευμα ψευδὲς εἶναι, *ita ut valde laboret*, *ne fortè* ORACULUM *suum mentiatur*. *Hæc autem dicenti mæsto dimissoque vultu nunciatur*, *mortuum esse Antigonum ad cellam subterraneam turris*, *quæ & ipsa Stratonis vocabatur*, *sicut & illa maritima*, *quæ post Cæsarea nominata est*: τὸν μὲν ὖν μάντιν τῦτο διετάραξεν. *Hoc verò* VATEM *confudit*. Eandem

Antiq. Lib. XIII. Cap. XIX.

dem verò hanc narrationem Josephus jam ante exhibuerat in Commentariis suis de *Bello Judaico*: (illi enim compositi editique in lucem sunt ante *Libros Antiquitatum*:) unde colligas, nec parvi fecisse hanc suæ Gentis traditionem ; nec fidem illi negasse. Ibi ita: Ἐσσαῖος ἦν γένος, οὐκ ἔστιν ὅτε πταίσας ἢ ψευσθεὶς ἐν προαγγέλμασι· ESSENUS *erat genere, qui nunquam in iis, quæ* DIVINANDO PRÆNUNCIAVIT, *fefellit aut mentitus est* (a). Lib. I. Cap. III.

VI. De simili Vate POLLIONE Josephus idem alio meminit loco, quem exsignabo: *In præcipuo autem apud ipsum* (Herodem Regem) *honore erat* Πολλίων Φαρισαῖος POLLIO *Pharisæus*, καὶ Σαμέας ὁ τούτου μαθητὴς & SAMEAS *hujus discipulus. Dum enim obsiderentur Hierosolyma, hi consulebant Civibus, ut Herodem in urbem reciperent; cujus quoque beneficii gratiam ab ipso retulerunt.* Ὁ δὲ Πολλίων οὗτος καὶ κρινομένου ποτὲ Ἡρώδου τὴν ἐπὶ θανάτῳ, προεῖπεν ὀνειδίζων Ὑρκανῷ καὶ τοῖς δικάζουσιν, ὡς διασωθεὶς Ἡρώδης ἅπαντας αὐτοὺς ἐπελεύσεται, καὶ τοῦτο χρόνῳ συνέβη, τοῦ θεοῦ τοὺς λόγους αὐτοῦ πληρώσαντος· POLLIO *autem hic, cum olim ob capital Herodes judicaretur à Synedrio*, PRÆDI- Antiq. Lib. XV. Cap. V. p. m. 510.

(a) Non neglexit sanè historiam Gorionides; sed ut solet, pigmentis quibusdam exornavit; alia rescidit. Specimen sit: ושם היה איש אחד ושמו יהודה החכם והוא מן החשובים שבחסידים וישא את עיניו וירא את אנטיגנוס עובר בחצר ההיכל ויאמר לתלמידיו וגם לאנשים אחרים מהמון ישראל מי יתן מותי היום הזה טרם אשר אראה במות הבחור הזה אנטיגנוס כי הנני רואה בחכמתי אשר ימות היום אנטיגנוס במגדל הנקרא סיטטי'ון ויאמרו לו תלמידיו גם מהמון העם והאנשים רבי' רבינו הלא כזב יצא מפיך בזה כי הנה מגדל סיטטי'ון אשר דברת רחוק מירושלים דרך ת"ק ריסי' וכבר עבר חצי היום ואיך יהיה זה' ויען ויאמר להם מי יתן בני והיה כזב ויהי כדבר החכם כן ויפול לארץ וידום כישן וכיעף וכיגע מרוב הדאגה אשר היתה בלבו. *Erat autem ibi Vir quidam, cui nomen Judæ Sapienti, maximi inter Essæos nominis, qui videns Antigonum transeuntem in Atrio Templi, discipulis suis atque aliis quoque præsentibus de populo hominibus dixit; Utinam hodiè moriar, priusquam mortuum videam hunc Juvenem Antigonum! nam ecce video per sapientiam meam, Antigonum hodiè fato cessurum esse in Turri, quæ dicitur Stratonis. At regesserunt ei discipuli ejus, etiam de multitudine populi non pauci; Domine Doctor, Nonne falsum loqueris? Utique enim Turris Stratonis, de qua Tu, distat Hierosolymis quingentis stadiis, atque jam media pars diei præteriit. Quo pacto id, quod Tu asseris, eveniat? Ille verò iis respondit; Utinam, Filii mei, falsum loquutus sim! Quæ cum Sapiens ille verba fatus esset: humi prolapsus est, & siluit instar dormientis, & fessi ac fatiscentis præ mærore, quo animus ejus obrutus fuit.* Editione Veneta Cap. IV. Cap. XXX.

xit *Hyrcano cæteriſque Judicibus cum exprobratione, quo modo Herodes abſolutus ab iis omnibus aliquando pœnas exigeret. quod & ſuo ſic accidit tempore, Deo ſermonibus ejus veritatem præſtante.* Viden' *Pollionem vaticinantem?* Atqui obſcurior videtur hæc narratio Joſephi, quia quod vaticinium hic adſcribit *Pollioni*, id in præcedentibus retulerat ad Sameam, quem in hoc loco *Pollionis* diſcipulum fuiſſe dicit. Quis dubitet enim quin Joſephus his verbis reſpiciat ad celebrem illam hiſtoriam, à ſe perſcriptam *Antiq.* Lib. xiv. Cap. xvii. de *Herode*, tum quidem *Præfecto Galilææ*, vocato ad *Synedrium Hieroſolymitanum*, quo rationem redderet cædis à ſe perpetratæ in Latronibus, eorumque Principe Ezechia. Aderat ille, ut ſcribit Hiſtoricus, intrepidus, cum comitibus armatis armatus & inſtructus ipſe; quâ perculſi audaciâ cum *Hyrcanus Rex* & *Synedri* ora ſua comprimerent & ſententias ferre recuſarent: tum quidem unus de omnibus *Sameas*, (Σαμέας) Vir ſapientiâ reverendus & à metu invictus, *Hyrcanum* & *Collegas ſuos* gravi oratione compellavit, cujus ultima, quæ ad noſtrum nunc inſtitutum faciunt, ſunt: ἴστε μέντοι μέγαν τὸν θεὸν, καὶ οὗτος, ὃν νῦν δι' Ὑρκανὸν ἀπολῦσαι βούλεσθε, κολάσει ὑμᾶς ποτε, καὶ αὐτὸν τὸν βασιλέα· *Scitote tamen, potentem eſſe Deum, & iſtum, quem nunc in Hyrcani gratiam legibus eripitis, Vos aliquando, imo & ipſum Regem Hyrcanum, puniturum eſſe.* Subjungit ibidem Joſephus: Διήμαρτε δ' οὐδὲν τῶν εἰρημένων. ὁ γὰρ Ἡρώδης τὴν βασιλείαν παραλαβὼν, πάντας ἀπέκτεινε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ, καὶ Ὑρκανὸν αὐτὸν, χωρὶς τοῦ Σαμέου. σφόδρα γὰρ αὐτὸν διὰ τὴν δικαιοσύνην ἐτίμησε· *Nihil verò eorum, quæ dixit, feſellit. Herodes enim Regnum adeptus Senatores omnes interemit, quin & ipſum Hyrcanum, Sameâ excepto: quem valdè ob Juſtitiam honoravit.* Hæc verò non videntur aliter inter ſe conciliandа, quàm quod *Pollio* & *Sameas* ambo conſenſerint in eadem dicta, *Pollione*, Synedrii *Principe*, verba *Sameæ*, (Synedrii *Patris*, de quo mox latius:) probante & laudante, vel iiſdem in eandem ſententiam conſpirantibus. Certè Gorionides, etſi leve pondus dictis ejus inſit, eandem hanc hiſtoriam repetens cum *Samea* inducit *Menahemum*, verbis *Sameæ* conſenſum præbentem eademque

Lib. vi. Cap. xxix. p. 63. col. 4. celebrantem. Sic ille: ואז היה שם שמאי ומנחם תלמידי הלל הזקן לפי
מה שיריתי אני יוסף בן גוריון בערורת נאכנ' ויען שמאי ויאמר לפני הזקנים
וכו' *Tum verò aderant ibi Sameas & Menachem diſcipuli Hillelis Senis,*

nis, *ſecundum id quod Ego Joſeph Ben Gorion ex certis teſtibus cognovi*; *Reſpondit verò Sameas & dixit coram Senatoribus*, &c. Dein de *Menahemo:* ויען גם כן מנחם החבר לשמאי ויאמר לפני הזקנים והסנהדרין כדברי׳ האלה מה לכם כי תביטו איש בפני רעהו למה תגורו מפני איש ואתם ידעתם כי המשפט לאלהים הוא חדלו לכם מלהחניף איש את רעהו ושפטו משפט צדק ויהיה השם עמכם כי שמאי רעי היטב את כל׳ אשר דבר *Atque reſpondit quoque ipſe Menachem*, *Collega Sameæ*, *& coram Senioribus & Synedrio in hac verba erupit: Quid agitis*, *quod alius alium reſpiciatis? Quid timetis hominem*, *cum ſciatis*, *Judicium Deo ſanctè habendum eſſe? Deſinite alter alterum* προσωποληψίας *reum facere*, *& judicate judicium Juſtum*, *& Deus vobiſcum erit. Sanè enim Collega meus Samai in omnibus rectè loquutus eſt.* Atque ita ego hunc duplicem Joſephi locum conciliari poſſe arbitrabar. At Druſius noſter alibi contendit, mendum irrepſiſſe in hunc textum Joſephi, & pro verbis; Ὁ δὲ πολλίων οὗτος, ſcribendum; ὁ δὲ Σαμίας οὗτος. Id ſi verius putes, quo minus amplectaris, non intercedo. *Obſerv. Lib. XI. Cap. XXII.*

VII. Verum quis ille eſt *Pollio*, quis *Sameas*, quorum *vaticinia* hic à Joſepho laudantur? Profectò non erit multæ operæ eos propius cognoſcere. Quis enim non planè rudis Diſciplinæ Hebraicæ, non aliquando intellexit nomina celebrium priſcæ ætatis eam apud Gentem Doctorum, Hillelis & Schammai? Quis non aliquid de בית הלל & בית שמאי / quorum frequens adeò in *Talmude* memoria? Atqui verò non errabimus, opinor, ſi dicamus, *Pollionem* Joſephi eum ipſum eſſe *Hillelem*, celebratiſſimum Synedrii Principem & Traditionum πατροπαραδότων Propagatorem, qui *Babylone* Hieroſolymam venit, & *Sameam* Joſephi eundem illum eſſe *Schammai*, Hillelis Babylonii Collegam, ab *Hillele* in interpretatione plurimarum cæremoniarum diſſentientem? Poſterius illud jam obſervatum eſt Seldeno; verum utrumque ſimul Altingio; & ante eum à Druſio. Vixerunt *Hillel* & *Schammai*, Præſides Academiarum Hebræarum, circa idem illud tempus, quod Joſephus ſuo *Pollioni* & *Sameæ* attribuit. Utrique eorum tam Joſephus quam *Talmudici* ſive Kabbaliſtæ Hiſtorici attribuunt permultos *diſcipulos*, qui *ſectam eorum ſequuti ſunt*. Apud Joſephum quidem exertè habes: *Herodem* ab iis, qui *Pollioni* & *Sameæ* adhærebant, *Juramentum* *De Synedr. Lib. III. Cap. IX. §. I.* *Schilo Lib. IV. Cap. XXI.* *l. c.* *Antiq. Lib. XV. Cap. XIII.*

 exe-

exegiſſe: quod cum ex voto non ſucцederet, hos tamen celebrium Doctorum ſectatores ἐντροπῆς διὰ τὸν Πολλίωνα τυχόντα *reverentiâ Pollionis, non ita ſevere ac alios tractaſſe.* Pariter utrumque ſupponunt Aſſeſſores fuiſſe *Magni* Judæorum *Synedrii*, & ita quidem ut *Sameas Hillelis* diſcipulus & ex diſcipulo *Collega* factus ſit; *ille* quidem *Synedrii Princeps* ſecundum *traditionem Hebræorum*; *hic* (*Sameas* nimirum) Senatus illius *Pater*. Imo *nomina* quoque horum Doctorum, quibus à Joſepho & Talmudicis inſigniuntur, ſatis benè conſentiunt. Hebræum שמאי utique idem prorſus eſt cum τῷ Σαμέας Joſephi. Solummodo dubium videtur, quare quem Talmudici vocant *Hillelem*, eum Joſephus nominaverit Πολλίωνα *Pollionem*. Verum neque illud obſcurum eſt. Scilicet Græci difficilius exprimunt ſuâ Linguâ *nomina hebraica*, quæ incipiunt à literis ה vel ח/ æquivalentibus *aſpero ſpiritui* Græcorum, quippe quibus illi in ſua Lingua conſonas non habent: quare *hebraica nomina* ſuis literis expreſſuri vel negligunt prorſus *poteſtatem* illarum literarum, vel tentant illi ſatisfacere per ejuſmodi literas, quæ aliquid de *ſpiritu aſpero* trahere videntur, aut quibus Romani *Spiritum aſperum* Græcorum exprimere ſolent; cujuſmodi ſunt ſigna *Græcorum* β. π. φ. *Latinorum S. B. P.* & præſertim *digamma Æolicum*, F. quę *tres poſteriores literæ* multum invicem commercii habent. Joſephus autem ex his ſignis literarum *Spiritum aſperum* ה expreſſit potius per literam π, quàm aliquam aliam, quia *Pollionis* nomen apud Romanos, à quibus maxime legi cupiebat & intelligi, receptum notumque erat: quod vel qui Virgilium legerunt ſciunt ex *Bucolicis* ejus, non *tertia* modo *Ecloga*, in qua; *Pollio amat noſtram, &c. Pollio & ipſe facit nova carmina, &c.* ſed & *quarta*, quæ hunc titulum *Pollionis* præfert. Doctis verò ignotum non eſt, *Aſinium Pollionem*, de quo Virgilius, à præcipuis Scriptoribus Romanis Suetonio, Horatio, Tacito, &c. imo & Joſepho, ni fallor, ipſo celebratum eſſe. Quin P*olla*, *Veſpaſiani* mater, Parentem habuit, cui *Veſpaſio* P*ollioni* nomen fuit. Vide illud apud Suetonium. Atque hæc de Vatibus P*ollione* & *Samea* dicta ſufficiant.

Vide שלשלת הקבלה *Catenam Succesſionis* Doctorum apud Seldenum de *Syned.* Lib. II. Cap. XVI. §. VIII.

Antiq. Lib. XV. Cap. XIII.

VIII. Pergo ad Manahemum, cui Joſephus paria imo & majora tribuit. Dixerat ille, Herodem propenſo animo fuiſſe in *Eſſenos*; cjuſque benevolæ propenſionis hanc prodit cauſſam

Antiq. Lib. XV. Cap. XIII.

ſam : *Erat Eſſenorum aliquis*, Μανάημος ὄνομα, *cui* MANAHEMO *nomen*, *cum aliàs quod ad vitæ inſtitutum attinet honeſtatis probitatiſque teſtimonio ornatus*; καὶ πρόγνωσιν ἐκ θεοῦ τῶν μελλόντων ἔχων, *tum verò* PRÆCIENTIAM FUTURORUM A DEO vel *ex Deo* (ſive ut Interpres: *Divinitus conceſſum habens* donum fatidici Spiritus) CONSEQUUTUS. *Hic Herodem adhuc puerum, ad ludum literarium properantem fortè videns, Regem Judæorum ſalutavit. Ille verò putans, ſe aut ignotum eſſe homini aut fortè ab ipſo rideri, admonuit ipſum, ſe unum eſſe de plebe. Tum Manahemus ſubridens, & manu poſteriora ejus leviter feriens; Imo regnabis, inquit, & imperio feliciter defungeris, quippe Deo ita viſum eſt; memento autem Manahemi verberum, utpote quæ tibi ſymbolum erunt variantium caſuum fortunæ, quos ſubibis. Optimè enim tecum ita reputares, Juſtitiam diligere, & pietatem in Deum, & æquitatem erga cives ſubditos. Veruntamen ſcio, te talem non futurum*, τὸ πᾶν ἐπιστάμενος OMNIA futura PERSPECTA HABENS. *Fortunâ quidem, quantum vix ullus alius, uteris favente, & conſequeris gloriam æternam; at pietatis & recti obliviſceris. Hæc verò Deum* (τὸ θεῖον) *nequaquam latebunt, cujus iram ſub exitum vitæ tuæ certis ex indiciis cognoſces.* Refert porrò Joſephus, *Herodem*, nullo adhuc tantæ ſpei fiduciâ animo conceptâ, vaticinium hoc id temporis parum curaſſe; at dein ad Regiam dignitatem evectum florentemque fortunâ proſperâ ex *Manahemo* ad ſe accerſito percunctatum eſſe de *diuturnitate Imperii*: ad quod cum nihil certi reſponderet *Manahemus*; inſtanti porrò Regi, an decennium regnaturus ſit, dixiſſe *Manahemum*; καὶ εἴκοσιν καὶ λ' & *viginti & triginta*, ſic tamen ut *fatalem vitæ ejus terminum non definiverit*. Joſephus, poſtquam repetiiſſet, hac potiſſimum de cauſſa Herodem *Eſſenis* faviſſe, hiſce concludit narrationem : Ταῦτα μὲν οὖν εἰ καὶ παράδοξα, δηλῶσαι τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἠξιώσαμεν καὶ περὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐμφῆναι, διότι πολλοὶ τῶν τοιούτων ὑπὸ καλοκἀγαθίας καὶ τῆς τῶν θείων ἐμπειρίας ἀξιοῦνται· *Hæc verò tametſi fidem videantur excedere, viſum tamen nobis eſt lectori indicare, eumque de iis, quæ apud nos ſunt inſtruere, quandoquidem* MULTI EX HIS (Eſſenis) *propter probitatem honeſtatemque ſuam &* FAMILIAREM DIVINARUM RERUM NOTITIAM *celebrantur.* Notabile equidem hoc & ſingulare vaticinii ſpecimen eſt, quod proin integrum excerpere volupe fuit.

IX. Quæro nunc rurſus, quis hic ſit *Manahemus*, (Hebræum nomen eſt מנחם) tantoperè laudatus à Joſepho Vates? Fortè tutius reſpondeo; *non liquere*. Gorionides equidem in deſcribenda comparitione *Herodis* coram *Synedrio* introducit *Manahemum* aliquem, ſententiam *Samea* probantem. Sed quâ fide? Speciem tamen habet, quod Judæi paſſim tradant in tabulis *ſucceſſionis* Doctorum ſuorum, *Manahemum* aliquem *Hillelis* (qui & *Pollio*) *in Synedrio* & *Academia Collegam* fuiſſe ante *Sameam*.
Schilo Lib. IV. Cap. XXI. Id jam notavit Cl. Altingius, at dubium reliquerat, an hic *Menahem* idem ſit cum illo Joſephi: verum deinceps clarius
p. 442. certiuſque determinavit in *Addendis*. *R. Abraham Ben Dior*
Fol. m. LVIII. col. 1. in principio. in Kabbala, poſtquam de *Hillele* loquutus fuerat: והיה חברו מנחם ומת בימיו ולא נחלקו ויצא מנחם ונכנס שמאי *Collega autem ejus fuit* Menachem, *qui mortuus eſt diebus ejus: illi verò* (*Hillel* & *Menachem*) *ſententiis non diſcreparunt*, & egressus est *Menachem*, & *intravit Schammai*, hoc eſt, *ipſi ſucceſſit*. Certè ex his liquet, *Menachemum* hunc Kabbaliſtæ eodem omnino tempore vixiſſe, quo illum Joſephi: ſic ut minimè repugnet, Joſephum & Hiſtoricos Hebræos alios de uno eodemque homine loqui. Quin quod Judæi tradunt, ipſum *egreſſum eſſe* Synedrio ſc. & Academiâ ante mortem ſuam: fidem videtur facere huic conjecturæ. Nimirum id ita interpretor, Virum pium, *Inſtitutionum* & *Diſputationum* Academicarum, nec non Forenſium litium ſaturum, Scholas Curiamque deſeruiſſe, & ſe quietæ ac tranquillæ vitæ, mores *Eſſæorum* imitatum, totum dediſſe. Judæorum quidem Interpretes id ita exponunt, ac ſi *egreſſus eſſet ad aulam Herodis*, vel *pravum inſtitutum vitæ elegiſſet*; verum vix dubitem, quin eum hâc famâ gravarint, tum quod *Herodi* Regi gratus acceptuſque fuerit & ab ipſo ſubinde in Aulam evocatus; tum quod hoc inſtitutum *Menahemi* Phariſaicæ diſciplinæ *ſectatoribus* valdè diſplicuerit.

X. Quod verò Joſephus porro ait, *Eſſenorum* benè multos ob eminentem probitatem vitæ *Divinorum ſcientiam* participaſſe; id
Lib. II. Cap. VII. p. m. 788. alibi adhuc diſertius teſtatur. Locus eſt de *Bello Judaico*, ubi *Eſſenorum* mores depingit. Εἰσὶ δὲ ἐν αὐτοῖς οἳ καὶ μέλλοντα προγινώσκειν ὑπισχνοῦνται, βίβλοις ἱεραῖς καὶ διαφόροις ἁγνείαις καὶ προφητῶν ἀποφθέγμασιν ἐμπαιδοτριβούμενοι· σπάνιον δὲ εἴποτ' ἐν ταῖς προαγορεύσεσιν ἀστοχοῦσιν· Sunt

vero

verò IN ILLIS, QUI FUTURORUM QUOQUE NOTITIAM PRÆ SE FERUNT, *in sacris Scripturis & variis purificationibus, & Prophetarum sententiis à prima pueritia exercitati.* RARUM VERO EST, PRÆDICTIONES EORUM FALLERE. Videtur in ea opinione Josephus hæsisse, in qua multi alii; *Prophetiæ donum* per studia Scripturarum, exercitia pietatis, & continuatum cum Deo in recessibus secretioribus commercium acquiri. Imo Josephus idem hoc *prophetandi donum* alibi PHARISÆIS quoque vindicat, licet non eâ fiduciâ, quâ *Essenis.* Sic habent ejus verba postquam narrasset, Antiq. Lib. XVII. Cap. III. *fœminas*, quæ ad familiam Herodis pertinebant, & inter eas *Pheroræ*, Herodis fratris, uxorem, *Parisæis* valdè fuisse addictas; quin ipsam *Uxorem Pheroræ* pro iis solvisse *mulctam*, in quam ob Cæsari Regique negati Juramenti officium incurrerant: Οἱ δὲ ἀμειβόμενοι τὴν εὔνοιαν αὐτῆς, προέγνωσιν δὲ ἐπεπιστεύοντο ἐπιφοιτήσει τοῦ Θεοῦ, προύλεγον, ὡς Ἡρώδῃ μὲν καταπαύσεως ἀρχῆς ὑπὸ θεοῦ ἐψηφισμένης, αὐτῷ τε καὶ γένει τῷ ἀπ' αὐτοῦ, τῆς τε βασιλείας εἰς τε ἐκείνην περιηξούσης καὶ Φερώραν, παῖδάς τε οἳ εἶεν αὐτοῖς· *Illi verò hanc ipsi* (Uxori Pheroræ) *compensaturi gratiam*, PRÆDIXERUNT (CREDEBANTUR ENIM CUM DEO COMMERCIUM HABERE,) *quod à Deo constitutum sit, Herodi ejusque progeniei Regnum abdicare, sic perventurum ad ipsam, & Pheroram maritum, & liberos ipsius.* Verba Josephi: προέγνωσιν δὲ ἐπεπιστεύοντο ἐπιφοιτήσει τοῦ Θεοῦ· *Credebantur enim cum Deo* COMMERCIUM HABERE. Gelenius reddit; *Credebantur futura præscire* EX DEI COLLOQUIIS; sed, ni fallor, paullò liberalius. Ἐπιφοίτησις propriè significat frequens & familiare *commercium.* Hesychius: Ἐπιφοιτήσεως, ἐπελεύσεως, παρουσίας. Suidas: Ἐπιφοιτᾷ, παραγίνεται. *Glossæ Philoxeni &c.* Ἐπιφοίτησις, *apparicio.* Insuper monendum est, ἐπιφοίτησιν τοῦ Θεοῦ in verbis Josephi non notare *frequentem accessum hominis ad Deum*, sed *Dei ad hominem*; quocunque tandem modo Deus se homini manifestum faciat; quod Josephus heic dubium relinquit. Sic passim utuntur hac voce Veteris Ecclesiæ Doctores. Atque hæc ferè sunt notata à me ex Josepho exempla hominum, quos ipse in Historiam suam infert ut sic simpliciter *instructos d no vaticinandi*, absque quo explicet *modum*, quo res illæ futuræ ipsis innotuerint. Quod enim ad *Hyrcanum* attinet, quem & ipsum ut *Prophetam* magni nominis laudat, observavimus, (ut mox patebit) illum alibi simul tradere

dere *modum*, quo Deus commercium cum *Hyrcano* coluerit: quare cum ad hæc exempla reducere visum non fuit.

Caput IX.

Inter Extraordinarias Revelationes, *quarum* factarum modus *in historia adscribitur*, *in medium proferuntur specimina* Alloquiorum *aut* Vocum, *silentio auditarum*, *quibus* Deus *sanctis quibusdam Viris*, *medio tempore inter* Malachiam & Joannem Baptistam, *voluntatem suam*, & *præsentis aut futuri temporis arcana*, *revelavit*; *tam ex* Josepho *quàm* Talmudicis, *qui de* /בת קול/ Filia vocis, *quam vocant*, *frequentes loquuntur*.

DEveni ad *Revelationes* Extraordinarias *Secundi Generis*, quarum *modus* simul à Scriptoribus expressus est. In his *primum* dedi *locum* divinis alloquiis; quorum non pauca occurrunt exempla apud Josephum & Scriptores *Hebræos*, nostra animadversione digna. Extat clarissimum testimonium Josephi de *Hyrcano*, *Simonis* Maccabæi Filio, florentissimo Judææ Gentis Principe, postquam descripsisset prosperum conflictum Filiorum *Hyrcani*, *Aristobuli* & *Antigoni*, Samariam obsidentium, cum *Antiocho Cyziceno*, in hæc verba: Παράδοξον δὲ τὶ περὶ τοῦ ἀρχιερέως Ὑρκανοῦ λέγεται τίνα τρόπον αὐτῷ τὸ θεῖον εἰς λόγους ἦλθε *Paradoxum autem quid de* Hyrcano *Summo Sacerdote prædicatur*, *quo modo* Deus summus cum ipso sermones miscuerit. *Ferunt enim eodem illo die*, *quo Filii ejus cum Cyziceno congressi sunt*, *cum ipse solus Pontifex in Templo suffimenta adoleret*, ὅτι ἀκούσειε φωνῆς audivisse vocem *de eo*, *quod liberi ejus Antiochum penitus debellassent. Quod ipse è Templo progressus universæ multitudini mox aperuit*, καὶ συνέβη οὕτως γενέσθαι *quod ita factum esse evenit*. Quod hic ait Josephus, τὸ θεῖον *Numen Divinum* cum *Hyrcano* sermones miscuisse; ita haud dubiè intelligendum est, *summum Deum* (non *Angelum* aut δαίμονα aliquem) *Hyrcanum* alloqui dignatum esse; quod proin Josephus ut παράδοξον aliquod, quod apud Gen-

Antiq. Lib. XIII. Cap. XVIII.

tes

tes difficulter fidem inventurum sit, exaggerat. Atque ex *hoc loco* perspicimus, ni fallor, quid Josephus voluerit in *altero illo*, huic *parallelo*, suprà adducto, in quo Ille de eodem hoc *Hyrcano*: Ὡμίλει γὰρ αὐτῷ τὸ δαιμόνιον· DEUS *enim cum ipso familiariter conversabatur*. Ex collatione utriusque hujus testimonii liquet, Josephum per τὸ δαιμόνιον intelligi velle τὸ θεῖον *Deum supremum*, quem Plato τὸν μέγιςον δαίμονα vocat. Certum quoque est, Scriptores Græcos per τὸ δαιμόνιον passim designasse *Deum Supremum*; Θεῖον μόρσιμον *Fatorum arbitrum Deum*, ut est apud Hesychium. Quin Josephus in fine illius *Capitis*, unde primum locum decerpsimus, de eodem *Hyrcano* eandem rursus adhibet vocem: Συνῆν γὰρ αὐτῷ τὸ θεῖον καὶ τὴν τῶν μελλόντων πρόγνωσιν παρεῖχεν αὐτῷ τε εἰδέναι καὶ προλέγειν οὕτως, ὥστε περὶ τῶν δύο τῶν πρεσβυτέρων αὐτοῦ παίδων, ὅτι μὴ μενοῦσι τῶν πραγμάτων κύριοι προεῖπε· NUMEN *enim* SUPREMUM *cum ipso* FAMILIARITER CONVERSATUM EST, *deditque illi res futuras ita præscire & prænunciare, ut clarè prædixerit, duos filios suos majores natu rerum non diu potituros esse.* Lib. I. de Bello Jud. Cap. III.

II. Juvat nunc, estque operæ pretium videre, quam bellè hanc rursus exornaverit historiam Gorionides. Nimirum postquam ille narrasset, *Samariam* ab *Hyrcano* & Filiis ejus obsessam & ad extrema redactam esse; sic porrò pertexit filum historiæ: Lib. IV. Cap. XXVIII. Fol. m. 47. col. 4.

והמלך הורקנו' נסע אז משם בעבור יום צום הכפורים לכפר בעד עם יי' כי מלך וכהן גדול היה' ויעזוב את שני בניו על הצבא אשר בשומרון שם האח' אנטינגוס ושם השני אריסתובלוס ויעל עליה' אחי אנטיוכוס מלך מקדון ויבא בעזרת עיר שומרון כי אמר להציל את שומרון מיד בני הורקנו' אשר צרו עליה וילחם עמהם ויתגר בם מלחמה גדולה וינס אחי אנטיוכוס מלך מקדון מפני הנערי' בני הורקנו' וימלט בעיר סטיפולי וביום ההוא היה הורקנוס בירושלם בבית קדש הקדשים ויתפלל בעד עם ישראל ואחר כך הזכיר את בניו בתפלתו כי דאג פן יפלו בחרב מלך מקדון וישמע בבית קדש הקדשים קול קורא ואומר אל תירא ואל תעצם ואל תדאג על בניך כהן הורקנו' נמור עבודתך היום כי באת בשלום ותצא בשלום וישלים הורקנוס את מלאכ' עבודת הקד' ויצא מן הקדש ויספר באזני העם את כל הדברים האלה' ולא האמין לו העם וישלחו רוכבי סוסים בשומרון אל המחנה וימצאו דברי הורקנוס כנים ונאמנים ככל אשר דבר ויודו ליי' אלהי ישראל *Rex verò Hyrcanus tum temporis inde* (à Samaria obsessa) *discessit propter instans Festum diei Expiationis, quo ipse, qui non Rex modo, sed & Pontifex erat, officio suo fungeretur in expiando populo. Dereliquit autem binos Filios suos præfectos exercitui, Samariam obsidenti, quorum alteri Antigo-*

no, alteri nomen erat Aristobulo. Adversus hos movit frater Antiochi, Regis Macedonum, urbi auxilium laturus, quippe jactaverat, se Samariam erepturum esse è manu Filiorum Hyrcani, & exasperavit se contra eos ingenti prælio, & fugit frater Antiochi Regis Macedonum à facie Juvenum illorum, Filiorum Hyrcani, & evasit in urbem Scythopolin. Eodem verò illo die Hyrcanus agebat Hierosolymis in Sancto Sanctorum, & preces fudit pro populo Israël, ac deinceps quoque recordatus est Filiorum suorum in precatione sua, quia sollicitus erat, ne fortè caderent gladio Regis Macedoniæ: AUDIVIT AUTEM IN SANCTO SANCTORUM VOCEM INCLAMANTEM, *dicentemque; Ne timeas, neque afficiaris dolore, nec sollicitus sis de Filiis tuis, Hyrcane Pontifex; Consummatum est hoc die ministerium tuum,* (oblatio precesque die Expiationis peragendæ:) *quippe venisti in pace & egrederis in pace.* Hyrc*anus autem, postquam officiis suis in Sanctuario omnibus ritè functus esset, inde egressus populo id quod sibi evenit, renuntiavit; Populus verò illi vix habuit fidem: quare mox Samariam ad exercitum expediverunt equites; quibus reversis compererunt,* Hyrc*anum vera fuisse loquutum: quâ de caussâ Dominum Deum Israëlis celebrarunt.*

III. Quàm multa hic à Josepho spurio adstruuntur, de quibus Josephus verus ne verbum quidem; imo quæ si Josephus verus tradidisset, summam animadversionem mererentur? Quod enim Hyrcanus Hierosolymam profectus sit *Jejunii* caussâ *anniversarii:* quod *vocem audiverit* se consolantem, in *Sancto Sanctorum*, & quæ his similia sunt alia: de iis verus Josephus ne γρῦ quidem. Ille simpliciter ait, *Hyrcanum suffitum fecisse* ἐν τῷ ναῷ *in Templo.* prorsus ita quemadmodum de *Zacharia* Sacerdote, Parente *Joannis* Baptistæ, narratur apud Lucam quod *ingressus sit* εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου, *in Templum Domini*, εἰς τὸ θυμιάσαι *suffitum faciendi caussâ, universâ populi multitudine extra Templum precante,* τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος *tempore suffitus:* quando *Zacharias Angelum* vidit, qui cum eo *sermones miscuit.* Nec videtur notabiles hasce circumstantias fuisse omissurus, si verè res ita gesta fuisset, ut apud Gorionidem. Non video tamen obscurè, quid illud sit in verbis Josephi, quod his Gorionidæ conjecturis occasionem præbuerit. Sed tu animum adverte, quanto adhuc audacius fabuletur Auctor *Chronici Regum Templi Secundi: Et ap-*

Cap. 1. 9. (margin)

Fol. 90. col. 1, 2. (margin)

propinquavit dies Jejunii Expiationis, ונחפז הורקנוס המלך ללכת ירושלם לעבורת היום שהוא היה כהן גדול *& properavit* Hyrcanus *Rex* Hie*rosolymam ad obeundum ministerium illius diei, quippe Pontifex erat. Præfecit autem exercitui Aristobulum Filium suum Majorem natu, & secundum ab ipso Antigonum. Cuthæi verò & Sadducæi miserunt literas ad Regem Græciæ* (solenne est in Hebræorum Scriptis, *Syriæ* Reges, quod ex Imperio *Macedonico* originem ducant, *Græciæ* vel *Macedonum* Reges vocari:) *imploratum ipsius auxilia. Et profectus est adversus ipsos Rex Græciæ amplissimo instructus exercitu. Egressi autem sunt duo Juvenes illi, Filii Regis* Hyrcani, *cum exercitu Judaico adversus Regem Græciæ, & magnâ illum affecerunt clade adeo ut paucissimi milites evaserint. Nam viginti unum millia militum eo prælio fuderunt; reliqui autem sibi consuluerunt fugâ. Quo facto Juvenes reversi sunt ad obsidendam Samariam. Intellexerat autem Parens illorum*, Hyrcanus *Rex, Græciæ Regem pugnandi caussâ egressum esse, Filiosque suos in medio clausos teneri, ab hac parte habentes Cuthæos* & *Sadducæos; ab altera Græcos; & ignorabat, quo in statu res essent: quippe mirandum hoc opus factum est die nono Mensis Tisri*, (Jejunium sc. antecedente) והיה המלך עובד עבודו׳ היו׳ ולבו חרד על בניו ועל ישראל וכשנכנס לבית קדש הקדשים להקטיר קטרת ולבקש רחמים על בניו ועל המחנה שמע קול מדבר אליו ואומר לו אל תשת לבך לבניך ולמחנה ישראל כי תמול עזרם ה׳ כרחמיו וכרוב חסדיו למען אבותיך וישרת לבך ונקיון כפיך *Rex verò operam dabat perficiendo ministerio sacro diei Expiationis, corde ejus trepidante, quotiens de Filiis suis & Israële cogitaret: at quando ingressus est in Sanctum Sanctorum ad adolendum suffitum & implorandam Gratiam Divinam pro Filiis suis & exercitu, cui præerant*, AUDIVIT VOCEM, *se hunc ferè in modum alloquentem: Ne sit animus tuus nimiâ affectus sollicitudine erga Filios tuos & Exercitum Israëlis, nam heri opem iis tulit Dominus secundum vim misericordiæ & benignitatis suæ; tum propter Majores tuos, tum propter tui ipsius cordis rectitudinem & manuum tuarum puritatem. Rex verò egressus ex Sanctuario populum de eo certiorem fecit: sequente autem die misit cursores Samariam, qui reversi nunciarunt, rem, quam ex Divina Revelatione cognoverat, se verè sic habere.* Profectò si huic narrationi tantum inesset veri quantum speciei & ornamenti, nihil obesset, quo minus in summè memorabilibus poneretur. Sed est putidi ingenii figmentum.

 Sup-

Supponit enim, quod cogitatu absurdum, Hierosolymitanos bidui spatio potuisse esse incertos tam notabilis eventus, qualis est ille victoriæ tam insignis & splendidæ apud Samariam reportatæ. Non negligo tamen adscribere clausulam, quâ hæc pericopa historica in hoc Chronico absolvitur: ויגדל המלך הורקנוס בעיני כל ישראל וידעו כי הקב"ה רצה את מעשיו ושחלק לו ברוח הקדש מוסף על מלכותו וכהונתו *Crevit verò summoperè existimatio Regis Hyrcani apud omnes Israëlitas, & cognoverunt, Deum Optimum Maximum opera ejus sibi habere accepta, & ipsi impertivisse* Spiritum Sanctum, Regii & Sacerdotalis *muneris ejus decorum sanè* ADDITAMENTUM.

IV. Alterius quodammodo & dissoni generis est quod Josephus idem fidei mandavit de *Voce* in *Templo audita* à *Sacerdotibus*, ab ipso recensita inter prodigiosa vastandæ Hierosolymæ & subvertendi Templi præsagia. nec tamen hic reticendum. Scribit

Bell. Iud. Lib. XII. Cap. XII. p. 960. ille in hunc modum: Κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν, ἣ πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερὸν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, Μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν· *Ad Festum verò, quod Pentecoste dicitur, noctu Sacerdotes ingressi Templum interius, ad res divinas, ut mos erat, perficiendas, primum quidem motum & strepitum aliquem se subaudivisse affirmarunt, postmodum verò &* VOCEM CONFERTÆ MULTITUDINIS, *simul clamantem*, MIGREMUS HINC. Quod Josephus ait φωνῆς ἀθρόας, id Ruffinus latinè verterat; *subitam vocem*; sed melius, nostro judicio, Valesius in Eusebio, qui hæc Jose-

Lib. III. Cap. VIII. phi verba in Historiam suam transtulit; *Vocem confertæ multitudinis simul clamantis:* quare & eum sequuti sumus. Gorionides:

Lib. VI. Cap. XCIV. fol. 350. ויהי בימים ההם עוד ביום חג השבועות שמעו הכהנים בתוך ההיכל כקול לכת בני אדם וקול מצעדות רגלי בני אדם הולכים בקרב ההיכל לרוב וישמעו קול גדול ונורא ונלכה מן הבית ונסעה לנו וכו׳ *Factum simul illis est diebus, ut Sacerdotes Festo Pentecostis in Templo audiverint sonitum quasi hominum ibi obeuntium & strepitum gressuum plurimorum Virorum in medio Templo huc illuc versantium; postmodum verò clarè auribus suis perceperint* MAGNAM & TERRIBILEM VOCEM, *inclamantem dicentemque;* ITE; *quin eamus ex hac Æde, & hinc procul commigremus.* Hie-

Tom. III. fol. 41. col. 2. ronymus, Epistolâ ad *Damasum*, commentans verba *Jesaiæ* cap. VI. 4. *Sublatum est superliminare & domus impleta fumo:* hanc

vocem

vocem attribuit *Virtutibus Cælestibus*. Ait enim, prophetiam *Jesaiæ* juxta quorundam sententiam tum temporis implementum suum nactam esse, *quando velum Templi scissum est & universa domus Israël erroris nube confusa: quando Josephus refert, Sacerdotes ex adytis Templi*, VIRTUTUM COELESTIUM *audisse* VOCEM; *Transeamus ex his sedibus*. Per *Virtutes cælestes* haud dubiè *Angelos* intelligit, quos in *Epistola sequente* ad eundem *Damasum*, *Virtutes Dei* vocat. *Nec putandum*, ait, *sexum esse in Virtutibus Dei, &c.* An verum scripserit Hieronymus, deinceps disputabo.

V. Ad *Talmudicos* jam si nos convertamus: videmus, illos apertè affirmare, & documentis historicis adstruere, post *ætatem Malachiæ* Deum sanctis hominibus solitum esse *præter ordinem* se revelare specie Vocis cujusdam *Cælestis*, silentio auditæ; de qua sub nomine בת קול FILIÆ VOCIS frequentes loquuntur. Extat de eo locus animadversione dignus Codicis *Sanhedrin*, dudum in lucem protractus expositusque à Doctissimis Viris; qui ita habet. תנו רבנן משמתו נביאים האחרונים חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואף ע״פ כן היה משתמשין בבת קול פעם אחת היו מסובים בעליית בית גוריה ביריחו ונתנה עליהם בת קול מן השמים יש כאן אחד שראוי שתשרה עליו שכינה כמשה רבינו אלא שאין דורו זכאי לכך נתנו חכמים את עיניהם בהילל הזקן וכשמת אמרו עליו הי חסיד הי עניו תלמידו של עזרא שוב פעם אחת היו מסובים בעליה ביבנה נתנ׳ עליהם בת קול מן השמים יש כאן אחד שראוי שתשרה עליו שכינה אלא שאין דורו זכאי לכך נתנו חכמים את עיניהם בשמואל הקטן וכשמת אמרו עליו הי חסיד הי עניו תלמידו של הילל וכו׳ *Tradunt Magistri: Ex quo mortui sunt Prophetæ posteriores Haggæus, Zacharias, Malachias, ablatus est* SPIRITUS S. *ab Israële; Nihilominus tamen usi sunt* בת קול FILIA VOCIS. *Accidit aliquando, ut, cum accumberent in Cænaculo domus Goriæ* Hierechunte, *vox* (Filia vocis) *super ipsis edita sit de cælo; Adest hic, qui dignus esset, super quo quiescat Gloria Dei, sicut super Mose Magistro, at cujus sæculum tanto beneficio dignum non est. Tum conjecerunt Sapientes oculos suum in* Hillelem Seniorem, *de quo, quando mortuus est, dixerunt; Ah* (Hei vel *Ai*. Coccejus in *Excerptis Gemaræ Sanhedrin* habet; *Ubi*. quod hic minus probem:) *pius; ah mansuetus discipulus Ezræ! Iterum accubuerunt in Cænaculo in Jafne, editaque super iis* vox *est de cælo; Adest hic, qui meretur, ut super ipso habitet Divina Gloria, sed cujus sæculum dignum non est. Sapien-*

Fol. XI. Col. I. Paulò post medium.

Cap. I. § XIII.

pientes respexerunt Samuelem parvum, quem vitâ functum simili carmine prosequuti sunt: Ah pius! ah mansuetus discipulus Hillelis!

Fol. XLVIII. col. 2. Idem ferè habetur in *Sota*. Vides sententiam *Talmudistarum* de specie *Revelationis*, quæ fit per בת קול Filiam Vocis, eamque *exemplis* confirmatam. An hæc eorum sententia vera sit; an eorum auctoritas sat ponderis habeat ad fidem conciliandam exemplis adjectis: nunc non disquiritur. Hæc pars dissertationis meæ historica est, quâ non finitur, quid sit verum; sed indagatur, quid ab aliis pro vero admissum traditumque sit, deinceps suo loco examini subjiciendum: quod heic ita dico, ut id in lectione sequentium pagellarum memore mente reservari velim, usque quo narrandorum exemplorum hujus materiæ finem fecerim.

VI. Præter illa autem specimina *Vocum* auditarum, quæ in hoc loco Codicis *Sanhedrin* memorantur, alia benè multa occurrunt ejusdem tenoris, dispersa per *Codicem Talmudicum*, Veteresque ejusdem ingenii Scriptores Judæos; quorum aliqua passim inde excerpta & Scriptis suis illata illustrataque sunt à Viris Clarissimis, qui se occuparunt antiquitatibus Judaicæ Gentis describendis. Facile esset quædam eorum, quæ congessi, *his thesibus* denuò recensere, nisi pleraque sterilia essent, & novis animadversionibus indigna. Unum referam, multorum similium vicem suppleturum, quod mihi obvenit in Codice *Berachoth*:

Fol. III. col. 1. sub finem. אמר רב יצחק בר שמואל משמיה דרב שלש משמרות הוה הלילה ועל כל משמר ומשמר יושב הקב״ה ושואג כארי ואומר אוי לבני שבעונותיהם החרבתי את ביתי ושרפתי את היכלי והגליתים לבין אומות העולם תניא אמר רבי יוסי פעם אחת הייתי מהלך בדרך ונכנסתי לחורבה אחת מחורבות ירושלם להתפלל בא אליהו זכור לטוב ושמר לי על הפתח והמתין לי עד שסיימתי תפלתי לאחר שסיימתי תפלתי אמר לי שלום עליך רבי ואמרתי לו שלום עליך רבי ומורי ואמר לי בני מפני מה נכנסת לחורבה זו אמרתי לו להתפלל ואמר לי היה לך להתפלל בדרך ואמרתי לו מתירא הייתי שמא יפסקו בי עוברי דרכים ואמר לי היה לך להתפלל תפלה קצרה באותה שעה למדתי ממנו שלשה דברים למדתי שאין נכנסין לחורבה ולמדתי שמתפללים בדרך ולמדתי שהמתפלל בדרך מתפלל תפלה קצרה ואמר לי בני מה קול שמעת בחורבה זו ואמרתי לו שמעתי בת קול שמנהמת כיונה ואומרת אוי לבני שבעונותיהם החרבתי את ביתי ושרפתי את היכלי והגליתים לבין האומות ואמר לי חייך וחיי ראשך לא שעה זו אומרת כך אלא בכל יום ויום שלש פעמים אומרת כך ולא זו בלבד אלא בשעה שישראל

שישראל נכנסין לבתי כנסיות ולבתי מדרשות ועונין אמן יהא שמיה רבה מבוך הק"בה מנענע ראשו ואומר אשרי המלך שמקלסין אותו בביתו כך מה לו לאב שהגלה את בניו ואוי להם לבנים שגלו מעל שלחן אביהם. *Dixit R. Isaak, Filius Samuelis, nomine Rab; Quaque nox in tres distributa est vigilias; quarum quâque Deus S. B. sedet, & rugit instar Leonis, dicitque; Væ filiis meis, quod propter iniquitates ipsorum destruxerim domum meam, & flammis tradiderim Templum meum eosque deportaverim inter Gentes. Traditio: R. Jose dixit; Fuit aliquando ut ambularem in via & ingrederer ruinosum quendam desolatumque locum de ruderibus destructæ Hierosolymæ orandi caussâ. Venit Elias, cujus laudata sit memoria nominis, & observavit me ad ostium, expectavitque me, usque quo preces meas absolvi: quibus finitis, salve, inquit, plurimum Rabbi. Cui ego rursus; Et tu quoque sis Salvus Domine & Doctor mi. Porro ille; quamobrem mi fili, ingressus es in ædem hanc ruinosam. ad quod ego; Precandi caussâ. At ille; Utique copia tibi fuisset orandi in via? Respondi, veritus sum, ne qui fortè in via præterirent, me* (interrumperent) *cogerent pausam facere. Ad quæ ille vicissim; Utique eo tempore vel casu adhibere posses formulam precationis breviorem? (Tria ab ipso didici: precandi caussâ non esse ingrediendum in loca vastata; orare licere in via communi; eumque, qui in via communi preces fundit, formulâ precandi breviore uti posse:) Ille verò apud me institit; Fili mi, quam vocem audivisti in loco illo ruinoso? Cui vicissim ego; Audivi* FILIAM VOCIS, *gementem instar columbæ, dicentemque: Væ Filiis meis, quod propter peccata ipsorum destruxerim domum meam, & conflagrare siverim Templum meum, & quod ipsos deportaverim inter Gentes. At ille mihi; Per vitam tuam &* VITAM CAPITIS TUI! *non hoc tantum tempore ejusmodi vox editur, sed quotidie tribus vicibus; neque hoc tantum, at quo tempore Israëlitæ ingrediuntur Synagogas & Scholas, ac respondent; Amen, sit Nomen ejus magnum benedictum; Deus S. B. movet caput suum, dicitque; Beatum Regem, quem sic laudant in Æde sua* (Templo)! *Quæ caussa Patri, quod deportaverit Filios suos; & væ Filiis, qui deportati sunt à mensa Patris sui.* Imo verò miseros, qui tales fumos venditant!

Confer Luc. XII. 38. Καὶ ἐὰν ἔλθῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ φυλακῇ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ.

Confer Matth. V. 36. Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς.

CAPUT

Caput X.

Occasione eorum quæ proximè adducta sunt de illa Revelatione Cœlesti, *quæ à Judæis vulgò* בת קול Filia vocis *appellari solet; digressio instituitur ad hanc* Revelationis speciem *curatius investigandam. Quare primò de* forma *hujus* Vocis Coelestis, *cum aliis* Vocibus Dei *aut* Virtutum Cœlestium, *quarum usus fuit in* Divinis Revelationibus, *comparata, differitur, finiturque, fuisse vocem* veram, *non* imaginariam, *adversus Maimonidem; & quidem* Vocem altam, gravem, sonoram, humana majorem, *in aëre formatam, & publicè exceptam. Illustrantur interea benè multa Scripturæ S. loca, in quibus de* hoc *aut* affinibus argumentis *agitur.*

Huc quando perveni: non licere intelligo, ut pedem ulterius promoveam, antequam *Speciem* hanc *Revelationis*, quæ Hebræis בת קול Filia Vocis dicitur, diligentius investigaverim, & descripserim accuratius. Etiamsi enim hæc materia jam exercuerit ingenia Doctissimorum Virorum, Fagii, Buxtorfii, Voysini, Drusii, Hottingeri, Glassii, Ligtfooti; (quos alibi recensitos vidi à Cl. Carpsovio) imo & Heinsii, Cocceji, Spenceri; quorum tamen longè plurima pars strictim solummodo suam sententiam aliis vulgatis apposuit & iiscum commendavit, ut in hoc studiorum genere fieri assolet: supererit tamen nobis, opinor, & post nostram operam fortè & aliis, quod heic cum fructu absque inani & non necessaria repetitione eorum, quæ dicta sunt ab aliis, proferatur. Sic pariter adfectus fuit Christophorus Wagenseilius, cognitione literarum hebræarum nostro tempore excellens, ubi *in se recepit, de* בת קול *ad Massechet Purim prolixè & diligenter agere*; quod an exequutus sit consilium, me latet. Pertexamus telam nostram, &, quæ tractanda sunt, revocemus ad *duo capita*, sic ut; *α*. Disquiramus de

Not. in *Schickardi Ius Regium*. Cap. I. §. II. p. 22, 23.

In Notis ad Excerpta Gemaræ Sota Cap. IX. p. 1071.

FOR-

FORMA VOCIS *Divinæ*, quæ nomine בת קול ab Hebræis Auctoribus exprimitur: β. Specialius investigemus *rationem* veram hujus denominationis, videamusque, quare hæc *species Revelationis* per *Vocem* non simpliciter dicatur *Vox*, sed FILIA *vocis*? Leves materiæ, ut videtur; sed quæ locum facient illustrandis quibusdam S. Scripturæ dictis; simul viam parabunt ad graviora.

II. Quod ad *Prius*, hoc est, ad *formam Vocis* attinet: Maimonides per *speciem* Revelationis, quæ FILIA VOCIS dicitur, non intelligit *Vocem veram*, quæ formatur in aëre & sonum quendam infert auribus nostris; sed *imaginariam*, sive quæ forti imaginatione, specie ejus altè impressâ, apprehenditur, & ad mentem eo ferè modo refertur, acsi verè intellecta auditaque esset. Verba Maimonidis, ejusdemque Interpretis Schem Tobh, videre licet apud Buxtorfium & Voysinium; quorum posteriora à me tantum repetentur. Sic itaque Schem Tobh ad *More Nevochim*: Part. II. Cap. XLII. (XLIII.)
לפי דעת הרב בת קול הוא שיהיה אדם חזק הדמיון באופן שחושב שישמע קול חוץ לנפש *Juxta mentem Maimonidis* FILIA VOCIS est, *cum homo tam fortis est in imaginatione*, (phantasmata tam altè & vividè sibi imprimit:) *ut existimet, se audire vocem extra animam*. Addam, quod discere memini ex Abarbanele; Maimonidem ita prorsus existimare, nullam omninò ad *Prophetas* delatam esse Revelationem Divinæ Voluntatis per *veram vocem*, in aëre formatam, quæ externum sensum eorum tremulo motu percusserit, sed quicquid de *Voce* ejusmodi Divina legitur, referendum esse ad imaginationem. Abarbanel sententiam Maimonidis de *More Nevochim* his verbis excerpsit ac expressit: Com. ad 1 Sam. III. 5, 6, 7.
שהקול והדבור שבא לנביאים כלם היה תמיד במראה הנבואה *Quod* Vox *&* *sermo* (sive *oratio*, alloquutio, quâ Deus *Prophetas* dignatus esse dicitur:) *quæ obtigerunt Prophetis, omnes omninò censeri debeant ipsis obtigisse in Visione Prophetica*; והיה תמיד קול מושכל ולא קול מוחש *quodque ejusmodi* Vox *semper sit exponenda per vocem Intellectualem, non per Sensatam*, sive quæ per *sensum externum* verè defertur ad animum. Adjicit porrò Abarbanel, Maimonidem eodem prorsus modo accipere *Vocem*, quę *Samuelem* dormientem apud Sanctuarium interpellavit, & objectionem, quę contra ipsum ex illa historia produci poterat, specie quâdam ratiocinationis eludere; citatis verbis 1 Sam. III. 5.

bis Maimonidis ex *More* Lib. II. Cap. XLIV. quę tamen ſolidè refutat. Ipſe autem Abarbanel ſtatuit, *Vocem* ad Samuelem factam vere ab ipſo *per aures fuiſſe receptam*, (קל כוחס כגיע לאזניו) vereque à Deo potenti operatione voluntatis ſuæ *per miraculum in aëre productam*, (קול אלקי נברא ברוך נס) & quidem כקל אשר בא לישראל בהר סיני *inſtar Vocis, qua ad Iſraëlitas facta eſt in Monte Sinai*, provocatque ad Doctores Chriſtianos hanc Divinæ Revelationis ſpeciem ſecum agnoſcentes.

III. Et nos ſanè aſſentimur Abarbaneli, etſi propoſitum non eſt, integram hypotheſin Maimonidis diſcutere. Falſum tenet Maimonides, ſi verè ſentiat, Deum ſanctos Viros de ſua voluntate nunquam certiores feciſſe per verum Vocis externæ ſonum; falſum quoque, Veteres Scriptores ſuæ Gentis per בת קול intellexiſſe *Vocem*, imaginatione apprehenſam. Poſterius illud, quod nunc ſolummodò ad nos ſpectat, ex ſimplicitate Hiſtoricæ Relationis de בת קול ſatis clarè redarguitur. In Verbis excerptis de *Codice Sanhedrin* dicitur ſignificanter: נתנה עליהם בת קול מן השמים *Et edita eſt* SUPER IPSIS ſive *ad ipſos Filia Vocis* DE vel EX COELO. Quid ſibi illud; נתנה עליהם *delata, edita eſt ad ipſos?* Nonne eo innuitur, *Vocem* illam ipſis extrinſecus accidiſſe, & cum aëre per aures delatam eſſe ad mentem? Porro quid illud ſibi vult, מן השמים *Ex cœlo?* Nonne eo apertè indicatur, *Vocem* illam non *imaginationi* ſed *aëri cœleſti*, eoque mediante Deo ut auctori ſuam originem debere? Quare vanum eſſet, huic diſputationi diutius inhærere. Exempla *Vocum Cœleſtium* auditarum ſimilia, quę tum in Libris N. T. tum apud Scriptores profanos benè multa extant & mox à nobis adferentur, ſimul omnia inſervient Maimonidi refutando.

IV. Conſtet itaque *ſpecies* hujus Revelationis verâ *Voce* ſive *Sono*, aures percutiente. At cujus *Forma?* Fuitne illa *Vox* tenuis, debilis, preſſa; an verò clara, gravis, ſonora, repercuſſa? Hæc enim, ut notum, ſunt proprietates *Vocis*. Præoccupabo itaque nunc, quod deinceps adſtruam, per *Filiam Vocis* intelligendam eſſe *Vocem Gravem*; an *repercuſſam*, dein diſputabo. Sed ut ordine eo veniam, quo tendo, de variis *proprietatibus* ſive *formis Vocum*, quarum uſus eſt in Revelationibus Divinæ Voluntatis, diſſeram, ut *forma* illa *Vocis*, de qua nunc diſquirimus, clarius à cæteris diſcernatur.

V. *a.* Men-

V. *a*. Mentio est in Scriptura קול דממה *Vocis* DEBILIS, *pressæ*, & *exiguæ*, cujusmodi illa est, quam Gentiles *umbris* Hominum defunctorum adscribere soliti sunt, de qua insignis locus est apud *Jobum*. Eliphazus ibi in hunc modum: *Verbum* (דבר) *ad me furtim delatum est*; (Per *Verbum* heic intelligas *verbum Divinæ Revelationis*, quippe quæ in Scriptura passim quocunque modo homini innotescat, דבר יהיה *Verbum Domini* vocatur. Loquutio illa, quod nunc ἐν παρόδῳ observo; apud Gentiles pariter recepta fuit, ut ex celebri carmine Marcii, illustris Vatis Latini, liquet apud Livium, quod his verbis clauditur: *Nam mihi ita* JUPITER FATUS EST. Quod autem id *Verbum* FURTIM dicatur delatum ad *Eliphazum*, ratio est, quia *umbra* sive *Spiritus* ad modum *umbræ* apparens, repentè advenit, è vestigio disparet;) *& auris mea particulam de eo percepit. Inter cogitationes ex visionibus noctis, cum sopor cadit in homines; pavor invasit me & tremor, & quam multum est ossium meorum expavefecit. Et* ורוח על פני יחלף SPIRITUS *faciem meam pertransibat, & horripilare faciebat pilos carnis meæ:* יעמד ולא אכיר מראהו *consistebat, & non agnoscebam faciem illius:* תמונה לנגד עני דממה וקול אשמע SPECIES *oculis meis obversabatur*, SILENTIUM ET VOCEM *audivi* (hoc est, meo judicio, vocem exiguam, debilem, & quiddam *silenter* insusurrantem in aures) *An homo justior esset Deo? &c.* Clarum est, *Eliphazum* hic sive verè sive figuratè narrare, *Revelationem* aliquam sibi obtigisse *Divinam*, cujus *materiam* declarat à *vers.* 17. Quo verò auditores ejus diligentius ad illius Revelationis argumentum attenderent; eleganti periochâ orationis describit *modum*, quo sibi illa Revelatio obtigerat. *Modus* autem hic erat, quod *species* vel *umbra* aliqua, quam *Spiritum* & *Similitudinem* sive *imaginem* vocat, sibi *de nocte* apparuerit. Etenim clarissimum est, cum his comparanti, quæ profani Auctores de *nocturna apparitione umbrarum* vel *Spirituum* dicunt, *Eliphazi* verba sic, & non aliter, interpretanda esse; quare quæ Interpretes alii fortè in contrariam partem de sensu hujus loci statuerunt, neutiquam inquiram aut refellam. Illi verò *Spiritui* Eliphaz assignat דממה וקול / *Vocem submissam*. Coccejus vertit: *Auram & vocem audiebam*; ac si dicere voluisset *Eliphaz*, cum leni aura *vocem* ad se delatam esse *articulatam*, comparato loco 1 Reg. XIX. 12. Belgæ: Daer was

Cap. IV. 12, 13. &c.

Hist. Lib. XXV. Cap. XII.

stilte / ende ick hoorde eene stemme. Verum verba commodè verti possunt per *vocem submissam*, quia *duorum substantivorum*, in oratione *conjunctorum*, *alterum aliquando sustinet vicem adjectivi*; quem canonem exemplis (inter quæ hunc quoque locum offendes) illustratum videbis à Glassio. Quod verò רממה וקול accipiam pro *voce submissa*, tenui & exigua, hæc est caussa, quod adverterim, Gentiles de *Umbris* sive *Spiritibus* sic sensisse, illos *exiguâ* & *acutâ voce* ad homines verba facere. Quæ verò pauca mihi ad singulorum, quæ anticipavi, hujusque totius loci illustrationem, notata sunt, heic adscribam.

Phil. Sacr. Lib. III. Tract. I. Can. VI.

VI. Primò Gentiles in scriptis suis aliquando memorant SPECIES hominum (eadem vox est cum hebræa תמונה) silentio noctis, sive *in somno* sive *in prima somni nebula*, *quæ inter adultam quietem & vigiliam media est*, à quibusdam visas, quæ *Divinam Voluntatem* ipsis interpretatæ sint. Livius de *Decio* & *Manlio*: *Ibi* IN QUIETE *utrique consuli eadem dicitur visa* SPECIES VIRI *majoris*, *quam pro humano habitu*, *augustiorisque*; *dicentis*: *Ex una acie Imperatorem*, *ex altera exercitum Diis manibus*, *matrique terræ deberi*, &c. Dein de *Hannibale*: *Ibi fama est*, *in quiete visum ab eo Juvenem* DIVINA SPECIE, *qui se à Jove diceret Ducem in Italiam Annibali missum*. *Proinde sequeretur*, *neque usquam à se deflecteret oculos*. Simile ad omnia est, quod *Æneas* apud Virgilium, de *apparitione Hectoris*:

Lib. VIII. Cap. VII.

Lib. XXI. Cap. XXII.

Æneid. Lib. II. vers. 270.

In somnis, *ecce*, *ante oculos mœstissimus Hector*
VISUS *adesse mihi*; &c.
Graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, *nate deâ*, *teque his*, *ait*, *eripe flammis*.

Lib. IV. vers. 556.

Idem Rursus de *Ænea* dormiente:

Huic se FORMA DEI *vultu redeuntis eodem*
Obtulit in somnis, *rursusque ita visa monere est*.

In Somn. Scip. Lib. I. Cap. III.

Id genus revelationis *Oraculum* dictum est Veteribus. Macrobius ubi est in recensendis variis *Somniorum speciebus*: *Et est* ORACULUM *quidem*, *cum in somnis parens vel alia sancta gravisque persona*, *seu Sacerdos vel etiam Deus*, *apertè eventurum quid*, *aut non eventurum*, *faciendum vitandumve denunciat*. Quod autem *Umbra* ejusmodi, vel *species* quædam Viri humanâ formâ apparentis, non tantum תמונה SPECIES, sed & SPIRITUS (רוח) dicatur ab *Elipha-*

phazo; nihil obstat, cum *umbra* sive spectrum apparens *eodem nomine* (πνεῦμα) designetur apud *Lucam*. Secundò, quemadmodum *Eliphaz* ad *apparitionem* hujus *Umbræ* vel Spiritus dicitur *exhorruisse*; sive, quod vocabulum hic à Cl. Coccejo industriè adhibitum est, *horripilasse*; sic pariter in Scriptis profanis adfecti fuisse feruntur, quibus hujusmodi quid accidit; inprimis *vigilantes*. Habes apud Virgilium narrantem *Mercurii* apparitionem, *Æneæ* factam: Cap. XXIV. 37. Lib. VI. verf. 270.

At verò Æneas aspectu obmutuit amens,
Arrectæque HORRORE *comæ & vox faucibus hæsit.*

Eâdemque prorsus utitur loquutione, ubi de *Umbra Creüsæ*: Lib. II. verf. 772.

Infelix simulacrum, atque ipsius UMBRA *Creüsæ,*
Visa mihi ante oculos & notâ major imago.
OBSTUPUI, STETERUNTQUE COMÆ, *& vox faucibus hæsit.*

Tertiò *Umbris* dixi adscribi *vocem debilem* atque *exiguam*; ceu in hoc loco דממה וקל. Probem illud ex eodem Poëta, de *Umbris* loquente: Lib. VI. verf. 493.

Pars tollere vocem
EXIGUAM, *inceptus clamor frustratur hiantes.*

Servius putat, *timori* adscribendum esse, quod Virgilius hic de *Umbrarum* voce *exigua*; sed ostensum jam ab aliis, qui hunc Poëtam commentati sunt, referendum esse ad id, quod *manibus*, verba ad homines facientibus, proprium est; qui eandem quoque ob caussam ὀξύφωνοι vocentur.

VII. β. Ab hac verò *forma Vocis*, quam *Spiritibus* noctu apparentibus assignavi, distinctam esse arbitror, quæ locum habuit in Revelatione Divinæ Voluntatis *per Urim* & *Thummim*; etiamsi omninò sentiam, *Responsa* Dei per *Urim* Sacerdoti reddita esse *voce articulatâ*, quæ Deum caussam habuit. Quid per *Urim* & *Thummim* apud Mosen & primævos Historiographos Judaici populi intelligendum sit, mihi sic exploratum non est, ut illud absque necessitate urgente, quæ hic nulla est, definire velim. Id solùmmodo huc spectat, ut apertè declarem, *responsa*, quę per *Urim* & *Thummim* reddita sunt, data esse per *Voces articulatas*, ab *interrogante Pontifice* auribus haustas. Nonnulli Doctores Judæorum sic statuerunt, ceu à Cl. Buxtorfio observatum est; sed qui numero & fortean auctoritate nequaquam comparandi Hist. Urim & Thum. Cap. II.

sunt cum longè maxima multitudine aliorum, qui putant, responsa à Pontifice percepta esse ex *fulgore* Gemmarum & *combinatione* fulgentium aut protuberantium literarum Pectoralis, vel ex *inspiratione tacita*, vel ex utraque simul; imo Christianorum Doctorum celebrium numerus (quos inter ipse ille Buxtorfius:) manus dat Judæis, & in aliqua illarum opinionum acquiescit. At verò ego pleno animi mei consensu probo; probo, inquam, illam sententiam, quam Cl. Spencerus amplexus est ac defendit eruditâ de hoc argumento *Dissertatione*, quod sc. *Responsa*, ad Quæsitiones per *Urim* & *Thummim* institutas, reddita sint *Voce articulatâ*, eâque sensum Pontificis percutiente. Spencerus quidem suam hypothesin eo potissimum confirmat, quod *cæteras redarguat*; neque id infeliciter. Imo comprobat quoque suam sententiam ex 1 *Sam*. xxx. 7, 8. in quo loco dicitur *Deus Davidi* se interroganti mediante Ephodo RESPONDISSE; *Persequere*, (Amalekitas nimirum) *absque dubio enim comprehendes eos, &c. Hunc textum modò bis mille viri legerent*, ait, *quorum animos nulla fabulæ Talmudicæ vel vulgi placita de hoc Oraculo recepta vitiarint, ausim profectò quovis pignore contendere, quod eum* DE RESPONSO VERBIS EXPRESSIS REDDITO *intelligendum esse uno ore statuere vellent, nec de Oraculo per Spiritus afflatum, Gemmarum splendorem, aut literas in pectorali protuberantes, & in textu illo verbis apertis explicato vel per somnium cogitarent*. Rectè. Mihi hæ binæ suppetunt & satisfaciunt rationes. α. Quod omninò conveniat, ut *modus responsionis* consentiat *modo interrogationis*. Interrogatio autem sive quæsitio per *Urim* instituta est per veram atque articulatam *Vocem*, (quod non putem ab Auctoribus negari; saltem negari nequit ulla cum specie rationis:) ac proin convenit, ut *responsum* eodem modo redditum sit. Nolo nunc vindicando huic argumento inhærere, & exceptionibus, quæ contra illud inferri possint, solvendis laborare, etsi ea facilis esset opera; quia in transitu tantum hanc rem nunc ago. β. Quod *modus Respondendi* per *Urim* distinguatur à *somniis*, aliisque *modis Divinæ Revelationis*, (*Visionibus* sc.) qui *Prophetis* obtigerunt. Sic est in historia Saulis: *Non respondebat ei* (Sauli) *Jehova, nec per* SOMNIA, *nec per* URIM, *nec per* PROPHETAS. *Prophetas* olim Deus de arcana sua voluntate instruebat per *somnia* & *visiones*. Ab his *modis Revelationis*

Cap. III. §. XI.

1 Sam. XXVIII. 6.

nis distinguitur *modus Revelationis per Urim*; unde videtur rectè inferri, *Pontifici* non innotuisse Divinam Voluntatem per *inspirationem* vel *illuminationem* mentis, mediante *imaginatione*; quia hæc omnia ad *visiones* referenda sunt; sed (quia nihil commodius adferri potest) per *Vocem*. Fateor quidem, hâc ratione non magnoperè premi, qui existimant, Pontificem arcanum Divini Consilii cognovisse ex *fulgore* aut *protuberantia* lapidum aut literarum. At illam ego sententiam ut minimè probabilem, & sæpè jam ab aliis confutatam, ita sepono, ut illius rationem planè haberi non posse judicem.

VIII. Sed quâ *formâ* Vocis Deus responsa dedit ad quæstiones per *Urim*? *Voce*, ut opinor, non debili quidem & exiguâ, sed *submissâ*. Præivit mihi in eo Cl. Spencerus, cui hæc præ cæteris probata est sententia, quod ea maximè congruat paradoxæ ejus hypothesi de *Urim*, cum qua ego nihil commune habeo. Verba Viri docti sunt: *Verisimile autem habeo, Deum voce paulo submissiore & qua Regem decet, mentem suam interpretari solitum.* Rationes subjicit duas. *α.* Quia *id Pontifici summam dignitatem adderet, cum Deus eum unum interiore familiaritate dignari & quasi in aurem dicere videretur.* *β.* Quia Deus olim *oracula sua voce tenui, remotis arbitris, amicis suis ut admissionis proximæ famulis sæpè tradidit:* quem in finem allegat loca *Job.* IV. 16. 1 *Reg.* XIX. 12. Valeant hæc ratiocinia, quantum possunt. Posterius certè cum hac διακρίσει accipi velim, ut *forma Vocis*, quâ responsum est Pontifici, Deum consulenti per Urim, non confundatur cum *forma vocis*, quæ *Spiritibus* aut *Umbris*, noctu apparentibus, apud *Jobum* adscribitur. Aliud enim est, *exiguâ*, *debili*, *acutâ*; aliud *submissâ voce* fari. Posterius assigno *Oraculis Urim*. At quæ tibi ratio, inquis, diversa ab iis Spenceri? Non magna quidem, fateor, nec varia, (disputamus enim de rebus, quarum attrita ferè per vetustatem memoria est & veritas:) nec tamen nulla. Nimirum probè percipio, decorum & Reverentiam Numinis id postulasse, ut qui Deum consultaverit Pontifex, & quidem *secretò* ac *familiariter*, non usus sit *alta* & *elata*, sed pressiore ac *summissiore voce*. Id enim, ut dixi, Reverentia summi Domini; imo & modus consultationis, secretæ & familiarioris, omnino postulavit. Neque aliter rem consideravit Maimonides, qui, etsi à no-

Cap. III. Sect. XII.

à nobis diſſentiat in explicando modo Reſponſionis, hic tamen Hilc. Kele Hammikdaſch Cap. x. §. xi. nobis aliiſque facem prætulit. Sic illle in *Pandectis* antiquarum *Traditionum:* ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמי שמתפלל בינו לבין עצמו *Non interrogat voce altâ, neque etiam ſola mentis ſuæ cogitatione, ſed* VOCE SUBMISSA, *ad inſtar illius, qui ſolus orat.* Undecunque autem id habeat Maimonides & ante eum Talmudici, noſtrâ parum intereſt; qui id ideo accipimus, quia rationi communi conſentaneum eſt. Quod ſi admittatur: facilè quoque evincemus, *Reſponſum* Divinum eâdem *forma Vocis* interroganti redditum eſſe. Etenim decorum converſationis *ſecretæ* ac *familiaris* Dei cum Pontifice id non minus videtur exegiſſe in *Reſponſione*, quam in *Conſultatione*.

IX. *γ.* Deus ſubinde Sanctos Viros compellavit iiſque conſilia ſua expoſuit *forma vocis humanæ communis*, vel quæ ad illam *proximè* accedit. Credere licet, *Samuelem* hujuſmodi genus allo- 1 Sam. III. 4, 5. cutionis Divinæ expertum eſſe, quippe qui *Vocem Divinam* ad ſe perlatam non diſcrevit ab *humana*, quam opinabatur profectam eſſe ab *Eli*. At quam clariſſimum eſt, Deum hujuſmodi *vocis* commercium, ceu inſignem prærogativam, indulſiſſe Num. XII. 8. *Moſi*; de quo hiſtoria: פה אל פה ארבר בו ORE AD OS *loquor cum* Exod. XXXIII. 11. *eo*; & alio loco: כאשר ידבר איש אל רעהו *Quemadmodum loquitur amicus ad amicum*; ſive homo ad hominem. Niſi fallor, hæc fuit prærogativa ſinglaris illius beneficii quo ſolus Moſes inter mortales omnes gloriari potuit, quod quotiens cuperet adiret *Nubem*, reſidentem ſive ad oſtium Tentorii ſui, ante erectum Exod. XXXIII. 7. *Tabernaculum commune*; ſive ad *Oſtium Tabernaculi Conventus*; Lev. I. 1. ſive etiam inter *Cherubim*; oratione, communi voce enunciatâ Exod. XXIX. 42. Deum, ſymbolo *Nubis* gloriam ſuam celantem, alloqueretur, Num. VII. 89. & de dubiis quibuſque conſuleret, & ſummus Deus illi eâdem *Vocis humanæ formâ* reſponſum redderet. Ingens ſanè hoc ac tremendum fuit myſterium; & ſtupenda atque incomparabilis neque ſatis unquam verbis deprædicanda Gratia, quâ reverendus ille, ſanctiſſimus, & maximus Deus hominem mortalem, in luteo Tabernaculo non planè purum vitiis, proſequutus eſt.

X. Ne peccem tamen in reverentiam, quâ ſummâ feror erga Divinum Verbum & Sacra eo contenta, ſi hic obſervem, Gentiles

tiles Dis Deabusque suis humanâ formâ apparentibus & commercium sermonis cum hominibus fortè instituentibus, adscribere quandam eloquutionis claritatem, vel majestatem aut decus, unde eorum *vox* ab *humana* discerni poterat. Sic Poëta, ubi de *Venere*, *Ænea* incognitâ formâ apparente. Verba *Æneæ* ad illam: Æneid. Lib. I. vers. 326.

Namque haud tibi vultus
Mortalis, *nec* VOX HOMINEM SONAT.

Rursus de *Iride*, formâ mulieris Trojanæ apparente, & se formâ vocis *Deam* esse probante: Lib. V. vers. 647.

Divini signa decoris
Ardentisque notate oculos; *qui spiritus illi*,
Qui vultus, VOCISQUE SONUS?

Iterum de *Sibylla*, Numine nunc adflata; Lib. VI. vers. 50.

Majorque videri
NEC MORTALE SONANS, *adflata est Numine quando*
Jam propiore Dei.

Hanc autem differentiam in *claritate* & *majestate* vocis si constituam: fortè non erravero. An verò ejusmodi *claritas* vel *decus* adfuerint vero Deo verè cum hominibus formâ vocis humanæ sermones miscenti, quis ambigat? Certè enim quis neget, quis ignorat, Diabolum olim Gentes earum rerum umbris atque imaginibus (nisi quod, quæ ex Virgilio adduximus, ficta sunt, ut notum est; at nihilominus attemperata communi fidei Gentium de Revelationibus Divinis illius temporis:) delusisse, quarum vera species apud solos Israëlitas extabat?

XI. *δ*. *Quarta* nunc cæteris in explicatione nostra succedat FORMA *Divina* vocis, GRAVIS scilicet & *Sonora*, quam nunc tandem vindicamus illi Oraculo, quod Judæi בת קול FILIAM VOCIS vocant, quodque nobis nunc materiam disputandi præbet. Statuimus itaque nunc primò, per *Filiam Vocis* à Judæis intelligi *gravem* ac elatam *vocem*; sive קול עז *vocem validam*, קול רם *Vocem altam*, faciente Deo, prolatam ad homines de voluntate sua edocendos. Id verò præter ea, quæ in sequentibus proferenda erunt, adstruam tum ex *Scriptura N. T.* tum ex iis documentis quæ apud *Auctores Profanos* de eadem specie Divinæ Revelationis, quam Judæi ברת קול vocant, habentur: quibus dein plura ad hypothesin hanc illustrandam adjiciam.

XII. Ex Sacra Novi Teſtamenti Hiſtoria clarum pro hac ſententia argumentum peto ex *Joan.* XII. 28. Narratur ibi, Chriſtum coronâ populi cinctum preces his verbis conceptas ad Deum miſiſſe: *Pater, glorifica nomen tuum!* hoc eventu: Ἦλθεν οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *Venit igitur* VOX EX COELO; *Et glorificavi & rurſus glorificabo.* Additur, quod nunc maximè ad nos pertinet: *Turba autem, quæ adſtabat & audierat,* ἔλεγε βροντὴν γεγονέναι *dicebat;* TONITRU ESSE FACTUM: *Alii verò; Angelus illi loquutus eſt.* Quod hæc *vox*, quæ *cœlo* fertur dimiſſa fuiſſe, prorſus ad exemplum Talmudicæ illius בת קול מן השמים / *gravis* fuerit & *ſonora*, id perfacilè inde colligis, quod de populo adſtante quidam jactarent; *Tonitru aliquod percrepuiſſe.* Utique enim, ſi hæc verba cœleſtia edita non eſſent *voce altâ & gravi*, hæc quorundam opinatio de *tonitru facto* nulli prorſus fundamento ſuperſtructa fuiſſet. Idem colligo de *voce*, à Paulo audita, viâ verſus Da-
Cap. IX. 3, 4. maſcum, cujus mentio eſt in Actis. Hiſtoria ita habet: *Quum autem iter faceret, accidit, ut appropinquaret Damaſco,* καὶ ἐξαίφνης περιήστραψεν αὐτὸν φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *& repente circumfulſit eum* LUX DE COELO; *& cum cecidiſſet in terram,* ἤκουσε φωνὴν λέγουσαν αὐτῷ *audivit* VOCEM, *dicentem ſibi; Saul, Saul quid me perſequeris?* Juvat huic loco pauliſper inhærere. *Primò* refertur, *Lumen de cœlo* Paulum proſtraviſſe *humi*; *dein* verò, illum *audiviſſe vocem.* Per *lucem* ſive *lumen de cœlo* quis aliud hic intelligat quam *fulgur fulminis?* Quod ſi admiſeris; non negaveris, per *Vocem*, fulmini conjunctam, *Vocem tonantem* & *gravem* intelligendam eſſe, quia ex Lege naturæ *fulmina* comitari ſolent *tonitrua.* Commendat inſuper impensè hanc noſtram ſententiam, quod ſola, quantum video, faciat duobus dictis Lucæ de eodem hoc eventu, inter quæ pugna aliqua videri queat, inter ſe conciliandis. In *priore* hoc *loco*, cujus partem excerpſi, hæc legis *verſ.* 7. *Viri autem, qui cum Saulo iter faciebant, conſtiterunt muti,* ἀκούοντες μὲν τὴν φωνὴν AUDIENTES QUIDEM VOCEM, *ſed neminem videntes.* Alibi tamen idem Lucas Paulum ipſum eundem caſum ſic narran-
Cap. XXII. 9. tem inducit: *Qui autem mecum erant lucem quidem viderunt, & perterrefacti ſunt:* τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι VOCEM VERO NON AUDIVERUNT *mihi loquentis.* Hærent paſſim Interpretes, & ſcinduntur in partes. Beza ex Scholiis Græcis ſtatuit,

Pauli

Pauli quidem sed non *Christi vocem* à comitibus *Pauli auditam* esse, adeoque quod in priore loco dicitur; ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς *audientes quidem vocem*, interpretatur de *voce Pauli*; quod & ipsum infarcit in versionem suam; *audientes quidem* ejus (Pauli) *vocem*; & quod in altero habetur: *Vocem verò non audiverunt* τοῦ λαλοῦντός μοι *loquentis ad me*, interpretatur, ut par est, de *voce Christi*. Ingeniosè hoc quidem & acutè, sed non verè & solidè. Quod enim *Cap.* IX. 7. de *Voce* à Comitibus Pauli *audita* traditur: omninò referendum ad *vocem* Christi, de qua ℣. 4. Quid enim attinebat dicere, *Comites Pauli*, *ejus loquentis vocem audivisse*; quippe quod insolens non erat; de quo nulli in mentem venit dubitare? Imo quod dicitur; *audientes quidem vocem*, & *neminem videntes*: manifestum est, referendum esse ad *vocem illius*, *quem non videbant*. Is autem erat *Christus*, Paulo loquens. Certum ergo sit, in utroque loco mentionem esse de *Voce Christi*. Nostra sententia est, in *priore* loco per *Vocem* intelligendum esse *Sonum vocis*, junctum *fulmini*, qui verè à comitibus Pauli exceptus est; in *posteriore* autem per *Vocem* designari *verba articulata*, cum illo *tonitru*, quod à comitibus Pauli perceptum est, *enunciata*, eorumque verborum *sensum*. *Gravem Sonum tonitru* audiverunt Pauli Socii; sed *verba articulata* de illo tonitru prodeuntia, ad Paulum convertendum directa, non *perceperunt* vel *intellexerunt*; sive quod per singularem Providentiam Divinam nimio stupore perculsi sensus officio suo functi non sint; sive quod *Hebraica Lingua*, quâ Christus loquutus est, ignari fuerint. Prius tamen prætulerim. Atque ita mihi præiverunt Grotius & Cappellus. Hoc addendum erat, *in voce gravi*, quæ apud multitudinem hominum cum *tonitru* effertur, id facilè evenire posse, ut à quibusdam *Sonus confusus* audiatur; à quibusdam quoque *verba*, cum illo tonitru distinctè elata. Utique enim in loco *Joh.* XII. 28. jam allegato, simile prorsus exemplum habemus. *Vox* facta est ad Christum *articulata* de *Tonitru*, quæ tamen à multis non est percepta, qui solummodò *tonitru factum*, jactabant. Quin sunt inter Doctores Judæos qui putant, Deum *loquentem* ad *Prophetas*, eorum *sensum* singulari quâdam & insolitâ virtute sic exacuere, ut *loquentem* & *verè loquentem* ipsi soli audiant ac intelligant; cæteris, qui fortè adsunt, nihil quicquam ejus per-

cipientibus. Profeci illud ex Kimchio in 1 Sam. III. 9. 'והחכ ראב"ע פי' כי לפי ששמואל לבדו היה שומע הקול ועלי לא היה שומע אותו ידע עלי והבין כי קול הנבואה היה הקב"ה משמיע אותו למי שירצה וכן וישמע את קול מדבר אליו *Sapiens autem ille R. Abraham Aben-Ezra id, quod hic dicitur*, (ויבן עלי *Et intellexit Eli*, &c.) *ita interpretatur; exinde, quod Samuel solus hanc vocem audiret, & ipse Eli eam non audiret, Eli intellexisse, Vocem hanc esse Divinam. Vocem enim Prophetiæ*, (quâ Deus ad Prophetas Sanctosque Viros fatur:) *Deus tantum audire facit eos, quos vult. Atque ita accipiendus locus* (Num. VII. 89.) *Et audivit* (Moses) *vocem loquentem ad se* &c. Quod autem Aben Ezra hic non loquatur de *voce*, in imaginatione formata, (de quâ Maimonides hunc aliosque locos intelligit:) sed *vera* atque articulata: id quàm clarissimè patet ex commentario ejus in Num. VII. 89. Ibi ita: וטעם וישמע שהוא לבדו היה שומע הקול ולא ישמענו מי שהוא באהל מועד מחוץ לפרכת גם זה נכון כי השם הוסיף בהרגשת אזניו כאשר הוסיף באור עיני נער אלישע וכן ויגל יי' את עיני בלעם *Sensus autem illius*; Et audivit &c. *hic est, quod ipse* (Moses) *solus hanc vocem audiverit, neque ullus præter ipsum alius, qui fortè adesset in tentorio Conventus extra velum. Imo hoc pariter certum est, Deum sensui auditus Mosis* virtutem minimè vulgarem *addidisse, sicuti visum servi Elisæ* singulariter *illustravit* (II Reg. VI. 17.) *Quo eodem sensu dicitur* (de Bileamo Num. XXII. 31.) *Et retexit Dominus oculos Bileami*. Non probamus quidem in omnibus hanc sententiam *Aben Ezræ*. Id tamen ejus probo, non absurdè statui, Deum singulari quâdam providentiâ communem Vocis Sonum sic facilè posse attemperare ad sensum, ut quod ab hoc *confusè*, ab alio *distinctè* percipiatur.

XIII. Cæterum ut Scriptura *Deo de cælis loquenti* tribuit *Vocem gravem*: sic pariter Scriptores profani *Voces Divinas* de *cælo* vel *adytis* Templi vel *lucis* obscurisque locis factas jactantes *gravem* Deo sonoramque *Vocem* dant. Sive autem illæ ipsorum narrationes veræ sint sive fictæ: sive Deus ipsis loquutus sit; sive Dæmon aliquis ipsis simulacro Vocis cujusdam cœlestis illuserit, quod nunc non disputo: id saltem ex illis colligo, apud omnes Gentes receptam fuisse opinionem, *Deum* de *cælo* arcana voluntatis suæ revelantem *altâ loqui voce*: quæ tam constans opinio super certâ traditione vel veris exemplis fundata videtur.

Cape

Cape nunc hæc documenta ex Patre Romanæ historiæ: *Visi etiam audire* VOCEM INGENTEM *ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu Sacra Albani facerent, quæ, veluti Diis quoque simul cum Patria relictis, oblivioni dederant.* Memoratur ibidem quoque VOX COELESTIS *ex Albano monte* missa, sed absque epitheto. Alio loco: *Adjiciunt miracula huic pugnæ; silentio proxima noctis* INGENTEM EDITAM VOCEM, *Silvani vocem eam creditam, hæc dicta, Uno plus Etruscorum cecidisse in acie: vincere bello Romanum.* Ad similem modum: VOX HORRENDA EDITA *Templo cum tristibus minis.* Tacitus egregiè de *Voce* audita in Templo Hierosolymitano, de qua nos modò ex Josepho: *Expassæ repentè Delubri fores, &* AUDITA MAJOR HUMANA VOX; *Excedere Deos: simul ingens motus excedentium.* Item Virgilius: Liv. Lib. I. Cap. XXXI. Lib. II. Cap. VII. Lib. V. Cap. XXXII. Hist. Lib. V. Cap. XIII. Georg. Lib. I. vers. 475.

> VOX *quoque per lucos vulgò exaudita silentis*
> INGENS.

Huc quoque referendum, quod apud Plutarchum narratur de famosa illa *Voce*, apud *Echinadas* insulas audita, imperante *Tiberio*, quâ vocatus est *Thamus* quidam nauclerus Ægyptius, illique imperata annunciatio mortis *Magni Panis*. Ἐξαίφνης, ait, δὲ φωνὴν ἀπὸ τῆς νήσου τῶν παξῶν ἀκουσθῆναι θαμοῦν τινὸς βοῇ καλοῦντος, ὥστε θαυμάζειν, *repente vocem ab illa Paxarum insula exauditam esse cujusdam* MAGNA VOCE *Thamum vocantis, ita ut quisque obstupesceret,* &c. Simile huic idque non minus memorabile exemplum est apud Laërtium in historia Empedoclis. Narraverat ex Heraclide, *Empedoclem* convivium celebrasse cum quibusdam suis amicis, & inter illos quoque *Pausania*; convivio autem soluto, alios quidem digressos esse; alios se sub arboribus villæ ad quietem composuisse; solum *Empedoclem* in *loco remansisse*, sed *manè*, cæteris excitis, *repertum non esse. Factâ autem* (sic pergit) *diligenti inquisitione è servis, qui rogabantur: unus adstitit, qui diceret,* μέσων νυκτῶν φωνῆς ὑπερμεγέθους ἀκοῦσαι, προσκαλουμένης Ἐμπεδοκλέα *se mediâ nocte* INGENTEM *audivisse* VOCEM, *Empedoclem vocantem; tum verò ubi surrexisset* ἑωρακέναι φῶς οὐράνιον καὶ λαμπάδων φέγγος, ἄλλο δὲ μηδὲν *cælestem vidisse lucem & splendorem tædarum: nihil aliud.* Ex circumstantiis patet, *Vocem* innui *cælestem*. Ipsam verò phrasin Hebraicam; נתנה בת קול מן השמים *Edita est vox de cælo*, habes apud Livium in *Oratione Camilli*; *Spreta* VOX COELO EMISSA de *adventu Gallorum*. De Cessatione Oraculorum, p. 280. In Empedocle, p. m. 610. Lib. V. Cap. LI.

XIV. Præter hæc, *duo* mihi ſunt alia, quæ ſententiam quam hactenus probavi, illuſtrant, quin & confirmant. *Primum* eſt, quod ipſa denominatio בת קול nos eò ducat, ut credamus, id genus *Revelationis*, quod ſic à Judæis dictum eſt, *altâ* ac *gravi Voce* factum eſſe. Nimirum Hebræum קול / Deo adſcriptum, ſæpè idem valet quod *tonitru*. ut Job. XXXVII. 4. ירעם בקול גאונו *Tonat* VOCE *excellentiæ ſuæ*. Pſ. XXIX. 3. קול יהוה Vox (tonitru) *Jehovæ eſt ſuper aquis: Deus Gloriæ intonat.* ob quam cauſam *αἱ φωναὶ* cum *βρονταῖς* conjunguntur *Ap*. IV. 5. Duo alia loca inſignia ſunt in Apocalypſi, quæ huc pertinent, ſed quæ deinceps adducentur & exponentur. Quodſi verò קול / Deo de cœlis Majeſtatem decuſque ſuum manifeſtanti adſcriptum, ſæpè notet *tonitru*, omnino videtur *Revelatio*, quæ dicta eſt בת קול / *gravi* quoque, elatâ, & Majeſtatis indice *Voce*, facta eſſe. *Dein* obſervari meretur, quod obſervare non neglexit Heinſius; illud plurimum facere ad *Gloriam* & *Majeſtatem* Dei, ut in *Publico* loquens *Gravi tono* placita ſua pronunciet. Quid enim id Deo non maximè conveniat, cum qui inter homines dignitate præcellunt ad inferiores verba facturi hanc ipſam *Gravitatem*, hoc *pondus*, inquam *Vocis affectent*, ad ſibi conciliandam reverentiam? Quanto autem Deus homini præſtat: tanto etiam ipſi convenit ad homines inſtar Regis vel Domini loquuturo clariora in loquendo edere *Majeſtatis* ſuæ argumenta, hoc eſt, *Voce* ipſos compellare quam *Graviſſimâ*, (quia aliud ſignum Majeſtatis in Voce edi non poteſt:) & quid *Divinum* ſonante.

XV. Hâc verò *Formâ Vocis* cenſeo Deum *vocaſſe* primos noſtros Parentes *poſt commiſſum peccatum*, & ſimul hoc medio ſum-
Cap. III. 8. mum ipſis incuſſiſſe terrorem. Apud Moſen legitur: *Et audiverunt* את קול יהוה אלהים VOCEM DOMINI DEI, *ambulantem in horto ad ventum diei. Vox non articulata*, ait Cl. Altingius, *qualis verſ.* 9. *ſed inarticulata*, *terribilis*, *reddens compenſationem*, qualis Pſ. XXIX. 3. & XVIII. 14. *Tonitruorum murmura & fulgetrorum flammas* intelligit. Non improbo. Sed cum ea *voce* mox conjuncta fuit *Vox articulata*, quâ *Adam* juſſus eſt ſe coram Deo Judice ſiſtere, ℣ſ. 8. quæ *Adamum* ſummo perculit *metu* ac *horrore*. Inde ſatis liquet, Vocem fuiſſe gravem & horrendam. Dein etiam hâc *Formâ Vocis* Deus, Rex populi Judaici, Legem

Regni

Regni ſui, *Decem* comprehenſam *verbis*, ſive *ſententiis*, Iſraëlitis promulgavit de *Monte Sinai*; quod ex circumſtantiis illius Hiſtoriæ abundè liquet. Hæc cauſſa quod Iſraëlitæ *Divinâ* hâc *Voce* ita perterrefacti ſint, ut longius à monte receſſerint, veriti, ne fortè per tremendam Dei Majeſtatem conſumerentur, atque adeo Moſi ſupplicaverint, ne Deus ſecum *de monte* loqui pergeret. Paulus ad *Heb*. XII. 19. inde memorat φωνὴν ῥημάτων VOCEM *verborum*, ἧς οἱ ἀκούσαντες παρῃτήσαντο μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον. Status populi *talem Vocem* efflagitabat. Utique enim *Vox gravis & ſonora* requirebatur, quæ percelleret aures tantæ hominum multitudinis, quanta ſe *Deo Doctori* & Imperatori præſentem ſiſtebat, ad radices illius excelſi montis, in cujus altero cacumine Gloriæ Divinæ ſymbolum ſe conſpiciendum exhibebat. Prætereà percutiendi erant Iſraëlitarum animi reverentiâ ſummæ Majeſtatis Numinis, cujus magna illos tenebat negligentia, & irreverentia. Quin ſtatutum erat Deo, ejuſmodi fœdus cum ipſis ferire ad hunc montem, quo gratia *ſeveritate* temperaretur. quibus omnibus apprimè conveniebat *Vox Gravis* & *Sonora*. Forte verò ejuſmodi quoque *Vox* cœleſtis ſententiæ formata ab Angelo perculit *Nebucadnezarem*, (niſi quis Danielis verba metaphoricè interpretari malit, quod tamen haud æque convenit cum ſimplicitate hiſtoriæ:) quo tempore altius ſe, quàm pro conditione humana, efferebat. Verba ſunt Dan. IV. 28. קל מן שמיא נפל VOX DE COELO LAPSA EST: *Tibi denunciatur, Rex Nebucadnezar, Regnum tibi ademptum iri*, &c. Certe loquutio; *Vox lapſa cælo*, vel *Cælo miſſa*, (ut Livius) eadem eſt quæ *Talmudicorum*; קול נתנה מן השמים *Vox data eſt de cælo*: eſtque adeò in proclivi opinari, Talmudicam illam phraſin hinc deſumptam eſſe. Si autem verè ad *Nebucadnezarem* ejuſmodi *Vox* delata ſit de *cælo*: quis dubitet, *gravem* fuiſſe & *terribilem*, quippe ad id ordinatam, ut Nebucadnezari ſententiam Dei Judicis exponeret, ad quod hujuſmodi *Vocis forma* aptiſſima erat? Tandem etiam non ambigo, quin *ingens* ejuſmodi & gravis *Vox* Dei *Patris* audita ſit in *Baptiſmo* Chriſti, de qua Matthæus: *Et ecce* φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα, VOX DE COELO DICENS: *Hic eſt Filius meus, dilectus ille, in quo mihi placeo*. Hieronymus id jam ſuo tempore obſervavit, ceu colligas ex ejus ad *Algaſiam* Epiſto-

Exod. XX. 16.

Deut. XXXIII. 3.

Cap. III. 17.

Part. III. Fol. m. 54. col. 3. ſtola; ubi de *Joanne Baptiſta:* DEUMQUE PATREM, ait, INTONANTEM *audierat*; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Haud dubie enim hæc *Vox* ejuſdem fuit *formæ* cum ea, quæ edita eſſe narratur *Joh.* XII. 28. Confer nunc *Matth.* XVII. 5.

XVI. Quin ſi credas Hiſtoricis antiquis Eccleſiæ, primorum temporum Chriſtiani, etiam longè poſt Apoſtolorum deceſſum, gaviſi ſunt in quibuſdam caſibus hoc beneficio *Vocis Cæleſtis.* Clariſſimum ſpecimen eſt apud Euſebium, narrantem, (Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. Cap. XI.) quomodo *Alexander* ex *Cappadocia*, in qua primum functus erat *Epiſcopatu*, Hieroſolymam fortè profectus, *Narciſſo* adjunctus ſit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus. Verba Euſebii: Οὐκέτ' οἴκαδε αὐτῷ παλινοστεῖν ἐπιτρέπουσι, καθ' ἑτέραν ἀποκάλυψιν καὶ αὐτοῖς νύκτωρ ὀφθεῖσαν, μίαν τε φωνὴν σαφεστάτην τοῖς μάλιστα αὐτῶν σπουδαίοις χρήσασαν· ἐδήλε γὰρ προελθόντας ἔξω πυλῶν, τὸν ἐκ Θεοῦ προωρισμένον αὐτοῖς Ἐπίσκοπον ὑποδέξασθαι· *Reverti autem ipſum* (Alexandrum) *poſthæc in Patriam non ſiverunt, ſecundum aliam quoque Revelationem ipſis de nocte viſam,* & VOCEM QUANDAM CLARISSIMAM, *cæleſtis inſtar oraculi, ab iis maxime, qui ſanctitate inter ipſos eminebant, perceptam. Significabat enim ipſis, ut portas civitatis egreſſi deſtinatum ſibi à Deo Epiſcopum reciperent.* Hanc verò ipſam *Vocem*, ab Hieroſolymitana Eccleſia auditam, Cl. Dodwellus rectè refert (Diſſert. Cyp. Cap. IV. §. XIV.) ad illam ſpeciem *Revelationis*, quam Judæi בת קול vocant. Addo ex hiſtoria Polycarpi, præclaro monumento *Epiſtolæ Eccleſiæ Smyrnenſis* apud Euſebium (Euſeb. Lib. IV. Cap. XV.) conſervata, hæc digna notatu verba: *Cum verò tantus eſſet tumultus in ſtadio ut pauci exaudire poſſent*, τῷ Πολυκάρπῳ εἰσιόντι εἰς τὸ στάδιον φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ γέγονεν, ἴσχυε Πολύκαρπε καὶ ἀνδρίζου· VOX *quædam* E COELO *miſſa eſt ad Polycarpum, ſtadium ingredientem: Fortis eſto Polycarpe,* & *viriliter age.* Hæc, ut exiſtimo, inſtituto meo abundè ſufficiunt. Quæ enim exempla alia hujus generis, (vera an ficta non quæro:) ex Hiſtoricis à me collecta ſunt, & cuique obvia, in Herodoto [1], Livio [2], Dionyſio Halicarnaſſenſi [3], Suetonio [4], Joſepho [5], Plutarcho [6], & Athanaſio [7] quoque, curæ mihi non eſt hic adſcribere, cum nihil novi luminis nobis ſubminiſtrent.

1 Libro Primo, p. m. 73.
2 Lib. XXIX. Cap. XVIII.
3 Lib. I. p. 45. V. p. 290. VIII. p. 526.
4 Nerone, Cap. XLVI.
5 Antiq. Lib. XIX. Cap. I.
6 Camillo, p. 135. Sylla, p. 455.
7 Vita Anton. Edit. Bened. Tom. I. p. 833.

CAPUT XI.

Quæritur, quare genus illud Divinæ Revelationis, *quod Magistri volunt* Prophetiæ *ecstaticæ substitutum* VOCE *factum esse* Cœlesti, *ab iis non tantum* Vox, *sed* בת קול FILIA VOCIS *appelletur? Proferuntur Doctorum Virorum sententiæ, placetque his subscribi, qui sic dictam volunt hanc* Revelationem, *quod passim cum murmure fracti aëris, quale illud* tonitrui *est*, Vox *edita*, & *inde veluti* nata *sit*.

ALterum est, de quo in hoc argumento quæritur, quare hoc *Revelationis genus* à Judæis dicatur non solummodò קול Vox, quod hic videbatur sufficere posse; sed בת קול FILIA VOCIS? Quæsitum herclè non grave, nec magni momenti; quod si etiam dextrè resolverim: nescio, an eos qui hic hærent, multò doctiores sim facturus. Fateor, ita me hoc tempore esse affectum, ut de rebus altioris indaginis agere & disputare malim. Labor enim idem est; ingenium idem, quod rebus gravibus & seriis, ac quod levibus, & nugis, sæpè etiam operosis & difficilibus, impenditur. Sed cum eâ ætate, quâ superioribus meditationibus in chartam conjiciendis operam dedi, id studii literarii genus, quod circa res antiquitatesque Judææ Gentis versatur, me ad se traheret; quod etiamnum, si prudenter colatur, magni æstimo & Ecclesiæ utilissimum: impositam mihi nunc video necessitatis legem hanc telam pertexendi, si fructum omnem laboris, huic argumento meditando olim impensi, mihi perire nolim. Studebo tamen, quantum licet, brevitati, necessaria monuisse contentus.

II. Quare *Genus* hoc *Revelationis Divinæ*, de quo nunc ago, non Vox simpliciter, sed FILIA vocis dicatur, Eruditi inter ipsos Judæos Viri, non tam liquidò & fidenter definiunt, ut non satis prodant, rem esse dubiæ & incertæ opinationis. Patet illud ex *Glossa* quæ nomine *Tosephot* adjecta est Talmudico tex- Ad Cod. Sanh. Fol. xi. col. 1. in summo.

textui, ubi ratio reddenda est veræ significationis hujus nominis: יש אומרים Sunt qui dicunt; & quæ sequuntur, mox alleganda. Sic non scriberent Glossatores, si vera *nominis interpretatio* æquè ac *res ipsa* per traditionem in Scholis suis certò esset conservata. Christianos igitur quis miretur hic hæsitare, &, quod in dubiis & obscuris disputandis evenire solet, in partes trahi? Excutiam obvias sententias; vel si placet, fræna meis laxem cogitationibus: in medium proferam quæ vel dicta ab aliis sunt in hanc rem; vel cum ratione aliqua dici posse videntur.

III. Primò videri posset perito idiomatis sacri opus non esse, ut emphasis aliqua quæratur in notione בת *Filia*, juncta קול *Voci*, siquidem eadem hæc vox in Hebræa Lingua cum aliis constructa nominibus sæpius *παρέλκει redundat*; veluti in phrasibus; *Filia Tsion*, *Tyri*, *Babel*, & his similibus benè multis. Exemplo ex pluribus hujus generis sit quod apud Jeremiam occurrit: *Utinam caput meum in aquas solveretur, & oculi mei essent fons lacrimarum, quò deflerem de die & nocte* חללי בת עמי *confossos* Filiæ populi mei! Quis non videt, *Filiam Populi* hic esse *ipsum Populum*? Videturque planè Syriasmus huic observationi favere, quo ברת קלא vel בת קלא *Filia vocis* dicitur quod Scriptores N. T. simpliciter efferunt per φωνήν. Sic Act. XII. 22. *Populus verò acclamabat*; Θεοῦ φωνὴ Dei vox. Syrus: בת קלא דאלהא Filia vocis Dei. Tremellius monet, verba *distincta & articulata* intelligi, ut *sint velut partus à voce efformati*. Sed id opus non est. *Filia vocis* potest idem valere quod *species vocis*. ut *Filia Populi* societas Populi, phrasi hebræis receptâ. Atqui ego non diffiteor, id hic dici & locum habere posse, si nihil aliud in rem adferri queat melius, & phrasi, quæ suâ emphasi non caret, aptius.

Cap. IX. 1.

IV. Sunt itaque alii, quos *Secundò* appello, qui *Filiam vocis* dici volunt *Vocem Cœlestem* illam, cujus prærogativam piis hominibus ante Christum vindicant, quod nimirùm speciem habuerit *Vocis repercussæ*, qualis Græcis ἠχώ, & ad eorum exemplum Latinis *Echo* dicitur. Partes hic faciunt plerique de his literis optimè meriti Viri; utique ad hanc propendent sententiam, Buxtorfius, Hottingerus, Coccejus, & Wagenseilius, cui בת קול in versione loci ex Gemara *Joma* excerpti est Coelestis Echo. Favent Glossatores, suprà memorati, quorum verba apud

Except. Gem. ad Cap. IX. N. XI. p. 1069.

apud Buxtorfium [1] & Coccejum [2] leges, & Auctor *En Israël* apud Voysinium [3]. Judæi הברה vocant, ut monet Elias [4]: הברה בלשון רומי איכו: Habara, *Romanâ Linguâ* Echo. Et sunt, non nego: non contemnendæ rationes quæ hanc sententiam commendare possunt. α. Sic satis certum est, בת קול Judæis in aliis casibus verè significare *vocis resonantiam*, quam sic appellare liceat. Sic accipit Cl. Buxtorfius dictum Magistrorum: השמן אין לו בת קול *Oleo non est filia vocis*, h. e. ut ille, *resonantia*. β. Quod *Echo* verè sit *filia vocis*, vox è voce *nata*. vox à voce reddita. vox vocis partus. atque adeò *vox* vocis *filia*. Species magna inest in hac sententia; & quare ei non subscribo? Gentiles enim ipsi *repercussum Vocis sonum* solebant pro sua natura non dissimili nomine appellare. Flaccus Jocosam imaginem dixit, ad Augustum [5]:

Cujus retinet Jocosa
Nomen Imago?

Virgilius exertè Vocis imaginem [6]:

Aut ubi concava pulsu,
Saxa sonant, vocis*que offensa resultat* imago.

Alibi in hunc modum [7]:

Consonat omne nemus: vocem*que inclusa volutant*
Litora: pulsati colles clamore resultant.

Albinovanus:

At vox *adversis collibus* icta redit.

Imo verò quis neget, *repercussum sonum* in concameratis locis, ubi aër inclusus, concavo spatio exceptus, exitum non invenit, rectè dici, ut verè est, *Filiam vocis*? Obstat tamen, ex hypothesi Judæorum Deum variis occasionibus loquutum ferri, ubi *Echo* locum habuisse non videtur; sive vox ex æthere missa ad concionem Populi, hic illic coactam; sive excepta sit à Viris Doctis, Divinæ Legi meditandæ in Cœnaculo aliquo operam dantibus, & de ejus sensibus inter se conferentibus? Accedit etiam illud, Scriptores Sacros, ubi de hac specie *Revelationis* loquuntur, eam simpliciter appellare φωνὴν Vocem. Videbimus itaque, an aliud nihil nobis obviam veniat, quod magis allubescat.

V. Altius certè quid & sublimius sonat, quod apud Eliam

 Levi-

1 In voce בת קול.
2 Excerpt. Gem. Sanh. ad Cap. I. N. 5. p. 64.
3 Procemio Pug. Fidei Raym. p. 101.
4 In Thisbi ad h. v.
5 Lib. I. Od. XII.
6 Georg. Lib. IV. vers. 49, 50.
7 Æneid. Lib. V. vers. 149, 150.
Consol. Liv. vers. 220.

Ad h. v. Levitam legimus; qui poſtquam vulgatam ſententiam expoſuiſſet, in hæc verba ſcribit: ובעלי הקבלה אומרים שהוא קול של מדה אחת הנקראת קול ואולי כן הוא *Kabbaliſtæ verò dicunt, eſſe* VOCEM *cujuſdam* DIVINÆ VIRTUTIS, *ſive Proprietatis, quæ appellatur* קול KOOL, VOX; *& fortè res ita ſe habet.* Cl. Auctor *Kabbalæ Denudatæ* docuit nos, Philoſophos illos Hebræorum ſolitos eſſe *Sephiram ſextam*, quæ ipſis תפארת *Tiphereth* dicitur, appellare קול VOCEM. Sic ipſe: קול Vox, *nullibi non ad* TIPHERETH *pertinet.* Mox iterum: קול Vox; *abſolutè poſitum eſt* TIPHERETH. Atqui *Tiphereth* peculiarem χέσιν habet ad *ſecundam Sephiram* quæ חכמה CHOCHMA *Sapientia* dicitur; quam putant, qui *Sephirarum* myſteria reſolvunt, eſſe *Secundam Hypoſtaſin*, æternum Λόγον τοῦ Πατρός. Sic Vir Eruditus in Tractatu de *Ratione Nominum & Sephirarum*: TIPHERETH *verò ad* CHOCHMA, *Sapientiam, referenda eſt, ſiquidem Tiphereth, hoc eſt, Pulchritudo, ſive Ordo, æterno* ΛΟΓΩ, *ſive* τῷ νοητῷ, *aptè reſpondet, quem Platonici etiam vocant* τὸ πρῶτον εἶδος, τὸ πρῶτον κάλλος, *ſive* Αὐτοκαλόν. Mihi ita videtur, idque perſuaſum habeo, *Sephiram* TIPHERETH referendam eſſe ad ÆQUITATEM ſive JUSTITIAM *Dei* aut *Meſſiæ*, quæ quoddam *Gratiæ* & *Severitatis* temperamentum eſt, profectum à SAPIENTIA; quæ *Sephira* TIPHERETH קול Vox dici poteſt, quod in omni *gubernatione Mundi* & *Eccleſiæ* quàm clariſſimè *reveletur*, & omnis *Divinæ Revelationis* baſin faciat. Id enim velle Kabbaliſtas, inde facilè liquet, quod minore emphaſi omnia *ſeptem attributa Sephirotica inferiora* קולות VOCES appellent, ut idem Cl. *Auctor Kabbalæ Denudatæ* obſervat. Attributa enim hæc ſe *manifeſta faciunt* per *Opera* Dei. Atqui, ais, quid id ad rem facit hic commemoraſſe? Dicam, ſi aurem præbeas. Intelligere me ex his verbis Eliæ Levitæ, cum *Doctrina Kabbaliſtica* comparatis, unde ſuam hauſerit ſententiam Fagius, quando בת קול BATHKÔL interpretatus eſt de *typo* quodam & *imagine* VERBI, ſive VOCIS, aut Oraculi Cœleſtis, τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ *Æterni Filii Dei.* Præſtat id ex ipſo intelligere. eſt enim opinio hæc planè ſingularis. Verba ejus: בת קול BATHKÔL, *Vox quæ cœlitus audiebatur; & illa in uſu erat durante Templo ſecundo, præludium & ſignificatio quædam* VERÆ ILLIUS VOCIS DIVINÆ COELESTIS, *jam jam orbi imminentis ac revelandæ, quæ ſcilicet erat*

Marginal notes: Kabb. Denud. Part. I. p. 673. ad v. קול. — Kabb. Denud. Part. II. p. 23. — l. c. — Obſerv. ad Exod. XXVIII. 30.

erat Jesus Christus, Dominus noster ac Servator. & mox: *Dicebatur autem illa Vox hebraicè* BATHKÔL, *quod ad verbum sonat* FILIA VOCIS, *eo quod ipsa non erat* VERA ILLA VOX COELESTIS, *sed* TYPUS *solummodò, significatio, & testimonium* VERÆ ILLIUS VOCIS, quę *Christus est; quæ jam debet audiri.* Summa est, esse quandam *Proprietatem Personalem* apud Deum, quæ dicitur SAPIENTIA, cujusque ornamentum est JUSTITIA; Mundi & Ecclesiæ Rectorem. Hunc esse *Oraculum Cæleste verum*, קול יהוה VOCEM DOMINI, τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ, & מימרא דיי VERBUM DEI. Hoc *Oraculum* verum *Cæleste*, ut Deus in typo & figura quadam adumbraret, indulsisse Israëlitis ante τὴν Ἐπιφάνειαν Messiæ quandam VOCEM COELESTEM, ut argumento esset, *verum Oraculum Cæleste* brevi expectandum esse. quæ proinde *Vox Cælestis* dicta sit non קול Vox, sed בת קול FILIA VOCIS; typus, umbra, imago *veri Cælestis Dei Oraculi.* Ego verò auctori suo hæc meditata lubens relinquo. Mihi mystica nimis & μετέωρα videntur, quam ut probabile sit, auctores Talmudicæ disciplinæ, à Kabbalistica multum diversæ, apud quos hæc phrasis primò in usu fuisse videtur, quicquam ejus respexisse. *Kabbala* illa *Pythagorica* est recentior hâc denominatione. Accedit etiam illud, *Filiam vocis* propriè esse *Vocem voce natam*, & eâ, unde nascitur, voce posteriorem. quod planè applicari nequit ad *imaginem*, & *typum præfigurantem.*

VI. Restat igitur, *Revelationem* hanc *Cælestem* VOCIS NATAM dici, quod passim *Revelatio* hæc per *Vocem* conjuncta esset cum *Tonitru*, quod Hebræi קול appellare solent, & ex præcedaneo *Tonitrui* murmure prodiret, ederetur, & veluti *nasceretur.* Placuit hæc sententia Glassio, & Spencero, docti harumque rerum peritissimi ingenii Viris (a). Posterior provocat ad Heinsium, cujus auctoritas licet in his literis non sit summa: Exerc. in Nonnum, Cap. XIV. p. 277.

 non

(a) Glassius *Rhet. S.* Tract. I. Cap. X. p. 251. FILIAM VOCIS (בת קול) *Veteres Judæi vocabant* VOCEM DEI CUM TONITRU ALLATAM, *& eo quasi partam ortamque.*

Spencerus de *Urim & Tummim*, de *Leg. Heb.* Diss. VII. Cap. I. Sect. I. בת קול FILIAM VOCIS (habebant Judæi,) *verbum quoddam de cœlo, Angelo mediante factum, sic dictum, quod vox illa sui ipsius indicem & comitem* TONITRU (קול *sæpius in sacris appellatum*) *plurimum habuerit, & ex eo, tanquam ex utero matris suæ prodierit.*

non ſpernendum tamen hic judicium, bonâ ratione ſuffultum. Nimirum obſervat ille, quod & ego hic obſervari cupio, Exempla Divinæ Vocis non ficta, ſed vera, ſive verè ſive ſymbolicè edita, quorum in Sacris N. T. Libris mentio fit, hanc interpretationem confirmare. Ubi enim *Vox Divina* ad homines miſſa fertur, delata eſt ad eos cum gravi ſono murmuris quale illud eſt *tonitruum*, nubibus, ut fit, inter ſe collifis. Ejus generis eſt, quod apud Joannem occurrit de *Voce Cœleſti*, quæ ad orationem Chriſti; *Pater, glorifica nomen tuum!* hoc tu-
Cap. XII. 28. lit reſponſum: *Et glorificavi, & rurſus glorificabo.* Quid ſequi-
Verſ. 29. tur? *Turba quæ adſtabat, & audiebat, dicebat, βροντὴν γεγονέναι* TONITRU *eſſe factum.* Nata igitur *Vox* fuit ex *tonitru*, ſive cum gravi ſono verberati preſſique aëris ad Chriſtum, ejuſque audi-
Cap. VI. 1. tores, perlata. Similia documenta ſunt in *Apocalypſi.* veluti: *Audivi unum ex quatuor illis animalibus dicens, tanquam φωνὴν βροντῆς*
Cap. IV. 5. VOCEM TONITRUI; *Veni, & vide.* Alibi: *Prodibant autem ex*
Cap. X. 3. *throno Fulgura*, TONITRUA, *&* VOCES. Et: *Cum clamaſſet, ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ τὰς ἑαυτῶν φωνάς loquuta ſunt* SEPTEM TONITRUA VOCES SUAS. Atqui hæc per ecſtaſin, ais, Joanni obtigerunt. Eſto. Sufficit expreſſa eſſe ad imaginem *Vocum Cœleſtium*, verè editarum. Idem verò obtinuiſſe in *Voce Cœleſti*, ad Paulum data in via Damaſcena, ex comparatione utriuſque loci, *Act.* IX. 7. & XXII. 9. in ſuperioribus evici. Comites Pauli *vocem*, hoc eſt, magnum quendam aëris crepitum *audiverunt*, ſed *vocem*, ex illo ſono fracti aëris ad Paulum delatam, *non audiverunt.* Ne jam huc allegem exemplum illud famoſiſſimum Divinæ *Vocis*, qualis in *promulgando Decalogo* facta eſt, *his non*
Exod. XIX. dissimile. Accedit, vocem קֹל de *Deo* uſurpatam, paſſim ſigni-
16. XX. 18. ficare *tonitru*, quod inſtar Divinæ cujuſdam Vocis Veteres habuerunt; unde *filia vocis* eſt propriè *partus* quidam *Cœleſtis* ejuſmodi *Vocis*, ſive *Tonitru*, indicis certiſſimi Divinæ Majeſtatis: ut *Exod.* IX. 28. *Orate Dominum, & abunde ſat, ne exeant* TONITRUA (*Voces* קֹלוֹת φωναὶ θεοῦ:) Dei. Pſ. XXIX. 3. Vox (tonitru) DOMINI *ſuper aquas: Deus glorioſus* TONAT. Ezech. XLIII. 2. *Et* Vox *ejus*, (Dei Iſraëlis) ut SONITUS AQUARUM MULTARUM. Facillima itaque hæc & propriiſſima cum videatur hujus phraſios interpretatio, rei naturæ & vocum poteſtati congruens;

vide-

videmur in ea posse acquiescere. Nec tamen res tanti est, ut de ea cum ullo mortali litigare velim.

CAPUT XII.

Aliæ Species Revelationum Divinarum *illius temporis, quod inter* Malachiam & Joannem Baptistam *intercurrit, ex historia recensentur, quales illæ* APPARITIONUM Angelicarum; SOMNIORUM, *Divinitus immissorum;* & Divini INSTINCTUS, *aut* Afflatus, *qui dicitur; exemplis maximè petitis ex* Maccabaicis, & JOSEPHO. *De his hactenus nihil definitur.*

S*Ecundum* locum dedi APPARITIONIBUS ANGELORUM, humanâ specie, variâ tamen figurâ, diversisque cum peristasibus, factis sive uni, sive pluribus, non *per quietem*, sed *vigilantibus*; sive *Legati* illi *Cœlestes mutis* quibusdam *signis* absque voce indicium fecerint instantis cujusdam eventus; sive cum hominibus versati qualicunque modo, *ministerio vocis*, illos *certos fecerint de futuris*, aut iisdem *utilia suaserint*; cujusmodi *Apparitionum* in *Sacra historia* cum *Vetere*, tum *Nova* etiam, exempla occurrunt optimæ fidei. Ne enim vetera nunc tangam: quæ Lucas narrat de *Apparitionibus Legati Cœlestis Gabriëlis*, quę *Zachariæ*, & *Mariæ*, matri Domini, obtigerunt, certâ fide à nobis admissa, ejus sunt generis *apparitiones*, de quibus nunc loquens intelligi velim. Factæ enim illæ sunt per *vigilias*, extra ecstasin, ut ex historia illa inspecta liquet. Cap. 1. 11.-26.

II. Hujusmodi jam *Apparitionum*, quales descripsi, historia medii temporis inter Malachiam & initia Novæ OEconomiæ meminit. An verè? nunc non quæro aut disputo. *Meminisse*, inquam: idque mihi sufficit. Quid verum, vel verisimile sit, postea disceptabo. Cum tamen me non lateat, id nos vivere tempus, quo impietate magis quàm credulitate & superstitione peccatur: abstinerem etiam ipsis *Revelationum* hujus generis exemplis producendis, nisi instituti ratio suaderet ea hic non negli-

negligere. Et potero hic paucis defungi, nulla producturus Exempla nisi ex *secundo* Libro Maccabæorum. *Tobiæ* enim historia, in qua mentio *Raphaëlis*, ad superiora tempora pertinet; & *tertii Maccabæorum Libri* historia supectæ etiam fidei est apud illos, qui *Secundi* auctoritatem defendunt. Ergo missis illis, testimonia exhibebo illa quæ in hoc reservata sunt Libro, quem auctor *magnam partem* ex *quinque Jasonis Cyrenæi* composuit. Sic ipse mox argumentum hujus *Libri sui* expositurus, ad illud refert
Cap. II. 22. τὰς ἐξ οὐρανοῦ γενομένας ἐπιφανείας τοῖς ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ φιλοτίμως ἀνδραγαθήσασιν APPARITIONES (Int. Vet. *Illuminationes*. non satis rectè. ἐπιφάνεια est *apparitio Dei* aut *Angeli*, quâ in certis locis se *manifestum facit*, aut *signo* quodam *præsentem* esse declarat, secundum
Hist. Lib. x. Cap. xl. illud Papirii apud Livium: Dii *in prælio* sunt:) *quæ de cœlo facta sunt iis qui pro Judaismo fortiter & præclarè pugnarunt*. Primum hujus generis exemplum est in historia *Heliodori* à *Seleuco* Rege, sive *Apollonio*, Cœlesyriæ Præfecto, missi ad diripiendos Templi thesauros; quod an ex *Jasone Cyrenæo*, an ex alio quodam *Fragmento* petierit compilator hujus Libri, mihi nunc perinde est. Historia habet, *Oniam* Pontificem & plebem Hierosolymitanam cum omnibus Sacrorum Ministris, facinoris hujus impietatem & audaciam detestantes, & in magna versatos agonia, cum humanæ opis nihil præsens esset, precibus, supplicationibus, lacrimis, querelis, Divinum sollicitasse auxilium, idque tandem impetrasse. Cum enim Heliodorus à proposito non
Cap. III. 24. desisteret: ὁ τῶν πατέρων Κύριος καὶ πάσης ἐξουσίας δυνάστης ἐπιφάνειαν μεγάλην ἐποίησεν· *Patrum Dominus & omnis potestatis Princeps*, ILLUSTRI APPARITIONE *se conspicuum fecit, ita ut omnes qui ausi fuerant convenire, Dei virtutem obstupescentes, in formidinem & deliquium inciderint*. Apparitionem ipsam *Equitis* in Heliodorum invecti, & Juvenum illum castigantium, non percenseo. legi potest apud auctorem. Simile est quod postea occurrit in historia Judæ Maccabæi, prœlio decertantis cum Timotheo, Antiochi Eupatoris Copiarum Duce, de *apparitione quinque Equitum*, pulchrè instructorum, Judam Maccabæum in conflictu protegentium, &
Cap. x. 29, 30. xi. 1. xii. 22. adversarios percellentium; pariter ut in Congressu cum *Lysia*; idque idem paulò post in alio quoque prœlio accidisse memorat, *metu perculsos hostes, in fugam esse versos*, ἐκ τῆς τοῦ πάντα ἐφορῶντος

ἐφόπτου ἐπιφανείας causâ APPARITIONIS sive PRÆSENTIÆ ILLUSTRIS *illius qui omnia videt & moderatur*. Eadem sunt quæ Judas Maccabæus, cum Nicanore congressurus, vocat τὰ προγεγονότα ἀπ' οὐρανοῦ βοηθήματα *auxilia quæ ex cœlo sibi hactenus obtigerant*. Hæc præcipua sunt, in quæ incidi; alia fortè dum præterierunt; sed quorum facilè ferenda est jactura. Cap. xv. 8.

III. Somniorum divinorum, quorum religione an superstitione omni tempore capti fuerunt Judæi, seges est uberior. Specimina in *Maccabaicis*, & apud Josephum, occurrunt animadversione non indigna. Certè celebre est illud Jaddi, in magna versati solicitudine, cum intellexisset, Alexandrum non benè in se & Gentem affectum, Hierosolymam cum exercitu meditari. Verba Josephi: Κατακοιμηθέντι δὲ μετὰ τὴν θυσίαν ἐχρημάτισεν αὐτῷ κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ θεὸς θαρρεῖν, καὶ στεφανώσας τὴν πόλιν, ἀνοίγειν τὰς πύλας· *Proximâ dein post sacrificium nocte* PER QUIETEM DEUS ILLUM MONUIT, *bono esset animo, & coronatâ urbe portas aperiret*; & quæ seqq. Vox χρηματίζειν innuit, Deum vel Angelum illi in somno *apparuisse*, & hoc *dedisse consilium*. quod *Somnii* genus *Oraculum* appellatum esse à Veteribus, supra ex Macrobio observavi. Idem Josephus Joanni Hyrcano, cui aliàs tribuit familiarem Dei consuetudinem, *per quietem* à Deo revelatum esse ait, quis filiorum post se regnaret, exhibitâ Alexandri, tertii natu, imagine. Sic Ille: Φανέντα κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ τὸν θεὸν, ἐπηρώτα. καὶ τὰ ἑξῆς. Et omninò probabile est, testimonia Josephi generalia de χρηματισμοῖς, quibus Deus Joannem Simonis Filium dignatus est, præcipuè de *Revelationibus nocturnis* intelligenda esse. Scriptor *secundi* Maccabæorum Patruo Hyrcani, Judæ, Assamonæorum Ducum illustrissimo, idem subinde obtigisse beneficium tradit, cum ipse dubio maximè rerum suarum statu & gravissimè laborans opus haberet validâ aliquâ consolatione erigi. Somnium ipsum, quo *Oniam* Pontificem & *Jeremiam* pro Populo Dei intercedentes vidisse fertur, & traditum sibi à Jeremiâ gladium, munus Dei, accepit, Historicus enarrat; quod ejusmodi est, ut apud illum, quàm hic, legi malim. Imo quis miretur? Josephus enim non his tantum, Viris sanctis, nec singulari aliquâ Divinâ Gratiâ indignis, sed & *Herodi* ejusque Filio *Archelao*, *somnia* dat divinitus immissa, quibus de notabilibus vitæ suæ aut

Antiq. Lib. XI. Cap. VIII.

Antiq. Lib. XIII. Cap. XII.

Lib. II. Cap. XV. 13, 14.

ſuorum eventibus moniti ſint. Exempla fortè opus non fuerit hic apponere. apud ipſum legi poterunt. Non quæro hic hactenus de rei veritate: mox diſputabo. Nunc tantum moneo, Joſephum ſuę Gentis hic ſequutum eſſe morem, quæ cum plurimum *ſomniis* tribueret, ſuppoſuit ille, illuſtribus Viris rarò graviorem aliquem Caſum evenire, de quo à Cœleſti aliquo genio *per quietem* non præmoneantur.

Antiq. Lib. xiv. Cap. xxvii. Lib. xvii. Cap. xv. B. J. Lib. i. Cap. xvii. Lib. ii. Cap. vii.

IV. *Quartum* Revelationis *genus* eſt, quod Instinctus ſive *impulſiones* appellavi, quo Deus, ſive Spiritus Dei, hominem *motu interno*, cui ægrè reſiſtit, agit rapitque ad aliquid dicendum, faciendumque, quod ad Divinam gloriam, aut ſingulare Eccleſiæ commodum, neceſſitate id exigente, pertinet. Hàc operatione pulſat Deus hominis cor; movet affectus; inſpirat conſilia honeſta; ſuſcitat vim ingenii & eloquii in pangendis carminibus aut habendâ oratione ſupra quod naturæ vires præſtarent; animum addit ad heroïca facinora; implet zelo vindicandæ Divinæ gloriæ; vel, quod præcipuum hic eſt; blandè agitat & impellit ad laudes Dei cantandas ejuſque beneficia celebranda; aut cogitationes mentis & orationem ſic moderatur, ut quem profert ſermo ſit *fatidicus*, cujus vim ipſe ſæpè non aſſequitur. *Afflatum Deorum*, vocavit Tullius. Livius de *Scipione*: *Pleraque apud multitudinem, aut per* NOCTURNAS VISA SPECIES, *aut velut* DIVINITUS MENTE MONITA, *agens*. Florus: *Populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quaſi* INSTINCTU DEORUM *concitatus, regem repente deſtituit*, & quę ſeqq. Id ipſum eſt quod Magiſtri recentiores (abſit comparationis invidia aut irreverentia!) appellarunt רוח הקדש *Spiritum S.* infimum, ſecundum ipſos, *Revelationis* gradum. Certè *motus illi* & *Spiritus heroïci*, qui à Deo ſunt, & *inſtinctus boni vehementiores*, qui naturam non ſequuntur, ſed excitant & impellunt, *ſigna* ſunt per quæ Deus hominem de *voluntate ſua* extra ordinem commonefacit.

De Nat. Deor. Lib. ii. Lib. xxvi. Cap. xix. Lib. i. Cap. ii.

V. Pone jam, *intervallum* illud, de quo nos quærimus, dediſſe *heröes*, qui *zelo* veræ Religionis incenſi ſpecimina edidere virtutis, ſingularia prorſus & fide majora; quales verè fuerunt Aſſamonæi Duces: *homines Sanctos*, utriuſque ſexus, qui à *Divino Spiritu moti* laudes Dei *carmine* & hymnis celebrarunt, qua-

les

les Maria, Zacharias, Simeon, Anna, & si qui præter hos alii auctores sint *Psalmorum* quorundam, qui *Fasciculo* Davidicorum hymnorum continentur, ex aliquorum sententia circa tempora Afflictionis Epiphanicæ compositi: tum quoque ipsos *Pontifices*, fatidica verba efferentes, ut exemplum est in *Cajapha*, de quo mox videbimus: hæc, inquam, pone, & videbis, esse rationem, cur disputem, an medio huic Intervallo, quod inter Malachiam & Joannem Baptistam intercedit, negandæ sint omnes *Extraordinariæ Revelationes Divinæ Voluntatis*, quod passim fit? Exempla hæc ipsa nunc non adduco & ex historia describo, quia id in definienda hac controversia mihi agendum esse video. atqui id ipsum est quod absque mora exequor.

CAPUT XIII.

Post congesta ex Historiis Exempla Revelationum Propheticarum, *ætate* Malachiæ *posteriorum: ipsum tandem* Problema, *de hac re supra propositum, solvitur, definiturque*, in universum *dicendum non videri*, tempore, quod interfluxit inter Malachiam & OEconomiam Novam, Extraordinarias Revelationes Divinæ Voluntatis penitus defecisse. *Adstruitur sententia* argumentis *primò indubiis, quæ ex Scriptis Novi Fœderis petita sunt, etsi ad statum Ecclesiæ Veteris OEconomiæ verè referenda sint; ubi inter alia de* prophetia Cajaphæ *agitur, & adversus* Ligtfootum *disputatur; deinde disquiritur, quantum fidei* Maccabaicis, Josepho, & Talmudicis *etiam, de sua* FILIA VOCIS *loquentibus, deferendum sit, & notabilis difficultas, quæ residere videtur in loco* Joh. v. 37. *ubi Judæi* vocem Dei Patris *nunquam dicuntur* audivisse, *commodè expeditur. Intersperguntur alia, animadversione non indigna.*

DIcam absque ambagibus, mihi sic videri, esse illos in errore, qui medio tempori tot annorum, quot à Malachia ad Joannem Baptistam fluxerunt, absque discrimine aut temperamento ullo negant genus omne *Extraordinariarum Revelationum Divinæ Voluntatis.* Nimis cruda est assertio quàm ut admitti debeat; nec sanè probabilis. Quid enim? Cum Deus per omne tempus OEconomiæ antiquæ Israëlitas de sua inter eos præsentia & favore commonefecerit per testatissima *signa Operationum Extraordinariarum sui Spiritus:* estne verisimile, hoc solo tempore satis longo quod propius accessit ad τὴν Ἐπιφάνειαν τοῦ Σωτῆρος, Ecclesiam privasse hoc sui favoris argumento & significatione? hoc, inquam, solo intervallo discedere voluisse à rationibus suæ providentiæ, quas omni alio tempore antiquæ OEconomiæ sequutus fuerat? Utique idem erat Populus. eadem Ecclesia. sola in Mundo Gens, quæ se præsentem gloriari poterat habere Deum. sola electorum & sanctorum mater. hactenus Dei ex fœdere conjux, insignibus ejus beneficiis etiam hoc tempore aucta. Quidni itaque probabile sit, *Spiritum Dei*, indicium Divinæ præsentiæ & favoris, ab hac Gente non esse ab-
Jes. LXIII. 11. latum, quem olim *Deus in medio ejus posuerat?* Suadet certè ratio; quanquam si aliunde mihi argumenta non suppeterent, quibus id possem evincere, frustra id oratione à *probabili* petita adsequi niterer. Experientia hic optima veri magistra est; & conficienda probatio ex exemplis; quæ si desint: frustra me esse intelligo. Horum verò ex historia hujus temporis bona copia à me producta est. Ita est; sed dubium primò, an *certæ* satis & *indubiæ fidei?* Dein, an quæ *bonâ fide* literis mandata sunt, non potius ad Novam quàm ad Veterem OEconomiam referenda sint? Faciendus igitur locus est Examini, & instituendus delectus, ne, quod sæpè aliàs fit, falsa veris, probabilia certis, hic permisceantur.

II. Primò, *Spiritum Prophetiæ* ἁπλῶς *simpliciter* atque *absolutè* dici non posse ablatum esse ab Israële post ætatem Malachiæ, evinco ex insigni loco Joannis de Cajapha Pontifice; cujus post-
Cap. XI. 50. quam retulisset sententiam in Senatu prolatam: *Nec cogitatis conducere nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens ne pereat:* hanc suam subjicit ἐπίκρισιν: *Hoc autem ex semet ipso non dixit;*

sed

sed PONTIFEX CUM ESSET ISTIUS ANNI, ἐπροφήτευσεν, ὅτι ἔμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους PROPHETAVIT *fore ut Jesus pro gente ista moriatur*. Visus est Cajaphas Joanni fatidicum & ominosum quid proferre. Et verè sententia ejus hujusmodi est, ut altiorem aliquem sensum condat. colligit igitur, non absque singulari quadam directione Divina hæc eum verba eloququtum esse, idque vocat προφητεύειν. cujus rei rationem inde arcessit, quod PONTIFEX *esset* ISTIUS ANNI; id est, quod illo anno *Pontificale munus*, quod ab uno ad alium sæpè post *anni* solummodò *unius* spatium exactum transferebatur, *actu* administraret, & in summa illa dignitate tunc versaretur. Supponit igitur Apostolus, non fuisse alienum à *Pontifice Hebræorum* illo tempore προφητεύειν *Oracula fundere*, & *nescium etiam mandata Numinis profari*. A *Pontifice*, inquam, hoc solum respectu Deo commendabili, quod *Pontifex* esset; cum cæteroquin personæ ejus nulla essent merita, quę facere poterant, ut Deus illius rationem haberet. Sed cum Deus *Pontifices* constituisset in illa Gente publicos suæ Legis Voluntatisque Interpretes, etiamsi eos in universum propterea neutiquam exemisset omni errore judicii in re Religionis; placuit illi *Cajaphæ Pontificis* potius quàm ullius alterius Assessoris linguam in dicenda sententia ita moderari, ut præter animi sui consilium de necessitate & vero fine mortis Christi sapienter loqueretur, veramque ederet confessionem, acsi non tanquam *Cajaphas* sententiam pronunciasset, iniquam & malignam, sed tanquam *Pontifex* Deo gratus, & ut *Propheta* à Spiritus affectus, arcanam Dei voluntatem de Christo, Filio ejus, dextrè & absque errore explicasset. Certè patet ex his verbis, *donum prophetiæ* qualecunque illo adhuc tempore, licet corruptissimo, eum in modum superfuisse inter Judæos, ut res nova atque aliena habita non fuerit, *Pontificem*, quà talem, directione motuque Divino *oraculum* effundere, supra suæ intelligentiæ captum.

III. Vidit hunc sensum loci quotusquisque bonorum & æqui amantium Interpretum; estque, si quis alius, clarus & liquidus. Ægrè tamen habuit Ligtfootum, qui eum etiam cum indignatione rejecit. *Num Cajaphas inter Prophetas?* sciscitatur ille. Hor. Hebr. in h. l.
Invidiosa interrogatio. Dico *fuisse*, si τὸ προφητεύειν *vaticinari* efficiat *Vatem*. quod non putem hactenus ullum sanæ mentis hominem

 minem

minem negaſſe. Addo, eſſe quæſitionem planè otioſam, cum Vir eruditus ipſe non neget *Cajaphæ*, quod nos illi adſcribimus. nec negare poteſt, ſalvâ Scriptoris Sacri auctoritate. Tantum negat, *Cajapham* hoc Oraculum fudiſſe quà *Pontificem*. Audiamus ipſum: *Non extiterat inter Pontifices, inter Sacerdotes, inter Populum, per annos retrò quadringentos & amplius, Propheta quiſpiam, &* CAJAPHAM PRIMUM PROPHETARE. *Longiſſimè petita eſt hujus rei ratio, dum adſcribitur officio ejus Pontificali, acſi is ex ipſo Pontificatu fieret Vates. Sententia non digna confutatione.* Primò illud liquidum non eſt, quin ex noſtra ſententia falſum, tanto temporis ſpatio, nullos in Judæa Gentes extitiſſe homines, nullos Pontifices, Sacerdotes, Viros Sanctos, qui à Spiritu acti & de futuris moniti ſunt. Cur id dicat Ligtfootus, nullam habet rationem. quin ratio illi adverſatur, ut in ſuperioribus vidimus. Deinde, ſi vel maximè tales *Prophetas* intermedii hujus temporis demonſtrare non poſſemus; ſtare nihilominus debet, nec convelli poterit dictum Apoſtoli, qui docet, *Cajapham prophetaſſe*, & quidem quà *Pontificem*. Inhæret tamen pertinaciter ſuæ ſententiæ Vir Cl. & contendit emphaſin dicti Apoſtolici non cadere in vocem PONTIFEX, ſed in epitheton, illi adjectum; ISTIUS ANNI. *Rationem propriam*, ait, *reddit ipſe Evangeliſta, cum dicit;* Α᾽ρχιερεὺς ὢν ἐνιαυτῦ ἐκείνυ. *quæ verba oculos lectoris dirigunt in ipſum* ANNUM *potius quàm in* PONTIFICEM. Audiamus itaque & advertamus animum, quid ſibi velit Ligtfootus cum his verbis. Sic pergit: *Erat iſte annus ille magnus effuſionis Spiritus Prophetiæ & Revelationum, cui ſimilem nec unquam viderat mundus, nec erat viſurus. Et cadunt nonnullæ guttulæ ſuper hunc improbum, ut micæ aliquæ à menſa filiorum ad catellum, ut ab ipſo hoſte redemptionis teſtimonium ederetur de redemptione. Inde emphaſis vocum* ἐνιαυτῦ ἐκείνυ. *nam fuerat Cajaphas Pontifex aliquot annis ante hunc annum, & erat aliquot poſt.* Miror magis, potuiſſe in mentem venire Viri Docti id ut cogitaverit quàm ſcripſerit. Eſt enim interpretatio hæc verè frigida, & ἀσύνδετος. Senſus loci ſecundum ipſum eſt, *Cajapham prophetaſſe* quod eſſet *Pontifex* ILLIUS ANNI, quo *Spiritus S. ſuper Eccleſiam uberiore copiâ eſſ.t effundendus.* Atqui *α. Spiritus ille Prophetiæ & Revelationum*, de quo Vir Cl. loquitur, nondum erat *effuſus in Eccleſiam*; nec *effundi* potuit ante *Chriſti Jeſu*

δοξα-

δοξασμὸν, ut idem Joannes luculenter testatur. An igitur Cajaphas præcepit *primitias illius Spiritus*, de quo ipse sacer Scriptor: SPIRITUS NONDUM ERAT. Qui *nondum* erat in ipsa *Ecclesia Spiritus*, an idem jam in *Cajapha improbo* operabatur? β. Si omninò *Spiritus Prophetiæ* & *Revelationum hoc anno*, nempe post *Christum in gloriam susceptum*, sit *effusus* in Ecclesiam uberiore copiâ, quàm ante; quod nemo negat: quis propterea rectè dici arbitretur, *guttulas hujus Spiritus super improbos cadere*, ut qui in Christum non credunt, *Spiritum* tamen illum, qui verè *Spiritus Christi est*, adipiscantur? Joannes loquens de hoc *Spiritu*, in Ecclesiam effundendo, sic ait: QUEM FUTURUM ERAT UT ACCIPERENT οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν QUI IN IPSUM CREDUNT. An *Sacerdotes* quoque, & *Pontifex* ipse, & *Cajaphas*, *non credentes*? γ. Si Ligtfooti hæc interpretatio obtineat: nulla planè emphasis cadit in verba Evangelistæ: ἀλλὰ ἀρχιερεὺς ὢν *sed* PONTIFEX *cum esset*. Si enim *Guttula Spiritus Christi super improbos cadant*, qui sunt extra communionem Ecclesiæ: non erat ratio ulla quare magis super *Pontificem* caderent quàm *Sacerdotem*; super *Sacerdotem* quàm *plebejum*. Sed fallat interpretatio Ligtfooti: illud tamen meritò quæritur, quare non simpliciter scripserit Apostolus; ἀρχιερεὺς ὢν PONTIFEX *cum esset*; & quid sibi illud velit quod adjicitur; ILLIUS ANNI? Respondeo, scripsisse sic Evangelistam, ut intelligeremus, *Cajapham* illo anno *actu ipso* versatum esse in functione Pontificalis Officii. Poterat enim esse ἀρχιερεὺς *Pontifex* sive *Sacerdos maximus* (summâ emphasi hujus notionis:) *nomine*, non *re* & *actu*; quippe qui ab officio hoc dimovebantur à Regibus aut Præsidibus Romanis, servabant sibi tamen per vitam titulum nomenque Ἀρχιερέων, ut aliunde satis constat, & probavit Seldenus. Benè quidem: sed quare tum Evangelista non potius scripsit, *illo tempore*, sive *illius temporis*, (τοῦ χρόνου ἐκείνου, vel, ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ) quàm *istius* ANNI? *Pontifices* enim non solebant per *annum*, sed ex Lege Divina per *vitam* in hoc officio versari; & *Cajaphas* saltem per *plures annos* tam ante quàm post *mortem Domini* Pontificatum gessit. Sic est; & constat tamen Apostolo Domini ratio, quare ita scripserit. Primò quidem quod circa illa tempora; & quidem ante Cajapham, Pontificale Munus duobus vel tribus Exemplis per *anni* solummodò *spatium* admini-

Joh. VII. 39.
l. c.
Joh. XIV. 17.
Act. I. 8.
De Success. in Pontif. Lib. I. Cap. III.

ministratum sit, ut ex Josepho liquet; cujus hic verba adscribere placet, quia animadversione digna & ad hunc locum illustrandum egregia sunt. Sic ille de temporibus *Valerii Grati*, Procuratoris Judææ, Pilati decessoris : *Hic* (Valerius Gratus) *adempto* ANANO (est is *Annas* ille, *Cajaphæ* Socer, ex Evangelica historia satis notus:) *Sacerdotio Ismaëlem Fabi Filium jussit esse Pontificem. quo* PAULO POST (μετ' ȣ̓ πολὺ) *dejecto, in Eleazarum, Anani Pontificis filium, illum honorem transtulit.* ANNO *autem* PRÆTERLAPSO, (ἐνιαυτȣ̃ δὲ διαγενομένȣ) & *hunc quiescere jussit, & Simoni Camithi Filio Pontificatum dedit. Hic quoque* ANNO *in hac dignitate* EXACTO, (ȣ̓ πλέον καὶ τῷ δὲ ἐνιαυτȣ̃ τὴν τιμὴν ἔχοντι διεγένετο χρόνος) *successorem habuit* JOSEPHUM CAJAPHAM. Deinde, non nego, ipsum id quod Josephus narrat de Pontificatu Cajaphæ per tot annos protracto mihi quodammodo suspectum esse. Non convenit enim mori illius temporis; eratque gravissima ratio, quare Præsides Romani *Pontifices*, quorum erat summa apud Gentem suam existimatio, sæpius mutatos cuperent. Quare cum Lucas, historiam ipsius illius temporis traditurus, quo secundum Josephum sacris summâ auctoritate præfuit Cajaphas, exertè scripserit : Ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα *sub* PONTIFICIBUS ANNA & CAJAPHA : ferè mihi persuadeo, *Annam* & *Cajapham* dignitatem illam hoc spatio temporis, quod soli Cajaphæ assignat Josephus, alternatim gessisse. de quo tamen loco alia etiam habeo quæ moneam, commodâ occasione in medium proferenda. Utique Talmudici, & illorum fide Historici Judæi, totidem verbis monent, *Pontificatum* id temporis *singulis annis* fuisse *permutatum*, ut Seldenus [1], & Voisinius [2] ex *Juchasin*, jam docuerunt; & illi plures quoque numerant *secundi Templi Pontifices* quàm Josephus. Nobis id nunc sufficit patere, Joannem Apostolum *Cajapham* actu facere *prophetantem*, sive directione quadam Divinæ Providentiæ sententiam in Senatu dicentem quæ sublimiorem sensum conderet, hoc ipso quod *Pontifex* esset; unde id dixi invictè colligendum esse, non alienum habitum esse, *illo adhuc tempore* Pontificem *vaticinari*, & oracula fundere, si ita Deo visum esset, quod nimirum Deus omnem Gratiam sui Spiritus à *Munere Pontificatus* hactenus non separasset. Sic passim Interpretes, & qui de his rebus commentati

Ant. Lib. XVIII. Cap. III.

Cap. III. 2.

Joma Fol. VIII. col. 2. ומחליפין אותה כל שנים עשר חרש.

1 De Success. in Pontif. Lib. 1. Cap. XII.

2 In Proœm. Pug. Fid. Raim. p. 22.

tati sunt, in quibus solummodò nunc appello Grotium, & Spencerum. Com. in h. l. de Urim & Thummim. Cap. VI. §. I.

III. Secundum pro hypothesi mea confirmanda argumentum produco ex illis *Exemplis Extraordinariarum Revelationum*, quas Historia Evangelica narrat obtigisse *Zachariæ*, *Josepho*, *Simeoni*, *Mariæ*, *Elisabethæ*, *Annæ*, piisque & Dei reverentibus Viris & fœminis, qui vel ante OEconomiæ Novæ Exordia, vel circa illa, vixerunt. Atqui illa ad ipsam OEconomiam Novam referenda sunt, ais: non pertinent ad Veterem. Et me non latet, esse qui sic sentiunt; & ipsum quoque Augustinum non obscurè in has partes ire in Libris de *Civitate Dei*: sed Lib. XVII. Cap. XXIV. non placet animo iis adscribi. Historici enim Sacri qui nobis illos casus Scripto reliquerunt, non loquuntur de iis sive Revelationibus, sive Instinctibus Divinis tanquam de re singulari, paradoxa, suo tempore inaudita, quæ exemplo simili careat: sed contra narrationem suam sic componunt tanquam nihil scriberent, quod esset supra expectationem hominum illius temporis. Et constat præterea, tempus OEconomiæ Novæ ante *Ministerium Joannis Baptistæ* non incepisse. quicquid supra est, Veteri OEconomiæ accensendum esse. Sed ne rationum nostrarum vi quicquam decedat, si eas confusè proponamus: inspiciamus primò loca quæ de his *Revelationibus* agunt; deinde de initio temporis Novæ OEconomiæ distinctius, sed pro instituto nostro paucis, videamus. Inter Exempla nullum prius est *Simeone*; de quo in hunc modum Lucas: *Et erat quidam Hierosolymis*, Cap. II. 26. *cui nomen* SIMEON, *eratque homo ille justus ac pius*, *expectans consolationem Israëlis*, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτὸν· ET SPIRITUS S. ERAT SUPER EUM, καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, *eratque illi* DIVINITUS REVELATUM à SPIRITU SANCTO, & quæ seq. Et mox: Vers. 27. *Is igitur venit*, ἐν τῷ Πνεύματι, A SPIRITU MONITUS & ACTUS, *in Templum*. Subjiciuntur *Hymnus*, & *Prophetia* ejus de Christo luculenta, cum optimis comparanda. Sequitur deinde in Historia: Vers. 36. *Et erat etiam quædam* ANNA Προφῆτις PROPHETISSA, *Filia Phanuelis ex tribu Aser*, PROVECTA IN MULTAM ÆTATEM, quæ illo ipso tempore *superveniens*, *agnoscebat Dominum*, & *loquebatur de eo omnibus*, *qui redemptionem expectabant Hierosolymis*. Quid his exemplis clarius? Nihil hic novi narrat Lucas aut inexpectati,

 fuisse

fuisse id temporis inter Judæos homines pios, sanctos, rectè cogitantes de via salutis, quibus Deus se per *somnia*, ut videtur, solitus fuerit *revelare*, & de præsentibus vel futuris eos edocere; subinde etiam *suo Spiritu* tam validè *afficere*, movere, agere, ut sentirent ipsi, sentirent & viderent alii, in illorum oratione & motu *Divini* quid inesse. Atqui illi hoc nomine jam cogniti erant, & hâc *existimatione* apud suos jam gaudebant longè ante nativitatem Baptistæ & ipsius Domini, ut ex hac historia liquet. Minor probationis vis est in exemplis aliis tum *Zachariæ*, Baptistæ Patris, cui in Templo *adolenti* Angelus filii sui natales prænunciavit; tum *Mariæ*, Matris Domini, cui *similis* accidit *casus*; & *Josephi*, per *quietem*, (κατ' ὄναρ) de necessariis moniti; tum quoque ipsorum horum sanctorum hominum, Zachariæ, Mariæ, Elisabethæ, quorum extra ordinem affectorum *à Divino Spiritu* ora soluta sunt in *hymnos sacros*, eo modo compositos, ut satis suum prodant auctorem; de quibus Historicus: Καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ, καὶ ἀνεφώνησε φωνῇ μεγάλῃ. Et mox: Καὶ Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, καὶ προεφήτευσε, λέγων· *Et Zacharias Pater ejus* REPLETUS EST SPIRITU S. *&* PROPHETAVIT. minor, inquam, in his Exemplis, eâdem cætera historiæ fide subnixis, vis est probationis, quia multò majore specie hic excipi potest, pertinere ad OEconomiam Novam, cujus initia Deus his peculiaribus argumentis suæ gratiæ honestare atque illustrare voluerit. Ego verò nec ausim, nec velim negare, esse in his quid singulare & extraordinarium. Non puto tamen, quicquam ejusmodi esse in exemplis *Simeonis*, & *Annæ Phanuelis*, jam ante *prophetis*, & hoc nomine in Gente sua honoratis, quàm Joannes & Dominus inter homines nati sunt. Quin si rem rectè putemus: initia OEconomiæ Novæ non possunt altius arcessi, quàm à *Ministerio Joannis Baptistæ*, quo fungi cœpit *quinto decimo* Tiberii. Sic autumo intelligendum esse Dominum de Joanne disserentem: *Nam* OMNES PROPHETÆ, *& ipsa* LEX, *usque ad* JOANNEM *prophetarunt*. Vult dicere, à tempore Joannis implementum consequutura esse quæ in *Lege* & *Prophetis* de OEconomia Nova prædicta sunt. Atqui à quo tempore Joannis? An à natalibus ejus? Utique illâ ætate nihil accidit novi in Ecclesia. omnia eodem loco & ordine persiste-

Cap. 1. 12. Vers. 26. Matth. 1. 20. II. 19. Luc. 1. 48. Vers. 67. Matth. XI. 13.

stiterunt. Nulla verè novatio facta est nisi cum publico ejus *Ministerio*, sive *Baptismo*, quando ille se ut *Prophetam* Populo ostentavit, *grandi voce* intonans necessitatem *resipiscentiæ*, & *meliora tempora*, quæ Vates prænunciaverant, demonstrans. Quicquid igitur sit: ipsæ quoque illæ Operationes Sancti Spiritus, quę sanctis circa natales Joannis Baptistæ & Domini obtigerunt, excludi nequeunt tempore OEconomiæ Legalis; nec cur excludantur, ulla est ratio.

IV. Tertiò, sunt inter Doctos rerum Divinarum Commentatores qui omninò existimant, *Fasciculo Hymnorum Sacrorum* contineri *Psalmos quosdam* circa tempora *Afflictionis Epiphanicæ* compositos, quos tamen nos cum cæteris tanquam instinctu Spiritus S. editos, nobis commendatos habemus; quorumque auctoritatem non minus veneramur, quàm aliorum testatissimam. Novi, esse in hac sententia plures: sed pondus non est idem. Solum itaque nunc appello Altingium, doctum Virum & arbitrum harum rerum peritum, qui cum dissertaret de *Constantia Linguæ Hebrææ*, Judæis vernaculæ, *in Captivitate Babylonica*, inter alia hæc reliquit verba: *Denique* SÆVIENTE CONTRA JUDAICAM RELIGIONEM ANTIOCHO EPIPHANE, *& quod ante nunquam factum fuerat, multis ea propter martyrio vitam finientibus potius, quàm ut à fidei professione defectionem facerent*, PUBLICARUM PRECUM LOCO EXARATUS, ET ECCLESIÆ TRADITUS FUIT PSALMUS XLIV, ET FORSITAN QUOQUE LXXXIX. *qui tamen nihil discedunt à prisca integritate Linguæ Hebrææ: cujus proinde constantiam eo usque, ad tempora nempe Maccabæorum, sartam tectam probant.* Alii censent, inter *Psalmos*, qui לאסף *Asaphi* esse dicuntur, esse in quibus afflictio Epiphanica vivis coloribus depingitur, veluti LXXIV^um^ & LXXIX^um^; quos proinde plerosque existimant istoc quoque tempore cantari cœpisse. Inter Judæos huic favet sententiæ Joseph Aben-Jechija, cujus verba ad Ps. LXXIV. 9. *Signa nostra non videmus*, animadversione dignissima, alibi exhibet Buxtorfius: *Et nunc in exstructione Domus hujus secundæ* SIGNA NOSTRA PRISTINA, (אותותינו הקדומים) *Urim & Thummim, & Ignem de cælo descendentem, non videmus*; NEQUE AMPLIUS HABEMUS PROPHETAM, QUIA IN MALACHIA CESSAVIT PROPHETIA. Supponit igitur, Psalmum compositum esse post obitum Malachiæ. Psalmi tamen

Dissert. Phil. I. de Ling. Heb. Constant. §. XXIII.

Hist. Ur. & Thum. Cap. V. §. 324.

men hi, sive argumentum, sive compositionem spectes, sunt egregii, nec aliis ullis, hoc præstantissimo Volumine spiritualium Odarum contentis, cedunt.

V. Ego verò quid hic dicam? Fateor lubens, hæsitare me, tanquam qui verè difficillimi rem negotii puto, de quibusdam Psalmis hujus argumenti certi quid definire. Quod ad Psalmos binos attinet, ab Altingio demonstratos: revera magis videntur historicè narrare rem gestam, quàm propheticè, gerendam; & si tempus Antiochi Epiphanis excipias, nemo facilè dixerit, ad quem alium Casum vel Ætatem OEconomiæ Veteris commodius referantur. Et obstat tamen inscriptio Psalmi
1 Reg. IV. 31. LXXXIX, quæ *Ethanem Ezrachitem* præfert illius præcellentis Odæ auctorem, quem Davidis & Salomonis ætate claruisse, constat. Id unum maximè me hic suspensum tenet. quod enim alii ex *Versione Psalmorum græca*, & *Collectione Psalmorum* in *Canonem* ante hoc tempus facta adversus hanc sententiam inferunt: minus me movet, quia utriusque tempus certò demonstrari nequit. Non putem enim sub Philadelpho plures Libros Sacros quàm *Legales* versos esse. Quod jam ad Psalmos attinet, qui *Asaphi* inscribuntur: plerique sunt similis argumenti. Complectuntur acerbas querimonias de collapso statu Populi Dei; Religione afflicta, sannisque & opprobriis hostium exposita; hypocritarum & profanorum manu in Ecclesia prævalente; adversariorum insultu; piorum oppressione; Sanctuario sacrisque locis desertis, corruptis, incensis; & quæ hujus generis alia. Hæc autem mala, hæ calamitates, narrantur magis ut præsen-
Hieroz. Part. 1. Lib. III. Cap. XXIX. tes, quàm prænunciantur ut futuræ. Existimarunt itaque Bochartus, Muisius, & hos sequuti alii, compositos esse tempore
Comm. in h. l. Exilii Babylonici ab alio quodam *Asapho*, quàm celebri illo Levita hujus nominis, qui Davidi in sacris ordinandis & componendis hymnis ad manus fuit. Et ipsa tamen hæc sententia non unâ laborat difficultate, α. Quia ex ipso Codice Sacro liquet,
1 Chron. VI. 39. *Asaphum* aliquem, (quem verò nisi celebrem illum & sanctum Prophetam?) jam ante Exilium Babylonicum celebratum esse ut quorundam *Hymnorum sacrorum* auctorem, 2 *Chron.* XXIX. 30. β. Psalmus LXXVIII^us ejusdem tituli, qui percenset historicè beneficia usque ad Asaphi tempora in Ecclesiam Judæi Populi colla-

collata, non excurrit ultra ætatem Davidis; unde certissimè colligi posse videtur, Asaphum illum circa illud tempus vixisse. Fortè igitur tutius dicas, *Asaphum*, qui exertè חזה *Videns* sive *Propheta* appellatur, quod *ecstaticis raptibus* de eventibus futuri temporis edoctus monitusque fuerit, calamitates tam Exilii Babylonici, (ad cujus tempora referri posse illos Psalmos, alibi disputavi:) quàm Antiochi Epiphanis *in spiritu* prævidisse, easque ita descripsisse ut eas tanquam *præsentes* magis quàm *futuras* se contemplari significaverit. Utique *Auctor primi Maccabaeorum Libri* verba quædam Psalmi LXXIX ad fata sui temporis applicuit, ubi perfidiam Alcimi & Bacchidis in cæde *Asidaeorum* commissam narrat: *Et accidit illos una die*, κατὰ τὸν λόγον ὃν ἔγραψε *secundum verbum quod* SCRIPSIT: (non addit *Auctorem*, acsi *Psalmus* illo tempore titulo caruisset. subintelligendum autem ex nostra hypothesi, *Propheta* aut *Asaphus*:) *Carnes* SANCTORUM TUORUM, (חסידין ASIDÆORUM TUORUM) *& sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Hierosolymorum.* Sanè Psalmus illi tempori concinnè satis quadrat. Quicquid verò hujus rei sit: patet non deesse Eruditos Viros, qui non absque magna rationis specie judicant, Hymnos quosdam Sacros, longè post Malachiæ ævum *instinctu Spiritus S.* eleganter compositos esse, & cæteris, tanquam ejusdem auctoris & auctoritatis opera, accensitos; sententiam verò hanc ejusmodi esse, quæ seriam mereatur animadversionem; etsi ego hactenus illi fidenter subscribere non sustineo.

2 Chron. XXIX. 30.

De Synag. Vet. Lib. I. Part. II. Cap. X.

1 Macc. VII. 16.

VI. Quartò, fateor, non videre me, quare falsi suspecta habere debeam omnia, quę Josephus de χρηματισμοῖς *Revelationibus Divinis*, sive Pontificibus, veluti *Jaddo* & *Joanni Hyrcano* factæ sint, sive sanctis Viris, qualem probabile est fuisse *Judam* Essenum; in historia sua disertè narrat, & quidem cum pluribus veri indiciis, quæ ab ipso ficta fuisse non videntur. Sunt qui prudentiæ esse putant, hujusmodi narrationes omnes lectas spernere; imbecillitatis judicii, vel minimam iis adhibere fidem. Scire velim, ob quam rationem? Si quæ sit: petenda est vel ex historico, vel historia ipsa sive re quę gesta esse narratur. Quod ad historicum: non est summa apud me Josephi fides; nec erga eum sic affectus sum, ut omnia promiscuè æquâ fide admittam, quę ille ab aliis credi voluit. Jactat ille passim & amplissi-

Procem. Lib. Antiq. & in *Vita sua*, p. 1026. Vind. Cogit. de Templo Ezech.

mè prædicat suam honestatem & veri studium; diligentiam præterea & accurationem summam: sed esse hæc propriæ laudis præconia cum discrimine judicii interpretanda, alibi pluribus exemplis evici. Absit tamen fidem illi negem, eruditissimo certè Viro, spectabili, & Principibus Viris sui temporis, & Imperatoribus Romanis ipsis ac Regibus, maximè commendato, quando probabilia sive verisimilia disserit. Aliquid illi tribuo; licet semper ob oculos versetur, rem mihi esse cum Judæo, sui gentisque suæ honoris studiosissimo, astuto homine, superstitioso etiam, artisque adulandi potentioribus minimè imperito. Attendo igitur diligenter ad ipsas quas tradit res, earumque circumstantias. Exploro, an cohæreat narratio; an personis, de quibus agit, conveniat; pariter an respondeat locis temporibusque, quibus narratio innectitur; an paradoxa sint quę traduntur, an intra rationis & fidei terminos consistant; tum præterea an quid sit caussæ externæ, quod Scriptorem movere potuerit, quare falso illeverit colorem veri. Quod si nihil horum mihi occurrat, quod fidem narrationis dissuadet: credulitatem meam expugnari patior, idque magis in laude quàm in vitio pono. Placet mihi illud Senecæ, quod ante eum *Hesiodi* & *Phædri*: *Utrumque vitium est, & omnibus credere & nulli.* Qui enim nobis credi volumus, cur fidem negamus aliis, nobis non deterioribus, si, quod hic præcipuum est, ipsi sibi fidem faciant? Est hic media tenenda via, si cavere nobis velimus ab errore sæpè in rebus momenti maximi, ut Fabulator exemplo declaravit. Videndum quid credibile sit. Si sit; vel exuenda humanitas est, vel admittenda fides. Hic verò est quod non *diffiteor* sæpè me subiisse mirari. Si antiqui temporis historia doceat, Deum, sive per se ipsum sive per Angelum se manifestum fecisse aliis suamque exposuisse voluntatem *per quietem*, aut quo modo alio, veluti Abimelecho, Labani, Pharaoni, Bileamo, Nebucadnezari; tum imprimis Jacobo, Josepho, Mosi, Prophetis: narrata illa bonâ & æquâ fide passim recipiunt homines; credere non recusant. hos dico, qui auctoritatis Divini Verbi reverentes omnibus assentiendum esse putant, quæ in historia Sacra clarè traduntur. alios enim nunc non moror, nimiò suspicaces, *qui adeò in latebras refugiunt*, ut id unum pulchrum existiment,

Epist. III.

ment, & verè sapere, *nihil credere, & in turbido esse, quicquid in luce est:* ut cum Seneca loquar. Novi enim non esse hos optimæ indolis homines; sed vel profanos, qui rerum omnium incertitudinem impiis erroribus suis prætexunt ut lumen quod in se est, cum aliqua specie rationis extinguant; vel inhonesti animi ipsos, qui cum verum & honestum ipsi non ament, & in dictis factisque suis fidei integritatisque nullam habeant rationem, facilè hujus vitii alios quoque suspectos faciunt. Sed quotquot æquæ & honestæ mentis sunt homines, non existimant, negandum sibi esse quæ bonæ fidei historia tradit. Accipiunt igitur & admittunt quę in Sacris Voluminibus antiquo ævo gesta narrantur. Similia autem si à Josepho recentiore tempore narrentur: rejiciunt; non tam quod Josephus narret, cujus auctoritas cum ea Historicorum Veterum comparari nequit; quàm quod præjudicio quodam suo omnes ferè narrationes de *Revelationibus Divinis, extra ordinem recentiore Mundi ætate factis*, in universum proscribant, & nimiæ sive temeritatis sive simplicitatis credulitatisque damnent, quos hac in re se faciliores deprehendunt. Fateor, non videre me, quo jure, quâ ratione? An tempora hic mutabunt rerum ipsarum naturam? An non eadem OEconomia? An *Eli*, *Abjathar*, *Tsadok*, qui respectu *Muneris sui* הראה *Videns* sive *Propheta* dicitur, olim digniores quibuscum Deus se communicaverit, quàm *Jaddus*, *Simeon Justus*, *Onias tertius*, *Joannes Hyrcanus*, ævi recentioris? Id inquam, me non videre. An magis paradoxum, somnium immissum esse *Herodi*, *Archelao*, aliisque Principibus Judææ Gentis, quàm *Abimelecho*, *Pharaoni*, *Nebucadnezari*? Quæ caussa quod tardius credas, *Judam* & *Manahemum* Essenos, pios haud dubiè & sanctos Viros, per Spiritum commonitos esse de futuris quibusdam eventibus, quàm Sapientes antiqui temporis? Si auctoritatem majorem hic desideres historiæ: acquiesco. Non agnosco enim ipse in Josepho eandem fidem, quam in Historicis priscæ illius ætatis, qui verè fuerunt eximii, &, ut probabile, ipsi Prophetæ. Sed si incredulitatis caussam conjicias in *tempora* & *homines*; quod vulgò fit: minus dixerim esse rationis. Ex *Gnomis* enim *Sapientium*, qui vixerunt intermedio hoc tempore, quarum aliquæ conservatæ sunt in insigni Tractatu *Pirke Avoth*,

2 Sam. xv. 27.

Avoth; patet fuisse in iis qui excelluerint prudentiâ & pietate.

VII. Summa est, aliquid hic tribuendum videri sive communi famæ, sive Commentariis aut Monumentis Publici usus, ex quibus Josephus suam historiam descripsit, cum res ipsa, quam narrat, fide superior non sit, nec à probabili ratione abludat: etsi quod ad exempla ipsa quæ producit, singula cum suis περιστάσεσι diligenter expendenda sint, antequam ea securâ fide admittantur. Potest enim in singularibus fallere, quod in universum verè affirmatur. Imprimis id observari velim de illo *Revelationis* genere quod per *Somnia* hominibus obtingit, omnium haud dubiè maximè communi, sed omnium quoque maximè exposito ludificationi ingenii humani. Et quid hic, obsecro, difficultatis? Si dentur *somnia* quædam *præternaturalia*, quę ab *Angelis* vel *Dæmonibus*, nos circumsedentibus, administrentur: quod omnes omnium temporum & locorum Populi crediderunt: omnes quoque Philosophi, si Epicuri sectam exceperis: cur eadem hoc intervallo promiscuè negaverimus *Judæis*? Deum summum hic in scenam vocare, mihi ipsi quoque non placet. temerè id fit, & quibusdam in casibus absurdè; & sacra historia *somnia* hujus generis exertè ad *Angelos* refert. Et tamen cum Judæi ad somnia fingenda & interpretanda præ omnibus aliis Populis terræ proclives sint, & hodieque etiam secundum Canones suæ disciplinæ *Somniis* plurimum tribuant, quippe quod liquet ex illorum Statutis de *Excommunicatione per quietem facta* apud Seldenum: nemo dubitaverit, hic plurimum admixtum esse superstitionis, & parum sæpè judicii. *Daret igitur* ille suæ pœnas stultitiæ & temeritatis, qui credulitati suæ hic nimium indulgeret, & quę *Somnia* illi in historia ut χρηματισμοὺς commendant, absque discrimine accipere vellet, eorumque conjicere interpretationem. Faciendus hic est delectus: nec spernenda omnia, nec admittenda; sed singula subjicienda examini; & ex materia Visorum aut circumstantiis narrationis instituenda divinatio est, quid ut probabile accipiendum, quid exigendum sit. Exempli caussâ, *Somnium* quod Judæ Maccabæo obtigisse narrat Auctor *Secundi Maccabæorum Libri*: quis non videt quam primum inspexerit, esse planè frigidum & jejunum, & fu-

[Margin notes: Matth. 1. 20. 11. 13. — De Syned. Vet. Heb. Lib. 1. Cap. VII. — Cap. XV. 13, 14, 15.]

& futilis cujusdam ac valdè mediocris ingenii lusum? Contra *in Viso* quod Josephus *per quietem* oblatum esse narrat Archelao, antequam Romam iret judicandus ab Augusto & mittendus in Exilium, longè plus est quod credulitati blandiatur; adeo quidem ut existimem, absque inconsiderantiæ vitio hic fidem adhiberi posse historiæ. Argumentum veri est, quod cum *Somnium* sit simplicissimum, & bonam patiatur interpretationem: Josephus ipse, aut quem ipse infert, Simon Essenus, id interpretando corruperit. Verba Josephi: *Sed priusquam Romam evocatus est, amicis tale narravit somnium*: θεασάμενος ἀστάχυς δέκα τὸν ἀριθμὸν, πλήρεις πυρῶν τὴν ἰδίαν ἀκμὴν ἀπειληφότας, δόξαι ἂν αὐτῷ βιβρώσκομένους ὑπὸ βοῶν θεωρεῖν. *Visus est sibi videre decem spicas maturas, tritico plenas, à bubus absumi.* Consultos super hoc somnio narrat Conjectores; quibus cum inter se non conveniret, Simonem tandem aliquem prodiisse Essenum, qui veram attulerit interpretationem, & Viso hoc portendi Archelao dixerit *mutationem status in deterius*. Conjecit rectè, docuitque eventus; sed si conjectum eo modo confecerit, quem narrat Josephus, ineptè instituit. Videamus quo modo? *Boves enim significare* dixit *miseriam, quod in perpetuis laboribus degat hoc animal. præterea rerum mutationem, quia terra horum operâ versata, nec locum eundem retineat, nec faciem. cæterum decem illas spicas totidem annorum præfinire numerum; eas enim redire annuis vicibus, jamque instare Archelao dominationis terminum.* Si sapiens Vir fuerit hic Simon Essæus, quod præsumo; absurdum sit creditu, hanc interpretationem ab ejus profectam esse ingenio. Est Josephi ipsius, ut puto, vel alterius cujusquam, qui affectatâ non suo loco laude acuminis & subtilitatis majoris, rectam facilemque somnii expositionem pervertit. Nihil in hoc conjecto sani, nisi quod *decem spicas* totidem *annos* significare dixerit; quod in *Somniis* & *Visis hujus* generis tralatitium: cætera sunt ἀπροσδιόνυσα, & insulsa, præter ejus mentem qui *Somnium* hoc vel finxit, vel *Archelao* immisit, sive is Angelus, sive Dæmon fuerit: quod mihi perinde nunc est. Somnium enim simplex est, nec spernendum, quo significatum Archelao est, fore ut *florens rerum ejus status*, quo per *decennium* fuerat, à *Ducibus* (אלופים) sive *Imperatoribus Gentium* subvertatur, opesque, copia, & gloria, quibus hactenus gavisus fuerat, ab iis absumantur.

Antiq. Lib. xvii. Cap. xx.

mantur. Vitium igitur hic non est in *Somnio*, sed in illius interpretatione. Nec tamen ego hujus Somnii veritatem, nedum divinitatem, defendo, aut cum Visis, quæ Joanni Hyrcano, Judæ, Manahemo, aut similibus fortè obtigerunt, confundo. tantum docere volui hoc Exemplo, Visa ipsa, cujusmodi sint, inspicienda esse, & expendendas eorum circumstantias, si de illis probabile ferre velimus judicium; mediamque tenendam esse viam inter superstitionem & incredulitatem. Est enim ejusdem temeritatis negare quod absque ratione negatur, cujus est affirmare quæ liquidâ destituuntur probatione.

VIII. Idem ferè sentio de *Divina Voce*, Filia vocis dicta, quod *Revelationis* genus Talmudici tradunt locum habuisse sub *posteriore Templo*, ut in superioribus vidimus. Sunt inter nostros qui *traditionis* hujus nullam planè rationem habent, licet constantis, si quæ alia, & *Exemplis* plurimis confirmatæ. *Quæ de* Bath Kôl *referunt Judæi*, inquit Ligtfootus; *ignoscant illi mihi, si ego partim pro fabulis habeam Judaicis, partim pro præstigiis Diabolicis.* Quod ad *præstigias Diabolicas:* minus me morantur; etsi in *Capitulis R. Elieseris* tradatur modus aliquis Vocis hujus Coelestis eliciendæ, qui ad *Magicas artes* propius accedit: sed ipse quoque fictus haud dubiè & imaginarius ingenii partus. *Fabulis* accensenda esse pleraque, si non omnia Exempla hujus generis, quæ Talmudici in traditionibus suis laudant; facilius dederim. Fateor enim, nihil me in iis invenisse boni & solidi: præterquam quod pleraque illius sint temporis, quo certò constat Deum non amplius respexisse Judæam Gentem. Accedunt etiam alia, quæ fidem dissuadent, α. Quod historia medii illius temporis, de quo nos agimus, (qualis verò nisi *Maccabaicorum* & Josephi?) nulla ejusmodi *Specimina Revelationis* Voce coelesti *factæ* laudet iis edita esse casibus, in quibus magnum habere poterat usum. Afflictissimis illis & dubiis Reipublicæ atque Ecclesiæ temporibus, quibus in Gentem sæviebat Antiochus, & Assamonæi Duces, sacra Religionis instauraturi, sæpè versabantur in magna rerum incertitudine, quare nulla audita *Vox Cœlestis*, quæ sive animos eorum erexerit, sive in dubiis & obscuris quæsitis de Religione consilia eorum expediverit? Contra verò historia docet, caussâ defectus certi *Oraculi* aut *Prophetiæ Canonicæ*

Pirke Elies. Cap. VIII. p. 17. Edit. Vorst.

Hor. Heb. in Matth. III. 17.

1 Macc. IV. 46.

nica dubia relicta esse & controversa quę pii ille patriæ Religionis antistites maluissent diremta. Pariter cum tempore instauratæ per Maccabæos Reipublicæ inter Doctores Academicos, *Pharisæos*, inquam, & *Sadducæos*, de *Dogmatibus Religionis momenti maximi* acriter disputatum sit: quare nulla intervenit *Vox Cœlestis* quæ litem illam deciderit; si is omninò usus fuerit frequens & familiaris *Vocis Cœlestis*, quem Talmudici volunt? β. Magistri talia subinde jactant de sua בת קול *Filia Vocis*, quæ absurdum est credere; & vel planè fabulosa sunt, ut eorum plurima alia quæ inter Christianos aliqui pessimo sanè & ridiculo studio excusant; acsi magnam illi rem agerent, dum probant, Judæos à Deo ejusque Spiritu desertos *non ineptire*; vel *allegoricè* intelligenda erunt, si quis humanissimè cum iis agere velit, etsi vix pateat allegoriæ ratio. Deprome exemplum ex *Capitulis Patrum:* אמר רבי יהושע בן לוי בכל יום ויום בת קול יוצאת מהר חורב ומכרזת ואומרת אוי להם לבריות מעלבונה של תורה Cap. VI. §. 11. *Dictum R. Josue Filii Levi: Omni die* FILIA VOCIS *egreditur è monte Horeb, &* PRÆCONIZAT, *dicitque: Væ hominibus quod ignominia afficiant legem.* illam videlicet, non satis diligenter tractando. Simile exemplum est quod in superioribus produxi de *Voce* quæ quotidie prodit ex ruderibus Hierosolymorum. Absurda hæc sunt, si κατὰ τὸ γράμμα accipiantur. allegoria autem longè quæsita est, & vix quicquam habet acuminis. Quin certè Ligtfootus observavit notabilem locum ex Codice *Schabbath*, Talmudis Hierosolymitani; unde patet, Magistros per בת קול *Filiam vocis* quibusdam in casibus non intellexisse *Vocem Cœlestem*, Angelorum Ministerio in aëre formatam, sed qualecunque *dictum augurale* aut *ominosum*, quod ipsi superstitiosè captabant, sive ad *obviorum colloquia* & sermones attenderent, & ex eorum sermonibus augurium facerent; sive fortè Libros quosdam inspicerent, & ex prima quaque sententia quæ occurrebat divinationem facerent, eamque pro *Oraculo* acciperent *Cœlesti*, fere ut Pagani in *Homericis* & *Virgilianis* sortibus instituebant. Fol. VIII. col. 3.

IX. Hæc obstant, fateor, Traditioni Talmudicæ. Sed sunt alia, quæ favent. Et quidem primò, Historia Evangelica clarissime narrat, id temporis quo Dominus Jesus manifestus faciendus erat Judæę Genti, Deum hoc præcipue usum esse modo

Revelationis per *Vocem*. Voce enim cœlitus *miſsâ* ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης à MAGNIFICA *illa* GLORIA (τὴν שכינה *Schechinam* [2 Pet. I. 17.] deſignat Apoſtolus, quę hoc nomine à Judæis appellabatur:) non ſemel *Jeſus* demonſtratus eſt *Chriſtus*, *Filius Dei*; & Deus Pater *teſtimonium perhibuit Filio ſuo*, alio etiam in caſu. [Matth. III. 17. XVII. 5. Joan. XII. 28, 30.] tum quoque ipſe Dominus non alio uſus eſt *medio* quo Paulum *vas* à ſe *electum* retraheret à peſſimo vitæ inſtituto, ut patet ex Actis. [Act. IX. 4.] Quid jam dicemus? An, Deum cum Chriſtum Filium ſuum *manifeſtum facere* vellet Judæę Genti *eo* uſum eſſe *modo* ſuæ Voluntatis extra ordinem declarandæ, qui illo tempore planè habebatur novus & ſingularis, quippe *quo* Deus uſus non fuerat à quo Legem ſuam promulgaverat de *monte Sinai*? (Caſus enim alii *Revelationum*, voce factarum, temporis intermedii, *Revelationi*, בת קול dictæ, diſſimiles ſunt:) Certè id videri queat parum eſſe probabile. Longè veriſimilius eſt, Deum ſequi voluiſſe *morem* aliquem ſuæ declarandæ Voluntatis, non planè hominibus illius ætatis novum aut inſolentem viſum, ne novum ejuſmodi revelationis genus illos magis percelleret aut ſuſpenſos teneret quàm in vera fide Meſſiæ confirmaret. Facilius longè cogitatur, Deum *hoc* uſum eſſe *modo* loquendi cum Judæis, quod famâ & communi fide paſſim eſſet receptum, Deum ſe ſubinde in dubiis caſibus *hâc ratione* cum ſanctis aut *Sanctorum Cœtibus* communicare, ſuaſque, hoc eſt, Cœleſtis Scholæ & Fori ſententias, iis intimare. Nec patet ex hiſtoria, *modum illum Revelationis* Judæis id ætatis viſum eſſe ignotum, aut peculiarem, eorumque ſuſpendiſſe animos. Secundò, id quoque durius dictu eſt, nihil omninò veri ſubeſſe traditioni Talmudicorum tam conſtanti, tot confirmatæ Exemplis de *Revelatione* ſub *ſecundo Templo* fieri ſolita per *Vocem*. Fallant exempla pleraque hujus Revelationis. ficta ſint ab otioſis hominibus in honorem Gentis aut illuſtrium Doctorum. an integra etiam fallet hypotheſis? Nihilne planè hic ſuberit veri? inquam. ne quidem ipſa hypotheſis de *Revelationibus* illo tempore *voce* fieri ſolitis, fidem merebitur? Id verò ipſum mihi rurſus parum probabile. Falſa enim, communi fama aut opinione hominum recepta, ſemper ferè aliquid admiſtum habent veri. Unum tamen eſt, fateor, quod hic excipi poteſt; fortean communem famam, traditione Talmudica

dica conservatam, de prærogativa *Cœlestis Vocis* sub Templo *secundo* his illis in casibus subinde auditæ, ex ipsis his derivandam esse Exemplis *Divinæ Vocis*, quorum in Historia Evangelica mentio occurrit; ut nimirum vel *confusa* aliqua *traditio* ex illis petita Exemplis translata sit ad posteritatem, quę deinde ad *peregrinos* Casus perperam applicata sit; vel etiam Judæorum Magistri ex æmulatione & κακοζηλίᾳ hanc prærogativam sibi vindicaverint, suæque Scholæ celebrioribus Doctoribus, ne soli ex Judæis Christiani eâ gloriarentur, & suam de Christo doctrinam inde confirmarent; ut videntur in aliis quoque fecisse Casibus. Id, inquam, unum hic excipi potest, sed non cum adeò magna rationis probabilitate, quod *Voces* illę *Cœlestes*, quarum facta est mentio in Evangeliis, in singularibus tantum nec adeò multis Casibus editæ sint, & Christiani præcipuam probationem suę doctrinę ex iis non petierint, aut eas admodum jactarint. Petrus utique ipse ait, habere se argumentum βεβαιότερον *certius graviusque* pro veritate Fidei Christianæ in *Sermone Prophetico*. 2 Pet. 1. 19.

X. Tertiò addo, nullum *Modum* alium *Extraordinariæ Revelationis Divinæ* tam videri fuisse accommodatum ad tempora illa, de quibus nunc agimus, quàm *Cœlestis Vocis*, si Deus per *Revelationem* aliquam *Extraordinariam* Populo voluntatem suam declarare vellet. Cum enim magna circa eam ætatem esset copia Doctorum, & difficillimum esset Plebi veros à falsis, genuinos & probatos à Pseudoprophetis, rectè discernere: quid rationi congruentius aut in rem præsentem accommodatius, quàm ut Deus, siquidem id postularet necessitas, *Voluntatem suam* Populo explicaret assâ *Voce Cœlesti*, cui fraus nulla & dolus subesse posse videretur? Hæc una enim ratio fuit, & dari posse videtur, quantum intelligo, quare Deus hoc *Revelationis genere* apud multitudinem subinde uti voluerit. Characteres enim Prophetarum discernere; bonos à malis, veraces ab improbis distinguere; in tanta imprimis Doctorum Academicorum turba: longum sæpè erat & difficile, & dubiæ res disquisitionis. Succurrit igitur Deus imbecillitati Populi, & *Voce Cœlesti*, ab Angelis formata, *Voluntatem suam* illi in dubiis casibus exposuit. Id si observemus; disparet nebula Ligtfooti. *Mirum certè*, ait, *si Deus ordinaria sua Oracula à Populo abripiens, aut nobiliore eum donaret, aut æquè*

 nobili;

nobili; idque cum jam in omnimodam impietatem, superstitionem, hæresim, gens degenerasset. Imo hæc ipsa erat ratio *Vocis Cælestis*, quod cum Divinæ Sapientiæ non probaretur consilium illo tempore suscitandi *Prophetos Canonicos*, quales prisca viderant tempora: (in cujus consilii rationes mox inquiram:) & tamen res & usus postulare possent, ut Populus de Divina Voluntate in dubiis quibusdam Casibus *extra ordinem* commonefieret: Deus hoc potius uti voluerit genere Revelationis quàm alio, quippe quod apud multitudinem excludebat omnem fraudis suspicionem. Fecit autem id Deus in gratiam piorum, qui expectabant consolationem Israëlis, in Judæa Gente aliquo numero superstitum; in plebe magis quàm Scholis Doctorum, quorum plerorumque corrupta fuerunt studia. Putem igitur, non esse à probabili ratione alienum sic statuere, præter illa *Exempla Vocis Cælestis*, quorum in Evangelicæ historiæ tabulis conservata est memoria, edita etiam in his illis Casibus singularibus esse alia, quæ occasionem dederint constanti illi Traditioni Talmudicæ de בת קול Filia vocis: etsi probabile sit, Exempla ferè omnia hujus generis quæ in Traditionibus Magistrorum occurrunt, esse ficta; & difficile etiam mihi sit explicare Casus, qui *necessitatem* talis *Revelationis* exegerint. Eventuum enim, qui à Divina Voluntate pendent, non semper dari potest ab hominibus ratio; nec sufficit hic nostra ignorantia ad evertendam fidem historiæ, aut *traditionis constantis*.

XI. Sententiam hanc ita teneo, ut eam probabilem habeam, non certam; nec mordicus quoque illi adhærescam. Videndum tamen, an cum ea consistere queat dictum Domini in Oratione sua ad Judæos, apud Joannem: *Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me;* Οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε· cujus *neque* vocem unquam audivistis, *neque* vidistis speciem. Est verè in his verbis, quod provocet animadversionem mentis veri cognoscendi cupidæ. Quid enim illud est quod Christus Dominus ait, Judæos *vocem Dei nunquam audivisse*, ad quorum *Patres* loquutus est de *monte Sinai*; nec *speciem* ejus vidisse, quorum majores, præter Mosen, Aaronem, ejusque Filios, *septuaginta Presbyteri* admissi sunt ad videndam *speciem Gloriæ Dei Israelis in monte?* Substiti aliquantisper, & incidebat

Cap. v. 37.

Exod. xxiv. 9, 10.

debat in mentem cogitatio, annon id dicere voluerit Dominus, *Patrem suum* de se *testatum* esse *Voce Cœlesti* illa, quâ eum *Filium* Math. III. *suum* esse dixit dum à Joanne aquis mergebatur; præter quem 17. casum nullam unquam *Vocem Dei* Patris *auditam esse*: sive id ita sit intelligendum, illos vel illius aut proximi temporis homines præter hunc *Casum Vocis editæ* in Baptismo Christi *nullam* unquam audivisse *Vocem Cœlestem aliam*; sive emphasis cadat in vocem *Pater*, ut sensus sit, Judæos, hoc excepto casu Baptismi Christi, *nunquam audivisse vocem Dei* Patris. Qui enim de *Monte Sinai* ad ipsos loquutus est, fuit propriè non *Deus Pater*, sed *Legatus Patris*, *Angelus Jehovæ*, nomine & loco ejus verba faciens ad Israëlitas, fuitque hæc communis sententia Judæorum circa tempus Christi, *Legem Mosaicam datam esse δι ἀγγέλων per Angelos*. Heb. II. 2. Sed Vox hujusmodi; Hic est Filius meus dilectus: si verè edita sit, ut est: alterius esse nequit personæ quam *Patris*. Dixerit igitur Dominus; ipse *Pater*, cujus *vocem* nemo mortalium *audivit* unquam; & *nemo vidit speciem*; ne quidem majores Vestri ad montem Sinai, qui non ipsum verè sed *Angelum* ejus loquentem audivêre, *de me solenne edidit testimonium Voce cœlitus missâ*, ne quis vestrûm in me errorem committeret. Neutra interpretatio videri queat absurda, aut incongruens orationi Domini. Obstat tamen utrique, in *Baptismo Christi auditam* quidem esse aliquam Dei *vocem*, sed nullam *visam* esse *speciem Divinæ Gloriæ*. Hæc ratio est præter alias quas nunc non adduco, quare rejecerim hanc cogitationem, & omninò existimem, Christum Dominum hic non provocare ad *testimonium Patris* de se editum in *Baptismo*, quippe quod ab aliquibus tantum exceptum, esse non poterat omnium fidei universale fundamentum; sed ad *testimonium* quod Pater de se ediderat per *Prophetas*; secundum id quod mox subjicit; *Scrutamini Scripturas*; *illæ sunt quæ* testantur de me. Quod autem ad verba; *cujus vocem nunquam audivistis*, *nec speciem vidistis*; hunc habent sensum; Etiamsi vos maximè jactetis & gloriemini, Deum illum, quem Ego *Patrem* meum appello, ad Patres vestros loquutum esse de *monte Sinai*, iisdemque *speciem suæ gloriæ* conspiciendam dedisse tum in *Monte illo*, tum in *Deserto super ostium tentorii Conventus*; eundemque Deum se illustribus Vestræ Gentis

tis Prophetis variè revelasse, cum demonstratione suæ Majestatis; imo & hoc tempore subinde vos honestare *Oraculo* aliquo *Vocis Cœlestis*: Vos tamen quales estis, ad omnem sensum Divinæ Voluntatis stupidi, *verè* dici non potestis *vocem* ejus unquam *audivisse* aut *vidisse speciem*, quia præjudiciis obsessi carnalibus *vera sensa* Divinarum illarum *Vocum*, *Oraculorum*, *Revelationum*, assequuti nunquam estis, nec *veram* Vobis animo unquam præformastis *ideam* Divinæ Gloriæ, qualis illa est *Gloria*, quam decrevit manifestam atque illustrem reddere per *verbum Evangelii*, à me promulgati, per universum orbem. Hic sensus est dicti Domini, quem α. Demonstrant sequentia, quę antecedentem hanc pericopam interpretantur: Καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν· *Et* SERMONEM EJUS *non habetis* MANENTEM *in Vobis*. Vult dicere magnus Doctor; Non percepistis unquam *veram* Dei ad Vos loquentis *mentem*, nec perspexistis *Revelationum*, quę Vobis singulari beneficio obtigerunt, verum sensum & scopum. Quę caussa est, quod *veritas* illa, à vobis non percepta & intellecta, in mentibus vestris illuminandis, renovandis, sanctificandis, optatum non produxerit effectum; quod non amaveritis, aut ametis eam, nec in medullam & substantiam vestram converteritis, aut de ea rectè judicetis. nihil in vobis nisi superficiarium est; nisi externum & literale. corticem lambitis; nucleum ipsum non attingitis. Frustra igitur jactatis quod nunquam possedistis. β. Stylus Orationum Domini apud Joannem mysticus & sublimis idem arguit. Conferendus enim cum hoc loco est alius illi omninò similis in *Capite sequente*, ubi Dominus, ad eosdem Judæos carnales: *Amen*, *amen*, *dico vobis*: *Quæritis me*, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα *non quod* VIDERITIS SIGNA, *sed quod* EDERITIS EX PANIBUS ILLIS, *& saturati fueritis*. Revera illi homines, quibuscum Dominus hic loci agit, *viderant* illustre illud *signum* à Christo editum in *panibus*, ut liquet ex ℣ſ. 14. & haud dubiè spectatores fuerant plurium aliorum ejus miraculorum. nec tantum; sed & rapti in admirationem, collegerant, esse illum *Prophetam* illum illustrem, Genti apud Mosen promissum, & parati erant Christum Jesum *Regem* dicere. Et tamen Dominus negat, illos SIGNA VIDISSE; tantum ait *edisse de panibus*. Vult dicere, *non vidisse* illos *signa* illa *oculo spirituali*, nec per

Marginal notes: Vers. 38. (beside "tem hanc pericopam"); Cap. VI. 26. (beside "minus, ad eosdem"); Deut. XVIII. 18. (beside "esse illum Prophetam")

per ea hactenus verè affectos & conversos esse, aut ad veram in se fidem perductos. esse adhuc totos in *carne*. non rectè judicare de se & miraculis suis, aut scopo adventus sui in carnem; nec vera sensa verborum suorum assequi ob præjudiciorum crassitiem. verè proinde de illis dici posse, *signa non* VIDISSE: (*videntes enim non viderant*:) tantum *edisse de panibus*, quod verus sensus judicii & fidei ab illo actu abfuisset. Patet itaque, dictum hoc Christi rectè inspectum, non pugnare cum traditione Judææ Gentis de *Oraculo* Vocis Coelestis, secundi Templi prærogativa. Jes. vi. 10.

XII. Restat verbum addam de *heroïcis motibus*, quibus acti incitatique sunt Maccabæi aliique his similes heröes in vindicanda Religione Patria ab oppressione Epiphanica, & de *Apparitionibus Angelicis*, quarum mentio occurrit in *Maccabæorum secundo*, exemplis à me in medium productis. Et quidem quod ad *posteriores* attinet: auctorem sive consarcinatorem *secundi Maccabæorum* satis patet fuisse hominem valdè credulum & superstitiosum; cui etiam si fidem adhibere velles: reclamarent tamen ipsa illa *Visa*, ab ingenio puerilis ineptiæ ficta, ut videtur. tam frigida sunt, & tam in iis nihil inest Divini. Prudentior auctor *primi Maccabæorum* illa omittit; etsi verè Docti in Ecclesia Viri, certè post tempora Synodi Nicænę, Maccabæorum auctoritatem (*primo* etiam non excepto:) tanti non fecerint, ut *Canonicis* illos accensuerint, aut illius historiæ certitudinem cum sacra compararint: de quo alibi eruditè disputat Rev. Beveregius. Si tamen *Visa* ipsa ejusmodi essent, ut attentionem mererentur, & cœlesti ingenio digna viderentur: aliud esset. Posset enim vera etiam scribere non Canonicus auctor. Sed fictio ipsa visorum Emblematum laborat magna ingenii inopia. Mitto igitur hanc *Revelationum speciem*; & me lubentius converto ad *Heroes Maccabæos*, & eorum *Socios*, de quorum *motibus* honestissimè sentio. Habeo illos omninò pro hominibus lymphatis, à nobiliore quodam *Spiritu* incitatis actisque, ad Religionem Patriam ab opprobrio, & pios qui in Ecclesia supererant, ab oppressione vindicandos. Qui in *Ehude*, *Barako*, *Debora*, *Gideone*, *Jephta*, *Davide*, egit *Spiritus*: idem agitavit & incendit Maccabæos Heröes, & qui sub illorum militarunt vexillis, ad *facinora* virtutis Annot. in Can. Apost. §. xvi.

tutis & audaciæ bellicæ per plurium tractum annorum edenda, cujusmodi nulla historia alia exhibet illustriora & celebriora; imo nulla, ut autumo, cum his comparanda. Res eadem, caussa eadem; mutatæ personæ. atqui *Spiritus* ille, qui *heroes* antiqui temporis affecit, *Divinus*, sive *Spiritus Jehovæ*, dicitur. [Jud. III. 10. VI. 34. XI. 29.] Zacharias ipse *Heroes hos* depingit veluti *vino sancios*, & extra se raptos, *repletosque ut* PELVES, *ut* ANGULOS ALTARIS. [1 Sam. XVI. 30.] Ad illos enim putem hanc prophetiæ illius partem primò pertinere. [Zach. IX. 15.] Gentiles quoque in *Heroïcis motibus* quid præternaturale observarunt quod ipsi etiam *Divinum* vocarunt. [Lib. V. Cap. XLIII.] Livius de Camillo: *Nec secus quàm* DIVINO SPIRITU TACTUS, *cum se in mediam concionem intulisset, abstinere suetus ante talibus conciliis: Ardeates, inquit,* & quæ seqq. Idem Veteres judicium tulerunt de *Zelo* quodam *Religionis*, qui homines concitavit ad vindicias Divini Nominis subinde à blasphemis & sacrilegis extra ordinem & præter Leges repetendas; qualis ille *Mattathiæ* fuit, Assamonæorum Parentis, qui describitur in historia Maccabaica. [1 Macc. II. 24.] Pertractat hoc argumentum doctè & copiosè, ut solet, Seldenus; [De Jure Nat. & Gent. juxta Discip. Heb. Lib. IV. Cap. IV.] nec habeo quod addam. Scio tamen, quantum hic adhibendum discrimen judicii in zelo vero à falso discernendo, & adhibenda moderatione. [1 Joh. IV. 1.] *Sunt* enim *spiritus multi non ex Deo*; & ipsi sæpè homines ita affecti *nesciunt cujus sint spiritus*. [Luc. IX. 55.] Summa eademque collectio meæ disputationis est; *Extraordinarias omnes Operationes Spiritus S. & Revelationes quoque Divinæ Voluntatis negandas non videri medio illi tempori quod inter Malachiam & Joannem Baptistam intercessit.* Hanc sententiam aliquot abhinc annis sum professus; quam postmodum observavi communem me habere cum Eduardo Bernardo (a), Viro clarissimi Nominis, in suis ad Josephum *Annotationibus*, ubi Talmudicam traditionem de *Defectu Oraculi Urim* & *Thummim* eruditè discutit.

(a) Ad *Antiq.* Lib. VII. Cap. VIII. §. IX. f. 209. c. 1. *Quin imo* SPIRITUM S. רוח הקדש *minimè alienum fuiße ignotumque Domus Secundæ Conditoribus, sed occupaße magis Sacerdotum piorumque hominum multa pectora, licet non* κατ' ἀκριβῆ διαδοχήν, *veluti sub Regibus Judaicis contigerat, passim testatur in Scriptis suis Josephus, dum Jaddua & Joannes Hyrcanus, magni Pontifices animisque magni, Juda Essenorum decus, aliique* DIVINANDI CHARISMATE DECORATI *memorantur.* Alia plura habet hujus argumenti quæ non describo.

Caput

CAPUT XIV.

Clauditur tandem hæc dissertatio, concesso, PROPHETAS *OEconomiæ Veteris* CANONICOS, *quorum characteres hic distinctius recensentur,* POST MALACHIAM DEFECISSE, *idque futurum esse, ipsum* Malachiam *præmonuisse; tum præterea investigantur Divini hujus Consilii rationes, adductis Judæorum & Christianorum Doctorum sententiis; quibus subjicitur* Ἐπίκρισις, *veras caussas hujus* Oraculorum Defectus *certius demonstrans.*

SI aliqua eorum, quę modò jeci, præter quorundam ceciderint opinionem: operam nunc dabo, ut sententiam corrigam. Etiamsi enim intervallo illius temporis, quod novam OEconomiam proximè præcessit, non negem *Extraordinarias Operationes Spiritus S.* non nego tamen, quod tenent omnes & res ipsa clamat, inter *Malachiam* & *Joannem Baptistam* nullos intercessisse *Prophetas Canonicos*, sic dictos, à Deo *extra ordinem missos* ad Judæam Gentem, ut tanquam *Doctores Publici* vitia Populi reprehenderent; salutaria consulerent; in dubiis casibus certam præstarent consolationem aut prædictionem futuri; quorumque dicta Populus universus reverebatur ut *Oracula* quædam supremi Numinis, quicum iis intercedebat familiare commercium; cujus generis fuerunt Samuel, Nathan, Elias, Elisa, Jesaias, Jeremias, Ezechiel, Hulda, aliique plures, quorûm nota ex sacris sunt nomina. Hos *Prophetas* rectè dixeris 1 Chron.
UNCTOS; probè distinguendos à *gregariis* illis, inferioris ordi- xix. 16.
nis, quos Deus *per quietem* subinde de futuris quibusdam eventibus commonefaciebat; aut Spiritus Dei *extraordinario* quodam *motu*, *afflatu*, *instinctu*, ad laudes ejus celebrandas, preces fundendas, & fatidica carmina pangenda excitabat; qualium in Judæa Gente bonus, per *omnia* ferè *tempora* Reipublicæ, fuit numerus.

II. *Unctorum* & *Canonicorum* rarior: quorum Characteres erant,

α. Jer. I. 1, 2, 3, 4. Jes. VI. 8. 1 Reg. XIX. 16.
β. Jer. XX. 7. Ezech. XIV. 9. Mich. III. 8.
γ. 2 Reg. VIII. 4. Jer. XXVIII. 9.
δ. Jes. VI. 1. Ezech. I. I.

rant, α. *Electio singularis* ad hoc munus, & *solennis missio* ad Populum. β. Constans & irresistibilis *vis* Sancti Spiritus, quâ *persuadebantur*, movebantur, *incitabantur* ad *concionandum*, & suis illis concionibus *taxanda* vitia publica; suadendam pœnitentiam; denunciandam impœnitentibus Divinorum judiciorum severitatem; consolandos atque erigendos piorum animos; & subinde etiam Ecclesiam futuri instruendam notitiâ. γ. *Auctoritas* sive *miraculis*, sive *prædictionum suarum certitudine*, sive *vita sua Sanctimonia*, & *concionum efficacia* confirmata. δ. Frequentia non *Somniorum* modò Divinitus immissorum; sed (qui præcipuus erat character hujusmodi Prophetarum;) *Visionum Ecstaticarum*, earumque illustrium, in quibus Deus illos veluti *extra se raptos* & à sensilium affectione abstractos, transferebat in augustum quoddam theatrum, in quo iis contemplanda objiciebat *emblemata imaginum præcellentium*, per quę illos de præsentibus aut futuris edocebat. ε. *Vita*, rigidæ passim & austeræ, singularis sanctimonia; morum planè castigatorum puritas, candor, innocuitas; zelus ingens Divinæ gloriæ; tenuis victus; rarius cum aliis commercium in vita, extra functionem sui muneris; & sæpè etiam *vita solitaria*, qualis illa *Cœnobitarum*: quemadmodum ex præstantium Prophetarum Eliæ, Elisæ, Jesaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, exemplis liquet. Hi erant, quos rectè sic appello, *Prophetæ Canonici*, quorum consilia, dicta, oracula, populus venerabatur ut Divina; & ad quorum scripta, Ecclesiæ relicta, quisque pulchrum putat tanquam ad canonem veri indubium fidem moresque suos exigere. quales post *Malachiam* nullos extitisse usque ad *Joannem Baptistam*, ultrò largior; estque id ipsum, in quo Judæorum & Christianorum testimonia consentiunt; ut supra vidimus.

III. Quæro rationem. est enim res digna investigatione. Quippe cum Prophetæ ejusmodi Publici magno cum ornamento tum usui essent Ecclesiæ: quare Deus posterioribus Ecclesiæ Judæę sæculis negavit, quod prioribus indulsit? cur *siluerunt* hæc *Oracula*, Genti tam necessaria quàm proficua? Certè facilius movetur hoc dubium, quàm solvitur; nec minus hic hærent Judæi quàm Christiani: utique ex rationibus ipsis quas hic in medium proferunt, satis liquet, hariolari illos magis quod in obscuro

obscuro & incerto est, quàm exploratas habere veras Divini consilii caussas. In universum id rectè omnes monent, Malachiam ipsum, Vatum ejusmodi Canonicorum postumum, apertè satis sua in prophetia declarasse, ante *OEconomiæ Novæ tempora* nullum talem *Vatem Publicum* amplius expectandum esse. Verba ejus in hunc sensum ab omnibus ferè Interpretibus accepta, & necessariò accipienda sunt: RECORDAMINI LEGIS MOSIS, *servi mei, quam ipsi præcepi in Horebo, respectu totius Israëlis, statutorum & judiciorum. Ecce ego mitto vobis* ELIAM PROPHETAM, *antequam veniat dies ille* JEHOVÆ, *magnus & reverendus.* Oratio est ipsius Dei, commonefacientis Israëlitas, ut usque ad adventum illius singularis *Dei servi*, ELIÆ, h. e. Joannis Baptistæ, sive ex communi Judæorum sententia, *Præcursoris* alicujus illustris *Messiæ*, quem illi crediderunt fore ipsissimum *Eliam* Prophetam, terris reddendum; perstarent in sedula observantia *Mosaicæ Legis*; quippe ante illum novus Propheta magnæ auctoritatis Genti non appareret. Idem argumentum est exordii hujus prophetiç: *Ecce ego* MITTO מלאכי ANGELUM MEUM, h. e. *servum meum Eliam,* (non sanè *Malachiam* ipsum, ut Abarbanel:) *ante faciem meam; &* REPENTE *veniet ad Templum suum* ILLE DOMINUS (Messias) *quem vos quæritis, &* ANGELUS FOEDERIS, *in quo vobis complacetis.* הנה בא ECCE VENIT; h. e. præsto adest; *ait Jehova Exercituum.* Hic stylus est Prophetarum, *futura*, licet longo intervallo à tempore prophetiç disjuncta, ut *præsentia* exhibere, non modò ob *rei certitudinem*, sed vel maximè respectu *rapidissimi temporis cursus.* Demonstratus itaque ille ANGELUS, Domini Messiç Præcursor, veluti jam præsens adesset, Malachiæ pressurus vestigia. Et erat hæc circa tempora Christi communis *fides* Gentis, in ipsa hac prophetia fundata, ante *Eliam*, vel *Prophetam* illum excellentem à Mose promissum, aut *Messiam* ipsum, *Prophetam Canonicum* magni nominis nullum inter Israëlitas proditurum. Quare cum Joannes, Zachariæ filius, præse ferret *missum à Deo ad baptismum pænitentiæ:* sciscitantur ex ipso Judæi, num esset CHRISTUS, vel PROPHETA ille, vel ELIAS? Et discipuli ad Dominum: *Quid igitur dicunt Scribæ,* ELIAM *prius oportere venire?*

Cap. III. 22. Cap. III. 1. Deut. XVIII. 18. Joan. I. 21. Matth. XVII. 10.

IV. Id igitur hactenus rectè se habet, ex ipso liquere Mala-

chia, sic statutum decretumque fuisse arcano Dei consilio, inde ab illo tempore usque ad *Joannem*, Zachariæ filium, alterum & verum *Eliam*, alium Prophetam Canonicum expectandum non fuisse. Nec tamen hoc ipso difficultati satisfit. Quæro enim si licet, Divini hujus Consilii rationes. Et licebit, opinor. Cum enim summa & perfectissima Ratio nihil agat absque ratione; pars autem magna humanæ sapientiæ sit, de Divinorum Consiliorum & Operum rationibus sanè judicare: nihil præter officium faciunt mortales, si easdem investigent & sedulò explorent. utique si non necessaria; honesta exercitatio est.

V. Judæorum vulgata est sententia, *Defectum Divinorum Oraculorum* inter ipsos arcessendum esse à *corruptione temporum*, & *vitiis* Gentis majorem in modum invalescentibus. Hanc jam manifestè prodidit Josephus, ubi de Defectu Oraculi *Urim* & *Thummim*. Verba ejus: *Cessavit itaque & Essen & Sardonyx splendescere annis ducentis antequam hæc conscriberem*, τοῦ Θεοῦ δυσχεράναντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων· περὶ ὧν ἐροῦμεν εὐκαιρότερον· *cum Deus* MOLESTE FERRET TRANSGRESSIONES LEGUM; *de quo opportunius alibi dicemus*. Locum ipsum in superioribus jam attigi & expositum dedi, quod ad *tempus* cessationis Oraculi *Urim*, de quo Josephus hic meminit. De cætero non est dubium quin respiciat vitæ regimen & mores *filiorum* & *nepotum* Hyrcani, longissimè disjunctos ab illa sanctimonia quę in *Pontificibus* requiritur. Idem ferè legere est in *Capitulis R. Eliezeris*, ubi de *Defectu Oraculi Bath Kol* mentio injicitur. *Propter corruptionem verò hujus sæculi*, ait auctor secundum Vorstium, *non audiunt totum illud, nec potest Spiritus S. inter illos habitare*. Ego verò non negem, apostasiam Judæorum præsentis temporis facilè excludere omnem Revelationem Propheticam. A quo tempore enim Deus libellum repudii misit huic Genti, & adytum Sanctuarii sui dereliquit, *sedet absque Ephodo & Teraphim*. Sed si quæsitio instituatur de tempore, quod Christi Jesu adventum in hunc mundum præcessit: concesserim Josepho, posse Pontificum impietatem & flagitia in caussâ esse quod Deus *commercio suo* illos minus dignetur; at in genere non putem *impietatem* Gentis, à Deo hactenus non habitæ pro *non-populo*, rectè statui caussam *defectus*

Antiq. Lib. III. Cap. VIII. §. IX.

Cap. VIII.

Hos. III. 4.

ctus Prophetiæ. Ratio manifesta est, quia antiquæ Ecclesiæ historia nos docet, *Prophetas* præcipuè suscitatos à Deo esse corruptissimis ejusdem temporibus. Eliæ, Elisæ, Hoseæ, Amosi, Jeremiæ, Ezechielis, aliorumque ætas id evincit. Observavit idem Auctor *Tractatus Theologico-Politici*, & verum est, Cap. xviii. quod ille scripsit, *sub Regibus*, quorum exemplo Populus cor- §. iii. ruptus est, plures fuisse *Prophetas*, quàm primis Reipublicæ temporibus, quod major & pertinacior esset *sub Regibus* corruptio ac defectio à Deo. Prophetæ enim hoc ferè scopo à Deo missi sunt ad Gentem, ut eam à vitiis abstraherent, tam concionum suarum severitate quàm exemplo vitæ. *Corruptio* autem Populi cum non fuerit major post Malachiæ & Maccabæorum tempora, quàm in Juda & Israële ante excidium utriusque Reipublicæ per Babylonios & Assyrios: non videtur inde ducenda esse ratio vera illius *defectus Prophetiæ*, qui in tempora illa incidit.

VI. *Auctor Cosri*, Vir Doctissimus, *Prophetiæ habitualis de-* Part. iii. *fectum* arcessit à *Defectu* τῆς שכינה Symboli Præsentiæ & Ma- p. 238. jestatis Divinæ, quo Deus *primum Templum* honestavit. Sed obstat huic sententiæ, quod cuique eam meditanti mox occurrit; *sub Templo secundo*, licet hoc *symbolo Divinæ Gloriæ* caruerit, utique extitisse *Prophetas*. Non negat Vir Doctus; sed reponit, *durasse tantum Prophetiam inter Viros secundi Templi per quadraginta annos inter* Seniores, העזורים בכח השכינה שהיתה בבית ראשון *adjutos* virtute Schechinæ, *quæ fuit* in Primo Templo. In *tempore* finiendo primò errat, sed errore communi suæ Gentis; erravit autem non invitus, ut hypothesin commodius tueretur. Verum hypothesis nihil habet probabile. Prophetæ enim qui *vaticinati* vel *concionati* sunt sub Artaxerxe, inter quos Malachias; quâ rationis specie dicentur gavisi esse *afflatu* sive *instinctu* & *inspiratione Divina* virtute *Symboli Divinæ Præsentiæ*, quo *Primum Templum* condecoratum fuisse supponitur? Nec enim probabile est, illo jam tempore hos Prophetas vixisse; vel, si vixerint, à *Spiritu Prophetico* fuisse affectos. Ne quidem probabile est, id supponere de *Prophetis*, qui officio functi sunt sub *Dario* Hystaspis *Filio*. Nemo etiam facilè demonstraverit, inter *Symbolum Gloriosæ Dei Præsentiæ* & *Spiritum Propheticum* hanc σχέσιν intercedere,

cedere, ut alterum beneficium alteri subsidio sit; & locum habere nequeat *Prophetia*, quando *Nubes Gloriæ* Templum non illustrat.

VII. Inter Christianos proximè mihi obversatur Grotius, qui *caussam Defectus Prophetiæ* aliam adfert in *Proœmio Commen-*
Ad Cap. I. I. *tarii* Haggæi. Sic habent verba ejus: *In his quatuor* (Haggæo, Zacharia, Malachia, Daniele) *desiit prophetia usque ad Christi tempora. Voluit enim Deus illa* FAME VERBI (ut Prophetæ loquuntur) *appetentiores Messiæ facere Judæos, qui Prophetas omnes miraculis esset superaturus.* Non sperno planè rationem, & poterit inter alias admitti; nec tamen Judæis hoc intervallo absolutè adscripserim *famem Verbi*, cum verè *Verbum Divinum* hoc intervallo copiosius longè sit administratum quàm superiore ætate. Largior nihilominus, *Defectum Prophetarum* magni Nominis potuisse accendere *desiderium Messiæ*, qui dubia multa, de quibus postremo illo tempore inter Judæos disputabatur, expediret & dirimeret. Sed sunt rationes aliæ, ut putem, majoris momenti, quas, missis aliis, absque longiore circuitu adduco.

VIII. Prima & verissima caussa *Defectus Prophetiæ* fuit, ut ego autumo, *Verbi Divini longè copiosior administratio* post reditum ex *Exilio Babylonico*, & sacra sub *Artaxerxe* ab Ezra ordinata, quàm ante illud tempus. Tota enim facies Ecclesiæ post tempus Exilii, & maximè post Artaxerxis, fuit immutata. *Verbum Dei* fuit in publicam lucem protractum, & Libri aut *membranæ*, quæ illud complectebantur, relectæ, à mendis purgatæ, & digestæ in canonem. *Doctores* publici, insignes doctrinâ, exercitatione, zèlo, illud verbum prælegere Populo, &, quæ nova res erat, *interpretari* quoque, & facere ut *legentes* &
Cap. VIII. I. *audientes intelligerent*. historia est in Libro Nehemiæ. inde cum tempore *Scholæ*, in quibus disputabatur, & *Synagogæ*, in quibus *colebatur* Deus & *erudiebatur* populus per totam Canaanæam. Certè post tempora Epiphanica *studium Divinæ* Legis excolendæ mirificè accensum tot cultores habuit, ut Palæstina tota, Scholis, Synagogis, Doctoribus, repleta fuerit; nec aliæ etiam terræ extra Palæstinam Synagogis caruerint: de quo in Libris de *Synagoga Vetere* fusè dissertavi. Id verò ipsum jam futurum prædixerant Prophetæ. Utique huc primò referenda luculenta

pro-

promissio de statu temporis Reditum ex Exilio sequuturi, apud Jeremiam: *Et dabo vobis* רועים PASTORES *secundum cor meum*, *qui vos pascent scienter & prudenter*. Ezras, & Legisperiti Doctores, illius & sequentium temporum, sacra Religionis ordinaturi & *Leiturgiam* publici Cultus Synagogarum composituri, *primo* sensu intelliguntur; *secundo* tamen & sublimiore non nego demonstrari *Christum Jesum*, & *Doctores Evangelicos*. *Pastores* hi essent Ecclesiastici, *Doctores ordinarii*, magnâ copiâ per Gentem disseminandi; quorum *ministerium* faceret ut *Prophetæ Extraordinarii* ante *Novam OEconomiam instituendam* necessarii amplius non haberentur. Idem sensus, ut opinor, involvitur Oraculo Jesaiæ, in quo de statu Ecclesiæ post *Reditum ex Exilio* agitur: *Et non* יכנף ALABITUR *amplius Doctor tuus*, (h. e. præditus erit alis ad avolandum, ut optimè Avenarius:) *& erunt oculi tui videntes* מוריך DOCTORES TUOS, sc. gregarios, ordinarios; *& aures tuæ audient verbum post te*, *dicendo*; *hæc est via*; *ite in illa*; *cum dextrorsum vel sinistrorsum vos inclinaturi essetis*. Ordinaria Doctorum institutio & successio indicatur, & illius institutionis frequentia post tempora Μετοικεσίας Babylonicæ. Alia extant apud Jesaiam hujus argumenti; sed quę nunc non attingo. Daniel speciatim prænunciat *Doctorum copiam* & *institutionis frequentiam* post tempora Afflictionis Epiphanicæ, & de illis luculenter vaticinatur; cujus *prophetiam* non nego complementum suum accipere in *Doctoribus Ecclesiæ Novi Fœderis*, ut pleræque prophetiæ hujus generis; sed ita ut prophetia primo sensu verè pertineat ad statum Ecclesiæ Judæę, igne Epiphanicæ Afflictionis à sordibus vitiorum & scelerum purgatæ. Imo tempore *Afflictionis Epiphanicæ* plures fuisse *Doctores Ordinarios* qui officio ritè functi sint apud Populum, patet clarissimè ex superiore Danielis prophetia quæ procul dubio agit de statu hujus temporis: *Et* DOCTORES POPULI (משכילי העם *qui prudentem faciunt Populum*. titulus ordinariorum & gregariorum Doctorum:) *multos intelligentes facient*; *sed cadent illi gladio*, *& flammis*; *carcere*, *& deprædatione per plures dies*. Sed si prophetiæ etiam hic silerent: non silet historia. quod nobis hoc in casu sufficere posset. Utique patet inde, & res per se manifesta fit, Ecclesiam hoc tempore minus opus incepisse habere *Prophetis*, cum *Doctorum Ordinariorum*

Cap. III. 15. Cap. XXX. 20, 21. Cap. XII. 3. Cap. XI. 33.

rum per Canaanæam invalesceret copia. *Extraordinariâ* enim & miraculosâ providentiâ non solet administrare Deus quod *ordinariâ* satis diligenter procuratur. Plane quemadmodum hoc statu & tempore Ecclesiæ postquam Christus Jesus, Filius Dei, & Apostoli ejus, Novam OEconomiam instituerunt, & Ecclesiæ formatæ fundatæque reliquerunt *Normam* sive *Canonem Doctrinæ*, qui complectitur *idoneam demonstrationem veritatis ad conscientiam omnium* viæ salutis cognoscendæ cupidorum, & cum *Norma* & *Canone* Doctores plures qui se ad Doctrinam illam ore & scripto tradendam, inculcandam, vindicandam applicant; non censetur illa Ecclesia opus amplius habere *Extraordinariis Interpretibus Divinæ Voluntatis*, sed acquiescit in *Ordinaria Providentia Christi* secundum dictum ejus: *Ego ero vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi*: sic omninò postquam compositus est in Ecclesia Vetere Librorum Sacrorum Canon; illi Libri frequentius & familiarius legi & publicè exponi cœperint; tum præterea accesserint *Doctores* plures per Canaanæam sparsi, Divinæ Voluntatis Interpretes: quiescere poterant *Prophetæ Extraordinarii*, nec eorum tanta esse putabatur necessitas, quanta ante illud tempus.

Matth. xxviii. 20.

IX. *Secundam caussam defectus Prophetarum* esse dixerim, huic affinem & proximam, quod *Prophetæ superiorum* temporum, quorum *Conciones* erant in manibus Populi, omnibus partibus sui officii tam benè essent perfuncti, ut nulla deprehenderetur magna *Extraordinariæ institutionis* necessitas. Explicabo mentem meam paucis. Prophetæ duabus maximè de caussis indulti sunt Judææ Genti singulari verè Dei beneficio; primò quidem ut Plebem, ad omnem auræ flatum mobilem, *concionibus* suis retraherent à gravioribus *vitiis*, inter quæ ante Exilium Babylonicum præcipuum erat *idololatria*. Deinde, ut prophetiis suis *fata futuri temporis*, inter quæ *Regnum Messiæ cum ejus prærogativis & accidentibus*, describerent ad consolationem Ecclesiæ. Utrumque autem hoc suum officium administrasse videri poterant, quantum satis erat. Ab *idololatria*, cujus caussâ Deus plures Prophetas suscitaverat, post *Reditum ex Exilio* minus erat periculi ob *institutionum Divinarum frequentiam*, ut jam monui; idque ipsum prædixerat *Jesaias*, in Oraculo supra memorato. Sed glisce-

Cap. xxx. 22.

gliscebat aliud, & pejus etiam malum, jam circa ætatem Ezræ & Nehemiæ, quod cum tempore vires acquireret majores, & Ecclesiam planè corrumperet; vitium, inquam, *Atheismi*, *Epicureismi*, *Profanitatis sententiarum de Religione*, & *circa eam Irreverentiæ*, *aut ἀδιαφορίας*. Hæc erat illa *radix*, *proferens cicutam & absinthium*, de qua cavenda & in semine extinguenda, tanquam certissima plenarii exitii caussa, Judæos jam *vaticinando* monuerat Moses in extremis. Et quod in hoc genere pessimum; non tam fæx plebis, aut in fæce plebis *nequissimus* quisque, hâc leprâ polluebatur; quàm quidem ipsi *Proceres* Judæę Gentis, & *Sacrorum Antistites*, Sacerdotes & eorum Principes, ne ipsis quidem *Pontificibus*, aut eorum *Consanguineis* exceptis. Hoc vitium tantò erat idololatriâ pejus & gravius, quantò ejus difficilior curatio. Solet enim passim conjungi cum *judicio πωρώσεως indurationis*, quod exitium adfert peccatori. Hæc igitur una videtur mente concipi posse caussa, cur Deus Genti à se dilectæ novos indulgeret Prophetas, qui Populum de hac labe monerent. Imo verò non nego. sed non defuit Deus, si sic loqui liceat, *officio*, quod homines ab ejus bonitate hoc in casu videbantur posse expectare. Misit *Malachiam*, hoc consilio & fine, ut *hujus sceleris* fœdifragos convinceret, & iis ob oculos poneret *instans Dei judicium*, quod profani & impii non effugerent; piis autem *certissimam spem* faceret *promissi Messiæ* cum suo *Præcursore*, *tempore statuto*, repræsentandi. Sic clausus erat canon. nihil amplius jure desiderari poterat. *Verbum Dei*, *pro illius* temporis Ecclesiæ OEconomia, erat *perfectum*. *Prædictionum* de Christo, & Regno ejus, erat satis. Satis etiam *Concionum Propheticarum*, omne genus vitiis oppositarum: quæ caussa, quod Deus qui *citra necessitatem* à Lege communi suæ Providentiæ non discedit, *Prophetas Extraordinarios* plures post Malachiam ante tempora Christi non miserit.

Deut. xxix. 18, 19.

X. *Tertiam* dederim *caussam defectus Prophetiæ post Malachiam*, illustrationem *Christi Jesu*, & *Muneris Prophetici* ab ipso administrandi. Hæc ratio clarissima est, & manu palpari potest. Faciebat illud maximè, quod quisque sentit, ad MESSIAM PROPHETAM illustrandum, & ab aliis *Prophetis* discernendum, ejusque *adventus desiderium* inter Judæos *accendendum*, si ipse cum

indice & *præcursore* suo Propheta *solus*, & quidem post expectationem longi temporis, se manifestum faceret Judææ Genti. Intermedii Prophetæ illustres, tempori Messiæ proximi, ejus glo-
Joan. x. 41. riam obscurassent. Nec *Joannes* ipse, licet Propheta illustris, *miracula* ulla edidit, ne hoc ipso de *laude* & *gloria Messiæ Prophetæ* quicquam detraheretur. Dubium relinqui non debebat Judæis, quis esset Messias; nec ipse cum aliis confundi. contra, sic *apparere* eum oportuit, ut ab aliis videretur distinctissimus. Esse præterea debuit *desideratissimus*, qualis esse non potuit nisi post *Canonicorum Prophetarum penuriam* & *defectum* post temporis longioris intervallum appareret. Ad ipsius *adventum omnem* rectè applices quod de *certo* tantum ejus *adventu* Ecclesia canit apud
Jes. xxv. 9. *Jesaiam: Ecce Deus noster, quem* EXSPECTAVIMUS, *& qui salvat nos.* HIC EST DOMINUS QUEM EXSPECTAVIMUS; *gaudeamus, & lætemur salute ejus.*

XI. *Quartam* denique *caussam Defectus Prophetiæ* post Malachiam pono certissimam, quod Deus post reditum Judæorum ex Exilio, & Templi atque Urbis instaurationem, sic egerit cum Judæa Gente, ut manifestum omnibus evaderet, *OEconomiam Mosaicam veterascere*, & illuc omnia spectare, ut post lapsum temporis alicujus cum *meliore* & *perfectiore* commutaretur. Nihil liquidius est quam quod hac de re legitur apud Jeremiam:
Cap. iii. 16. *Et erit cum multiplicati & aucti fueritis in terra hac diebus illis, ait Jehova; non dicetis amplius: Arca Fœderis Domini, & non ascendet in cor; & non recordabuntur ejus; & non visitabunt; & non fiet amplius.* Prophetia notabilis & profundi sensus. Summa promissi est, α. Futurum esse ut *Deus gloriosiore modo* habitet in *Christo* & *Ecclesia* (ἀληθῶς *verè*, non τυπικῶς & συμβολικῶς) quàm *habitaverat olim super Arcam.* β. *Pacturum* esse Deum cum Ecclesia *Fœdus melius* & *perfectius*, quàm cujus *tabulæ* in *Arca Mosaica* asservabantur. non itaque *Israëlitas*, complementum hujus promissi nactos, respecturos amplius esse *arcam*; neque eam expetituros. Docuit igitur illos Propheta, OEconomiam hanc *veterascere*; cum Ecclesia *ætate* cresceret, subsistere amplius non posse, sed *abolendam* esse; ob hanc caussam *Arcam* iis restitutum non iri, sed fore ut Ecclesia quid *Arcæ loco* accipiat beneficium ἀνάλογον nobilius & præstantius. Eadem

ratio

ratio erat Prophetarum, qui ad *Veterem OEconomiam* stabiliendam fecissent. atqui noluit eam Deus amplius stabiliri. Omnia *senescebant*. Vetus OEconomia jam contraxerat rugas. *Satis* huc usque *Prophetarum*. Ut *Arca*, sic *Propheta* expectandus erat, major, illustrior, perfectior, omnium Prophetarum Doctor, Exemplar, Ἀντίτυπον. Qua de re ut Deus Israëlitas moneret: Prophetas Extraordinarios plures post Malachiam non suscitavit.

Caput XV.

Opera datur investigandæ Naturæ Peccati, *in qua describenda fluctuare solent qui* Rationalem Disciplinam *tractant. Proferuntur itaque in antecessum variæ* Peccati Definitiones, *à variis productæ, earumque eligitur optima.* Peccati *verò notio cum involvat notionem* Legis, & Subjecti rationalis liberi, *per Legem* obligabilis *ad quid* agendum *aut* omittendum: *docetur primò quid sit* Lex, *deinde quodnam ejus* Fundamentum, Subjectum, Objectum; Objectum *verò* Legis *cum duplex sit*, Actus & Actuum Modi, *observatur circa utrosque* Legem *duplice* modo *versari vel* Præcipiendo, *vel* Vetando: *unde petenda distinctio* Peccatorum *in* Delicta Omissionis & Commissionis. *Singula hæc transferuntur ad* Leges Divinas, & *substernuntur ut fundamenta accuratiori inquisitioni de* Peccati Natura.

Bono *Morali* oppositum est Malum Morale; tam in Habitu, quando *Vitium*, quàm in Actu, quando *Peccatum* dici solet: etsi Paulus per Ἁμαρτίαν *Peccatum* passim in Epistola ad Romanos, & alibi quoque, intelligat *Peccatum Habituale*, sive *Vitium*, h. e. Habitus Vitiosos & damnabiles, ad quorum Rom. v. 12. præscriptum irregenitus homo Actus suos componit. VI. 12. Col. II. 11.

II. Utrumque Joannes definivit per *ἀνομίαν Vitium*, quo quis se subducit *Legi*, ac proin *Imperio Principis*, qui Legem dedit; pugnans cum dictamine rectæ rationis. Vox Græcis Scriptoribus ignota non est: qui tamen familiarius hic adhibent vocem [1] *παρανομίας*. Peccatum in Actu quod dicitur, *Habituali* naturâ & tempore prius, phrasi Scripturæ rectè quis definiat per *παράβασιν τῦ νόμυ Transgressionem Legis*[2], vel per *Delictum*, *commissum adversus Legem Divinam*.

III. Vulgatum enim illud Augustini, quo *Peccatum* dicitur esse [3] *Concupitum*, *cogitatum*, *dictum*, *factum adversus Divinam Legem*; hoc vitii habet, quod non comprehendat *Peccatum neglecti Officii*, quod *Omissionis* vocari solet.

IV. Nuper [4] Vir Doctus *Peccatum*, generali significatione sumptum, dixit *esse indecentiam*, *incongruitatem*, *repugnantiam in re secum*, *vel cum suo statu*. Minùs, ut mihi quidem videtur, accuratè. Dependens Creatura ubi peccat non repugnat *sibi*, sed *Legi*. *Secum* enim dici non potest *pugnare* peccando, nisi qui sibi *lex* sive exemplar est agendorum. Exemplar autem Creaturæ non ipsa est Creatura, aut ejus *Status*, sed Deus, aut quæ Dei placitum interpretatur, Lex. non *Status*, nisi quatenus Lege definitus est. Tale itaque Peccatum in nullo Ente quàm in Deo fingi posset, si summa ejus Perfectio Peccatum posset admittere. quod absque horrore cogitari, & blasphemia statui non potest.

V. Alius quidam Vir Cl. *Peccatum*, *accurate definitum*, *est Actus Gloriam Dei obscurans*. Sed non omne Peccatum est *Actus*. Datur enim *Peccatum neglecti officii*. *Obscuratio* autem *Divinæ Gloriæ* est quidem *effectus Peccati*, sed non facit ipsam *Peccati naturam*: cujus in definitione præcipuè haberi debebat ratio.

VI. Cl. Coccejus: *Peccatum est aliquid rectitudine, in quâ Creatura intelligens condita est, destitutum*. Minus clarè, quam si quis simpliciter dicat, *Peccatum* esse *παρανομίαν*, vel *παράβασιν τῦ νόμυ Quid contra Legem commissum*: ut nos illud modò describebamus; vel ut alibi Arminius; *Legis Divinæ* (*qualiscunque illa sit*) *transgressionem*. *Peccata* enim, quæ adversus illas Dei *Leges* perpetrantur quæ Scriptura *δόγματα* sive *Placita* vocat, hac definitione vix comprehenduntur.

1 Ep. III. 4.

1 Lucian. in Timone, p. m. 188. ex Edit. Basl. Παρανομία καὶ κατάλυσις τῶν ἠθῶν. Isocrat. in Areop. Orat. p. m. 284. Οὐδὲ τὸ λεγόμενον τοῦτον ἐπαίδευον τοὺς πολίτας, ὥσθ' ἡγεῖσθαι τὴν μὲν ἀκολασίαν δημοκρατίαν, τὴν δὲ παρανομίαν ἐλευθερίαν.

2 Rom. II. 23.

3 Lib. XXII. contra Faustum, C. XXVII.

4 Poiret. Cog. Ration. Lib. IV. Cap. II. §. I.

Instit. Theol. Cap. XI. §. IX.

In Disput. Sel. Disp. V. de Peccato. §. IV.

Epist. Remonst. XLV. p. 90.

VII. Pec-

VII. Peccati itaque notio involvit conceptum tum Legis, tum Subjecti, quod ejuſmodi inſtructum ſit proprietatibus, ut *Lege* ad aliquid agendum aut omittendum potuerit obligari, & per Legis promulgationem actu obligatum eſt: tum denique Actus, Lege imperati aut vetiti, *neglecti* aut *perpetrati*.

VIII. Lex quidem in conceptu P*eccati* mox ſupponitur: quia P*eccatum* non niſi cum reſpectu ad *Legem* Peccatum ſive *Delictum* dicitur. *Ubi non eſt* Lex, *ibi non eſt* ΠΑΡΆΒΑΣΙΣ transgressio. Rom. iv 15.

IX. Lex Grotio eſt *Regula Actuum moralium, obligans ad id quod rectum eſt*. Imo eſt hæc commoda deſcriptio Legis Bonæ & Æquæ, conſentaneæ dictatis Rationis, quomodo Tullius *Legem nihil aliud eſſe* dixit *niſi rectam & à numine Deorum tractam rationem, imperantem honeſta, prohibentem contraria.* De Jure B. & P. Lib. I. Cap. I. §. IX. Philip. XII.

X. Nos, qui ſignificationem hujus notionis hic reſtrictam non cupimus, ſimpliciter dicamus, *Legem* eſſe *Regulam Actuum Moralium*: ſive potius, *Juſſum* aut *Interdictum Principis*, ſive *Superioris*, quo *modum ponit voluntariis Actibus* (*modificat*, inquam voce Scholaſticâ, *liberos Actus*,) *Inferioris ſibi ſubjecti*.

XI. Lex itaque (æquè ac Peccatum) ſupponit. α. Subjectum aliquod Rationale, liberè actuoſum, & neceſſariis agendi facultatibus inſtructum, quod ſe ex interno principio deliberatò & ἑκουσίως ad quid agendum aut non agendum poſſit determinare.

XII. Animantia igitur, rationis incapacia, quæ non agunt ex conſilio ſed ὁρμῇ impetu & inſtinctu naturali; quæ nullam Dei ideam, nullam honeſti & turpis conſcientiam habent; *Lege* obſtringi non poſſunt ad officia ex rationali principio peragenda, ac proin propriè dici nequeunt *peccare* ſive *delinquere*.

XIII. β. Lex requirit *Subjectum* aliquod *Rationale*, quod tanquam inferius eâ ſit σχέσει ad aliud ipſo ſuperius, ut Superius illud Ens veluti Princeps aut Dominus *jus* habeat *imperii* in Actus Moreſque Entis inferioris ſibi ſubjecti.

XIV. Σχέσις illa, in qua *Jus Imperii* & *Ratio Obſequii* fundata eſt, haud dubiè eſt unius Entis ab alio *Dependentia*. quæ dependentia quò major, eò majus in Ens ſubjectum jus, imperium,

rium, atque auctoritas. *Dependentia univerſalis* Principi jus parit Imperii ſummi, & Subditum obligat ad humillimum & univerſale in omni Actu Obſequium. quale eſt Imperium Dei in Creaturas, & Obſequium, quod Creatura à Deo dependens, ipſi veluti ſummo Principi ac Domino ſuo debet.

XV. Quod ſummum Imperium & univerſale Obſequium hoc ipſo quod ſit *ſummum* & *univerſale* neceſſariò excludit omne alíud Imperium & Obſequium, tanquam *juſtum* & *legitimum*, quod cum Obſequio, quod Creatura in omni Actu ſuo Deo debet, non poſſit componi; quod Imperio Dei non ſit ſubordinatum; quin imo quod in auctoritatem ipſius hujus Imperii Divini non reſolvatur. Quicquid itaque Parentes Liberis, Domini Servis, Principes & Magiſtratus ſubditis ſuis imperant officii, (illis enim omninò Imperium eſt in Actus moreſque eorum; qui ſibi ſunt ſubjecti:) vim auctoritatemque ſuam mutuetur neceſſe eſt ab auctoritate & Imperio Divino. *Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις*, Act. v. 29. *Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει διὰ τὸν κύριον*, 1 Pet. II. 13.

XVI. *γ*. Cum Ens rationale tanquam *inferius alii* ut Superiori ſubjectum eſſe nequeat, niſi ſit *Perfectionis finitæ:* patet ſatis, *Legem*, propriè ſumptam, ac proinde *Peccatum* quoque, requirere *Subjectum rationale finitæ perfectionis*. Summa Perfectio excludit *Legem*, ſibi ab alio præſcribendam: (eſt enim ſibi ipſi Lex, & Superiorem ſe non agnoſcit:) nec proin admittit vel committit Peccatum. Quodſi autem Ens ſummè Perfectum conciperetur talia agere, quę cum *norma veri* & *boni* (quę eſt in Judicio & Voluntate Summæ Perfectionis:) conſiſtere non poſſent, aut quę non facerent ad Gloriam Summæ ſuæ Perfectionis illuſtrandam: *peccaret* equidem quatenus ſe ipſum deſereret & deſtitueret. Sed cum inter neceſſaria attributa ſummæ Perfectionis ſit, *ſe non deſerere:* neceſſe eſt ut Perfectiſſimum Ens æquè ſit *ἀναμάρτητον* ac *ἀνυπεύθυνον*. Summa Perfectio eſt Summa Ratio: Summa Ratio nihil agere poteſt, quod Rationi omni modo non ſit conforme: quod Rationi eſt conforme Virtus & Bonum dicitur, Malo & Peccato contrarium. Summa Perfectio itaque, ſi ſumma Perfectio eſſe deſinere nequeat, non poteſt Peccare. In re clara prolixitatem fugimus.

XVII.

XVII. δ. Posito jam Subjecto rationali, facultate *liberè* agendi instructo, quod alii tanquam Principi suo sit obnoxium: Lex *circumscribit* illius Subjecti *Actus*. Docet & *demonstrat* (quę vis est Hebrææ vocis תורה ab הורה *Docere*, *demonstrare*:) *quid* agendum, aut non agendum, sive *quo modo* agendum aut *quo modo* non agendum sit; inter agenda & non agenda & utrorumque modos *dirimens*: unde Græcis ΝΟ'ΜΟΣ. *Objectum* itaque Legum duplex est, Actus & *Actuum* Modi.

XVIII. Circa Actus ipsos versatur Lex, quando *Actus* aliquos imperat aut prohibet; hoc vel illud *agi* jubet vel vetat: circa Modos, quando Actuum instituendorum aut omittendorum *Modos* simul aut solùm definit. Lex v. gr. quę *esum Agni* Paschalis imperabat, hactenus circa *ipsum* versabatur *Actum*: sed quę Agnum illum mactari jubet ad vesperam diei decimi quarti Mensis Nisan & *edi cum pane azymo* & *herbis amaris*, eatenus versabatur circa *Modos*, quibus hæc solennitas erat celebranda. Lex Apostolica, quæ mulieribus in Ecclesia interdicit προφητεύειν ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ: versatur circa *Modum Actus*, cum circa Actum ipsum Apostolus hactenus nihil definiat, vel illum permittat.

XIX. Possunt autem *Actus* vel *Actuum Modi* Entium Rationalium qualescunque duplici ratione per Legem modificari, vel Jubendo ut fiant, vel Vetando, ne fiant. unde distinctio *Legis* in Præceptum & Interdictum. in Legem עשה *Fac*, sive תעשה *Facies*: & לא תעשה *Non facies*: quę receptissima Hebræis. Aliàs per compendium ipsis dicuntur עשין & לאוין. Maccoth fol. 23. col. 2.

XX. Cujusmodi Lex si conveniat Naturæ & Attributis tam Principis, qui illi auctoritatem conciliat, quàm Subjectorum, quibus præscribitur, ambarumque Partium mutuis respectibus; si Partis subjectæ non excedat facultates viresque; & si præterea ad eos qui per Legem obligantur ex illa servata manifesta redundet utilitas, adeo ut *Ratio Legis* ab omnibus clarè perspiciatur: *Æqua*, *Bona*, & *Justa* dicitur. Rom. VII. 12.

XXI. Denique cum nemo *Lege* ad aliquid agendum aut prætermittendum possit obligari, nisi cui Placitum τῦ Νομοθέτυ, *Lege* expressum, claris verbis expositum sit: clarum est, tam *Legis* quam *Peccati* notionem supponere sive involvere, quod

Placitum Principis, Lege expressum, Parti Subjectæ clarissimis signis sit notificatum, vel saltem, publicè promulgatum, ut ignorantia Legis absque confessione culpæ delicto adversus Legem commisso prætexi non possit.

XXII. His positis *Peccatum* demum locum habere potest: quod nimirum est *παράβασις τοῦ νόμου Transgressio Legis*, sive *Quid adversus Legem commissum*; quemadmodum illud modo describebamus.

XXIII. Cum autem *Lex* sit vel *Jubens* vel *Vetans*, duplici modo adversus illam delinqui potest: vel *neglecto Officio*, Lege mandato; vel *commisso Actu*, Lege interdicto. unde Delictorum familiaris distinctio in *Omissionis* & *Commissionis*. Lex prohibet furtum: inde qui furatur *delinquit*. Lex jubet Parentibus & Magistratibus reverentiam exhiberi: quod itaque qui negligit, *peccat*. Agere quod Lex vetat: negligere quod jubet: est Peccare. Hæc notio hactenus satis videtur esse clara.

XXIV. Hæc, quæ in genere ad declarandam Peccati notionem à nobis adducta sunt, nullo negotio transferuntur ad *Delicta*, quæ & quatenus adversus *Deum* committuntur: quorum naturam imprimis investigare proposueramus.

XXV. *Angeli* & *Homines* sunt *Entia Rationalia*, finitæ solummodo perfectionis capacia, liberè actuosa: qualia *Subjecta* Legis & Peccati ideam involvere docuimus.

XXVI. Illi omnino, tam quoad τὸ εἶναι & beneficia præsentis temporis quàm quoad speratam futuri ævi felicitatem, dependent à Caussa quadam Superiore Rationali Perfectissima, quam Deum vocare solemus.

XXVII. Cui proinde tanquam ipsorum Domino & Principi naturali supremum *jus* est Actus ipsorum pro placito suo Lege sancitâ moderandi.

XXVIII. Cui *juri* cum salvâ summâ suâ Perfectione renunciare vellet nec posset: Rectoris apud *homines* (*Angelos* nunc liceat præterire:) functus est officio, *Lege* illos ad officia quædam obstringendo; alios contrà liberi consilii Actus prohibendo. Unde ipse מחקק Jes. xxxiii. 22. & Νομοθέτης, Jac. iv. 12.

XXIX. *Leges* illæ in universum sunt duplicis generis. *Aliarum* est æterna ratio, fundata nempe in Naturis Dei & Hominum,

minum, secundum necessarios, quibus inter se conjuncti sunt, respectus: quarum summa est *Lex reverentiæ erga Deum* & *Charitatis erga Proximum*; *Aliarum* ratio vel resolvitur in arbitrarium Perfectissimi Entis placitum, vel petenda est à singularibus quibusdam Casibus & Circumstantiis temporis, Loci, Personarum, Gestorum, quæ vel prorsus non esse in rerum natura vel aliter se poterant habere: quarum exemplum & quoddam quasi πρωτότυπον videmus in Lege Paradisi, quâ Parentibus nostris interdictum est esu fructus *Arboris*, quæ dicebatur *Scientiæ Boni & Mali*. Hæ speciatim, tanquam ab aliis distinctæ, dicuntur ΔΟ'ΓΜΑΤΑ *Placita* summæ Potestatis. Illas vocare poteris *Δικαιώματα Statuta justa*. Ephes. II. 15. Luc. I. 6.

XXX. Versantur autem (quod modò de Legibus in genere observabamus:) vel circa *Actus* vel *Actuum Modos*.

XXXI. Potuisset Deus, cui summum arbitrium & imperium est in omnes qualescunque Actus Entium ipsi subjectorum, *omnes Hominum Actus* & Eorundem *Modos* Lege circumscribere atque definire; quid ad horas & momenta singula ab iis actum quid non actum; *quo modo* actum & non actum vellet: potuisset ipsis per Legum Placita injungere.

XXXII. Sed eâ est erga humanum genus indulgentiâ, ut, nisi fortè singulares quædam rationes ex arbitrariis Casibus aut Circumstantiis desumptæ id suaderent, alia ab hominibus Officia per Legem non exegerit, quam ad quæ per *Legem Conscientiæ* ex necessario ad Deum & Proximum respectu obligati erant: Aliorum autem omnium Actuum, quos Divinæ Gloriæ & Utilitatis Proximi peculiaris respectus non definiebat, ipsos homines liberrimos reliquerit arbitros.

XXXIII. Quando tamen *Jus suum* in homines demonstrare voluit; aut *hominum*, Libertatis illius benè administrandæ incapacium, *Petulantia* Deum quasi obligavit, ad illorum protervíam illam per Leges compescendam, & naturalem illorum libertatem restringendam; vel etiam quando subinde Sanctorum erga se affectum ex peculiaribus quibusdam Actibus Obsequii in difficillimis Casibus explorare voluit; aut è re erat Ecclesiæ, ut quibusdam Ministris suis singularia quædam officia mandaret: ita instituit, ut Legi Naturali junxerit *Positivas*, quas vocant,

 atque

atque adeo re ipsâ homines docuerit, esse se & coli velle tanquam summum Actuum omnium humanorum Dominum & Arbitrum. Exempla habemus in *Interdicto de Fructu Arboris Prudentiæ* in Paradiso; in *Corpore plerarumque Legum*, Israëlitis per *Mosen* traditarum; in peculiaribus *Mandatis Probatoriis*, quibus Deus Abrahami fidem & affectum exercuit; & denique in tot *aliis Præceptis*, quibus Mosi, Josuæ, aliisque suis Ministris officia in usum Ecclesiæ præstanda extra ordinem injunxit.

XXXIV. Verum licet Deus plurimos & plerosque *Actus*, quod attinet ad illorum *materiam* (liceat hanc vocem sano sensu hic adhibere:) hominum placito reliquerit & arbitrio: multo minus de plerisque Actuum illorum arbitrariorum *Forma*, sive *Modis* quicquam Lege definivit. *Unus* tamen *modus* est, quem in nullo qualicunque Actu Entium Rationalium à se dependentium neglectum voluit; qui nempe de Actu prædicatur cum respectu ad *Principium*, ex quo editur, quod *Principium* secundum Divinam Legem in Conscientia expressam esse debet *Amor Dei*; sincerus erga Deum affectus ejusque studium Gloriæ. Sic Apostolus: *Sive igitur edatis, sive bibatis, εἴτέ τι ποιεῖτε sive* QUID (aliud, quodcunque tandem fuerit:) *fatiatis*, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ

1 Cor. x. 31. ποιεῖτε OMNIA *ad Gloriam Dei facite*.

XXXV. Versantur verò Divinæ Leges circa hos sive *Actus* sive *Actuum Modos* duplici pariter ratione, JUBENDO & PROHIBENDO. unde *Præcepta* & *Interdicta* tam Legis Naturalis, quam Legum Divinarum Positivarum. quorum exempla, quę propalam extant, adducere supervacaneum fuerit.

XXXVI. Promulgat autem illas, sive potius, (הודיע) *notificat* homini sive per *Rationem* & *Conscientiam*, quę officia erga Deum & Proximum observanda in Agendis & Prætermittendis, invitis etiam & ad eam non attendentibus, instar *Præceptoris* aut Doctoris cujusdam clarissimè *demonstrat*, *Mich.* VI. 6. *Ps.* XCIV. 10. quod in *Legibus Juris Naturalis* obtinet; sive per *Signa* quędam *idealia*, medio Vocis externæ, Scripturæ, vel phantasmatum humanæ Vocis sive in ἐκστάσει sive per nocturnam quietem menti oblata, quę apta sint ad Voluntatem Dei Legislatoris perspicuè exponendam. Sic Parentibus nostris in Paradiso; sic Sanctis, quibuscum commercium coluit; sic Populo Judaico,

in

in comitia quasi ad montem Sinai conscripto, Placita sua clarè interpretatus est.

XXXVI. Adversus has jam Leges & Interdicta Divina PECCATUR, vel quando Officium, à Deo imperatum, *prætermittitur*; vel Crimen, à Deo vetitum, *committitur*; vel quæ circa *Formam* sive *Modum* Actus à Deo jussa aut prohibita sunt, *fiunt* aut *negliguntur*. Habemus itaque hic pariter Delicta duplicis generis tam *Omissionis* quàm *Commissionis*, sive Delictum constet *Actu* ipso, sive *Modo* Actus.

CAPUT XVI.

In ipsam PECCATI NATURAM *sive* ESSENTIAM *accuratius inquiritur, discusso ventilatoque themate in* Philosophorum & Theologorum *nostri temporis Scriptis satis vulgato*, Peccatum esse Nihil, *sive* Nihil privativum. *Evincitur, vitiosè id affirmari de* Peccatis Commissionis, *quæ verè sunt* Actus, *adversus Legem commissi, qui* Actus *omni homini, sive docto sive indocto, de* Peccato *cogitanti & loquenti*, Peccata *dicuntur; vitium autem in eo esse, quod adversa sententia* Peccatum *ipsum, quod est* res concreta, *h. e.* ACTUS vitiosus, *cum* Ratione formali peccati, *sive* vitiositate, *quæ est* res abstracta, *confundat. Post quæ disputata* Natura *utriusque generis peccati* Commissionis & Omissionis *clarius demonstratur.*

NIhil hactenus in his videtur inesse obscuri, quæ tamen nobis *veras* & simplicissimas *Delictorum Actualium*, quę dicuntur, exhibent *ideas*.

II. Nec tamen, si Theologos vel Philosophos roges, qua in re tandem dicenda sit *Peccati natura* consistere, rem liquidò & absque ambagibus expediunt. an Peccatum sit *nihil* an *aliquid*; si *aliquid*, *quid* tandem sit, & qua in re dicenda sit ejus consistere natura, quæritur & disputatur.

III. Qui *Cogitationes* suas *Rationales* de *Malo* vulgavit Vir Doctissimus, postquam evicisset, *Peccatum* nec in *Natura* nec
Poiret. Cogit. Ration. Lib. iv. Cap. ii. §. vi. in *Placito Dei* quærendum esse, subjicit: *Et tamen datur Peccatum, & in me datur, &* NON EST MERUM NIHIL, *sed aliquid habet quodcunque sit, quod instar formæ & essentiæ sit.* NON EST QUID EXISTENS, *& tamen* NON EST MERE NON EXISTENS. Eò hæc nos ducunt, licet αἰνιγματωδῶς scripta, ut *Peccatum* habere debeamus pro *Nihilo Privativo*. Si enim non sit *merum nihil*, & tamen *non quid existens:* quid restat quam ut sit *Nihil* quod vocant *Privativum?* Unde ipse mox *Peccatum* dicit esse ALIQUOD NIHIL, *quod pravè, indebitè, indecenter, imitatur formam realitatis: &c.*

IV. In quam rem cum multa alia scripsisset Philosophus, principiis, quæ assumpserat, consentanea: in hanc tandem sum-
Cap. iv. §. xiv. mam suas de hoc argumento meditationes confert. *Si itaque Ego, qui per Deum Cogitatio sum spontanea, (at nihil à me) maneam in nihilo, quod est non-determinatio à me, ad me, per me, pro me, sumque mihi ut qui ex me, ad me, & per me nihil sum, volo, opto, eligo, operor, &c. tum non pecco. Sed si illud* NIHIL *absit, id est, si Ego, res sponte cogitans [qui tamen nihil à me] deficiam à nihilo, à non-determinatione à me, ad me, per me, &c. adsitque aliqua realitatis larva inanis, quâ ego, qui nihil sum, mihi is videar qui à me aliquid sim, sciam, benè optem, velim, operer, tunc eo ipso pecco. Unde patet, Peccatum, non Cogitationem spontaneam, ejusve positionem actualem esse, sed esse* ABSENTIAM NIHILI *in mente debiti, sive nihili privationem, ipso nihilo longè imperfectiorem & deteriorem; etiamsi id vel Dei proxima imitatio interdum esse videatur.* Philosophica hæc sunt ἀφιλόσοφα: in quibus nomina non dantur rebus secundum veros, quos de iis formare oportet, conceptus, & germanam eorum significationem, quod Philosophi officium est: sed secundum hypotheses Theologiæ Mysticæ. *Nihili* quomodo potest esse *absentia* vel *privatio?* quomodo potest quis *à nihilo deficere?* Per *Nihilum* itaque Vir Cl. verè intelligit *aliquid*, quod certo sensu *nihilum* vocat: statum nempe hominis, quo *renuncians omni actuositati propriæ* (quod facilius à Mysticis dicitur, quam concipitur aut explicatur:) se exponit Divino Lumini & Gratiæ, ut mens transmutata quasi in ipsam Dei naturam à Deo collustretur, determinetur, & ducatur

catur in omni suo Consilio & Actu. An tamen Philosophus, cui incumbit notiones rerum clarissimis & minimè ambiguis vocibus explicare, absque magna significationis vocum confusione hunc statum vocare poterit *Nihilum?*

V. Nec sibi etiam hæ meditationes constant. *Peccatum*, ait Vir Doctus, *non est Cogitatio spontanea, ejusve positio actualis.* Et tamen ait, *in Peccato* id obtinere, *ut qui nihil est sibi videatur à se aliquid esse, scire, optare, velle, &c.* Qui sibi *videtur esse aliquid*, an non cogitat, an non *cogitat spontaneè?* quo modo igitur Peccatum non est *Cogitatio spontanea?* Non est, fateor, *Cogitatio spontanea, quæ ab ipso Deo ponitur:* sed verè tamen est & manet *Cogitatio spontanea*, quatenus qui peccat *sibi videtur esse aliquid:* secundum Cl. Viri opinionem. Gal. vi. 3.

VI. Nova tamen non est sententia, *Peccatum* propriè esse *quid privativum*; esse propriè *nihilum* & *non ens*; esse *defectum conformitatis* actus cum Lege; non requirere itaque *caussam efficientem*, sed *deficientem.* quin contrà nihil in *Systematibus Doctrinæ Theologicæ* familiarius.

VII. Quæ sententia hoc imprimis nomine Doctoribus nostræ Ecclesiæ arrisit, quod commoda visa sit expediendis difficultatibus, quę objici solent Doctrinæ Ecclesiarum nostrarum de *Providentia Dei circa Malum.* Qui Pelagium sequuntur, adversus nostram illam Doctrinam inferunt, talem hominis à Deo dependentiam, qualem nostrarum partium Theologi passim docent, quâ Deus ut Prima Caussa Caussas Secundas ad agendum ordinat, suscitat, præmovet, & in agendo determinat, necessariò arguere, *Deum esse Peccati Auctorem:* supposito nimirum, (quod hic supponitur & de quo nemo dubitat:) esse inter Caussas illas Secundas, quæ peccata committant. Respondent Nostri, Actum peccaminosum, *quà est Actus*, sive quà est quid physicum & reale, omninò esse à Deo tanquam prima omnis entis caussa; Peccatum autem, cum propriè non sit *res* vel *ens*, sed defectus sive *privatio cujusdam entitatis*, quæ debuisset adesse, *Caussam Efficientem* sive *Positivam* non habere, sed potius *Deficientem*, quæ sit homo, cujus esse potest *deficere*; non Deus: secundum illud Augustini: *Omnis autem Natura, in quantum Natura est, bonum est.* De Natura Boni adv. Manich. Cap. 1. Tom. 6. Col. 552.

VIII.

VIII. Interea certum est, neminem de *Peccato Habituali* & *Actuali*, quod *Commissionis* vocant, (*Omissionis* enim *Delicta* per *negationem privativam* exponenda esse, ultrò concedimus:) posse cogitare, quin ipsi *Positivum* & *Reale* aliquid obversetur; sive illud *Reale* sit *Habitus* aliquis, qui malus, peccaminosus, vitiosus dicitur, qui tanquam Modus suam habet *entitatem* in subjecto, cui inest; sive illud *Reale* sit *Actus* aliquis, ab intelligente Creatura voluntariè editus, qui ipse *Actus* dicitur Vitiosus sive Peccatum: qui ipse *Actus* tanquam *Actus*, h. e. Modus rei intelligentis verè existens, suam habet entitatem.

IX. Sic quando in Historia lego, de hoc illo homine propter scelera & flagitia, quæ *commiserat*, sumptum esse supplicium: mox mihi formo ideam *Actuum* quorundam *Vitiosorum*, ab ejusmodi homine perpetratorum. in qua itaque idea deprehendo tum *Caussam* voluntariè agentem, tum *Actum*, ab illa Caussâ voluntariè editum, qui ipse *Actus* Vitiosus à me *Peccatum* dicitur.

X. Si de singularibus Peccatis cogitem, ut sunt *Blasphemia*, *Idololatria*, *Homicidium*, *Adulterium*, *Furtum*, & his similia: nihil clarius, quàm me cogitare de *singularibus* quibusdam *Actibus:* qui quod *modis* distincti sint, diversis nominibus à me designantur. *Ipsi*, inquam, *illi Actus*, adversus Leges Divinas & humanas commissi, id ipsum sunt, quod *Peccatum* vocare solemus. qui omninò sunt *aliquid*, non *nihil*.

XI. Cum tamen graves & Docti Viri, quos pro merito suo veneramur, & plerique Ecclesiarum nostrarum Doctores, negent *Peccatum* (etiam *Commissionis*, quod dicitur:) esse quid *Reale*; duo hic observanda putamus: *α*. Illos notionem *Peccati*, quæ verè est notio *Rei Concretæ*, videri confundere cum idea *Peccati*, *abstractè* & *metaphysicè* considerati. Peccatum *quà* Peccatum, h. e. Actus quilibet Vitiosus, *quà* Vitiosus, verè est *privatio*. Sive, ut clarius loquar; *Ratio formalis*, quare *Actus* aliquis *Peccatum* dicitur, est *disconvenientia* illius Actus cum Lege, quæ *disconvenientia* cum sit *negatio convenientiæ* Actus cum Lege, *eatenus* verè est *nihil*. Hoc sensu rectè dixit Thomas: *Habet autem Actus humanus, quod sit malus, eo quod caret debitâ commensuratione: omnis autem commensuratio cujuscunque rei attenditur*

Summâ, Part. I. Part. II. Quæst. LXXI. Artic. VI.

ditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit. Vestem gerere ex mixtis speciebus lanæ & lini contextam; sacra Deo in omnibus locis facere; & alia hujusmodi, *Peccata* non habebantur ante Legem à Mose hac de re latam: sed post id tempus *Peccata* censebantur. *Unus* idemque *Actus*, ab iisdem hominibus eodem modo editus, *non est Peccatum*, si nulla Lex extet, quę hominis Libertatem hâc parte circumscribit; *est Peccatum*, si Lege vulgatâ fuerit prohibitus. Conformitas itaque Actus *cum Lege*, sive *cum Forma* & *Modo agendi*, quem Lex præscribit, est Ratio formalis, quare Actus aliquis dicatur *moraliter bonus*; Disconvenientia cum Modo agendi Lege præscripto, eundem illum Actum facit *Peccatum*. quod ipsum quoque Hebræa vox חטאה & Græca *ἁμαρτία* (a), *ejusdem* utraque significationis, non obscurè indicant.

XII. Nec tamen propterea *Peccatum* dici potest esse *Privatio* aut *nihil privativum*, quia Peccatum nobis dicitur & verè est non ipsa *vitiositas* sive *peccaminositas*, (*κακία*) in *abstracto* considerata, sed ipse *Actus vitiosus*; ipse, inquam, ille *Actus*, cui *Vitium* inest. Ut Rex in conceptu quid aliud est quam Regia dignitas, aut Officium, *abstractè* consideratum; Pater quid aliud quam Paternitas; Homo quam humanitas; Vir Doctus quam Doctrina: Legislator quam Potestas Legislatoria: sic id quod *Peccatum* vocamus aliud & plus dicit quàm *Vitiositas*, *Peccaminositas*, *κακία*, in *Abstracto* & metaphysicè considerata. *Peccatum* (in genere Peccatorum, quę *Commissionis* vocant:) est ipse *Actus*, cui Vitium adhæret. In *Habitualibus* Peccatum est ipse *Habitus* Vitiosus.

XIII. Ad quam rem distinctius intelligendam, utile est observatu, *Peccatum*, abstractè & metaphysicè consideratum, extra nostrum conceptum esse *nihil* planè *negativum*, ut reliqua abstracta Logica, quę sic propriè dicuntur, seorsim à subjectis suis non existunt, nisi in conceptu. Mens nimirum de Qualitatibus, Attributis, Relationibus, & Privationibus rerum cogitando, *τὸ formale* quarundam Qualitatum, Attributorum, A-

 ctuum,

(a) Jupiter telo fulminis non feriens Anaxagoram, ut constituerat, apud Lucian. in Timone: *Α᾽λλ᾽ ἐκείνου μὲν διήμαρτεν*. Apud alios Auctores plura sunt exempla.

ctuum, Relationum, vel Privationum quoque, suâ cogitatione separare potest ab illis *entibus*, quibus ejusmodi forma aut privatio inest. quod *formale* tamen *extra* illam *rem*, cujus est formale, & quę illius est *subjectum* & substratum, non existit. Humanitas, quæ est formale hominis; Rationalitas, quæ est τὸ formale Entis Intelligentis: absque homine, absque Ente Intelligente, &c. non subsistunt. Sic omninò *Privatio* illa, quæ *Peccatum* dicitur, (licet abstractione metaphysicâ seorsim à substrato suo, h. e. ipso Actu, de quo prædicatur, possit considerari:) verè tamen *physicè* non datur in rerum natura, nisi in *substrato* Habitu, Facultate, aut Actu, de quibus prædicatur, & à quibus, positâ σχέσει Creaturæ Agentis ad Legem, prorsus est *inseparabilis*. Peccatum itaque *Commissionis* qui describere vult, ut verè est & datur in Natura rerum, quatenus verè prædicari potest *hoc* vel illud *esse Peccatum*: non debet dicere, illud esse *Privationem*, sed esse ipsum *Actum*, de quo quid *privativè* negari potest.

XIV. β. Observari velim, de omni quidem Peccato aliquid *Privativè* posse *negari*, sed propterea tamen, *Conceptum* omnis *Peccati* non absolvi *solo* conceptu *Privationis*. Peccatum (Commissionis:) fateor est *Actus*, *non* conformis Divinæ Legi; *non* æquus; *non* rectus; *non* habens illam *formam*, quam debet habere *Actus*, si dicendus sit *Bonus*. Hactenus Peccatum illud mihi obversatur sub idea *negationis privativa*. Sed hæc non absolvunt ideam Peccati Actualis. Peccatum Actuale mihi obversatur ut *Actus*, qui suam habet *Formam*, suum *Modum*, qui Formæ sive *Modo* Actus Boni est oppositus, & à Lege damnatus: quæ forma sive Modus Actus illius, cum *excludat* Formam sive Modum Actus laudabilem, convenientem Divinæ Legi, dicitur *Peccatum*.

XV. Pone *Lineam* rectam, quæ sit instar normæ aliarum linearum, ad eam veluti exemplar suum ducendarum. Sit illa nobis exemplum Legis definientis *Modum* Actus Boni. Fac jam esse qui per errorem calami aut suâ socordiâ *curvam* ducat, obliquam, inflexam, figuræ multilateræ. Illa linea *curva* mihi jam sit instar aliquod *Peccati*; ut verè *Peccatum* est & dici potest. Quæro, quare sit *Peccatum*? Respondendum haud dubiè est, quia

quia *curva* est, *cum deberet esse recta.* quâ ratione manifestè duo prædicantur de *Linea curva*, quæ mihi est quoddam instar peccati, *α*. Quod *recta non sit*, cum *deberet esse recta:* quod est *nihil privativum.* *β*. Quod *Curva* sit; quæ *Curvatura* (*Curvitas* dicerem, si liceret:) *caußa* est exclusæ *Formæ* (Figuræ:) sive Modi *illius*, quem habet *Linea recta*, ad cujus exemplar pingenda erat. Quæ utique *Figura* sive *Forma Lineæ curvæ* verè est *quid reale*, nec minus *reale*, quam *Figura recta*. *Curvatura* itaque *Lineæ*, quæ mihi *Peccatum* dicitur, *quatenus non* habet figuram lineæ rectæ & uniformis, eatenus rectè dicitur, illius Peccati naturam resolvi in *Privationem:* sed quando eam in *se* considero, dici debet esse quædam *Figura Lineæ*, figuram *recta* excludens. Quæro itaque, quare Linea *Curva* ad *rectam* veluti exemplar suum ducta, *Peccatum* sit? respondebo, quod illius sit *Forma* & *Modi*, qui excludat figuram Lineæ rectæ. In Peccato igitur Commissionis *Privatio* concipitur cum *caußa sua*, modum illum, qui privativè de subjecto negatur, excludente. quæ caussa est Modus, Modo bono & laudabili oppositus, & propriè à nobis *Peccatum* dicitur.

XVI. Idem ex aliis exemplis facilè illustrari potest. *Putredo* est Vitium, quod de Corpore prædicatur respectu bonæ & laudabilis conformationis partium suarum: quarum partium situs & dispositionis naturalis *Corruptio*, id ipsum est quod nos *Putredinem* vocamus. Quæro quid sit? Estne aliquid, an nihil: si nihil, an privativum, an negativum? Facilè mihi est ex principiis meis dicere, ut verè res habet: esse *nihil*, & esse *aliquid*. *Nihil* est, si *Putredinem* referas ad conformationem Partium corporis naturalem & hominibus salutarem: quæ Partium dispositio sana de Corpore Putri negatur: *Aliquid* est, si privationem consideres cum caussa sua, h. e. ipso illo Modo existendi illius Corporis, quem propriè *Putredinem* vocamus, qui Modus, quæ Forma, aliam Formam meliorem excludit, & in qua proin *vitium* hærere concipimus.

XVII. Idem in aliis etiam exemplis facilè observabis. Dicis de homine, illum *non* rectè videre, incedere, valere: hactenus nihil de ipso prædicas nisi quod à me concipiendum sit per *Negationem Privativam.* Sed dic, illum esse *luscum*, *claudum*,

febri aut *phtisi* laborare, duo nascuntur in conceptu; α. Illum hominem *non* rectè videre, incedere, valere. β. Illius rei *caussam* proximam esse quandam Pedum, Oculi, aut Sanguinis *affectionem*, quæ cum adsit meliorem Partium illarum Formam, sive dispositionem, necessariò excludit. Idem de Peccato formandus est conceptus, sive Habituali, sive Actuali. *Malum*, ait Augustinus, *nihil aliud est quàm* CORRUPTIO *vel Modi*, *vel speciei*, *vel ordinis naturalis*. Atqui Putredo, Corruptio, aliaque ejusdem generis, quæ inter *Privativa* recenseri solent, sunt *Modi existendi* in Subjectis, de quibus prædicantur, quæ considerantur ut *caussæ* absentiæ sive privationis aliorum *Modorum*, illis oppositorum.

De Natura Boni, Cap. III.

XVIII. Alia, non minus clara, hujus veritatis ἀπόδειξις peti potest ex consideratione *Mali tristis*, quod utique tanquam cognatum quoddam *Mali turpis*, ejus naturæ detegendæ potest inservire. Qui Auctores *Malum turpe* describunt per *Privationem*, iidem *Malum triste*, sive Pœnale, per eandem hanc notionem explicare solent. Polanus, Vir Doctus & inter Systematicos celebris: MALUM *est in rerum natura. Non tamen est res, seu essentia, multò minus substantia aliqua: sed* ESSENTIALITER & SUA NATURA PER SE NIHIL EST. *Nihil*, inquam, *non negativum*, *sed privativum*, *definiturque in hunc modum*: *Malum est Privatio Boni*, *quod ad Creaturæ felicitatem & Perfectionem requiritur*..... *Estque duplex Culpæ & Afflictionis*.

Syntagm. Theol. Lib. VI. Cap. I.

XIX. At verò, an *Malum Triste*, sive Afflictionis, quod dicitur, est NIHIL? *Nihil* est, fateor, quatenus quod *malum* dicitur *non* est *bonum*. sed eatenus & *Bonum* nihil est, quatenus quod Bonum est, *non* est malum. Non nego tamen, *Boni* esse naturam æternam & necessariam; Mali non esse; ac proinde Malum non dici *malum* nisi cum respectu ad Bonum, cujus est privatio. Sed propterea tamen *Malum* per solam privationem describendum non erat. Malum enim Afflictionis quod vocamus, pluribus in casibus (imprimis quando de *Malo Summo* agitur:) plus est quàm *carentia Voluptatis*. Malum Afflictionis voco Dolorem, Tristitiam, Cruciatus, quæ verè realia à caussis realibus & maximè positivis alicui adferuntur. quæ caussæ quod *Dolorem* inferant, *Voluptatem* excludunt. Dolor non est quid minus

nus reale quam Voluptas. Caussæ Doloris *positiva*, (nec enim nego, Privationem quoque posse esse caussam doloris:) quæ adsunt, Flagella, v. gr. Verbera, tormenta, cruces, non sunt quid *Minus reale* quam Caussæ Voluptatis. *Malum* itaque *triste* non est quid minus reale quam *Bonum jucundum*. Quare conceptus Mali tristis tam involvit conceptum *absentiæ Voluptatis*, quę ad Perfectionem Creaturæ Intelligentis requirebatur, (quatenus illud *Malum* describendum est per *Privationem*:) quam *præsentiæ doloris*, qui Voluptatem excludit. qui *dolor* est affectio animi realis & positiva. Eadem ratio est *Mali*, de quo agimus, *Moralis*.

XX. Tandem quoque ipsum P*eccatum* propius contemplemur, ut *Actui* moraliter *Bono* est oppositum. quando utriusque Natura clarè nobis innotescet. *Moraliter benè* dicitur *agere*, qui ex *principio amoris Dei* (veri summi Boni) *Actus suos conformat Legi Divinæ*. qui Actus Gloriam Dei promovet & lætam parit conscientiam. P*eccare* dicitur, qui ex principio *amoris Boni*, *falso sic dicti*, *Actum committit*, *à Lege vetitum*. qui Actus comparatus est ad ignominiam Dei & parit conscientiam tristem. Hos Actus si inter se comparemus: hunc non minus comperiemus *realem* quam illum. Utrobique adest *Actus Voluntarius*, qui est reale quid, *modificatio* nimirum Entis Intelligentis. Utrobique est P*rincipium*, ex quo agitur: h. e. *Affectus animi* nixus judicio hominis de eo, quod sibi Bonum vel Malum esse arbitratur. quem *Affectum* nemo negat esse quid Reale. Effecta Actus Boni, ut sunt; *Dei gloriam promovere*, & *Bonam Conscientiam parere*, (alia huc advocare necesse non fuerit:) & Effecta Actus Mali, *Deum dedecore & ignominiâ aspergere*: & *tristem parere Conscientiam*, utrobique sunt *realia*. Unde itaque patet, Modificationem illam Entis Intelligentis, quæ nomen fert *Actus Boni*, excludi ab alia quadam Modificatione, illi opposita, quæ Mala & P*eccatum* dicitur; quæ, in se spectata, nihil minus realitatis habet quam Modificatio Entis Intelligentis, quæ dicitur *Actus Bonus*: ac proinde Peccatum non esse concipiendum, ut *meram privationem*.

XXI. Fortè jam his præmissis, quæ in hanc rem necessaria videbantur observatu, non admodum difficile fuerit Pec-

cati Naturam aliquanto distinctius indicare & circumscribere.

XXII. *Peccata*, Actualia quæ dicuntur, ante notavimus cum respectu ad *Legem Præcipientem* & *Prohibentem* distingui in Omissionis, & Commissionis, sive versentur circa Actus, sive circa Actuum Modos. cujus distinctionis in *Natura Peccati* declaranda necessariò ratio debet haberi, quia verè diversum Peccati genus nobis exhibent.

XXIII. Peccata Omissionis constant, ut ante vidimus, *neglecto officio*, ad quod Subjectum rationale idoneis facultatibus instructum, per *Legem* obligabatur.

XXIV. In eorum itaque idea deprehendimus, α. *Negationem Actus* vel *Modi Actus*. β. *Negationem relativam* ad *statum hominis*, per *Legem* ad Actum illum præstandum obligati, & idoneis ad id facultatibus instructi. quæ *negatio* inde accepit nomen *Privationis*.

XXV. Species talis Peccati sunt: *Deum statis temporibus ex præscripto Legis non invocare*; *Parentibus consilii & rerum inopibus ope suâ non adesse*; *Masculum*, durante OEconomiâ Legali, *octavo die non circumcidere*; *Paschalem Agnum comedere absque herbis amaris*.

XXVI. Liceat illa, quò clariora evadant, revocare ad notiones Logicas. α. *Materia* hujus generis Peccati est *negatio* absentiæ *Modi* alicujus in Subjecto rationali. β. *Forma*, Modus negationis, qui *privatio* dicitur. Negatio *privativa*, h. e. Negatio Actus, prædicata de *Subjecto*, cujus officii erat Actum illum præstare, quippe ad id per Legem obligati. quæ *Negatio* itaque involvit primò relationem illius *Negationis* ad *Subjectum*, de quo prædicatur; tum relationem Subjecti illius, ratione *Status sui*, ad Legem, quâ nimirùm ad id officium, quod neglexit, fuit obstrictum. γ. *Subjectum* itaque hujus Negationis, de quo quid negatur, est ipsa hominis *Mens*, tanquam Principium Actuum Voluntariorum, respectu *Facultatis*, quâ potuit, & *Status*, quo debuit, Actum illum absolvere. δ. Quæ eadem est *caussa* hujus Nihili non *efficiens*: (nihili enim sive *negationis* caussa efficiens non datur:) sed *deficiens*. ε. *Principium* hujus *Negationis* in homine est inordinatus animi affectus, vel habitus, quo

homo

homo aliud sibi *Bonum summum* constituit quam Deum. ζ. *Finis*: *Boni* illius, falsò sic dicti, Fruitio. Unde jam facilè liquet, *Peccatum Omissionis* quod dicitur; sive prædicetur de *Actu*, sive de *Modo Actus*; esse NIHIL PRIVATIVUM: cujus Subjectum, Principium, Finis, & Effecta sint *realia*. Essentia & Natura hujus *Peccati* constat *privatione*. Nihil in eo superest difficultatis, quantum video.

XXVII. Peccata COMMISSIONIS constant ipso *Actu*, aut *Modo Actus*, commisso adversus *Legem*, Justam & Æquam, *Actum* illum, vel *Modum* Actus, prohibentem.

XXVIII. Species illius generis Peccati sint: *Filios Molecho per ignem consecrare*; *Parricidium*, *Adulterium*, *Furtum*, *perpetrare*; *Edere de Fructu Arboris scientiæ Boni & Mali*; *Suem immolare*; *&c.*

XXIX. In cujusmodi Peccatorum *idea* deprehendimus, α. *Actum*, vel *Modum* Actus. β. Eumque à *Lege* notatum, damnatum, ac proin vetitum. γ. Et quidem à Lege æqua, justa, rationi summæ consentanea. δ. In quo proin Actu inest *quid* vitiosum, & damnabile.

XXX. *Materia* itaque Peccati Commissionis (logicè:) est *Actus* Entis Intelligentis certâ ratione *modificatus* & circumscriptus. *Forma*, est illius Actus *disconvenientia* cum *Lege*; quæ *disconvenientia Actus cum Lege* est species relationis *Actus* ad *Legem*, quâ negatur de Actu Modus, quem Lex aut Ratio commendant tanquam laudabilem, & ponitur Modus, quem Lex vetat. Principium, Subjectum, Finis, & Effecta, eadem sunt in hoc *Peccato*, quæ in Peccato, quod *Omissionis* vocant.

XXXI. Cum autem *materia* & *forma*, Logicè sic dictæ, tanquam *caussæ internæ*, sint partes rei, quæ ambæ ad naturam illius rei constituendam concurrunt, ac proin *intrinsecam naturam* illius rei nobis certò demonstrant: dicendum utique est, *Peccatum Commissionis* esse quid REALE: h. e. MODUM Entis Intelligentis damnabilem, non convenientem MODO aut STATUI Entis Intelligentis, quem Lex aut Ratio laudant ut Bonum & Rectum. qui *Modus* cum tantum Realitatis habeat, quantum habet Actus *Bonus*, non potest dici NIHIL, sed verè est QUID; est, inquam, QUID MODALE. Tantundem de *Habitibus Vitiosis* dicendum est.

XXXII.

XXXII. Illustremus rem exemplo. *Actus ille*, quo Primi nostri Parentes degustarunt Fructum *Arboris Prudentiæ*, primum fuit *Peccatum completum*, quod ab hominibus editum est. Actus ille tanquam Rationalis involvit voluntariam determinationem Entis Intelligentis ad Actum illum perpetrandum. *Materia* hujus Peccati est ipse ille *Actus*, tam determinationis Voluntatis ad edendum, quam esus ipsius, qui, in se spectatus, est *modificatio quædam Entis Intelligentis:* qui Actus est id quod hic *Peccatum* dicitur. *Forma*, h. e. *id propter quod* hic Actus Peccatum dicitur, alia hic concipi non potest quam *disconvenientia* illius cum Lege, aut *Placito Dei*. Certè nihil aliud mihi in hoc Actu occurrit *propter quod* à me damnetur, & *malus* ac *vitiosus* dicatur. Facilè enim percipio Actum hunc, in se consideratum, nihil habere vitii. Imo nihil certius, quam Vitii, & Virtutis, Boni, & Mali, denominationes esse *Relationum*. Si non esset Æterna aliqua ratio, quæ instar Legis *modum* præscriberet Actibus Entium Intelligentium, & ad quam veluti normam Actus posset *mensurari:* nihil esset in rerum natura, quod *moraliter Bonum* diceretur. *Convenientia* itaque Actus cum hac norma est *Ratio formalis*, quare *Bonus* dicatur Actus; *disconvenientia* cum hac norma aut cum Placito Legislatoris est ratio formalis, quare Actus *malus* dicatur, vitiosus, & damnabilis. Quæ *disconvenientia Actus commissi* cum *Placito Legislatoris*, aut cum *Ratione*, est quædam species *Relationis*, quâ Actus aut Status hominis *negatur* talis esse, qualem eum vult esse Legislator. quod *negativum* est *privativum*, quia de subjecto negatur *quid*, quod *debebat* adesse. Illa jam duo in hoc Peccato ita concurrunt ad illius constituendam naturam, ut ab invicem separari non possint nisi in nostro conceptu. Physicè certè, positâ Lege, & *Actu*, non conveniente Legi, ponitur *Peccatum*.

XXXIII. Quæ si rectè à nobis concepta disputataque sint: ut videtur: quomodo stare poterit eorum sententia, qui in explicanda Dei Providentia circa Actus Malos, *Actus turpitudinem* & *Malitiam* ab *Actu* ita secernunt, ut dicant, Deum quidem efficaci Voluntate suâ, quâ statuitur omnis realitatis caussa esse, influere in Actum, quà *Actum*, non verò in Actus *Turpitudinem*? Zanchius ex Thoma Aquinate: *In Peccato duo sunt, opus*

Lib. III. De Natura Dei, Cap. I. Quæst. VII.

ipsum

ipsum & deformitas operis. Opus, ut est actus & ens, bonum est: & hoc operatur Deus. Ut verò est Peccatum: *defectus est & deformitas operis. Et hoc non est ex Deo, qui Actus est purus, & caussa efficiens perfecta. Sicut* (sunt verba Thomæ:) *quicquid motus est in Claudicatione, est à virtute gressiva: deformitas autem ejus à curvitate cruris.* Liceat illa, quibus nihil in Systematibus Doctrinæ Theologicæ vulgatius est, ab ipso quoque Zanchio, acutissimo & doctissimo Viro probata, paucis ad examen revocare. In Quæst. Disp. p. 1. Art. 6. ad 5. & 6.

XXXIV. *In Peccato duo sunt Opus ipsum & deformitas Operis.* Imo in Peccato hæc duo, conceptu mentis abstracto & metaphysico, considerari possunt. *Opus, ut est Actus & ens, bonum est.* Non nego id verum esse de Opere quà Opere, de Actu, quà Actu, abstractè considerato, ut est in conceptu mentis. *Et hoc operatur Deus.* Imo nihil certius, si verum sit, *Actum peccaminosum* physicè ita posse existere, ut τὸ *materiale* illius Actus non involvat illius *formale*, h.e. Vitiositatem & Turpitudinem. *Ut verò est* Peccatum: *defectus est & deformitas operis. & hoc non est ex Deo, qui Actus est purus & caussa efficiens perfecta.* Hæc sententia homini Deum & veritatem amanti tam cara esse debet, ut eam nullis assentationibus, vi, aut pretio, sibi unquam extorqueri patiatur. Blasphemum & horrendum est dictu, Deum esse posse Auctorem illius, quod in homine *Peccatum* dicitur. Hoc enim si verum sit, æquè poterit esse objectum odii ac amoris. Est tamen in duobus illis, quę Thomas hic ponit, inter se conciliandis, difficultas maxima. *Odium Dei*, v. gr. est Affectus, sive etiam Actus animi vitiosus. Affectus quà affectus, Actus quà Actus, metaphysicè consideratus, bonus est. Imo talis quoque Affectus, qualis *odium* dicitur, abstractè consideratus, nihil in se habet vitii. Odium enim, cujus est caussa justa, non est quid damnabile. *Odium* tamen in tali Subjecto erga tale Objectum, quod à Subjecto illo secundum Legem amari debebat, physicè dari non potest, nisi vitiosum & damnabile. Quomodo itaque *caussa* illius materiæ, quę physicè est inseparabilis à forma sua, non simul etiam dicenda erit *caussa formæ*, qualiscunque tandem illa sit forma? Fateor, me hic hærere, & id non posse percipere. Zanchius ipse alibi exertè: *Tametsi* RE IPSA *in Peccato non potest actio à sua deformitate & irrectitudine sepa-* Lib. III. De Nat. Dei, Cap. IV. Th. V.

 rari:

rari: separanda tamen est mente & animo, atque ibi considerandum est, quid boni, quidve mali sit. Atqui id agitur hoc in casu, ut rem declaremus, quo modo *verè* datur & concipi potest in rerum natura existere. Pergit: *Sicut quicquid motus est in Claudicatione, est à Virtute gressiva; deformitas autem ejus est à curvitate cruris.* Hoc simile rigidum examen sustinere non potest. *Motus* in *claudicante, qui* & quatenus *est à virtute gressiva, nihil habet vitii* cum respectu ad *Virtutem gressivam*, quia *Virtutis gressivæ* non est *pedem rectum* præstare, sed solummodò *eum movere.* Sed pone Voluntariam caussam *vacillantis* aut *luxati cruris:* (intra hos enim terminos stare debebit hæc comparatio:) an eadem non erit caussa *deformitatis*, quæ de crure curvo cum respectu ad crus rectum, formæ melioris, prædicatur? *Linea curva*, quæ duci debebat ad *rectam* veluti ad suum exemplar, est *peccatum.* Dicitur autem *peccatum*, quia *non* convenit *rectæ.* Vide jam an concipi queat, posse quem esse auctorem lineæ *curvæ* ducendæ ad exemplar *rectæ*, & tamen non esse auctorem *peccati.*

XXXV. Ergo cum *privationes* sint duplicis generis, vel *meræ privationes*, quæ simpliciter negant de subjecto quid debitum inesse; vel quæ *substratum* sibi habent alium quendam Habitum, Qualitatem, Modum, *formam*, quæ formam meliorem excludat & privationem necessariò ponat & involvat: quæ est & dicitur hujus formæ caussa, eadem dicenda videtur *caussa privationis*, vitiositatis, deformitatis, quam forma melior exclusa secum fert.

XXXVI. Cum autem Deus absque blasphemia dici & cogitari nequeat esse *Peccati Auctor:* dispiciendum videtur de tali quodam Modo explicandi Divinam Providentiam, ut versatur circa *Mala*, quæ vocamus, *Moralia*, qui non pugnet cum Ratione, & summa Entis Perfectissimi, h. e. Optimi, Sanctissimi, Purissimi, Gloria.

XXXVII. *Denominationes Peccati*, quæ in Divinis Literis extant admodum emphaticæ, ex quibus illius Natura, Attributa, & Effecta facilè possunt illustrari, hic prolixius explicare opus non fuerit, cum id egregiè præstiterit Cl. Coccejus tam in *Summa Theol.* & *Doctrina de Fœdere*, quam *Disputatione* de hoc argumento *Selecta.*

CAPUT

CAPUT XVII.

Cum Paulus Apostolus apertè doceat in Epistola ad Romanos, CREDENTES IN CHRISTUM *sub OEconomia Gratiæ* LIBEROS ESSE *à* LEGE *Mosaica non tantum* Rituali, *sed & M*ORALI, *eaque paradoxa & in rationem incurrens videatur assertio: commodum visum est hanc partem* Doctrinæ Paulinæ *secundum veras Ejus, & Novæ OEconomiæ Hypotheses illustrare. Ne tamen fundamento careat hæc dissertatio; in antecessum adstruitur, Paulum Apostolum sic verè de σχέσει Christianorum ad* Legem *sentire & docere, ut hic supponitur.*

ITane verò? Credentes sub OEconomia Nova *liberos esse à Lege*, non *Cærimoniali* tantum sed & *Morali*. Hæres tyro in Schola Christi. Assertio tibi videtur esse insolens & inimica rationi. Quis enim illud vinculum solvat, dicis, quod insolubile & æternum Dei & Hominum Natura: utraque immutabilis: firmat. Et est tamen hæc certa sapientissimi Apostoli Pauli doctrina, cui non dubitabis scriptionis suæ constitisse rationem.

II. Nempe postquam Ille in *Capite Sexto* Epistolæ ad Romanos ex *Communione Credentium cum Christo Mortuo* & *Resuscitato* validè adstruxisset, *Statum & Cultum hominis Christiani non consistere absque interna Sanctificatione animi:* idem ℣ſ. 14. demonstrare aggressus est ex indole *OEconomiæ Gratiæ*, quippe excludentis *omne dominium peccati*. PECCATUM, ait, VOBIS NON DOMINABITUR. οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ᾽ ὑπὸ χάριν NON ENIM ESTIS SUB LEGE, SED SUB GRATIA; captatâ inde occasione refutandi ἀντίθεσιν Obtrectatorum Doctrinæ Christianæ inter Romanos, qui calumniabantur, Doctrinam Pauli de *Gratia Justificante per Fidem* inferre effrenem peccandi licentiam.

III. Dura tamen erant hæc verba Apostoli, duoque continebant, præjudicatis opinionibus Christianorum Judaizantium illius temporis adversissima. α. Credentes sub OEconomia E-

vangelii solutos esse à *Lege* (Mosaica.) β. *Legem* (Mosaicam) non potuisse Cultores suos liberare à *Dominio peccati*; sed hoc beneficium unicè præstari à *Gratia*.

IV. Quæ itaque *durè* quidem at *necessariò* dicta ne offenderent Judæos aut Proselytos, qui Romæ fidem in Dominum Jesum susceperant, faciendum putavit Paulus, ut mentem suam de *duabus* hisce *thesibus* magis perspicuè declararet, eoque tam infirmiorum scandalis, quam malevolorum calumniis occurreret. Id quidem quod egit per *totum Caput septimum*; cujus *parte priore* (℣s. 1---6.) docet probatque, Credentes sub Testamento Novo liberatos esse à *Dominio Legis*. Et *parte posteriore* (à ℣s. 7. usque ad finem Capitis, ℣s. 26.) diligenter explicat, quos effectus *Legis datio* in Judaismo tanquam in typo quodam totius generis humani produxerit, tantumque abfuisse demonstrat, ut Lex ad expurgandam vitiositatem connatam quicquam valuerit, ut contra illam ad peccata quævis extimulaverit, concupiscentiâ, per Legis prohibitiones irritatâ, se Divinæ illi Legi, sibi contrariæ, nunc fortius opponente. & licet conscientia Judæorum, se in studio Divinæ Legis quotidiè exercentium, attestata sit Legi, quod bona, sancta, & divinæ Majestati σχέσει ad creaturam intelligentem convenientissima sit; & moratiores inter Judæos Legem hoc quoque nomine probaverint, laudaverint, sibique in ea complacuerint: per Legem tamen nunquam effectum esse, ut concupiscentiam carnalem superaverint, peccati dominium extinxerint, à vitiis purgati, & in novos homines transformati sint. Nostrâ enim sententiâ Apostolus per totum hocce *Caput* in *sua persona* elegantissimâ nec sibi insolitâ fictione repræsentat varios *Legis Divinæ effectus* in Judæis & Proselytis, oppositè ad *effectus Evangelii* sub OEconomia Gratiæ, quos describit in *toto Capite Octavo* præcellentissimos. De quo aliàs, si Deo placet, καιρὸν μεταλαβὼν, prolixius.

V. In *Priore* jam *parte Capitis Septimi* etsi Apostolus sententiam suam de *Libertate Credentium* à *Lege* apertè satis exposuerit: nescio tamen quid restet dubii & obscuri, quod inexercitatum hujus Epistolæ lectorem impedire & morari queat? Certè enim si Paulus ibidem loci differens περὶ τῆς καταργήσεως τοῦ νόμου sub OEconomia Gratiæ, per *Legem* ut in aliis multis locis, illam dun-

duntaxat intelligeret *Legis Mosaicæ partem*, quam ipse alibi νόμον ἐντολῶν ἐν δόγμασι, Theologi *Legem Cærimonialem* vocant, omnia in hac oratione Paulina clara, omnia expedita essent: quippe quis nescit, Fœderatos sub Gratia ab obligatione *illius Legis* servandæ solutos esse? Sed cum ex contextu liqueat, Paulum ibidem per *Legem*, ipsam quoque, quæ sic dicitur, *Legem Moralem*, ipsum *Præceptum Amoris Dei* & *Proximi* intelligere; & cum pariter constet, *illam Legem* non esse abrogatam sub OEconomia Gratiæ, sed sub ea absque restrictione & fortioribus quidem argumentis quam olim inculcari & urgeri; imo cum non minus clarè pateat, *Legem* illam *Regiam libertatis*, quæ *Moralis* dicitur, fundatam esse super æternis illis veritatibus, quæ ex summa Divinæ Naturæ perfectione profluunt, nec proin humanum genus illius obligatione eximi posse: meritò in disputationem mittitur, quo sensu Apostolus de *Libertate Credentium* cum σχέσει ad hanc *Legem* disserens intelligendus sit, & quo potissimum respectu quâve consideratione *Credentium illa Libertas* ab ipso adstruatur ac vindicetur?

VI. Quæ tamen nostra disputatio ne basi & fundamento suo careat, & ne nos de re nihili frustra laborare, aut nodum, quod dicitur, in scirpo quærere videamur: commodum fuerit, priusquam in rem ipsam veniamus, α. Monstrare, Paulum nomine *Legis*, à qua Credentes liberatos esse asserit, ipsam quoque *Legem Moralem*, quæ sic dicitur, comprehendere. β. Varias notare loquutiones, quibus Credentibus libertatem vel liberationem ab hac Lege vindicat. Quando demum nos accingemus ad τὸ δυζνόητον Paulinæ hujus Doctrinæ expediendum.

VII. Quod ad *primum*; *Subjectum* Orationis Paulinæ in prima parte *Capitis Septimi* est ὁ Νόμος LEX. *An ignoratis, fratres*, (inquit mox ℣s. 1.) LEGEM *homini dominari*, *quandiu vivit?* Rursus ℣s. 6. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου *Nunc autem abolitâ* LEGE *ab ejus obligatione liberati sumus*. Et in sequentibus; (℣s. 7.) *Quid igitur dicemus*; *Num* LEX *est peccatum?* Per quam LEGEM nunc supponimus intelligendam esse *Legem*, quæ Israëlis Posteritati in Arabiæ desertis à Deo data est per Mediatorem Mosem, ut quod alibi probatum dedimus & quod ex universa hac Epistola cuique attendenti quam clarissimum evadit. Secun- Observ. S. Lib. IV. Cap. X. §. XVI. & seqq.

 dum

dum Paulum, cujus ideas nos in interpretatione hujus Epiſtolæ ſequi oportet, à tranſgreſſione Adami uſque ad *Exitum Iſraëlitarum* ex Ægypto *nulla* in mundo fuit *Lex*. Gentes, quæ *Legi Moſaicæ* non ſubfuerunt (ſive quod ante tempus illius Legis impoſitæ ſive quod extra commercium Iſraëlitarum vixerint) dicuntur *peccaſſe ἀνόμως* ABSQUE LEGE & *legem non habuiſſe*. Qui *ſunt* EX LEGE (*οἱ ἐκ νόμου*) opponuntur τῷ Ἀβραὰμ τῷ πιστεύοντι *Abrahamo credenti*. Lex dicitur *κατεργάζεσθαι ὀργὴν operari iram*. Quæ niſi φερωνύμως ad *Legem Moſaicam* referas, commodum ſenſum non admittent. Quod tamen ſi quis rationis inimicus præfractè ſuſtineat inficiari; cum eo nobis hac in Diſputatione res non erit. Si ex attenta hujus Epiſtolæ lectione de eo non convincatur: non convincetur etiam per evidentiſſimas rationes, quas pro hac ſententia inde deprompſerimus.

Rom. v. 13. 23. Cap. II. 12. (verſ. 14.) Cap. IV. 13, 14. Cap. IV. 15.

VIII. Sed illa ſanè *Lex* Sinaitici Fœderis complexa eſt Præcepta diverſi generis; quę in genere referri poſſunt vel ad *θρησκείαν Cultum*, quem Deus ſibi ab Iſraëlitis, tanquam à Fœderatis ſuis, præſtari volebat; vel ad *πόλιν Civitatem*, ſive ad Societatem Iſraëlitarum, quatenus à Deo in Civitatem & Regnum compingenda legibuſque armanda ac decoranda erat. Inter utriuſque generis Leges illas ſunt, quę procedunt ex relationibus Dei & Hominis, & Hominum ad ſe mutuis, & quas proin ex lumine rationis intelligimus, Deum ſalvis ſuis perfectionibus (quas in Regimine humani Generis ſemper ſalvas eſſe vult:) Iſraëlitis tam quà homines quàm quà Fœderati & Cives erant, non potuiſſe non præſcribere; ſunt item aliæ, quarum equidem ratio Deo ſapientiſſimo Legiſlatori illo in ordine & ſtatu rerum abundè conſtitit, ſed quę tamen in σχέσει mutua Dei ad hominem, hujus ad Deum, & hominum ad ſe invicem, fundamentum non habent neceſſarium & conſtans, & quas proin percipimus pendere à placito & arbitratu divinæ Majeſtatis: cujus cum ſit ſummi pars imperii modum ponere poſſe omnibus hominum actionibus; ſic potuit etiam Iſraëlis poſteros obſtringere ad obſervantiam quarundam legum in Exercitio Religionis & Communione Societatis Civilis, de quibus Communis ratio nihil certi præſcribebat. Et hæ quidem *Leges*, quæ in divino Cultu & commercio hominum ſecundum claram & conſtantem rationem obſer-

obſervantur, in Schola minus congruâ voce dicuntur *Morales*, Hebræis מצוה & תורה; quę Arbitrariæ cenſentur in Religione, *Cærimoniales*, phraſi Sp. S. חקים δόγματα; quę ad *Civitatem* referuntur, cujuſcunque etiam fuerint generis, propriâ notione *Politicæ*; Hebræis משפטים.

IX. Etiamſi verò hæ Leges in *Corpus Quatuor Voluminum* relatæ à Moſe non ſint digeſtæ, & in Rubricas aut titulos diſtributæ; quin ſæpè in Scriptura junctim veniant generali nomine *Legis* aut *Legis Moſis:* à prudente tamen lectore facili negotio ex materiis ſuis ab invicem diſcernuntur; imo ab ipſis Scriptoribus Sacris tam Veteris quam Novi Fœderis non obſcurè diſtinguuntur. Incuriosè verſatus ſit, oportet, in Moſe & Prophetis, qui non advertit, Præceptum Amoris Dei & Proximi frequentius & fortius longè inculcari & commendari, quam dogmata Legis cærimonialis, & ab his ſingulari notâ diſtingui; qui non obſervavit, οἵα ἡ ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ; qui τὰ βαρύτερα & διαφέροντα τῦ νόμυ à *levioribus* non diſcriminavit; qui non attendit, Decalogum totum ex præſtantiſſimis & maximi momenti Præceptis compoſitum eſſe. Hoſpes item oportet ſit in Evangeliis, qui inde non perſpexit, quæ Legis præcepta à Chriſto Domino pro ponderoſiſſimis & utiliſſimis habeantur; hoſpes in Paulo, qui ad animum non retulit in lectione Epiſtolarum ejus, de *Lege* loquentem, per quam paſſim *in genere* intelligit *Legem Moſaicam*, quibuſdam tamen locis magis reſpicere *Præceptum Amoris*; aliis magis *Legem Præceptorum in placitis*; aliis rurſus ex æquo reſpicere utrumque hoc Legum Moſaicarum Genus.

Mal. IV. 4. Joh. I. 17.

X. Hoc jam in loco, quem præ manibus habemus, ubi Paulus diſſerit de *Libertate credentium à Lege* ſub OEconomia Gratię, nemo equidem ulla cum ſpecie in dubium vocet, quin Apoſtolus *Legis* nomine ſimul comprehendat *Legem placitorum Cærimonialium*. Infantes enim in Chriſto jam norunt, illam potiſſimum *libertatis* ſpeciem à Paulo vindicari OEconomiæ Gratiæ per totam Epiſtolam ad *Galatas*; imo & ad *Coloſſenſes* & *Hebræos*. Sed dubium moveri poſſet de illa Specie *Libertatis*, quę reſpicit *Præceptum Amoris*, omnes nimirum Adæ poſteros per omnia ſæcula vi relationis, quę eſt inter Deum & Creaturam intelligentem, peræquè obligans. Certum tamen ex contextu totius orationis,

ipſam

ipſam quoque hanc *Legem* hoc loco imprimis à Paulo intendi, quippe quod ex prædicatis, quæ huic Legi tribuit, clariſſimè liquet, α. Hæc *Lex* à Paulo vocatur ἐντολὴ, PRÆCEPTUM. ℣ſ. 9. ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς, ἡ ἁμαρτία ἀνέζησε. Atqui ἐντολὴ reſpondet Hebrææ notioni מצוה / quę in uno contextu diſtincta à vocibus תורה / חקים & משפטים omninò videtur notare *Præceptum Amoris*, ut dudum à Doctis obſervatum eſt, & à nobis probabiliter adſtrui poſſet, ſi in hoc argumento præcipuam vim noſtræ demonſtrationis collocaremus. Vide tamen 2 *Reg.* XVII. 34, 37. *Deut.* XXX. 11. *Pſ.* XIX. 8, 9. Utique Apoſtolus in tota Epiſtola ad Galatas, ubi præcipuè diſputat de *Lege Rituum*, *Legis* mentionem faciens & hanc notionem identidem repetere coactus, ne ſemel quidem adhibet vocem ἐντολή. Quam tamen non negem in Epiſtola ad Hebræos cum epitheto pro *Legibus Cærimo-*
Cap. VII. 16, 18. *niarum* uſurpari. Sed hoc rarum eſt. β. Apoſtolus *Legem*, à cujus dominio fideles liberatos aſſerit, vocat τὴν ἐντολὴν τὴν εἰς ζωὴν PRÆCEPTUM, QUOD EST AD VITAM. ℣ſ. 10. Quam περίφρασιν *Legis* quis neget præcipuè referendam eſſe ad *Leges Morales*? Optimum hic Doctorem habemus Dominum in Evangelio Mat-
Cap. XIX. 16. thæi. Sciſcitabatur ex ipſo de turba aliquis, quid ſibi *faciendum eſſe* ἀγαθὸν BONUM, *ut haberet* VITAM? Chriſtus ad id; *Si vis ingredi* εἰς τὴν ζωὴν AD VITAM, *obſerva* MANDATA. (τὰς ἐντολὰς מצות) *Qualia*, inquit ille. Regerit Dominus: *Non occides*, *non committes adulterium*, &c. Omne quidem *Præceptum Placiti*, Iſraëli per Moſen datum, *fide præſtitum*, tendebat ad *vitam*, juxta *Lev.* XVIII. 5. Quandoquidem tamen *Lex præcepti carnalis* non conferebat Iſraëlitæ *vitam æternam*, niſi obſequium illi præſtitum conjunctum eſſet cum *Amore Dei* & *Proximi*; & præterea Præceptum hoc *Amoris* tam arctè cum vera hominis *Vita* conjunctum eſt, ut vera *Vita* Hominis ab obſervantia hujus Præcepti ſeparari nequeat: (*Deum* enim & *proximum amare*, eſt *vivere*) hinc *Præceptum Amoris* præcipuè vocari meretur *Præceptum ad Vitam*, & imprimis intelligendum venit per illa *Statuta* & *Jura*,
Cap. XX. 11. de quibus Ezechiel: אשר יעשה אותם האדם וחי בהם *Quæ qui fecerit homo*, VIVET PER EA.

XI. Cui jam accedit, quod Paulus eandem hanc Legem teſtetur eſſe *ſanctam*, *juſtam*, & *bonam*. Ὥστε, ait ℣ſ. 12.

ὁ μὲν

ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δικαία, καὶ ἀγαθή. Lex tota comparata est ad divinas illustrandas perfectiones, ac proin *sancta*. Imprimis ἡ ἐντολὴ *Præceptum Amoris* est *sanctum*, *justum*, & BONUM. *Sanctum* quidem, quia cum hominibus præscribat *Amorem Dei*, tanquam perfectissimum genus actuositatis, luculentissimum simul testimonium perhibet summi Amoris Dei erga se ipsum, in quo Divina sanctitas consistit; *Justum*, quia primis, simplicissimis, & manifestissimis principiis Juris Dei & Creaturæ consentaneum, & ex iis eductum est; *Bonum*, tum quia conscientia judicat, Deum cum maximè decuisse hominibus *tale præceptum* præscribere, & non aliud, quippe quod sit ἔκτυπον perfectissimæ Dei actuositatis; tum quia utilissimum est ad finem illum, quem Deus sibi dandis præceptis præstituit, hoc est, ad hominem cum Deo per jucundum obedientiæ exercitium uniendum; tum denique, quia illius constans observantia hominem aliquando perducet ad summam felicitatem, quam ipse sibi in observantia Præceptorum Divinorum meritò proponit ut terminum & præmium Operis sui. Utique videtur Paulus respicere orationem Levitarum apud Nehemiam: *Et descendisti super montem Sinai, & locutus es iiscum de cælo, & dedisti iis* משפטים ישרים *Præcepta* RECTA; ותורות אמת *& Leges veritatis*, hoc est, JUSTAS; חקים ומצות טובים *Statuta* & *præcepta* BONA. Quæ præcepta, ut nobiliora & præstantiora, ꝟ. 14. distinguuntur à מצות חקים ותורה *Præceptis*, *Statutis*, & *Lege*, post verba de Sinai audita datis. δ. Denique, Apostolum hoc *Capite* in oculis habere *Legem moralem*, irrefragabili argumento comprobatur ex ꝟ. 7. ubi ait; *Concupiscentiam enim nescivissem esse peccatum*, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· Οὐκ ἐπιθυμήσεις *Nisi* LEX *dixisset*; *Non concupisces*. Quænam hæc *Lex*, nisi quæ Theologis *Moralis* dicitur? Aliis, quę ex consequente contextu hujus Capitis produci possent, abstinemus. Cap. IX. 13.

XII. De hoc jam *Subjecto*, hoc est, de tota *Lege Mosaica* varia prædicat Apostolus, cum σχέσει ad *Credentes* Novi Fœderis; ut sunt; α. Illam sub OEconomia Vetere officio *mariti* functam esse erga Ecclesiam. β. Ex Jure illo suo maritali Ecclesiæ esse *dominatam*. γ. Imperium illud Ecclesiæ fuisse molestissimum, quia per id simul subjecta fuit *imperio peccati*. δ. Dominatam

L l l vero

verò esse Legem *usque* ad ejus *mortem*. ε. Et quidem *Mortuam* esse interempto & crucifixo Christo. ζ. Legem illam mortuam Ecclesiæ copiam fecisse, solutis prioris conjugii vinculis, se vindicandi in libertatem, & absque ullo suo crimine se novo jungendi marito, Christo Jesu de morte resuscitato. η. Imo *Legem* ad id mortuam, interemptam, & abolitam esse, ut Ecclesia ex Divina ordinatione novo jungeretur Marito, Christo Domino, de morte in vitam revocato per Divinam potentiam. θ. Et *tali* quidem *marito*, qui Ecclesiam liberaret à *dominio peccati*, eamque sui Spiritus, qui *Spiritus vitæ* est, participem faceret. Quas veritates singulas attentus Lector colliget ex *sex prioribus versibus* Capitis septimi.

XIII. Inter illas theses, etsi singulæ prolixius explicari mererentur, nobis nunc potissimum attendendum venit ad *quartam* & *sextam*, quibus memoratur *mors*, hoc est, abolitio *Legis*, & mediante illâ Legis morte Ecclesia vindicata dicitur in *libertatem*: quippe quas consilium erat hoc tempore illustrare. Utramque quam clarissimè reperimus in ℣ſ. 4. & 6. *Itaque*, inquit vers. 4. *fratres*, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ *&* VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI *per Corpus Christi*, *ut* FIERETIS ALTERIUS, *qui ex mortuis suscitatus est*. Quod Apostolus ait, *Credentes esse mortificatos Legi*; illum in sensum capiendum non est, acsi dicere voluisset Paulus, *Credentes esse mortuos*, Lege vivente, sed sumendum ac si scriptum esset; ὁ νόμος ἐθανατώθη ὑμῖν *Lex vobis est mortificata*: hoc est, Vos per *mortem Legis* à molesto Legis imperio estis liberati. Ita monuit Grotius, & Doctissimi quique instituunt Interpretes; idemque ex universa serie orationis liquidissimè evincitur. In Comparatione enim *Pacti Conjugalis* ab Apostolo adhibita *Legem* consideraverat, ut *maritum*, & *Ecclesiam* tanquam *Uxorem*, mariti illius imperio subjectam. Ut jam *Uxor* ab obligatione obedientiæ & fidei marito præstandæ liberatur per *mortem mariti*; sic contendit, Ecclesiam ob obligatione servandæ Legis liberari per *mortem* Legis, mariti Ecclesiæ Veteris, ut patet ex ℣ſ. 2, 3. Non loqueretur itaque Apostolus ex hypothesi, si *Ecclesiam* nunc ut *mortuam* proponeret, Lege vivente; nunc ut *vivam*, sed viduam, & à Legibus pacti conjugalis per mariti mortem liberatam. Quod tamen dicere maluerit, *Credentes Romanos esse mortificatos*

ficatos Legi, quàm *Legem ipsis esse mortificatam:* prudentiæ ejus adscribendum est, quæ in hac aliisque ejus Epistolis verè admirabilis elucet. Prævidebat, Credentes ex Judæis aut Proselytis, Legi addictiores, inde offensionem captaturos esse, si identidem rectis verbis *Legem mortuam esse* dixisset; quare consultum duxit se illorum infirmitati eatenus accommodare, ut cum omnes orationis ipsius præmissæ hanc producere debuerint conclusionem, *quod Lex mortua sit*; id tamen Apostolus hoc loco non dixerit directè, sed per circumlocutionem ejusdem efficaciæ. Quomodo & instituit in ℣ſ. 6. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου *Nunc autem* ABOLITI (otiosi facti) SUMUS A LEGE. Voluit dicere; Ὁ νόμος ἡμῶν κατηργήθη· *Lex nostri respectu est abolita.* Nobis nihil cum Lege est negotii. Nos ab omni commercio cum Lege per ipsius Legis abolitionem liberati vindicatique sumus. Addit ibidem; Ἀποθανόντος (sic enim rectius legitur, quam ἀποθανόντες) ἐν ᾧ κατειχόμεθα *Mortuo eo, per quem detinebamur.* Utique Apostolus per *eum*, quo Ecclesiam *detentam fuisse* asserit, *Legem* intelligit, de cujus morte in ultima hac comparationis suæ ἀποδόσει tandem apertius loqui debuit. Quod tamen cum ageret, rursus circumloquutione aliquâ utitur *Legemque*, quam diceret *mortuam esse*, ita circumscribit, ut per invidiosam illam *Legis* περίφρασιν propositionem suam de *morte Legis* non parum emolliverit.

XIV. Quid jam per hanc *Legis mortem*, *mortificationem*, & *abolitionem* intelligendum sit, nemini, ad notiones ipsas attendenti, obscurum erit; quæ etiamsi *metaphorica* sint, rem tamen à Paulo intentam fortiter & perspicuè declarant. *Vivere* dicitur *Lex*, quandiu, manente σχέσει inter ipsam & subditos, vi ejusdem illius auctoritatis, per quam lata est, inculcatur, urgetur, & obsequium illi præstandum rigidè exigitur; & imprimis, quandiu Lex per eandem illam Supremam Auctoritatem, per quam condita est, vindicatur, pœnâ inflictâ transgressoribus, & contra obsequiosis ejus cultoribus tributâ obedientiæ mercede. *Mori* jam dicitur *Lex*, quando qui Legi subsunt ab illius præstandæ obligatione liberantur, rupto vinculo, per quod Suprema Potestas subditos ad Legem adstrinxerat, & cessantibus simul omnibus illius effectis tam utilibus quàm noxiis, quę obedientes ex ejus observantia vi sanctionis Legalis sibi pollicen-

tur, & violatores metuunt. Solvitur autem Legis vinculo subditus, quando Suprema Potestas, quæ Legi omnem suam auctoritatem & vim conciliat, pro eadem sua auctoritate Legem abrogat; vel quando ipsa illa Auctoritas νομοθετικὴ, à qua Lex profecta & in qua fundata est, evilescit, aut destruitur, ac proin inepta fit ad Legem tuendam vindicandamque. Cum enim Lex omnem suam vim auctoritatemque mutuetur ab imperio & auctoritate Principis aut Magistratus, qui Legem sancit & vindicat: sequitur, illam tamdiu vivere & vigere, quamdiu illius viget auctoritas, per quem constituta est; vel quamdiu per eandem illam auctoritatem, per quam condita promulgataque est, non abrogatur.

XV. Paulum igitur prædicantem, *Credentes esse mortificatos Legi*, vel, *à Lege esse abolitos*; sic intelligere fas est, sublatum esse nexum, sive respectum, qui olim fuit inter *Ecclesiam* & *Legem Mosaicam*, & quidem per illius Legis abrogationem vel abolitionem, effectam vi mortis Christi; & proin omnia qualiacunque Legis Mosaicæ effecta molesta & noxia in Credentibus sub OEconomia Gratiæ cessare, &, ut rem phrasi Paulinâ paucis complectar, *Credentes*, *Lege Mosaicâ*, per Christum enervatâ, *solutos* liberatosque esse, haud aliter ac mulier per mariti mortem liberatur à molestis & servilibus officiis obsequii, ad quę per pacti Conjugalis Leges obligata erat. Quam suam sententiam Apostolus mox fortius adstringit, ubi Ecclesiam, à Lege nunc solutam, alteri marito & Domino vindicat, nimirum Christo ex mortuis suscitato. Εἰς τὸ γενέσθαι, inquit ℣s.4. ὑμᾶς ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι *Ut fiatis alterius, qui de morte suscitatus est*. Ecclesia, consilii, subsidii, curæ, & tutelæ indiga, absque *marito* subsistere nequit. Lex, cui devincta fuerat per pactum Sinaiticum, hæc officia illi non potuit præstare, ac proin ardenter desiderabat illius *Legis mortem*; non ut libera prorsus & ab omni Lege soluta viveret, (absque marito enim ipsa indiga, inops, imbecillis, esse nequit:) sed ut per mariti illius sui mortem copiam haberet se per novum conjugale pactum alteri marito jungendi, per quem hi fructus Pacti Conjugalis ipsi certò præstarentur. Manifestatus igitur tandem inter homines Christus est vi antiquissimarum promissionum, qui juxta phrasin Paulinam *Legem*, Eccle-

Ecclesiæ maritum, *ἐθανάτωσε interemit*, occidit, mortificavit; hoc est, per cujus mortem apud Deum id effectum est, ut Ecclesia non potuerit, salvâ Dei veracitate & justitiâ, amplius subjecta manere Legi. Et cum tamen Ecclesia absque marito esse nequeat: quid convenientius quam ut ipsa victori & liberatori suo Christo in victoriæ & beneficii præstiti præmium cedat? Qui cum morti non succubuerit, sed se per resurrectionem morte potentiorem esse demonstraverit, & per eandem illam ex mortuis resurrectionem ipse à Lege liberatus vindicatusque sit; & cui præterea cum tam voluntas quam vires adsint Ecclesiam tutandi, conservandi, omnibus bonis cumulandi, & ad æternam perducendi felicitatem: quid æquius, quid mage consentaneum rationi, quam ut Ecclesia *Christo de mortuis resuscitato* per novum pactum Conjugale jungatur? Quod jam si fiat: utique *soluta* habetur Ecclesia à *Lege Mosaica*, quam Paulus tanquam priorem Ecclesiæ maritum descripserat.

XVI. Liquet igitur, Apostolum Credentibus hoc loco vindicare beneficium *Libertatis à Lege*; & cum in præcedentibus evictum sit, per *Legem* hic à Paulo nobilissimam quoque illam intelligi *Legis* speciem, quâ Israëlitis Reverentia Dei, Amor proximi, Obedientia erga Magistratus & Parentes, aliaque ejus generis plura præcipiuntur, & opposita vitia Idololatriæ, *εἰκονολατρείας*, irreverentiæ erga Deum, Homicidii, Adulterii, Furti, Obtrectationis, Injustitiæ, & Immoderatæ Cupiditatis rerum alienarum, prohibentur, quæ Præcepta verè sunt ישרים וטובים *bona*, *recta*, *sancta*, & à conscientia totius generis humani ut talia commendantur & laudantur: hinc enascitur difficultas, jam in antecedentibus proposita, *quo sensu* Apostolus *Credentes sub OEconomia Gratiæ ab hac Lege Morali solutos liberatosque asserat?* Quomodo enim à Cærimoniali, & Politica, quatenus talis est, liberentur: alibi quidem variis casibus locisque exponitur, & facilius intelligitur.

Caput XVIII.

Recta itur ad Problema, *modò propositum, discutiendum*, & Libertatem Credentium N. F. à Lege Mosaica Morali *declarandam. Docetur igitur, Apostoli hanc sententiam* absolutè *intelligi, absurdum esse & à ratione refelli, idque evincitur; accipiendam itaque esse* restrictè *secundùm aliquos* Modos & Respectus *quibus* Lex Mosaica *Paulo obversata est. Inter hos autem* Primus *producitur, Apostolum* Legem *sumpsisse propriâ, verâ, & strictâ suâ significatione pro* Complexu *plurium* Legum, *maximam partem* Interdictorum, *grassantibus & dominantibus* vitiis *oppositorum, eademque imperiosè* vetantium; *inscriptorum in* Tabulis Æneis *aut* Lapideis, *publicè prostantibus*, & Sanctionibus *munitorum; qualem* Legem *non ferre* naturam OEconomiæ Novæ, *evidenter demonstratur.*

UT igitur tandem propius accedamus ad hoc δυσνόητον expediendum: supponimus, Paulum de *Libertate Credentium à Lege* loquentem sic ἁπλῶς *absolutè* intelligendum non esse, quod Credentes sub Gratia soluti sint ab obligatione illorum Præceptorum servandorum, quę *materiam Legum Moralium* apud Mosen constituunt. Quàm immane absurdum, Credentes sub Fœdere Novo nullâ adstrictos esse Lege ad Deum reverendum, amandum, celebrandum & proximi salutem atque commoda promovenda! Utique enim Gratia & Fides non eximunt Credentes Juribus & Legibus Humanitatis, sed humanum genus collapsum restituunt & perficiunt. atqui ponerent credentes extra communem conditionem humanitatis, si illos solverent à Lege Amoris. Quid enim est, *hominem esse*, quàm creaturam, ratione prædítam, quę Deo tam existendi quam subsistendi beneficium debet, & ab illo solo salutem & τελείωσιν suam expectare potest,

poteſt, ac proin ad Deum tanquam ad Creatorem, Conſervatorem, Rectorem & ſummum Bonum ſuum ſingulari modo in omni ſua facultate & actu relata eſt? Quemadmodum jam ſummæ Dei Perfectiones & Virtutes à Creatura, Deo ſubjecta, & propter Gloriam Dei condita, earum Perfectionum & Virtutum exigunt venerationem & celebrationem; Dominium Dei in Creaturam ab ea poſtulat obedientiam & obſequium; Majeſtas & Juſtitia Dei reverentiam, ſolicitudinem, & humilitatem: ſic tam Beneficia præterita & præſentia quam Bonitas Dei, quâ ſe Hominum conſcientiæ prodit ut μισθαποδότην τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν, Creaturam obligant ad illum Amandum, hoc eſt, ſummo voluntatis ſtudio & affectu proſequendum. Et ut una Dei perfectio omnes alias includit, & una Dei ad hominem relatio ſimul etiam omnes alias relationes comprehendit; ſimul etiam complectitur omnia officia hominis erga Deum ex illis relationibus profluentia: ſic omnia hæc hominis officia erga Deum ferè ex ſingulis Dei Virtutibus, quę σχέσιν habent ad hominem, demonſtrari poſſunt. Expromamus exemplum. Deus haud dubiè ab homine eſt reſpiciendus ut ſummum & perfectiſſimum Bonum, per cujus ſolius communionem & poſſeſſionem pertingere poteſt ad ſtatum ſummæ felicitatis. Hæc Dei perfectio ab homine exigit officium *Dei quærendi*. Quę *quæſitio Dei* cum dicat intenſum ſtudium & actuoſitatem hominis perveniendi ad Communionem Dei, ut ſummi Boni, per *media* ad id apta ordinataque; & cum inter media obtinendi ſalutaris Dei commercii Natura nullum aliud revelaverit, quam τὸ εὐαρεστῆσαι τῷ Θεῷ *facere ut actus Deo placeant*; & nulli alii hominis actus Deo, gloriam ſuam amanti, placere & probari queant quam per quos Deus glorificatur, hoc eſt, per quos homo teſtatur & declarat, ſe illas in Deo agnoſcere perfectiones & virtutes, quę verè in Deo inſunt; Perfectiones autem, quę in Deo ſunt, in ipſo variè agnoſci & prædicari poſſint pro variis relationibus, quas habent ad hominem, ut v. g. Excellentia & Majeſtas Dei agnoſcitur per actus Reverentiæ & Venerationis; Dominium Dei per Obſequium, præſtitum mandatis divinis; Bonitas Dei per Amorem, &c. hinc ſequitur, *quæſitionem* Dei ut perfectiſſimi hominis boni conſiſtere in continua actuoſitate venerationis, reverentiæ, obſequii,

Amo-

Amoris erga Deum; & proin, si Creatura intelligens per suam ad Deum σχέσιν ad Deum *quærendum* obligetur, simul quoque obligari ad illum venerandum, amandum, Legibus ejus obediendum, omnesque actus suos ad ejus gloriam instituendos dirigendosque. quæ summa est *Legis Amoris*. Præceptum enim Amoris est Lex de Deo venerando, colendo, per humile obsequium honorando, amando, & pro omnibus viribus facultatibusque glorificando. Cum autem Amor Dei includat Amorem Proximi, Operis & Creaturæ Dei, quam Deus imagine suâ decoravit, & ad Gloriam suam ordinavit, (quod nunc prolixius non exequor:) consequitur utique, omnem Hominem, si ad Deum amandum & honorandum naturâ obligetur, simul obligari ad Amandum Proximum, ejusque provehendas utilitates; & cum Christianus per Gratiam & fidem non desinat esse homo, hoc est, creatura ratiocinatrix, à Deo dependens, ad Deum glorificandum corpore & mente ordinata, facta, conservata: sequitur, per OEconomiam Gratiæ Credentes non solvi à Præcepto Amoris Dei & Proximi.

II. Sed quomodo tolleret Gratia obligationem Dei amandi & glorificandi, cum OEconomia Gratiæ illa ipsa officia ab omnibus fœderatis exigat ut necessariam conditionem absque qua nemini aditus patet ad gloriosam illam Communionem Dei & Sanctorum, quę *Regnum Cælorum* dicitur? Credite, inquit Domi-
Marc. 1.15. nus, & Resipiscite. Sed *Credere* quid est quam cum amore Dei in Christo, humilitate animi, & gratiarum actione, Evangelii Bona accipere & Præceptis Evangelii se subjicere, inter quę primum est *Præceptum Amoris*. Τὸ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ
1 Tim. 1.5. καθαρᾶς καρδίας. Cum enim per *Fidem Cor purificetur*, hoc est, Vo-
Act. xv. 9. luntas hominis integritati pristinæ restituatur; integra autem & recta voluntas dicat voluntatem Divinæ deditam devotamque Gloriæ; & in Voluntate Divinæ Gloriæ devotâ *Charitas* & *Amor Dei* consistat: sequitur utique, Fidem cum *Amore Dei* ne-
Gal. v. 6. cessariò esse conjunctam, ac proin verissimè prædicare Paulum; *Fidem esse operosam per charitatem*. Porro, *Resipiscere* quid est quàm à vitiis & peccatis abstinere; nec tantum sed & ab ipsa peccandi voluntate & proposito desistere? Quod cum includat Voluntatis omniumque Facultatum Conversionem ad Deum, cujus prin-

principium & fundamentum est *Amor Dei*: quis neget, *Resipiscentiam* inferre sinceram Dei caritatem?

III. Adde, si placet: quomodo OEconomia Gratiæ tolleret *Obligationem amandi Dei*, cum universa illa OEconomia hunc in finem instituta sit, ut *Amor Dei*, qui dudum fuerat eliminatus ex animis hominum, per Operationes Spiritus Gratiæ in iis restitueretur, ut mox latius dicemus? Quomodo *Unio Ecclesiæ* cum *Christo de morte suscitato*, *novo* ejus *marito*, excluderet observantiam *Præcepti Caritatis*, cum ipsa illa Unio hunc in finem facta sit, ut Ecclesia per eam Spiritus Christi particeps facta per eundem illum Spiritum eundem animi reciperet affectum, qui in Christo est, constantem ardentissimo Dei glorificandi studio? Quomodo Status OEconomiæ Novæ, qui status Gratiæ & Gloriæ est, excluderet *Legem Amoris*, cum *Gratia*, Creaturæ miseræ, inopi, & mortis damnati à Deo liberrimè præsti- /la ta, illius Gratiæ agnitionem & deprædicationem exigat, &, ut maxima solent beneficia, ad Benefactoris Amorem impellat; *Gloria* autem *credentium* in Regno Gratiæ cum præcipuè enascatur ex *Communione Dei*, quę supponit *sanctimoniam* hominis; sanctimonia verò hominis consistat in *Amore Dei*; utique Gloriæ status ab Amore Dei separari nequit. Quare Christus OEconomiæ Novæ Auctor palam enunciavit, *non venisse se* καταλῦσαι Matth. v. 17. τὸν νόμον *dissolutum Legem*, ad ejus infringendam vim auctoritatemque, sed πληρῶσαι *impletum*. hoc est, ad eam docendam cum efficacia, ejus praxin urgendam & inculcandam, eamque fortius adstringendam & plenius ac strictius explicandam quàm factum erat sub OEconomia Vetere, aut à Doctoribus Pharisæis. Et Paulus ad Galatas, ut passim alibi, supponit & declarat, *Li-* Cap. v. 14. *bertatem OEconomiæ Novæ* non inferre Libertatem à Regio Præcepto Charitatis. *Vos enim*, ait, *ad Libertatem vocati estis*, *Fratres*; *tantum ne libertatem vertite in datam carni occasionem*, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις *sed* EX CHARITATE *servite alii aliis*. *Nam* TOTA LEX *uno verbo completur*, *isto sc*. DILIGES PROXIMUM TUUM, UT TE IPSUM. Supponit igitur Apostolus, Galatas, *quos* per totam hanc Epistolam *à Lege liberos solutosque* disputarat, Charitatis Lege nunc non minus teneri ac olim. Plura non addo; & poteram etiam hæc ipsa non scribere, cum res

per ſe manifeſta ſit. *OEconomia* enim *Gratiæ* eſt *OEconomia Amoris Dei* & *Proximi.* Hic *Gratiæ* eſt primus & naturalis effectus.

IV. Ergo cum Doctrina Pauli de *Libertate Credentium* à *Lege* explicari nequeat de *Lege Amoris* & *Obedientiæ* ἁπλῶς *abſolutè* reſpecta: intelligenda erit Pauli oratio de *Lege* κατά τι *ſecundum quid*, quod *privum* fuit *Legi Morali* ſub OEconomia Vetere. *restrictè*, inquam, ſecundum aliquem Legis Modum, ſecundum aliquem *Legis reſpectum*, aliquam illius σχέσιν, unam aut plures, ſecundum quas Paulo in oratione ſua & diſputatione cum adverſariis obverſata eſt. Nec id obſcurum ex ipſo Paulo. Attendenti enim ad Orationem Paulinam liquebit, Paulum loqui de *Lege* ut ἀνδρὶ *Marito*, κυριεύοντι *dominante*, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν *affectus peccatorum in membris ſuſcitante*; imo de *Lege*, ut γράμματι LITERA, per alias multas Leges explicata, peccatum prohibente, ſed peccatori nullas ſufficiente vires ad illius vim ſuperandam. cujuſmodi χέσεις *Lex* habuit ſub OEconomia Vetere ad *Iſraëlitas Carnales.* Quomodo jam ſi Pauli hanc doctrinam accipiamus: omnia clara erunt & facilia. Sed ſingulæ hæ χέσεις *Legis Moralis* ad *Iſraëlitas Carnales* diſtinctius erunt enarrandæ, hoc ordine, ut monſtremus. α. Paulum de *Lege* loqui his modis & reſpectibus, quorum nunc præcipuos ſtrictim recenſui. β. *Legem Moralem* tales habuiſſe χέσεις ad *Eccleſiam* ſub OEconomia Vetere, quales jam memoravi. γ. Eccleſiam Novi Fœderis à *Lege Morali*, ſecundum has illius contemplationes & reſpectus, liberatam eſſe.

V. ΝΟ'ΜΟΣ *Lex*, quam Tullius definivit *Rectam & à numine Deorum tractam rationem, imperantem honeſta, prohibentem contraria*, paſſim inter homines notare ſolet Quodvis Verbum, Statutum, aut Ψήφισμα, à Supremâ editum Poteſtate, quo Virtutes, Officia, aut Actus aliqui imperantur; contra Vitia, Scelera, & cujuſcunque alterius generis Actus, damnantur & prohibentur. de cujuſmodi *Legibus* aliqua nobis in genere obſervanda erunt, quę tractationi noſtræ lucem affundent. α. *Leges* ut plurimum opponi ſolent *vitiis*, & quidem prædominantibus, ad quę coërcenda Summam in Civitate Auctoritatem Lege intervenire oportet. Tacitus: *Ut antehac flagitiis, ita nunc Legibus laboratur. Ea res admonet, ut de principiis juris, & quibus modis ad*

Annal. Lib. III. Cap. XXVI.

hanc

hanc multitudinem infinitam ac varietatem Legum perventum sit, altius disseram. Vetustissimi mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; & UBI NIHIL CONTRA MOREM CUPERENT, *nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat*, &c. Debent igitur *Leges* præcipuam originem 1 Tim. 1. 9.
suam vitiis hominum. Paulus: *Hoc sciens*, ὅτι ὁ νόμος δικαίῳ οὐ κεῖται LEGEM JUSTO POSITAM NON ESSE, *sed exlegibus, & immorigeris, & peccatoribus, nefariis, & profanis*, & quę seqq. Inde jam β. Potior pars Antiquissimarum Legum est de Genere *Vetantium* non *Jubentium*; earum utique, quę Jus Naturæ exhibent. Liqueat id ex Decalogo, quippe in quo *Præceptorum Juris Naturæ* unicum modò (*Sabbathi* enim *Legis* nulla nunc ratio à nobis habetur:) affirmante sententiâ declaratur. Octo alia opposita sunt vitiis, à quibus Legislator Israëlitas abstinere voluit. Antiquæ Leges Atticæ, Draconis, Solonis, aliaque Græcorum Scita Sapientum, ex quibus Romani postmodum decerpserunt prudentissima Statuta XII Tabularum, omnes ferè *negantibus enunciationibus* elatæ propositæque fuerunt, ut ex earum reliquiis apud Plutarchum & Laërtium apparet. Evidenti argumento, Vitia hominum *Legibus* ortum dedisse. γ. *Leges* illæ solebant *æri incidi* aut *saxo insculpi*, ut earum semper vigeret auctoritas, & *principale beneficium*, iis collatum (Cassiodori phrasin imitor in *Variis Epistolis*) *& præsentibus høreret seculis, & futuris.* quod *Leges* commune habuerunt cum aliis monumentis publicis. Tacitus de Messeniis pro Jure Templi Dianæ Limenetidis dispu- *Annal.* Lib. IV. C. XLIII.
tantibus: *Monumentaque ejus rei* REI SCULPTA SAXIS, *&* ÆRE PRISCO *manere.* δ. Leges illæ muniri solebant Sanctionibus *Præmiorum* & *Pœnarum*, τιμωρία τῶν ἀδικούντων καὶ τιμῇ τῶν ἐπιεικῶν, quę Aristides meritò τὰ δύο τῶν νόμων κεφάλαια dixit. Cum enim homines agendorum rationes petere soleant à commodo & noxa; summa autem Potestas Legum obedientiam seriò velle supponatur: nihil æquius & justius, quam ut Νομοθέτης Præmium obedientibus, inobedientibus pœnam statuat.

VI. Talem jam *Legem*, Vitia in mundo grassantia *prohibentem*, & proin de communi prædominante corruptione testimo-

nium edentem, *Tabulis Æneis* aut *saxeis* insculptam, & *gravissimis sancitam comminationibus*, Ecclesia non habuerat ante Mosen; & hoc tamen illud est, quod propriè Lex vocatur, & quod Paulus, de *Lege* loquens, in oculis habet. Ante Mosen Deus equidem sive toti generi humano, sive singularibus quibusdam Personis præcepta quædam Legesque dederat, his illis
Gen. IX. 2, 3, 4. XVII. 10. XXVI. 5. occasionibus; sed nullam dederat *Legem*, eo, quem diximus, sensu. Non compegerat hactenus Deus plura Præcepta in *unam summam* aut tabulam, *opposita vitiis humani generis*, sanctionibus confirmata, & (quod hic postremæ considerationis non est) *Lapidi insculpta*, ut perpetuum & indubitatum testimonium ederent de nequitia & communi depravatione humani generis. *Ante*
Lib. 1. Cap. 3. *te Mosis tempestatem*, ait Cunæus, SCRIPTA JURA *non agnovit orbis. etsi enim antea profectò haut planè sine Legibus gens hominum agitaverat, tamen neque* PUBLICIS TABULIS *ea, neque* ULLIS MONUMENTIS *erant conservata*. Imo ante Mosis tempora, ipsum Legis nomen in mundo ignorabatur, *& dicta modò sententiolæque quædam in omnium ore fuêre, quibus plebs regeretur. aut si opus erat, Principum jussa interdictaque accessêre, quæ literis non consignabantur.*
p. 1070. Flavius Josephus id observat in posteriore *Libro* contra *Apionem*: *Dico igitur nostrum Legislatorem quoslibet qui memorantur Legislatores antiquitate præcedere. Lycurgus enim, & Solon, & Zaleucus Locrensis, & omnes qui apud Græcos mirabiles sunt, novelli atque recentes, quantum ad illum comparati esse noscuntur;* QUANDO NEC IPSUM NOMEN LEGIS OLIM APUD GRÆCOS COGNITUM FUIT, *teste Homero, qui nusquam in Opere suo hoc usus est nomine*. Quod jam Paulus hic de *Lege* loquens *Legem* ut *talem* consideret, liquet ex ℣s. 6. ubi ait, nos à *Lege* esse liberatos, per *quam detenti eramus*, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος· *ut serviremus in novitate Spiritus, & non in* VETUSTATE LITERÆ. Intellige hic, sodes, per LITERAM ipsissimam illam *Legem Mosaicam*,

(a) Græca Josephi: Φημὶ τοίνυν τὸν ἡμέτερον νομοθέτην τῶν ὁπωσδηποτοῦν μνημονευομένων νομοθετῶν προάγειν ἀρχαιότητι. Λυκοῦργοι γὰρ καὶ Σόλωνες, καὶ Ζάλευκος ὁ τῶν Λοκρῶν, καὶ πάντες οἱ θαυμαζόμενοι παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ὡς ἐχθὲς δὴ καὶ πρώην, ὡς πρὸς ἐκεῖνον παραβαλλόμενοι φαίνονται γεγονότες· ὅπου μηδ᾽ αὐτὸ τοὔνομα πάλαι ἐγινώσκετο παρὰ τοῖς Ἕλλησι· καὶ μάρτυς Ὅμηρος οὐδαμοῦ τῆς ποιήσεως αὐτῷ χρησάμενος.

saicam, cujus summa & compendium in *tabulis* exaratum est *lapideis*, *Literisque* ad numerum descriptum, *Spiritu cassum.*

VII. Dic jam cum Paulo & secundum genuinos conceptus, quos ipse sibi de *Lege* formavit, inter mala & incommoda *Ecclesia* reputari, quod *talem Legem* habeat. Quod, inquam, habeat *Legem*, gravissima prohibentem vitia, diris adstrictam comminationibus, & *saxeis insculptam tabulis*. Lex equidem secundum aliquos suos respectus *fuit inter pracipua honestamenta Sacra Gentis*. Sed Paulus non minore soliditate, quam acumine & perspicaciâ, *Legem* potissimum contemplatus est, quatenus adversa fuit *Gratia*, viditque adeo quædam in *Lege oculo spirituali*, quæ absque ejus opera foret nunc non ita clarè intelligeremus. Videlicet. *α. Lex*, *vitia prohibens*, virtutem jubens, in saxeis inscripta tabulis, publicum edit testimonium de *peccato dominante*. β. Proin testatur, *caussam Gratia*, justitiæ, & vitæ, per quam Spiritus Dei ad purificationem mentis & corporis Ecclesiæ conferendus erat, adhucdum abesse. γ. Imo inest in *illa Lege*, *ut tabulis insculpta est saxeis*, manifesta illius Declaratio, quod Deo propositum non sit durante illa dispensatione temporis Spiritum suum uberiore copiâ cum Ecclesia communicare ad claram sui cognitionem, *remotionem veli*, *circumcisionem praputii*, & *veram sanctificationem*. Nisi enim Peccata dominarentur: non opus haberet Ecclesia Lege; nec dominarentur sanè peccata, si pro peccatis satisfactum foret & caussa justitiæ & vitæ præsens adesset; nec necesse habuisset Deus *Legem inscribere tabulis Lapideis*, si statutum illi fuisset *Legem inscribere* & *deformare in animis hominum*. Externis enim literis & lineamentis, quibus Præcepta Legis depicta sunt, non indigent homines, quorum animus ad normam Legis per potentissimam Spiritus Sancti Gratiam efformatus est. Ubi *Spiritus* regnat: cessat dominium *Legis*. Quatenus igitur in illa *Lege Mosaica Morali*, vitia damnante, & saxo insculpta, publicum & evidentissimum infuit *testimonium* peccati dominantis, & nondum expiati; quatenus per *illam Legem* declaratum est, Deum, Legem in Lapide signantem, nolle illam conscribere in animis hominum, hoc est, *illos sanctificare*: eatenus certè *Lex* illa gravis & molesta fuit Ecclesiæ, habuitque Ecclesia, quod de illa Lege conquereretur. Quod si enim Deus sibi verè pro-

 posuis-

posuisset *hominum sanctificare mentes*, eosque per gratiam suam à vitiis retrahere & seminibus virtutis imbuere: opus non fuisset, inquam, ut *Legem* consignasset in *tabulis*. Sed Deus Legem in saxo exarans, manifestum fecit, se *dare* nolle *oculos ad videndum*, Deut. XXIX. 4. *aures ad audiendum*, & *animum ad percipiendum*, sub OEconomia Legali, nempe *vi* illius *OEconomiæ & Fœderis*. Beneficia hujus generis, quibus electi sub hac OEconomia gavisi sunt, illis obtigerunt *ex gratia* vi *fidei promissionis*.

VIII. En jam primum aspectum *Libertatis Ecclesiæ Novi Testamenti à Lege!* Populus ille, qui Dei Regnum & Ecclesiam constituit sub Novo Fœdere, *Legem*, hoc est, Præcepta plura, singulari quâdam jussione Divinâ in formam Legis compacta, sanctionibus confirmata, & in Lapideis aliisque Tabulis per modum formamque *Legis* exarata, non habet, & hoc ipso Ecclesiæ sub OEconomia Vetere oppositus est. Non profectò acsi tanti in se sit, *Legem*, in Lapide sculptam, habere nec ne; sed quatenus τὸ ΓΡΑ'ΜΜΑ ΤΟΥ̃ ΝΟ'ΜΟΥ Litera Legis (quo sensu ea notio nunc à nobis accepta est) gravissima illa incommoda infert, quæ memoravimus; hoc est, quatenus testatur de peccato nondum expiato, ac dominium in homines exercente, & de defectu sanctificationis. Si enim verè *Litera Legis* de his testetur incommodis: utique fieri nequit, ut Ecclesia Novi Fœderis *Legi* eo modo subsit. Cum enim Peccatum per Sacrificium Christi sit expiatum; & peccato expiato, salvâ Dei justitiâ, dominium concedi nequeat in Ecclesiam: sequitur utique, liberandam fuisse Ecclesiam ab illo Γράμματι τῦ νόμου, ut horum incommodorum argumento. Quin cum, Peccato expiato, *Spiritus Dei* Ecclesiæ *Dari debuerit*, & juxta promissionem *Datus sit* ad internam animi renovationem: non potuit nec debuit Ecclesia Novi Testamenti habere Literam Legis, quæ testimonium ederet magno illi operi Gratiæ adversissimum. Et huc jam facit præcellens illa promissio de conditione OEcono-Cap. XXXI. 31. miæ Novæ apud Jeremiam: *Ecce dies veniunt*, inquit Dominus, *quibus cum Domo Israëlis & Domo Jehudæ* Novum Foedus *pangam:* Non Secundum Foedus, *quod pepigi cum Patribus eorum, quo die apprehendi manum illorum ad illos ex Ægypto educendos, quod Fœdus ipsi irritum fecerunt, & ego dominatus sum illis, in-*

quit

quit Dominus: Nam hoc est Fœdus illud, quod pangam cum Domo Israël post dies illos, ait Dominus; נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה PONAM LEGEM MEAM IN MEDIO ILLORUM, ET SUPER CORDE ILLORUM SCRIBAM EAM, &c. Duo hic sibi opponuntur Fœdera, Vetus & Novum, *hujusque* describuntur prærogativæ opposité ad *illius* incommoda & defectus. Per *Vetus Fœdus* hic intelligendum esse constat Pactum à Deo cum Israëlitis initum in Desertis Arabiæ; per *Novum* ipsum illud *Fœdus* OEconomiæ Novæ, quod, Veteri succedens, Bona Gratiæ, Patribus promissa, præsentia exhibet, eaque sub conditione *fidei ac resipiscentiæ* omnibus mortalibus offert. Inter cujus jam Novi Fœderis Beneficia hoc primo commendatur loco, quod Deus *Legem suam* Fœderatorum *animis inscripturus esset*; hoc est, quod illam in Fœderatis produceret affectionem animi, ut Deum *sincerè amarent*. Lex Dei tum demum animo dicitur insculpta, quando animus hominis eam habet tenetque Legem, quę in Tabulis à Deo consignata fuit. Quod fit, ubi homo mentem sensumque Legis probè percipit, eamque sibi ut normam omnium suorum actuum in omni judicio & opere jugiter proponit. Cum verò summa illius Legis sit *Amor Dei*: consequitur, illius demum mortalis animo inscriptam dici posse *Legem Dei*, qui propositum sibi habet *Amorem Dei* in omni suo actu exprimere. Vel brevius; In illius animo scripta dicitur esse *Lex Dei*, in cujus animo id continetur quod in *Lege*; Lex autem cum suadeat *Amorem Dei*; sequitur, in illius demum animo consignatam dici posse *Legem Dei*, qui *Deum Amat*. Quod Beneficium OEconomiæ Novæ cum opponatur illi defectui OEconomiæ Veteris, quo *Lex Scripta fuit in Tabulis Lapideis*: sequitur, *Inscriptionem Legis in Tabulis Lapideis* excludere *Inscriptionem Legis in Corde*; vicissim *Inscriptionem Legis in Animo* excludere *Inscriptionem Legis in Tabulis Lapideis*. Utique enim profitetur Deus, se *aliud* pacturum esse Fœdus cum populo suo, quo *Legem inscriberet eorum Animis*. Non scripserat igitur Deus Legem in Animis hominum, *vi Fœderis Sinaitici*. Imo quod Legem in Lapideis consignaverit Tabulis: eo testatum fecit, se durante illâ OEconomiâ, & *vi illius Fœderis*, (ad quod attendi velim, ne quis hæc perversè interpretetur) Legem suam animis hominum insculpturum non esse,

hoc

hoc est, Gratiam Spiritus Sancti ad veram animi restitutionem & sanctificationem non collaturum. Etenim ubi Lex animis ipsis inscribitur, necesse non habet Tabulis inscribi.

IX. Eleganter hæc à Paulo illustrantur in *Capite Tertio* Posterioris ad *Corinthios*, quo, Ministerii Novi Fœderis commendans excellentiam, credentibus vindicat *Libertatem à Litera Legis*, per succedentem *Literæ* Spiritum Christi ad illuminationem

vers. 3. & Sanctificationem mentis. *Vos*, ait, *estis Epistola Christi, subministrata à nobis*, ἐγγεγραμμένη ὐ μέλανι, ἀλλὰ Πνεύματι Θεοῦ ζῶντος *inscripta non atramento, sed Spiritu Dei Vivi*, ὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις NON IN TABULIS LAPIDEIS, SED IN CARNEIS TABULIS CORDIS. Corinthiorum animos Paulus ut tabulas considerat, per suum ministerium præparatas aptatasque, quibus Christus per potentem Spiritus Sancti operationem voluntatem suam Legemque Novi Fœderis insculpserat. Quæ *Inscriptio* sic facta dicitur in *Carneis Tabulis Cordis*, ut *Inscriptionem in Lapideis* excludat. Manifesta allusione ad τὸ μεμφόμενον τῆς παλαιᾶς διαθήκης, quo *Lex tabulis insculpta Lapideis* ejusdem *Legis Sculpturam in hominum mentibus* exclusit.

X. Quæ postquam sic demonstrata sunt Scopo Pauli & tam ipsius quam Prophetarum stylo convenire: non expecto, qui mihi objiciat, Credentes sub Novo Testamento non esse *absque Lege*, quandoquidem Prophetæ non rarò de *Lege* aliqua *Novi Fœderis*, Auctore Christo Rege promulganda, mentionem

Jes. II. 1. faciunt; & ipsi præterea tam Christi quam Apostolorum Præ-

XLII. 4. cepta, quę *Legem Novi Fœderis* faciunt, in Evangeliis & Epistolis Apostolorum perscripta habent. Nec enim sanè tam inepti & absurdi sumus, ut, notione *Legis* latius sumptâ, Credentibus Novi Fœderis *Legem* negemus, eamque etiam scripto consignatam. Conditio Fidei, Resipiscentiæ, Charitatis, quam Deus à Fœderatis suis sub nova OEconomia stipulatur, antequam iis jus det suæ Communionis, *Lex* est, quâ sanctior nulla & perfectior excogitari potest, si per *Legem* simpliciter intelligas quodvis *Jussum*, *Mandatum*, *Consilium*, *Monitum*, quo Deus ab homine officium aliquod præstandum exigit. Sed si *Lex* tibi sit *integra complurium* Legum *congeries & compages*, *grassantibus opposita vitiis*, *eaque prohibens & sub gravibus comminationi-*

bus

bus damnans, *publicè promulgata cum demonstratione Majestatis & Imperii Legislatoris*, *certo verborum literarumque numero nec addendo nec minuendo consignata in Publicis Sacrarum Tabularum monumentis*, *magnâque providentiâ eum in modum conservanda*, quę sic certissimum præbet dominantis vitiositatis argumentum & debiti nondum expuncti chirographum; hoc, inquam, si per *Legem* intelligas, quod Paulus illa sub notione intellexit, nego, nos in exhortationibus, admonitionibus, consiliis, Præceptis Christi & Apostolorum, habere *Legem*. Nec potuit *talem Legem* dare Christus, nec dedit per universam Ministerii sui ætatem. Explicuit Legem ut Doctor pressius multò & sanctius quam Pharisæi; non ut peccatum nondum expunctum exprobraret, sed ut auditores suos erudiret, ad quem sanctitatis gradum Spiritus Sanctus in discipulis ipsius operaretur. Præcepta, monita, consilia, exhortationes ejus ut mixta fuerunt μακαρισμοῖς; sic blandis passim & amœnis verbis proposita sunt. *Annunciavit annum gratiæ*. Consolatus est lugentes. Arundinem quassatam non confregit, & Linum fumigans non extinxit. Et nihil præcepit, quod non paratus fuit actutum efficere per Spiritum suum in animis hominum. Apostoli eodem instituerunt modo. Verbum enim Evangelii est verbum Gratiæ. Et licet Apostoli dicta factaque Christi in Evangeliis nobis Scripto non exposuerint absque maximo Ecclesiæ fructu & sine singulari Spiritus Sancti ductu; *Christus* tamen *Dominus nullibi in Evangeliis certa quadam Præcepta in Legis formam compingi & Scripto publicari jussit*. Exararet ille characteres suæ imaginis voluntatisque per potentem Spiritus operationem in ipsis hominum animis, doceretque homines internè, quid externè ab iis factum vellet, & propterea Regnum ejus *externâ Legis literâ* non indigeret. Et certè ut Patriarchæ, licet omnes Legi Fidei in Promissionem subfuerint; ut Abraham, licet Deus præter alia illi dixerit; *Ambula coram facie mea & esto integer*; à Paulo propter rationes jam sæpius repetitas dicuntur fuisse *absque Lege*; *sic Credentes Novi Fœderis*, etsi habeant *mandatum Fidei & Resipiscentiæ*, utcunque scripto comprehensum & varie illustratum ac deductum: tamen summo jure stylo Spiritus S. dicuntur esse *absque Lege*; hoc est, *liberi* sunt à LITERA LEGIS, sive à LEGE, sic propriè dicta.

Caput XIX.

Additur, Paulum loqui de Lege imperante, dominante, *in* cujus datæ modo *fuit argumentum Divinæ* severitatis & *demonstratio* Peccati *nondum* expiati, *vim suam publicè ostentantis; tum præterea agere de* Lege, *quà est* Instrumentum Foederis Sinaitici, *multis aliis Legibus involuta, non tantum* non conjuncta cum Spiritu, *sed &* irritante ad concupiscentiam; *quæ, ut imperiosus* Maritus *Ecclesiæ, opponitur* Christo Jesu, *ex mortuis resuscitato, per* Spiritum *suum blandè influenti in animos* credentium, *eosque efficaciter* obliganti, *absque* externa Litera Scripta, *ad serviendum justitiæ, & tales in iis producenti affectus, quales Lex olim* imperabat, *frustraneo nisu; non efficiebat aut præstabat.*

Primæ huic speciei *Libertatis* Credentium à *Lege Morali*, subjungamus nunc 2. alteram, quod Paulus *Legem* hic consideret, ut κυριεύουσαν IMPERANTEM, DOMINANTEM, & Ecclesiam sub OEconomia Vetere κατέχουσαν *molestè constringentem* ac *detinentem*. Sic ait in ℣s. 1. Lex κυριεύει DOMINATUR *homini, quandiu vivit. Dominium & Detentionem* cujusque *Legis* ad hæc quatuor referri posse censeo, *α*. Ut *Lex* quædam exigat officia, quæ internis animi nostri propensionibus & inclinationibus adversantur, & quorum proin jussio & præstatio nobis molesta est. *β*. Ut Lex illa exigat *cum imperio*, variisque argumentis Majestatis & Auctoritatis τοῦ Νομοθέτου. *γ*. Ut *Lex* officia præstanda imperet sub gravissimis comminationibus. *δ*. Ut Pœnæ Legis transgressoribus decretæ secundum severam Rectoris Judicisque sententiam & rigorem judicii executioni mandentur. Hæc sane sunt, quæ faciunt, ut Lex *Lex* sit, & sic κατ' ἐξοχὴν nominari mereatur. Quando enim hominibus talia *Lege* jubentur,

tur, ad quæ præstanda ipsi ex ingenio & indole sua propensi sunt; id *Legis* nomen apud ipsos amittit. Ut & illud, quando officia quædam, blandè & amicè absque *imperio* invitati, superioribus præstant; aut Comminationes, Legi adjectæ, effectum non sortiuntur. Sed quando molestâ lege jubentur officia; vel quædam ab iis *imperiosè & sub comminatione* exiguntur, à quibus blandè & amicè flagitatis minimè abhorrerent; & inobedientes secundum rigorem judicii severè castigantur: tum quidem id VERBUM MANDANS, IMPERANS, sub comminatione gravi, ipsis in *Legem* vertitur, & dicitur κυριεύειν DOMINARI & κατέχειν *detinere* & *constringere* ad *obedientiam molestam*. Et hæc quatuor observare est in *Lege Mosaica*; & quidem in ipsissimo illo *Præcepto Amoris*, de quo controvertitur; α. Etiamsi *Lex Amoris* sit purissimum, perfectissimum, & Deo dignissimum Præceptum, idemque ἐλαφρὸν *facile*, hoc est, *jucundum observatu* integri purique animi hominibus: quis dubitet tamen, quin inter omnia Divina Præcepta nullum sit homini carnali & concupiscenti molestius, nullum intolerabilius? Cum enim *Concupiscere*, stylo Scripturæ, sit aliud Bonum præter Deum, ut *summum* & *maximum*, quærere, desiderare, venerari, & in illius potiundi gratiam universam vitæ suæ rationem instituere; omnium autem mortalium voluntas ita deflexerit à prima & naturali rectitudine, ut aliud sibi Amoris Venerationisque suæ summum objectum ponat ac Deum (quotquot enim ex *carne procreantur, caro sunt:*) quid jam magis contrarietur congenitis propensionibus cujusque hominis irregeniti, quam ut per Legem obligentur ad Amorem Dei? Deus amari non potest nisi cum abnegatione voluptatum & blanditiarum mundanarum; Deus amari non potest, nisi cum renunciatione propensionum & affectuum, qui homini in naturam abierunt. quo cum nihil carni magis molestum sit: quis non videt, Præceptum Amoris Israëlitis grave fuisse & molestum? β. Quod *Lex Mosaica*, imprimis *Moralis*, cum plurimis argumentis Divinæ Majestatis Auctoritatisque, ad reverentiam summo ejus Numini conciliandam idoneis, à Deo data sit, ex historia τῆς Νομοθεσίας liquet. Si ullibi, Deus ad Sinai montem certè vestigia Dominii & αὐτοκρατορίας suæ reliquit. De cœlis descendit inter fulgura, fulmina, toni-

Matth. xi. 30.
1 Joh. v. 3.

trua, terræ motus, & in comitiis totius populi Judæi voluntatem suam tanta cum majestate Deus & crassa adeo ac sonora voce enunciavit, ut non universus tantum populus *tremuerit*, sed
Heb. XII. 21. & Moses dixerit; Ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος. Non monuit ibi, hortatus est, suasit, consuluit ut *Amicus*, sed præcepit mandavitque cum imperio ut *Rex* & *Dominus*. γ. Eandem hanc Legem sancitam esse constat diris & horrendis interminationum & *execrationum* carminibus, à quoque Israëlita per solennem ὁμολογίαν obsignandis, quarum summa est; *Maledictus, qui*
Deut. XXVII. 26. *verba Legis hujus rata non fecerit, eaque præstiterit.* Nec desunt specimina in ipso Decalogo. δ. Pœnas, τῇ παραβάσει τῦ νόμυ statutas, idem Deus secundum judicii sui rigorem transgressoribus inflixit, in eosque severè, pro suo in peccatorem jure, animad-
Vide Exod. XXXII. 35. Num. XIV. 23. XVI. 32, 33, 34. vertit, ut ex pluribus Historiæ Sacræ exemplis liquet. Et in his quidem consistit τὸ κυριεύειν τῦ νόμυ *Dominium Legis Mosaicæ*, de quo hic Apostolus. Nec dubium mihi, quin hâc voce respexerit loca *Jer.* XXXI. 32. *Hos.* II. 15. in quibus Deus, quatenus Israëlitas *Legi* subjecit, & cum imperio ab iis obedientiam exegit, eosque propter inobedientiam severè castigavit, vocatur בעל DOMINUS; sive, *Maritus*, *uxorem* HABENS CUM IMPERIO.

II. Cæterum quod hic præcipuè animadvertendum est: Paulus rem ita putavit, in LEGE Divina IMPERANTE, DOMINANTE, terribili modo data & *promulgata*, minis sancita & *execrationibus*, evidentissimum signum esse JURIS quod Deus habet, & exercere potest non in *genus humanum* tantum, sed & *Ecclesiam*, peccato nondum expiato, debito nondum expuncto per *Mediatorem*. Ubi talis LEX est: ibi *superest* PECCATUM, nondum *expiatum*. ibi *regnat* PECCATUM. *Dominium* enim *Legis*, est *dominium peccati*. Philosophia nova & inaudita his qui *Sapientiæ Divinæ* mysteria profundius non sunt meditati; & tamen verissima,
Cap. VI. 14. certissima. Audi Paulum: PECCATUM *enim vobis non* DOMINABITUR; *non enim estis sub* LEGE, *sed sub* GRATIA. Vides, *Dominium Legis* esse *dominium Peccati*? Quomodo? α. Quod *Lex*, ABSQUE SPIRITU, corruptionem hominis excitet, irritet, inflammet, atque adeo peccata *multiplicet*. *Lex introiit, ut* ABUN-
Cap. V. 20. DARET PECCATUM. β. Quod *Lex* eo modo, iisque in circumstan-

ſtantiis, impoſita Eccleſiæ, ut factum ad Montes *Sinai* & *Ebal*, ubi *Legiſlatio* ſuum accepit ἀποτέλεσμα; apertè, clarè, invictè teſtetur, *Peccatum* adhuc *ſupereſſe*, non expiatum, ſed expiandum per Mediatorem; cujus cauſsâ Deo *jus* eſt *ipſam Eccleſiam* gravandi difficili jugo, & publicè demonſtrandi, nondum advenisse tempus *Gratiæ*; nec convenire ſuæ rationibus ſapientiæ, perfectionis, ſanctimoniæ, juſtitiæ, ut ſuæ miſericordiæ divitias in Eccleſiam *hoc tempore* effundat; contra æquum eſſe, ut, ante expunctum debitum, Juris, Majeſtatis, ſeveritatiſque ſuę edat ſpecimen, ut caro convincatur de ſua ἀσθενείᾳ, & poſt *Mediatoris* ἐπιφάνειαν intelligant omnes, quantum ipſi debeant. Sic eſt in *Lege* argumentum *Dominii peccati*, ſive, ut Apoſtolus idem, in LEGE eſt IMPUTATIO PECCATI. Et; *Lex* IRAM κατεργάζεται PERFECTE OPERATUR; teſtimonium eſt *Divinæ ſeveritatis* tam in vulganda quàm vindicanda hominis corruptione, & manifeſtando ſuo in ipſam Eccleſiam jure ante peccatum expiatum. Rom. v. 13.

III. Eſt autem Eccleſia Novi Fœderis *Libera* à *Lege* κυριευούσῃ & κατεχούσῃ, ſecundum omnes hoſce reſpectus. α. *Lex* Credentibus ſub gratia non eſt *Lex*; hoc eſt, Præceptum Amoris, quod ipſum ſummum eſt inter juſſa Chriſti Regis, non eſt iis præceptum *grave* & *moleſtum*, ſed ἐλαφρὸν *facile*, jucundum; & χρηστὸν *amœnum*. Αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐκ εἰσίν. Nempe cum per mortem Chriſti, Sponſoris æterni Teſtamenti, effectum ſit, ut Spiritus Dei *Legem inſcribat in Animis Fœderatorum ſub Gratia*, quemadmodum in ſuperioribus obſervavimus; hoc eſt, talem in iis producat animi affectum, ut, poſthabitis omnibus mundi concupiſcentiis & blandimentis carnis, *Deum* in Chriſto *ament*: non poteſt iis non gratum acceptumque eſſe Præceptum, quo iis *Amor* & Reverentia *Dei* imperatur. Vident enim in Præcepto ἐκτύπωμα illius, quod in mente ſua per potentiſſimam Spiritus operationem jam deſcriptum erat. Nihil igitur in Præcepto externo legunt, quam quod in animo ſentiunt. Sponte nunc volunt, quod Deus mandat: nec *Legis* adeo nomen meretur Præceptum, quod ab ipſis ſumma cum lubentia & ex intima animi propenſione & affectu præſtatur. Referamus huc τὴν περιτομὴν ἐπαγγελίαν τῆς καινῆς διαθήκης, quæ occurrit Deut. xxx. 6. *Et* CIRCUMCIDET *Jehova Deus tuus cor tuum*, *&* *cor ſeminis tui*,

לאהבה את יהוה אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך *ad* AMANDUM JEHOVAM DEUM TUUM TOTO CORDE TUO, ET TOTA ANIMA TUA. Promissio pertinet ad tempus venturum post illa *Sex* notabilia *Signa*, quæ in antecedaneis notata & ordine recensita erant. Ad illud usque tempus cum *Litera Legis* obtineret *Circumcisio Carnis*. Sed tum temporis, Literâ Legis abolitâ, præstaretur Ecclesiæ Beneficium *Circumcisionis Spiritualis*, quam Apostolus
Col. II. 11. vocat τὴν περιτομὴν τοῦ Χριστοῦ. cujus effectum esset integerrimus *Amor Dei*, Credentibus infusus per Spiritum Sanctum. Per quam itaque fieret, ut quod frustra hactenus per *imperium externa Litera Legis* ab hominibus exactum erat, nunc ab iis spontè & αὐθαιρέτως præstaretur, haud secus ac liberi rectæ indolis suopte ingenio & sponte ad Parentes suos amandos respiciendosque feruntur. Qui etsi ad hoc ipsum per Legem obstricti sint: non tamen hoc tam vi externi illius Imperii Legis, quam internæ propensionis suæ voluntatis agunt, ac proin *Legem* hâc parte pro *Lege* non habent. β. Ob eandem rationem neque opus esset, neque conveniret Deo, ut hoc Præceptum Credentibus sub Gratia tanta cum Majestatis & Auctoritatis demonstratione intonaretur, quantâ olim Israëlis Posteritati ad Sinai Montem. non magis equidem, ut arbitror, ac Parentem deceret, boni ingenii Filio & ad reverentiam ac obsequium ipsi exhibendum proclivi, gravi & severâ voce intonare; *Ama me*; *Præsta mihi obsequium*, vel quid hujusmodi. Ut enim Jussum aliquod, eo modo denunciatum, supponit in subdito indolis perversitatem, quę per Auctoritatem Legislatoris coërcenda & ad obsequium cogenda sit; sic magis comparatum esset ad indolem generosæ sobolis supprimendam & alienandam, quam semina virtutis inde elicienda. Ergo cum Deus Credentes in OEconomia Nova consideret ut *Filios suos*, per Spiritus Sancti virtutem ad imaginem suam reformatos, & ad se Amandum Venerandumquè paratos: esset sanè ac si adversus se ipsum testaretur, si sui obedientiam & amorem ab Ecclesia per severa & imperiosa jussa postularet. Exemplum desumamus ex statu integritatis Primorum nostrorum Parentum. Nullum in Paradiso Præceptum Amoris cum toni eloquio imperatum. Intempestivum id enim & supervacaneum fuisset, siquidem Deus hominem ad

ima-

imaginem suam formans cum *sui* condiderat *Amore*. Et eadem sanè ratio status Gratiæ. Verba Domini fuerunt *verba Gratiæ*. *Gratia effusa erat in labia ejus*. Quando igitur ille ut magnus ille *Nationum* Doctor & *Præceptor* homines officii sui commonefecit; id blando egit vultu, verbis amœnis, gratiosâ elocutione. *Magnus* enim *Propheta*, Israëlitis promissus, ita debebat loqui, ut Israël non *perterrefieret*. Summa Sapientia magis invitavit, hortata est, suasit, consuluit, quam jussit, mandavit, imperavit. Deut. XVIII. 16, 17, 18.
Et etiamsi Domini nostri summum esset imperium & eminentissima auctoritas: non *litigavit tamen*, h. e. non egit imperiosè & contentiosè; *neque clamitavit*, *neque in plateis quisquam vocem ejus audivit*. Nec aliter instituerunt Apostoli qui *Legem Novi Fœderis* conscripserunt absque *tonante imperio*, ut eorum scripta legentibus liquet. Matth. XII. 19.

IV. γ. Eadem jam ratio est *maledictionis* & *comminationum*, Legi adjectarum, à quibus Credentes sub OEconomia Gratiæ pariter liberos esse necesse est, si verè *Liberi* sint à *Lege* κυριευούσῃ. Nempe quod Israëlitæ ad obedientiam Legis adacti sint per gravissimarum pœnarum comminatioues; id ipsum supponebat ipsorum perversitatem vitiositatemque, & peccatum tam *dominans* quàm *nondum expiatum*. Peccato enim expiato datur Spiritus. Qui ubi operatur in Credentium animis: opus non est, ut per dira carmina, per execrationes, per comminationes repetitas, ad obedientiam Legis constringantur. Imo verò Comminationes & Interminationes identidem ingeminatæ ut manifestum faciunt judicium Legislatoris de perversa subditorum suorum indole; sic signum exhibent ejus *severitatis* & ὀργῆς. *Severi* Domini est à subditis obsequium postulare per tot gravium suppliciorum interminationes. Sed caussâ illius *severitatis* & *iræ* sublatâ per mortem Christi; fas est ut omnia illius severitatis indicia & argumenta aboleantur, ac proin Credentes sub Gratia à κατάρᾳ *immunes fiant*. Quibus Sanctionibus Pœnalibus sublatis, Gal. III. 10.
per se patet, δ. Ecclesiam sub Gratia simul liberatam esse ab illa *Dominii Legis* specie, quâ Pœnæ, Comminationibus expressæ, secundum rigorem Judicii in transgressores infliguntur. *Lex* olim *operata est iram*, secundum Apostolum. Imo Lex κατεργάζεται ὀργήν; Rom. IV. 15.
quasi tu dicas, *Peroperata est iram*; iram effecit, perfecit, occasio-

casionem Deo dedit iram suam quam rigidissimo modo demonstrandi exercendique, nec Deus illam occasionem neglexit. Multi Legem transgressi severissimè puniti sunt; unde *Ministe-*
2 Cor. III. 9. *rium Legis* redditum est διακονία θανάτου καὶ κατακρίσεως. Contra ea
1 Tim. I. 9. de gratia verum est, quod Apostolus prædicat: Τῷ δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται *Justo Lex posita non est*. Qui Legem observant (observant autem omnes, quoquot Christi Spiritum habent:) nihil sibi à Lege mali metuunt. Maledictiones & Execrationes Legales, τοῖς παραβάταις νόμου statutæ, nullam in ipsos vim, nullum exercent imperium. Summa est, OEconomiam Novam quæ *Spiritus* & *Gratiæ* est, non ferre LEGEM IMPERIOSAM, in cujus *datione* argumentum est *severitatis*, & *majestatis Dei*, quam ipsi non convenit exercere sub *OEconomia Gratiæ*, expiato peccato; & quæ proinde testatur de *Jure*, quod Deo competit in peccatorem, debito nondum expuncto.

V. Quæ etsi non difficilia videantur intellectu: non dissimulabo tamen, duo contra illa inferri posse. α. Inter Israëlitas, quibus Lex ad Sinai data est, fuisse haud dubiè quosdam jam imbutos primitiis Spiritus Regenerationis & Sanctificationis, & quibus proin *Lex Amoris* molesta & gravis non fuit. quod nos in universum de Israëlitis videmur supponere. β. Evangelium suas quoque habere *Execrationes* & ἀναθέματα; ut v.g. Ὁ δὲ
Marc. XVI. 16. ἀπιστήσας κατακριθήσεται. Alibi: Ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ'
Joh. III. 36. ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. Item: Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν,
1 Cor. XVI. 22. ἤτω ἀνάθεμα.

VI. Quod *ad Prius*; α. Non nego, inter Israëlitas, qui Legis Præceptum ad Sinai acceperunt, quosdam à Deo ad æternam vitam amatos esse, quosdam vicissim per Spiritum principiis reverentiæ Dei imbutos Deum amasse; etsi ex universa Mosis Historia liqueat illos numero fuisse in tanta multitudine pau-
1 Cor. X. 5. cissimos. Apostolus: οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός. Crimina μοσχοποιήσεως & frequentium Rebellionum in Deserto satis evincunt, Israëlis illam Posteritatem fuisse indole & moribus corruptissimam. Ne dicam, Operationes Spiritus, illius temporis œconomiæ accommodatas, ut raræ fuerunt; sic pariter fuisse parcas, & ad illum non assurrexisse gradum, ad quem Spiritus operatur sub N. T. β. Licet jam Lex, ratione *materiæ*

suæ

sua, paucis illis inter Iſraëlitas gravis & moleſta non fuerit: grave tamen & moleſtum iis fuit. (a) Quod Lex illa *tanto cum imperio illis intonaretur.* (b) Quod ad illam obſervandam per tot comminationes & ſub diriſſimis execrationibus adigerentur. (c) Quod Lex illa tot aliis Præceptis Legibuſque, alterius planè generis, involveretur. de quo mox. (d) Quod *Lex* tam rigidè ab iis exigens obſervantiam Præcepti Amoris nullam tamen præſtaret *Gratiam* majorem, quę ad illam obſervandam requirebatur. Nam ut facilè videbant, hanc agendi rationem Divinam prodere ſeveritatem, ac proin teſtari de peccati extantia; ſic grave iis fuit, quod ſtatus & conditio eorum in imperioſa illa Νομοθεσίᾳ æquaretur cum ſtatu & conditione Judæorum Carnalium, quippe cum quibus unum conſtituebant corpus, & à quibus in communi Regimine Eccleſiæ illius temporis nullâ peculiari notâ diſcriminabantur. Lex, tanto cum imperio & ſub tot execrationibus lata, omnes videbatur condemnare, & de omnium corruptione commune edebat teſtimonium. Moleſtum igitur fuit bonis eandem cum malis & propter malos experiri ſortem, atque adeo *Lex* iis verè quoque *Dominata eſt.*

VII. Quod ad *Poſterius*; Non nego, Evangelium ſuas quoque habere *Denunciationes Pænales*, ut quod ex allatis ſpeciminibus liquet; ſed nego, Credentes ſub Gratia idcirco dici poſſe ὑπὸ κατάραν εἶναι *eſſe ſub maledictione.* α. Quia nullum *Verbum Maledictionis*, *quod ſignum & argumentum eſſe queat peccati nondum expiati*, Propoſitionem Fœderis Gratiæ ingreditur. Ut *Forma* promulgandæ Legis, ad Sinai obſervata, teſtimonium edit de Peccato, nondum ſublato; ſic quoque *Modus*, quo Deus ab Iſraëlitis obſequium illius Legis poſtulavit per dira & horrenda Carmina Execrationum plurimarum repetitarum, & ab ipſo Peccatore per ὁμολογίαν obſignandarum, ad Montem *Ebal* in terra Canaan (ubi ἡ Νομοθεσία *complementum* ſuum accepit:) *Deut.* XXVII. 15---26. XXVIII. 15---68. teſtatus eſt de *debito*, *nondum expuncto*, nec proin obſervari poterat in *Propoſitione Fœderis Gratiæ.* Execrationes enim, tot Legibus annexæ, & per adſtipulationem peccatoris confirmandæ, non poſſunt non *turbare conſcientiam* omnium eorum, qui eo modo in Fœdus cum Deo concedunt, etſi ceteroquin id agant ſincerè & abſque hypocriſi.

Quare etsi in Propositione Fœderis Gratiæ exitium denuncietur omni mortali, qui conditiones gratiæ, sibi oblatæ, protervè & malevolè rejicit; non tamen id *eo* fit *modo*, ut Peccator in eo vel minimum habeat argumentum divinæ iræ in præsenti. Contra, universa Propositio Fœderis Gratiæ testatur de superabundante Dei Gratia, de immenso & infinito Dei Amore, cujus divitias inexplicabiles Deus nunc largâ manu Credenti distribuere paratus est. testatur, inquam, de *Peccato expiato*, de expuncto debito, & ira Dei per sanguinem Crucis Christi sedata.
Matth. x. 13. *Pax* offertur *Peccatori*; cujus magnitudo boni si non sufficiat Peccatori permovendo: rationes petuntur à noxa, quæ tanti boni neglectum consequutura est. sed tantum abest, ut in eo argumentum sit iræ Dei, ut contra Peccator in eo documentum habeat Amoris Divini, Commodum Peccatoris omni modo promoventis. Ergo. β. Qui propositionem *Fœderis Gratiæ* admittunt sub N. T. *quatenus illius Fœderis participes sunt*, nullo modo sunt sub κατάρᾳ, QUOMODO sub κατάρᾳ fuerunt ipsi illi Israëlitæ, qui *semen electum* sub V. T. efficiebant. Cum enim *Denunciationes Pœnales Fœderis* Novæ OEconomiæ tantum spectent inobedientes & incredulos, & illæ Denunciationes in Fœderis Propositione ita ad Fœderatos Novæ OEconomiæ non referantur, ut vel in iis habeant testimonium *iræ Dei*, & *debiti* nondum à Mediatore persoluti, vel ut conscientiam illorum turbare possint: nullo nunc modo sunt sub κατάρᾳ. quod tamen de *Electis* olim quadam ratione prædicari poterat. Nullum in iis est κατάκριμα, *qui & quatenus* Fœderati sunt. Audiamus Aposto-
Gal. v. 22, 23. lum: *At fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patiens animus, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia*; κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος ADVERSUS TALES NON EST LEX.

VIII. Quid quæris? Superest alia χρῆσις *Legis* ad Ecclesiam sub Vetere OEconomia, à qua Credentes sub Gratia per Christum vindicati sunt. *Liberi*, inquam, *sunt à* LEGE, AD PECCATUM IRRITANTE: quę ipsa ad peccatum irritatio à Paulo quidem ad *Dominium Legis* refertur, sed à nobis, majoris distinctionis caussâ, seorsim consideranda fuit.

IX. De effecto *Legis* sub Antiqua OEconomia, quo peccatum suscitabat & hominem ad peccandum irritabat, multa Paulus

lus & egregiè differit per *totum* hoc *Caput*. Sic signatè ꝟſ. 5. *Cum enim essemus in Carne*, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν· AFFECTUS PECCATORUM, QUI PER LEGEM *existunt*, OPERABANTUR IN MEMBRIS NOSTRIS *ad fructum ferendum morti*. Rursus ꝟſ. 8. *Sed peccatum*, OCCASIONE PER ILLUD PRÆCEPTUM SUMPTA, *effecit* IN ME *omnem concupiscentiam*. Quod Apostolus ait; *in me:* referendum est ad totam nationem Judaicam, cujus ipse partem faciebat, cujusque Personam *hoc Capite* induerat, ad declinandam invidiam elegantis hujusce dissertationis de *Effectu Legis*. Adde ꝟſ. 11. Sententia Pauli est, ante Νομοθεσίαν corruptum equidem & vitiis immersum extitisse genus mortalium, sed illam Corruptionem neque tam conspicuam fuisse, neque in tot vitia & scelera erupisse, quàm quidem post Legem per Mosen datam; quin imo tum demum evidenti declaratum esse argumento, vitiositatem humani generis esse maximam, & externas Leges, vitiis oppositas, *absque conjuncta Gratia Spiritus Sancti*, tam esse ineptas ad perversitatem ingenii humani corrigendam hominesque meliores efficiendos, ut contra concupiscentia, per ipsas illas Leges quasi suscitata, se nunc longè majore vi in omne peccati genus exerat, quam fecisset absque Lege. Cum verò hoc effectum, quod Lex in carnalibus Israëlitis producebat, (*per accidens* equidem, non *per se:*) verè quid molestum & incommodum fuerit, & longa post se traxerit mala; hinc Paulus *Legem*, vitiositatem irritantem & suscitantem, considerat ut homini *dominantem*, ad ejus malum & noxam, & ut detinentem hominem sub peccati servitute, ac proinde ut quid μεμφόμενον, à quo Ecclesiam Novi Fœderis liberari conveniebat, & jam liberatam pronunciat.

X. Et illa sanè consideratio Paulina tam in *Ratione*, quam in *Experientia* fundata est. In *Ratione* quidem, quia, cum perversitas humanæ indolis in eo consistat, ut homini, à Deo averso & alienato, omnis recta de Deo perceptio & cogitatio molesta sit: non potest id non summam peccatori molestiam creare, quod *Officium suum* erga Deum & Proximum nunc clarissimis verbis *externa Legis* expositum videat, cujus Legis exemplari in conscientia sua obscurando & corrumpendo (quatenus id in ipsius potestate fuit) per universam vitam suam occupatus fuerat; & cum

perversitas indolis sit tanta, ut homo *absque* auxilio *Gratiæ* vitiositatem suam exuere & Legi obsequium præstare nequeat: quid reliquum est, quam ut concupiscentia, per Legem suscitata, se Deo Legique opponat, & in majora vitia erumpat? Lex subministrat occasionem cogitandi de peccato; per illam cogitationem de peccato concupiscentia suscitatur; nec tamen Lex remedium adversus peccatum confert; & ita fit, ut Concupiscentia excitata & irritata, nullis idoneis coërcita repagulis, se in quævis vitia effundat: & si per Sanctiones Pœnales manifestaria quandoque vitia reprimantur, (quod tamen sæpè non fit) desiderium tamen peccandi per Legem crescit, & se ubicunque occasio est exerit. Item; Lex opponit se Concupiscentiæ, nec tamen illam subigere valet. Concupiscentia igitur, per Legem irritata, se vicissim opponit Legi; studet illius excutere jugum; ac proin erumpat necesse est in majora & graviora peccata. *Experientia* præterea docuit, illud esse indolis humanæ vitium, ut semper *nitatur in contraria*, & tanto quidem fortius quantò meliora & honestiora suadentur. Imprimis observatum est à Prudentibus Viris, illos populos passim honestius, &, quod ad Civile commercium, majore fide & absque minoribus flagitiis, &, quod ad Religionem, sanctius vivere solere, qui solum lumen Conscientiæ & Rationis absque *externa litera Legis*, à Deo profectæ, sequuntur, quam qui hoc privilegio gloriantur. Utique, cum Paulus respiciat effecta *Legis* in Judaismo: quis absque stupore legat in Historia Mosaica, quanta vis & pervicacia corruptionis, quàm incredibilis nisus adversus divinam Voluntatem, in illa Gente se exseruerit. Nec Leges Sanctæ; nec Comminationes horrendæ, iis adjectæ; nec maxima Beneficia ipsis præstita aut præstanda; nec consideratio Divinæ Potentiæ & Justitiæ, tot argumentis apud ipsos cognitæ & declaratæ, illos retrahere potuerunt à gravissimis vitiis Apostasiæ, Rebellionis, Idololatriæ. ne nunc de minoribus dicam. Imo Vitiositas, per Legem excitata, etsi sæpe severis reprimeretur judiciis, in omnem licentiam peccandi per multa secula protervè erupit. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα.

XI. Ab hoc jam effecto Legis molesto *Liberos* pronunciat Paulus Credentes sub Gratia, additâ ratione ℣. 6. quod *serviant*

viam ἐν καινότητι πνεύματος in Novitate Spiritus. Quod ipsum dein per totum *Caput Octavum* exequitur. Quorum omnium hæc est summa, virtute mortis & sanguinis Christi effectum esse, ut *Spiritus Christi* in omnibus illis, qui ad Christum pertinent, tantâ nunc copiâ, tantâ virtute atque efficaciâ operetur, ut τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν *affectus peccatorum in carne* sensim extinguantur, adeo ut qui Christi sunt *ambulent secundum Spiritum & non secundum carnem*. Certe Lex OEconomiæ Novæ Peccatum non suscitat, quia cum *Lege* gratiam præstat ad obsequium Legi præstandum necessariam. Lex Novi Fœderis est blanda illa *Lex Fidei*, quæ remedium monstrat adversus peccatum, nec proin homini ut gravis & molesta obversari potest, & idcirco quoque Concupiscentiam nec suscitat nec irritat. Non enim tam dat occasionem cogitandi de vitiis, ut Lex antiqua vitia prolixè damnans, quam de *modo & medio* peccatorem ex summa miseria ad summam perducendi felicitatem. *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus.* Gal. v. 24.

XII. Ultimo adjiciam, Credentes sub Gratia hoc quoque sensu à *Lege Morali liberos esse*, quatenus illa *Lex* in OEconomia Vetere tam arctè unita fuit cum aliis multis *Legibus* alterius generis, ut solius illius Legis observatio, si ab obedientia aliarum Legum separaretur, Deo non probaretur. Certè ubi Apostolus de *Dominio Legis* sub OEconomia Vetere loquitur, fieri nequit, ut non sub illo *Legis Dominio* simul comprehendat *Dominium Legis*, quatenus cum plurimis aliis δόγμασι ἐντολῆς σαρκικῆς per ordinationem Divinam conjuncta fuit, adeo quidem ut si ipsa illa Lex in se non fuisset Israëlitis molesta & onerosa, molestiam tamen illis creare debuisset maximam ex *tot aliis statutis*, quibuscum, volente Deo, promulgabatur. Apostolus enim de *Legis Dominio* loquens haud dubiè respicit locum Jeremiæ, ubi sub Cap. XXXI. 32. notione בריתי *impositio Jugi δυσβαστάκτου* simul comprehendi videtur. Pertinet etiam huc, quod ℣ſ. 6. loquatur de παλαιότητι γράμματος *vetustate Literæ.*

XIII. Ita est; Præter *Legem Amoris*, Deus alias magno numero Leges diversissimi generis sanxit ad Sinai & in deserto Arabiæ, quarum obedientiam ab Israëlitis rigidè exegit. Quandoquidem verò Præceptum *Amoris* inter illa statuta eminuit,

ut illorum omnium basis, fundamentum, & centrum, ad quod omnia referenda fuerunt & absque quo Deo ne quidem convenisset reliquas Leges observandas injungere: hinc *Lex illa Moralis* per illas Leges *Dominium quoddam exercuisse* censetur, quippe in ipsam, ut in centrum, omnes concurrerunt.

XIV. Hoc verò *Dominium Legis* per reliqua illa Divini placiti statuta, pariter ut & aliæ partes Dominii Legis, à nobis notatæ, maximè originem habuit *ex peccato*, non tantum quatenus Israëlitarum petulantia illi jugo imponendo ansam dederat & id jugum ad illorum proterviam compescendam impositum est; sed quatenus, debito nondum expuncto, Deus à debitoribus exigere potuit χειρόγραφον, quale Apostolus in illa Lege infuisse dicit. Infuit autem χειρόγραφον in *Lege dogmatum*, tum in genere, quatenus Deo non convenisset absque hoc casu Ecclesiam molesto adeo gravare jugo; tum quod quibusdam illorum Præceptorum tales mandarentur Actus, talisque præscriberetur Cultus, talia Sacra, quę apertum testimonium perhibebant de *debito*, nondum *persoluto*. Quicquid jam de *hac Lege Placiti* dicitur: pàriter dicendum est de *Lege Morali*, ut illius basi & centro. Non convenisset Deo (salvâ id reverentiâ dictum sit:) observantiam *Legis Moralis* exigere cum obsequio tot aliarum Legum diversi Generis, si pro peccatis electorum jam ante satisfactum fuisset Divinæ Justitiæ. Quare etiam, præstito illo δικαιώματι, Ecclesia Novi Fœderis *à Lege Morali*, vi extantis peccati cum plurimis aliis Legibus, observatu difficillimis & molestis, arctissimè conjuncta, liberanda fuit. Et liberata sanè est per mortem Christi, Paulo attestante & docente in Epistolis ad Galatas, Colossenses, & Hebræos; nec non in hac ipsa nostra ad Romanos. Dicta hactenus redigo in summam. Paulus de Lege *Mosaica*, & Morali etiam, loquitur tanquam de Instumento Foederis Sinaitici, *imperiosè datâ*, nec tamen conjuncta cum Spiritu, multisque aliis *Legibus* involuta, quomodo non tantum inepta fuit ad Israëlitas *renovandos* & *sanctificandos*, verum etiam *corruptionem* carnalium hominum, cujus vitium est in contraria niti, excitaverit & inflammaverit ad se fortius exerendam. Hanc *Legem*, veluti *imperiosum* Ecclesiæ *Maritum*, jubentem, vetantem cum auctoritate, *nec tamen conjun-*

Col. II. 14.

ctam

ctam cum *Spiritu*, gratiam subministrante ad jussa exequenda, contradistinguit & opponit *Christo* Jesu, *Marito* Ecclesiæ sub OEconomia Nova, *absque tonante imperio & litera Legis externa blandè suadenti & influenti in animos hominum per Spiritum vitæ qui in ipso est*, & per *eundem Spiritum ibi tales producenti animi affectus*, quales *Lex*, vano & irrito conatu, sub OEconomia Vetere *imperabat*; non *præstabat*. Quotquot enim sub OEconomia illa antiqua Deum *amarunt*, quales fuerunt certis Ecclesiæ temporibus non pauci; id egerunt non *ex Lege*, *ut* INSTRUMENTO FOEDERIS SINAITICI, sed *ex fide promissionum*, cujus vi acceperunt *primitias Spiritus Christi*, *ex Gratia*. Ex LEGE, ut instrumento *Fœderis Sinaitici* nemo *justificatur*; nemo accipit *remissionem peccatorum cum Spiritu*. Hæc est constans doctrina Apostoli in Epistolis ad Romanos, Galatas, & Hebræos. Paulus idem: LEX SPIRITUS VITÆ *qui est in Christo Jesu me* LIBERAVIT *à Lege peccati & mortis*. LEX SPIRITUS VITÆ est ipse *Spiritus* vitæ qui est in Christo, in nos influens, & nos efficace motu & influxu OBLIGANS ad *serviendum justitiæ*; ut *Lex peccati* ipsum *peccatum*, sive vitiositas hominem OBLIGANS ad sibi serviendum. Sic usurpaverat Apostolus phrasin in superioribus. Cap. VIII. 2. Cap. VII. 23.

CAPUT XX.

Brevis instituitur dissertatio de Studii *Scripturæ Divinæ* allegoricè *interpretandæ* soliditate & præstantia *antequam typi* Josephi, & Catuli Leonis à Simsone discerpti, *declarentur. Subjiciuntur quidam hujus* Studii *rectè excolendi* Canones; *collustratis simul quibusdam locis Codicis sacri, hoc argumentum contingentibus.*

ALlegorici *studii* magna olim in Ecclesia æstimatio fuit. Caussæ variæ: Primò observarunt antiquæ Ecclesiæ Doctores, Scriptores Librorum Novi Fœderis, Apostolos & Evangelistas, auctores & magistros fidei nostræ, hoc studii genus in interpretanda *Scriptura*, sive Historica sive Prophetica,

Veteris Fœderis sectari ipsos, atque adeò ut optimum laudare & commendare. Matthæus in Evangelio *probationibus* ad Christi Jesu casus aut sententias illustriores adstruendas ex V. T. adductis; Paulus in *Epistolis*; Scriptor *Epistolæ ad Hebræos*, & *Apocalypsis Joannis Apostoli*, ejusque *Evangelium*, mysticis constans Christi orationibus, in quibus ad dicta Scriptorum Veteris Fœderis sæpius alluditur, indubiam fidem faciunt asserto, idque passim ab omnibus agnoscitur. (a) Si quis agnoscere nolit, & mavelit oculos claudere media die: dignus est qui usuram perdat serenæ lucis, & ambulet in tenebris.

II. Secundò adverterunt animum Prudentiores, inter omnia Dei *Opera Naturæ* & *Gratiæ* esse *ἀναλογίαν proportionem*, quę demonstret perfectissimam Dei sapientiam, nostrâ cogitatione infinitò superiorem. Nimirum stylo Scripturæ est Mundus Naturæ & Gratiæ; *Physicus* & *Mysticus*. Gratiæ sive *Mysticus*, duplex, Vetus & Novus; *Typicus* & *Antitypicus*; quorum ille ad *Montem Sinai*, hic sub *OEconomia Nova* à Christo Jesu conditus est. In his *Mundis* sive Sæculis inter se componendis & ad se invicem referendis sic lusit Divina Prudentia ut quicquid se sensibus nostris conspiciendum offert in *Mundo Physico* ab extremis Cœlorum usque ad ima terræ viscera, idem demonstrari possit, & passim demonstrent Scriptores Sacri, Prophetæ, Apostoli, & eorum Princeps, Jesus Christus, phrasibus metaphoricis & mysticis, quarum Scriptura S. feracissima est, in Oraculis aut doctrina sua explicanda adhibitis, in *Mundo Mystico*, qui est *Ecclesia*. Vides in Mundo Physico *Cœlum*, *Terram*, *Mare*; Cœlum duplex, *Æthereum* & *Aërium*; in Illo Solem, Lunam, Astra; in Astris, *Fixa* & *Erratica*; in *Aëria Nubes* cum *meteoris*, & illius effectis insolentibus; & *Aves*, pulchrè distinctas; in *Terra*, divisa in *cultam* & *desertam*, homines, animantes, bestias; arbores, fruges; *infra terram* metalla varii generis, magno cum labore ex ejus visceribus eruenda; in *Mari* pisces

Hag. II. 7. Heb. XII. 26. Ephes. III. 9. Τῷ Θεῷ τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Jes. LXV. 17, 18.

(a) Cl. Millius *Prolegom.* in N. T. p. XI. col. I. ubi Paulo vindicare nititur Epistolam ad Hebræos: *Verum enim verò Epistolam istam penitius inspicienti, haud obscurè idem planè genius, qui in cæteris Paulinis, deprehendetur; iidem passim sensus;* EADEM LOCA V. T. MYSTICE INTERPRETANDI RATIO, &c.

ſces ſpeciei diverſæ; magnos, parvos; in illis Crocodilum, Bovem Marinum; in his pinnis & ſquamis munitos; alios læves quibus hæc arma natura negavit: hæc omnia, ſecundum varias ſua genera & his multò plura, docet Sanctus Spiritus *πνευματικῶς ſpiritualiter* & *myſticè* eſſe in *Mundis* illis *Myſticis*, hoc eſt, duabus Eccleſiæ OEconomiis quas modò indicabam. Habent illi quoque ſuum COELUM, *Solem*, *Lunam*, *Sidera*, *Planetas*, *Nubes*, *Grandinem*, *Pluviam*, *Tonitrua*, *Fulgura*, *Aves* & *Avium Principes Aquilas*; TERRAM; *Deſertam*, *Frugiferam*; *Homines*, *Beſtias*, *Animantes*; *Leones*, *urſos*, &c. *Oves*, *boves*; &c. *Aurum*, *argentum*; *Arbores*; *Cedros*, *Quercus*, *Myrtos*, *Palmas*; MARE, *piſces* omnis generis, *Leviathanem*, & quicquid horum plus eſt quod hoc tempore non attingo. Quin *Modos* horum *Mundorum* creandorum ſic docet ſummus Doctor, docetque experientia, ita inter ſe convenire, ut *Phyſici Mundi Creatio* perfectam ὑποτύπωσιν exhibeat, ſecundum quam *Myſticorum* & *Spiritualium* Mundorum productio inſtituenda & conſummanda erat. Idem luſus in conformitate duorum *Mundorum Myſticorum*, TYPICI & ANTITYPICI. Inſignia quę in *Vetere OEconomia* deprehendis: demonſtrari poſſunt in *Nova*; niſi quod in illa extiterint TYPICE, in hac ANTITYPICE & *verè*. Ad quam *Conformitatem* omnis operis Divini admirabilem cum Veteres attenderent: abſurdum eſſe putarunt dictu, referendam eſſe ad caſum; acſi idem poſſit eſſe effectum *Caſus* qui *ſumma Sapientia*, res inter ſe harmonicè ordinantis. Hominum eſt Divinæ Majeſtatis irreverentium, & de operibus ejus iniquè judicantium, ſic ſentire.

III. Tertiò diligenter conſiderarunt, Caſus ipſos & eventus, quos hiſtoria Sacra deſcribit, tam eſſe notabiles & animadverſione dignos, ut ingenium hominum, ſpirituali ſenſu præditorum, ultrò provocent ad cogitandum de myſterio; myſterium autem tam eſſe detectu facile ut ſtatim occurrat illis quorum non ſtupet acies mentis, & caligat *oculus dexter*. Si Scriptores Sacri quibuſdam in locis nobis occaſionem non dediſſent meditandi de ſingularibus Geſtis, veluti *Evæ* productæ ex *coſta dormientis Adami*; *Abelis innocui*, quod *majore* Dei *favore* gauderet, occiſi à fratre *Caino*, nec tamen propterea *morte plectendo*, ſed expel- Epheſ. v. 32. Joſ. viii. 44.

lendo communione Dei & Sanctorum, & *profugo* atque extorri, *stigma execrationis* sibi à Deo inustum ubique circumlaturo, & malâ sceleris turpissimi conscientiâ æternum excruciando,
1 Pet. III. 21. dum *Abel* occisus, *resurgeret* in *Setho*, ipsi substituto; *Noe*,
Rom. V. 9. cum Mundo immineret ira Dei, *Arcam* fabricantis, quâ tem-
Gal. IV. 19. pore *Diluvii* ipse cum paucis servatus fuit; *Jacobi*, non tantum fratris adversarii odium & invidiam ob surrepta τὰ πρωτοτόκια experti, sed *cum ipso Deo luctati*, cumque superantis; posterorum ejus ex Ægypto eductorum, *redemptorum*, inquam, *pre-*
1 Pet. I. 19. *tio sanguinis Agni*, cum varia demonstratione Divinæ severitatis in Ægyptios; *Josua* introducentis Israëlitas in Canaanæam,
Jer. III. 19. trans *Jardenem* exsiccatum, eamque iis sorte distribuentis: quis tam stupidi ingenii homo sit, ut nihil in his videat singulare; nullum observet insignem & peculiarem lusum Divinæ Providentiæ, qui nos moneat retegere velum, frangere corticem, & quod intus est inspicere ac contemplari? Quid? quod Prophetæ de statu rebusque melioris OEconomiæ vaticinaturi, eas designent nominibus personarum, aut rerum, olim iisdem no-
Jes. XLIX. 3. minibus cognitarum? *Christus*, verbi gratiâ, ubi in Oraculis
Hos. III. 5. Prophetarum vocatur *Israël*, *David*, *Salomo*: licetne oculos ab
Ps. LXXII. 1. his personis retrahere, & *qualitates*, *casus*, atque *eventus* insigniores vitæ earum, non considerare ut *typos* eorum quę *Chri-*
Cap. VII. 15. *sto* Servatori evenirent? Michas quando de melioribus Ecclesiæ temporibus sub Messia disserens, ait: *Faciam videas mirabilia quemadmodum illo die quo egressus es ex Ægypto*: quis nisi pervicacis ingenii homo inde non colligat, *Exitum* Israëlitarum ex *Ægypto* verè sustinuisse figuram magni beneficii Gratiæ, quo eductus est Populus credentium in Christum è *servitute* tam *Pec-*
Act. XXVI. 17. *cati*, quàm *Legis* quatenus *ex peccato* est, cum *mirabilibus* quæ
1 Pet. I. 19. in initiis Novæ OEconomiæ edita sunt? Idem in aliis obtinet quæ nunc prætereo.

IV. Patet utique studii hujus certitudo & soliditas: nec tamen recentioribus hisce sæculis se vindicare potuit à contemtu. Primò satis constat, Doctores plerosque (non omnes sanè) qui Ecclesiæ in melius instaurandæ operam dederunt, gravioribus & mage necessariis occupatos, hoc studium seposuisse; sive quod ingenii illorum severitas illos ab hoc studio retraxerit;

rit; sive quod vitia, quę observabant in Allegoristis superiorum temporum, eos deterruerint. Sanè enim non nego, indocti ingenii & levis judicii homines plures, per omnia ferè Ecclesiæ tempora, sub nomine *interpretationum* Scripturæ *Allegoricarum* sui similibus commendasse cogitationes futiles, fatuas, stolidas, in quibus nihil inest salis; nihil judicii & prudentiæ spiritualis; tum quoque mysteria illa sua frigidissimæ inventionis quæsivisse *locis* non *suis*, sive promiscuè *omnibus*, absque ullo rerum discrimine, allegoriæ fundamento, aut orationis πιθανότητι: adeò ut non mirer, Viris sapientioris sensus in mentem venisse ut dubitaverint, an non præstet hoc studium totum missum facere, cui feliciter tractando paucorum sufficere facultatem ingenii docuit experientia, quàm sanctissimam Scripturam insulsis imperitorum conatibus exponere ad magnam ejus ignominiam, & profanorum plausum.

V. Equidem qui hâc inducti ratione allegoriis abstinent, dum cætera integram præstant studii hujus dignitatem & certitudinem, si in hypothesibus non erretur; magis merentur excusari, quàm illi rerum Divinarum Interpretes, pauci quidem in his Regionibus, plures in florentissimo Regno transmarino, qui illud palam aspernantur, & si quos videant Libros hujus argumenti, nasum suspendunt, eorumque auctores quodam suo præjudicio mox damnant tanquam captos mente, & judicii quadam imbecillitate minusque perspicaci sensu præditos. Nec de *allegoricis* tantum sed & de *typicis* & *parabolicis* meditationibus idem ferè sentiunt, adeò ut quibusdam in casibus malint circa cærimoniarum typicarum olim institutarum rationes, ex Ægypto repetendas, (maximam partem, si paucas non magni momenti exceperis, laborioso sed vano conatu) se miserè torquere & in omnes vertere partes, quàm in iis videre & demonstrare *mysterium Christi*, ab ipso Spiritu S. in ipsis Sacris Literis planis verbis indicatum, & præterea in ipsis illis cærimoniis, tam clarè & vividè pictum, ut divinæ sapientiæ Sancti Spiritus ductus tantò quisque distinctius in iis observet, quantò imaginem veram antitypi ardentius & sincerius amat. Specimen vis; lege Spenceri commentationem de *Paschate*, & *Vacca Rufa*. Auctoritas autem, dignitas, & eruditio horum Virorum, facilè mo-

vent alios, qui suo judicio minus fidunt, & longè sunt eruditione iis inferiores; aut è re sua esse putant sui consensu judicii se iis commendare, dum in has transeunt partes; atque adeo privum quorundam spectabilium hominum judicium facilè cum tempore obtinet auctoritatem publici, & in contemptum incidit, qui contra ire & à tantis magistris dissentire audet. Et tamen sic me finxit natura, ut auctoritas nulla, præter Divinam, meam regat mentem, mentisque judicium. Sequor id quod ratio, si non aliis, mihi saltem rectum esse demonstrat, & in eo conquiesco, quandiu meliora non occurrunt.

VI. Ego quidem lubens largior æqui animi hominibus quibus stat debita sacrorum reverentia, Primò, *Studium* hoc *Allegoricum* esse non tantum modestè & prudenter sed & parcè & modicè excolendum. Sunt enim in Scientia rerum Divinarum mage necessaria investigatu & creditu; nec omnium captus ad hæc accommodatus est; sed valent hic monita Domini & Spi-
Matth. XIX. 12. tus ejus: *Qui potest capere, capiat.* Et: *Qui habet* AUREM, *au-*
diat. Id verò ipsum est quod eleganter, sed mysticè, extulit
Ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω. Salomo his verbis: אכל רבש הרבות לא טוב *Edere* MULTUM
MELLIS, *non est bonum.* Per *Mel* intelligit Vir sapiens, phrasi
Apoc. II. 7. mysticâ in Schola sanctorum illius temporis receptâ, *Veritates*
Matth. XIII. 9. *Divinas theoreticas sublimioris & jucundæ contemplationis*, sive Me-
Prov. XXV. 27. taphysicas, aut Physicas quę dicuntur; sive *Allegoricas*; contradistinctas *Moralibus*, quæ officia hominis explicant. Veluti sunt, investigatio Divinæ Naturæ & Essentiæ, ac perfectionum ejus; Originis omnium rerum, & præcipuè Mali; Naturæ nostræ mentis; Ordinis hujus Universi; Rationum Moralis Dei Providentiæ; OEconomiæ Mundi invisibilis sive Angelici; significationis mysticæ typorum, figurarum, emblematum, quę Deus sanctis sub OEconomia Vetere in Paradiso, Tabernaculo, Templo, Terra Canaan, & earum rerum adjunctis contemplanda objecerat. Has *veritates theoreticas* Sapientes antiquæ Scholæ vocabant *Mel*, quod earum multò jucundior & dulcior sit contemplatio quàm *Moralium*, quippe circa quas suprema sive nobilissima mentis facultas se exercet, quarum meditatio summam adfert voluptatem, ut exemplum est in *Philosophicis* omnibus & *Mathematicis*. De his tamen *multum edere* dissuadet

det Paroemiastès, וחקר כבודם כבוד *etiamsi investigatio præstantiæ earum rerum sit gloriosa.* sic verto hæc verba, in quibus plerique Interpretes hærent, commodo & facili sensu. Quare igitur, etiamsi res præstans & homine dignissima sit hæc investigatio, non licet de hoc *melle multum comedere?* Dederat rationem Vir Sapiens in superioribus, quia *Mel*, quantumvis *dulce*, & *utile* modicè sumptum, facilè nauseam creat largiore usu. Sic ipse: *Si* Vers. 16.
MEL *inveneris: comede quantum* SATIS EST; (quod est; μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν) *ne si comederis ad* SATIETATEM *usque, nausea te capiat.* Conferendus alius adhuc locus ejusdem argumenti in quo idem & elegantissimus *Mellis* usus est. Rom. XII. 3. Cap. XXIV. 13.

. VII. Simile est quod Christus Dominus suo complexus est prudentiæ monito apud Matthæum: *Ne date* SANCTUM *canibus*, Cap. VII. 6. *nec projicite* MARGARITAS *vestras coram porcis; ne quando conculcent eas pedibus suis & conversi vos lacerent.* Per *sanctum* & *margaritas* sunt qui hic intelligunt *sancta mysteria symbolica Mensæ Domini*, non communicanda cum hominibus *carnalibus*, *immundis*, & malæ ac sævæ *indolis*. Sed videt quisque, sequentia non respondere. Illorum enim mysteriorum communicatio non conciliat communicantibus odium, sed communionem & amorem hominum carnalium, hypocritarum. Alii in genere *Præcepta Christi*, ejusque *Doctrinam*. Sed neque illud absque aliquo temperamento dici velim. *Moralem* enim partem *Doctrinæ Christi*, cujus usus est in suadenda pœnitentia, licet ubique *suis locis* & *temporibus*, coram omnibus prudenter proponere. Quid igitur? *Sapientiam* Christi intelligi, monuit Drusius, & probavit; idque verissimè. Et tamen aliquid adhuc desideratur. Per *sanctum* & *margaritas* designavit Dominus *Dogmata Sapientiæ Cœlestis* magis recondita, *interiora*, secretiora, sublimioris contemplationis, minimè accommodata ad omnium captum; nedum *profanorum*, *carnalium*, *malorum hominum*, quibus proposita *riderentur*, non *crederentur*. Sic Grotius, qui locum hunc optimè tractavit, & verum ejus sensum vidit. Annot. in h. l. *Quod autem in universum*; inquit, *de* OMNIBUS SAPIENTIÆ PRÆCEPTIS *dici solebat apud Hebræos, id Christus* SUÆ SAPIENTIÆ PRÆCEPTIS, *præsertim* INTERIORIBUS, *applicavit, docens quâ cautione aliis sint impartienda, quod erat non Apostolorum tantum, sed piorum quoque omnium officium.* Sanctissima

itaque, ſecretiſſima, ſublimia, Religionis & Sapientiæ Divinæ Dogmata, *magni* & *infiniti pretii* apud eos qui *capiunt*; *nullius* apud profanos, carnales, mundanos, qui nec *principiis* veræ Sapientiæ, nec *amore* illius imbuti ſunt; intelliguntur; veluti, *in Deo eſſe unum & tres*; *Meſſiam verum & æternum Dei Filium eſſe*; *eundem Deum eſſe & hominem*; *carnem eſſe reſurrecturam*; & in Myſticis atque Allegoricis; *Iſaäcum ab Abrahamo oblatum in Monte Moria* figuram extitiſſe *Chriſti Jeſu in eodem Monte Deo offerendi*; *Serpentem æneum* in pertica erectum *Satanæ in cruce à Chriſto devincendi*; *Tabernaculum* cum omni ſuo apparatu *Eccleſiæ Novi Fœderis*, & cultus *Religionis ſpiritualis*, qui in ea obtineret; & quæ alia his ſecretiora ſunt. Vult Dominus, diſcerni ingenia hominum, quibus hæc *myſteria*, licet veriſſima, inſtar
Matth. x. 11. *depoſiti* committenda ſint; ſive ut ipſe alibi; *inquiri quis ἄξιος dignus*, quicum hæc communicentur. an modeſti, placidi, ſubacti, prudentis, an verò ſuperbi, arrogantis, δοκησισόφου, profani, ingenii ſint apud quos diſſertatio de his myſteriis inſtituatur, diſpiciendum. Maimonides Theologiam *Moralem*, faciliorem comprehenſu, omnium ingeniis aptam, contradiſtinguens Theologiæ *hyperphyſicæ*, & ſublimioris contemplatio-
De Fund. Leg. Cap. IV. §. xx. nis, quâ non licet excludere *Allegoricam*, ſic eleganter: ואני אומר שאין ראוי לטייל בפרדס אלא מי שנתמלא כרסו לחם ובשר *Ego verò ajo, non convenire, ut quis ingrediatur hunc* PARADISUM, *niſi qui prius repleverit ventrem ſuum* PANE & CARNE. ſic rectius hunc locum Vir quidam Doctus alibi vertit, quàm Vorſtius.
Scerz. Oper. Pret Orientale, pag. 117. Senſus Maimonidis; ad *delicias Theologiæ* ſublimioris, & merè contemplativæ, neminem admittendum eſſe, qui *communem Theologiæ doctrinam*, qualis eſt quę *elementa fidei* & *moralia* tra-
2 Tim. II. 2. dit, non perfectè perceperit & digeſſerit. Paulus vocat πιστοῖς ἀνθρώποις οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι.

VIII. Id ipſum ferè eſt quod *ſecundò* monere volebam, hoc opus commentandi *Allegorica* committendum non eſſe, niſi exercitati & periti ingenii hominibus; &, quod *tertiò* addo, in ipſa tractatione ſervandum eſſe *modum* & *prudentiam*. Hâc enim parte maximè peccatur. Imponunt multi humeris ſuis quod ferre recuſant; & ſpeculationum ſuarum dulcedine abrepti, ſibi blandientes: quod ferè commune eſt vitium mortalium:

modum

modum sibi nullum præscribi patiuntur; sed laxant luxurianti ingenio habenas, & solida incertis, vera falsis, permiscentes, omnia corrumpunt, ut tandem ne *probabilia* quidem amplius habeantur, quæ, si prudenter elaborata essent, non tantum pro *probabilibus*, sed & pro *certis* admitterentur. Id ita se habet, & multis à me doceri posset exemplis. Quod tamen scripsisse, nolim mihi cedat invidiæ, acsi oratio composita esset ad meam hic jactandam prudentiam atque peritiam. Sanè id si esset: plus in hoc studio tentarem. Nunc tento pauca, & hoc *mel* magis *gusto*, quam *edo*; *gustandum* quàm *edendum* aliis exhibeo, ut alios etiam meo doceam exemplo, in studio hoc colendo adhibendum esse modum ac moderationem, & omninò cavendum, ne juniores, hactenus *pane* & *carne* non *saturati*, à necessariis & severis Dogmatibus nostræ disciplinæ avocentur ad contemplationes hujus generis, jucundas equidem, nec inutiles, sed tamen non semper æquè certas; utique minus necessarias, cum in necessariis plerique adhuc hæreant. Tantum sic existimo, nullam partem Divinæ Sapientiæ negligendam esse: cujus explicandæ cum mihi publicè cómmissum sit negotium, quod pro mediocritate mea cum bona conscientia fideliter administrare cupio; duo tantum hic profero specimina, ut Doctiores ex iis dijudicent atque perspiciant, quâ methodo in *typicis* atque *allegoricis* pertractandis procedam ipse & procedendum esse putem; &, si non displiceat, modestè sequantur, sed cum timore, & debita sacrorum reverentia, post meditata benè cocta atque digesta.

IX. Postremo loco moneo, nullas esse instituendas *Expositiones Allegoricas*, nisi in bonis, sive certis, sive probabilibus, fundatas *hypothesibus*, ad quas *Expositionis soliditas* & *veritas* examinanda est. Quæ *hypotheses* si non fallant: (possunt autem tales multis in casibus præstari:) non minus certa erit *Expositio Allegorica*, quàm quævis *Literalis*, & propria. utique quod ad *Corpus* ipsum *interpretationis*. Sunt enim hujus Studii, æquè ac aliarum *Theologiæ* partium, certa *principia* & *fundamenta*; sunt certi *Canones*, secundum quos qui interpretationem suam composuerit; non facilè impinget. Hic prolixior non sum, quia nemo est qui id non tacitè mecum supponit; etiamsi plurimi exemplo suo

suo demonstrent, se hujus Legis religione parum moveri. Certè veterum hic summa fuit incuria & damnabilis. Omnes intelligunt, *Scripturam interpretari*, esse judicare de Scripturæ sensu. judicium autem verum & rationale dari nullum, in quo acquiescas, nisi quod secundum certa principia & indubia axiomata compositum prolatumque est, in quę axiomata omnis illius veritas & soliditas cadit. quod ipsum in *Expositionibus Allegoricis* si non observetur: quis interpreti adhibebit fidem?

CAPUT XXI.

Hypotheses, *in quibus* Mystica *Historiæ* Josephi *interpretatio fundatur*, primò *in medium producuntur*, *& demonstrantur; dein* JOSEPHUS *ut* Typus *cum* Antitypo *suo* CHRISTO JESU *comparatur. Insperguntur quædam de duplice Judæorum Messia*, FILIO JOSEPHI, *&* FILIO DAVIDIS.

QUi Christum Jesum amat, imaginem quoque ejus amat ubicunque eam deprehenderit. Non fugit Christum, sed quærit ubique, & inventum amplectitur. fortè etiam, qui in amantes cadere potest error, quibusdam in casibus falsâ se imagine deludi patitur, & videre se putat quod nusquam est. Et est tamen, si principium spectes, excusabilis error, & in ipso errore voluptas. Accidit certè illud non raro in *typis* & *figuris*, quibus Deus Christum Jesum, ejusque attributa & eventus, deformare voluit sub OEconomia Vetere. Homo enim pius & Christi amans aliqua ejus attributa in obvio aliquo subjecto antiqui temporis detegens, mox sibi persuadet, se videre omnia; & interea se pascit suo quodam cogitationis suaviludio, & ex ipso errore fructum percipit, licet non solidum & constantem; ferè ut esuriens per quietem cum voluptate vescitur, & evigilans vacuum se sentit, & famelicum. Quod vitium ut præcaveatur: utile est omni interpretationi Propheticæ aliquas substernere *hypotheses*, ut modò monebam, secundum quas composita expositio instituatur, & ab aliis exigi queat.

II. In-

II. Inter principia mysticæ interpretationis historiæ Josephi, hæc sequentia assumpsi, & mihi dari postulo; in quibus si sit quod fallat; quod cujusque examini relinquo; non inficiabor ipse, vacillare integram expositionem. *Prima hypothesis* sit: *Josephum fuisse luculentum Christi Jesu typum.* Videri posset supervacanea, quippe dudum omnium consensu confirmata; non Christianorum tantum, sed & *Judæorum*, ut multi sibi persuadent, qui *Messiam* aliquem suum Filium Josephi agnoscunt, ac si *Josephi* (a) in humili vitæ statu gereret imaginem. Quid si tamen sit qui neget? Scriptura enim id nullibi disertis verbis affirmat. Sustineant igitur fidem nostram hæc argumenta. *α.* Singularis & planè admirabilis lusus Divinæ Providen-

Qqq tiæ

(a) Obscura verè est antiquæ Synagogæ doctrina de *duplice Messia*, Filio Josephi altero, altero Filio Davidis, quorum *ille* in conflictu cum *Armillo* (Romulo: Antichristo Judaico) post ingentem stragem & magna virtutis specimina edita, sit *occubiturus* ipse, & rem Judaicam ferè desperatam relicturus; hic post exigui temporis gravissimam Judæorum superstitum *afflictionem*, tandem *revelandus*, rem restituturus, &, *Deo* ac *Michaele* pro ipso *pugnantibus*, impetratâ plenissimâ victoriâ, *spei* Judæorum satisfacturus. Sed magis adhuc obscura *doctrinæ origo*. Gregarii Scriptores hic alii alios describunt, & nihilo nos doctiores faciunt; nisi sint qui me fugerunt. Mihi pauca ad manus sunt quæ hic adscribo. *α.* Falli qui existimant, *Messiam* illum quem Judæi *Josephi Filium* appellant, sic dici, quod *Josepho* similis esset statu *afflictionis*, siquidem in *Josepho* non minus luculentum editum est Exemplum *Exaltationis*, quàm ταπεινώσεως. Dictus est ab ipsis *Filius Josephi*, quia ex *Josepho*, h. e. ex tribu *Ephraim* oriundus esset, ut *Messias*, Filius *David*, quod ortum duceret ex *Davide*. Memini id primò discere ex Joanne Morino, eruditissimo Viro, qui in *Exercitationibus Sacris* de hoc argumento doctius disserens quàm alii, id exertè monet, probatque in Paraphrasi *Jonathanis* appellari, בן אפרים Filium Ephraim. Observavi tamen postea, idem jam tradidisse Buxtorfium. Ratio denominationis est, quod prior hic Messias esset *Bellator* instar Josuæ, *Filii Nun*, ex *Ephraimo* oriundi; quo ipso (quod quis meritò miretur) concedunt, habituros se Messiam Josuam, sive *Jesum*, qui *moriturus* sit; etsi ipsi illum vocandum esse dicant *Nehemiam*, *Filium Chuzielis*. *β.* Quod ad *originem* hujus *Messiæ*, à *Messia Davidis Filio* distincti: fateor, me hic vehementer hærere. Circa tempora Christi notus non fuit: ergo est eo posterior.

Lib. II. Exerc. VIII. Cap. II. Exod. XL. II. In Lxx. adv. משח.

Chri-

tiæ in administrandis fatis totius Vitæ *Josephi*, dilectissimi & sanctissimi Filii sui Patris; imprimis profunda ejus *Humiliatio*, & insolens atque inopinata *Exaltatio*, dudum ante ab ipso ut *Propheta prædicta*, monent nos cogitare de mystica aliqua tot paradoxorum Casuum atque Eventuum ratione, quam nemo nisi in *Christo* Jesu demonstraverit. Qui videt, Josephum, dilectum

Christiani Interpretes passim docent, fingere Judæos *duplicem Messiam*, quia *vident Sacram Scripturam duplici modo de Messia loqui; interdum nempe tanquam de vili, paupere, abjecto, qui & moriturus sit; interdum tanquam de magnifico, præpotente, & excelso.* Sic ipse Buxtorfius. Egó sanè vellem, Judæos id *videre*. Morinus commentum hoc ab iis extrusum esse opinatur post mortem *Barcozbæ*, quem Judæi sub Hadriano sibi persuaserant verum esse Messiam, & Doctorum illius temporis Princeps, Akiva; quæ expectatio cum illos esset frustrata in *morte Barcozbæ:* discipulos Akivæ, aliosque illius temporis Doctores, qui sectam Barcozbæ sequuti fuerant, ad tuendam Magistrorum suorum suamque auctoritatem, produxisse fabulam de *duplice Messia;* (cum Veteres ante hoc tempus de *uno* tantum *Messia* cogitassent;) ut nimirum excusarent *Barcozbæ mortem*. Docta verè est hariolatio. Mihi id dignum videtur animadversione, Gnosticos inter Christianos circa ipsa illa tempora *hanc doctrinam* palam vulgasse, *duplicem dari Messiam*; alterum *ignotum Prophetis*, Filium Dei Patris, nostrum *Christum*; alterum τὸν τοῦ Νόμου καὶ τῶν Προφητῶν Χριστὸν *Christum* LEGALEM, *de quo Lex & Prophetæ loquuti sunt*, qui in fine temporum revelandus sit, & *Judæis* repræsentaturus in terra Canaan *promissa carnalium bonorum*, Patribus, ex eorum opinione, facta. Certè fuit hæc sententia Marcionis, qui *Gnosticorum Theologiam* ad intelligibiles notiones redegit; ut patet ex *Dialogo*, qui Origeni adscribitur adversus *Marcionitas*, & jam ante ex Tertulliano. Atqui Marcion paulo post Hadriani tempora floruit; & noster *Christus* verè dictus est FILIUS JOSEPHI. Fateor tamen, esse magnam differentiam inter Judæorum & Marcionitarum sententiam; sed patet, α. In Corpus Talmudicum multa *confusè* esse translata & digesta, ex ipsis etiam *Evangeliis* transcripta, quod subinde Christiani ex Judæis, *à fide in Christum deficientes*, se rursus Judæis permiscuerint, & sententias quas ex Christianismo perceperant, in ipsum *Judaismum* intulerint. β. Inter quosdam *Christianos* & *Judæos* multò majus fuisse commercium, quàm vulgò Docti sibi persuadent; dum Gnostici, ortu Judæi, *Theologiam* Christianam cum sua *Kabbala* studebant permiscere; Christiani fabulas Judæorum de deliciis beati *Millennii* ultimi temporis, cum restitutione Reipublicæ Judææ in terra Canaan, in Theologiam suam transcribebant. De cætero certum

Synagog. Jud. Cap. I.

Sect. I. p 35.

Adv. Marc. Lib. III. Cap. VII.

ctum Patris sui Filium, singulari ornamento tanquam *insigni* quodam Paterni amoris à cæteris fratribus distinctum, à puero Prophetam, hoc nomine fratribus exosum, ab iis mortis damnatum, in foveam dejectum, & secundùm Parentis & aliorum opinionem à *feris occisum* & *violentâ morte extinctum*; eundemque in Ægypto *redivivum*, & veluti RESUSCITATUM, ac in

tum est, Judæos passim unum expectasse *Messiam*, Davidis Filium; sed cum Scripta V. T. eundem *Messiam* pluribus *nominibus* proponerent; vel alias etiam *personas*, vel *personam* illustrem, illi jungere viderentur; maximè hic hæsisse dubios, & vix certi quicquam definivisse. TRES memorantur apud Joannem; CHRISTUS, ELIAS, & PROPHETA *ille*, Cap. 1. 12.
nempe *de quo loquutus est Moses*. Sed Talmudistæ vel Paraphrastæ recensent *quatuor*; qua de re quia notabilis est locus à me observatus, adscribo. Deut. xviii. 18.
Est in Commentario Kimchii in *Zachariam*, ubi mentio fit *quatuor fabrorum* qui *quatuor* illa *cornua*, Populum Dei ferientia, contunderent. Cap. 1. 20.
Verba ejus: ורז"ל פירשו הפסוק לימות המשיח ואמרו מאן נינהו ארבע חרשים אמר רבי שמעון חסידא משיח בן דוד משיח בן יוסף ואליהו וכהן הצדק: *Majores autem nostri, b. m. hanc pericopam referunt ad tempora Messiæ, quæruntque; Quid sibi volunt* QUATUOR *illi* FABRI? *R. Simeon, cognomine Pius, ait:* MESSIAS, FILIUS DAVIDIS; MESSIAS, FILIUS JOSEPHI; ELIAS, & SACERDOS JUSTITIÆ. Per *Sacerdotem justitiæ* hic facilè intelligebam MELCHIZEDEKUM. Nec falli, patet ex Paraphrasi *Schir Hasschirim*, ubi quatuor hæ personæ illustres ita recensentur; ELIAS; REX MESSIAS; MELCHIZEDEK, & UNCTUS BELLI. Cant. 11. 10.
Locum debeo Raymundo. Pug. Fid. Part. iii. Distinct. Cap. xi. Fol. 611.
Quin cum traditio Judæa habeat, *Messiam, Josephi Filium*, casurum esse in prœlio antequam *Messias, Davidis Filius*, revelandus sit: Salomo Jarchius ad Jesaiam, quo loco Cap. 11. 13.
dicitur *zelus Ephraimi & Judæ* extinguendus esse, id ita interpretatur; משיח בן יוסף ומשיח בן יהודה לא יקנאו זה בזה *Messias, Filius Josephi, & Messias Filius Davidis, non flagrabunt in vicem invidiâ.* Quomodo verò? Si *Messias*, Filius Josephi, ante alterum illum sit occubiturus? Confusa hæc videntur, & esse in tenebris; & tamen patet rima, quippe statuunt, *Messiam, Josephi Filium*, cum Liberatione Messiæ, *Filii Davidis*, inter Patriarchas & Sanctos esse *resuscitandum*, & unà cum altero illo Messia victurum. Patet ex Abkat Rochel, ubi hæc omnium accuratissimè describuntur. Verba sunt: *Clanget Michael clangorem magnum, quo sepulcra* MORTUORUM APERIENTUR HIEROSOLYMIS, *eosque Deus benedictus vitæ restituet*; Lib. 1. Part. 1. p. 138. apud Hulf.
וילך משיח בן דוד ואליהו הנביא ויחיו משיח בן יוסף *Et Messias Ben David & Elias Propheta ad vitam revocabunt Messiam, Ben Joseph.* Hæ meræ sunt tenebræ; nec à prudentioribus, ut à Maimonide, recipiuntur. Vide illum in Tract. de Reg. Cap. 11.

ſummam evectum Gloriam, atque ab ipſis *fratribus ſuis* & Paterna Domo tandem *agnitum*: an nihil in his ſingulare videt? & ſi videat, an *ſtupet*? an animum non inducit ſuum cogitare de *myſterio*? Cum enim intelligat & credat, eoſdem hos eſſe eventus, eoſdem characteres Chriſti Jeſu, *veſte variegatâ donorum Sp. S.* ut ſingulari argumento *Amoris* in eum *Paterni* à cæteris fratribus jam à teneris diſtincti; iis hoc nomine exoſi; mortis damnati, & traditi; pro mortuo habiti; *exaltati* poſtea, &, ſecundum prophetias ab ipſis quoque fratribus ſuis tandem agnoſcendi: an dubitet ille, Spiritum S. in hiſtoria vitæ Joſephi Eccleſiæ exhibere voluiſſe *imaginem* Chriſti, ejuſque ταπεινώσεως & ὑπερυψώσεως? Obverſabatur mihi, dum hæc mente conceperam in chartam conjicienda, docta diſſertatio Petri Allixii, de Eccleſia præclarè meriti Viri, quę in *Homiliis* ab ipſo editis eſt ad locum *Ezech.* XVII. 22, 23, 24. in cujus præfatione id peritè evincit, curæ fuiſſe peculiari Spiritui S. Verbo Prophetico clariſſimè conſignare & præmonſtrare Chriſti Jeſu *duplicem* illum Vitæ *Statum*, longè diverſum, *Humilem* & *Glorioſum*, ne Judæi ad hunc lapidem hærerent. Id verò cum ipſe non verè tantum, ſed & eleganter moneat: nos pariter transferimus ad TYPOS & figuras antiqui temporis, quarum eadem eſt ratio. *Typi* enim ſunt *prophetiæ reales*. Utriſ-
1 Pet. 1. 11. que prædictæ *paſſiones* Chriſti, eaſque *conſequuturæ gloriæ*. β. Jacobus Parens, à Spiritu actus, in fatidica ſua Oratione Filium ſuum
Gen. XLIX. 25. vocat נזיר אחיו/ quod non ineptè verteris, *Secretum fratrum ſuorum*. Quo ſenſu? An quod ipſe ſe à fratribus ſecreverit, vel ſeparaverit? Nunquam factum. An quod fratres ſe ab ipſo ſeparaverint? Factum equidem; ſed tenuis nimis & dilutus ſenſus. Reſtat dicamus quod verum eſt, dici *Secretum à fratribus ſuis*, quod ex Divino Conſilio inter *Fratres* ſuos eſſet EXIMIUS, quippe quem Deus elegerat, ut eſſet אות *ſignum* & מופת *prodigium*, perſona *ſingularis*, animadverſione digna, in cujus vitæ Caſibus & Eventibus ſic luderet Divina Providentia, ut Prudentes omnes obſervarent, eſſe hominem ſingularem, inſignem, ad finem quendam peculiarem à Deo electum; ſive, Deum hunc *Virum* à cæteris *ſecreviſſe*, ut illum *typum* & figuram faceret Perſonæ cujuſdam illuſtrioris, cujus characteres ex ipſo ſuo tempore cognoſci poſſent. γ. Si quis adhuc hæreat: demonſtro *al-*

terum

terum Josephi Somnium, tam grandia complexum, ut de Josepho solo nobis nunc, per experientiam majora edoctis, cogitare non liceat. Visi argumentum erat; SOLEM, LUNAM, *&* SI- Gen. xxxvii.
DERA *undecim se reverenter coram ipso incurvasse*; h. e. coram ipso 9.
decidisse in terram. Magnum illud est & grande. Domus Jacobi interpretatur de *Jacobo* ipso, ejusque *Conjuge* aliqua & *Filiis*, Josephum in eminentiore dignitate positum civiliter adoraturis. Rectè. Esto hic primus Visi sensus. Sed sublimior nec minus verior est, qui hic indicium facit *Christi Jesu*, veri Jes. xxiv. 23.
antitypi *Josephi*, de quo Vates id apertè prædixerunt; quę præ- Joël. ii. 31.
dictio jam consequuta est suum implementum, quando *Cælum OEconomiæ Veteris* destructum abolitumque est; de quo vaticinatus est Joël; & consequutura est iterum, quando remoto *factitio Cælo OEconomico*, superstitionis humanæ artificio, sub OEconomia Nova, Gloria veri Solis Christi Jesu universum Orbem collustrabit; de quo vaticinatus est Joannes. Apoc. vi. 12. xxi. 1.

III. *Altera hypothesis*, in qua interpretationem meam fundo, est; per ÆGYPTUM, *in qua evectus est Josephus ad summam Præfectura dignitatem*, *hic esse intelligendum* ROMANUM IMPERIUM. Quis mihi id neget, cum ipse Spiritus S. per Joannem id toti- Apoc. xvii.
dem verbis doceat? URBS enim MAGNA, quę interprete eo- 18.
dem Spiritu est ROMA cum *Imperio* illi subjecto, sive Pagana sive Pseudo-Christiana, dicitur in Apocalypsi *πνευματικῶς*, h. e. stylo Sp. S. *mystico* & *allegorico*, inter alia vocari ÆGYPTUS. Hic itaque in mysticis certus est *canon interpretationis*, qui non fallit. Ap. xi. 8.
Et favet res ipsa. *Ægyptus* enim circa id tempus, quo floruit Josephus, (sive inferior Ægyptus sola, sive superiori juncta; de quo nunc accuratius non disputo:) fuit florentissimum & munitissimum Regnum; opibus, viribus, incolarum numero, & industriâ nulli secundum; à cæteris Regnis Orientis illius ætatis distinctum; in quo Regno affligendus erat & afflictus fuit Populus Dei. Certè quantum ex antiqui ævi historia intelligimus: Regnum Ægypti tam antiquitate originis quàm amplitudine potentiæ, primis à Diluvio Sæculis, reliquis in Oriente Regnis antecelluit. Plura non addo, cum clarissimum testimonium Spiritus S. nobis hic abundè sufficiat.

IV. *Tertia* denique *hypothesis* sit; *ad* CHRISTUM JESUM, *ejusque*

STATUM, *rectè referri*, *quæ* ECCLESIÆ, *aut* INSIGNIORIBUS ECCLESIÆ MEMBRIS, *in quibus Christus Jesus* EST *&* VIVIT, *obtigerunt*; *ut* talis sit *Status Christi*, qualis est *Ecclesia*, aut illustriorum Ecclesiæ membrorum, in quibus Christus Jesus se conspiciendum præbet. Hæc hypothesis præcipua est, quâ major interpretationis pars, quę inexercitatis hujus studii ad primam speciem videri posset magis paradoxa, nititur; & est tamen certa & verò certissima, dudum ab aliis observata. Sic Dominus ipse
Act. IX. 4. in Oratione ad Saulem: *Saul, Saul quid* ME *persequeris?* Et mox
Vers. 5. iterum: EGO SUM JESUS QUEM TU PERSEQUERIS. Atqui *Saulus* persequebatur Ecclesiam. estne igitur Christus Ecclesia? Est. An Christus Jesus, in cœlos evectus ad summam gloriam, adhuc in terris *persequutionem sustinet*, affligitur, occiditur, cruci-
Matth. X. 40. figitur? Sustinet.. Alibi: *Qui recipit* vos, ME *recipit*. Et: *Qua-*
Cap. XV. 40. *tenus id fecistis* UNI EX FRATRIBUS MEIS *minimis*, MIHI *fecistis*. Ergo etiam *unus* fratrum Christi integrum sustinet Christum.
1 Cor. XII. 12. Nec alius est stylus Apostolorum. Sic Paulus ad Corinthios: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia verò illa membra corporis licet multa sint, tamen unicum corpus est: οὕτω καὶ ὁ Χριστός·* ITA ET CHRISTUS. Voluit dicere; *ita & Ecclesia.* Sed emphaticè magis dixit; *ita & Christus*, ob arctissimam *Ecclesia*
Ephes. I. 22. unionem cum suo *capite*, quippe *quæ est complementum ejus qui omnia in omnibus implet.* Caput enim non magis esse potest absque *corpore*, quàm *corpus* absque *capite*. Beza ad hunc locum monuit, *Christum interdum collectivè pro tota Ecclesia, capiti suo adjuncta, accipi*, idemque egregiè illustrat. Id ipsum est quod
Cap. III. 16. nos nunc urgemus. Idem Apostolus ad Galatas: *Non dicit seminibus tuis, ut de multis, sed ut de uno; & semini tuo*; QUI EST
Gen. XXII. 18. CHRISTUS. Et tamen promissum Abrahami tam ad *Ecclesiam*
Gal. III. 26. quàm *Christum* pertinet. Mox iterum: *Quicunque in Jesum Christum baptizati estis*, CHRISTUM INDUISTIS. Estne igitur ille, sano & recto sensu, factus *Christus* qui in Christum credit? Est; &
Ephes. II. 6. confirmat Apostolus ad *Ephesios*. Imo sanè *afflictiones*, quas credentes in hac vita sustinent, sunt τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ
Col. I. 24. Χριστοῦ. RELIQUIÆ AFFLICTIONUM CHRISTI. Ergone Christus Jesus, receptus in gloriam, adhuc patitur & affligitur in terris? Patitur omninò & affligitur in Ecclesia, quæ pars est Christi;

cor-

corpus Christi; in qua est & vivit Christus; in qua se conspiciendum exhibet; cum qua sortem suam dividit; ex cujus statu *suum statum* æstimari vult. Quare in Psalmis Davidicis, postquam mentio facta est *Christi* ex mortuis resuscitati & *δεδοξασμένι ad dextram Patris*: idem aliquando *Christus*, (in *Ecclesia*, aut *membro* aliquo suo illustriore *spectatus*) introducitur tanquam denuò supplicans Deum, & *liberationem ex novis calamitatibus* exorans; ut exemplum est in *Ps.* XL. 12. quod cum de ipsius *Christi persona* intelligi nequeat: vel intelligendum est de *Christo* quomodo se ostentat in Ecclesia; vel de aliquo illustri membro Christi, quod totius Ecclesiæ nomine hanc orationem fundit. quod nobis ferè perinde est. Oratio à ℣ſ. 12. videtur ejusdem esse personæ, cujus superior. Si tamen placeat, novam introduci personam; non cohærerent *duæ partes* hujus *Psalmi*, nisi supponeretur *posterior persona*, quę hic loquens introducitur, à ℣ſ. 12. facere partem & membrum *prioris* quæ absque dubitatione est *Christus*. Plura possem allegare ex ipsis *typis*; sed quæ ampliore indigent demonstratione quam nunc fugio.

V. Quarę autem hanc assumpserim hypothesin: ex ipsa interpretatione patefiet. Plerique *Allegoristæ* in Casibus Josephi mysticè interpretandis unicam tantum demonstrant *Josephi*, hoc est, *Christi mystici* afflictionem, & duos illos *Casus*, tam quo à *fratribus* conjectus in *foveam*, quàm quo in Ægyptum translatus, *conjectus* est in *carcerem*, interpretantur de Christi *humiliatione* & *morte*; quia non nisi *unicam* Christi *Humiliationem* sive *Afflictionem* agnoscebant. iidem *Christi Jesu glorificationem ad dextram Patris* confundunt cum ejus *Exaltatione in Regno Ægypti*, h. e. Imperio Romano. Sed hæc diversa sunt. α. Christi *Conjectio in foveam*, facta à *fratribus*, non potest idem significare quod *Afflictio* & *Incarceratio* in Ægypto, cum res diversæ sint & magnum intercesserit temporis intervallum, pluresque alii Casus intervenerint qui in hoc typo non possunt nihil significare. β. *Exaltatio Josephi antitypici* in *Ægypto*, h. e. Romano Imperio, in quo in Ecclesia sua honoratus & postea gravissimè afflictus fuerat, res est alia quàm ejus ὑπερύψωσις ad *dextram Patris*. Est illius ὑπερυψώσεως *evidentissima demonstratio*, quæ in hoc typo respicitur. Tu verò quisquis es qui has nostras meditatio-

nes

nes legeris, rem mihi feceris jucundam, tibi utilem, si judicium tuum non exprompseris antequam perlegeris, &, si tanti videantur, relegeris integras. Quod si feceris; nec tamen probaveris: fruere omninò, per me licet, tuo judicio. Nolo accipi, nolo amari & defendi mea, nisi quà solida, quà vera videntur; nec amo ipse. Hic canon, hic terminus esto. Innocua sunt; bono animo scripta; & si fortè errare contigerit: nihil magni vitii.

JOSEPHUS, CHRISTI JESU TYPUS.

Josephus à *fratribus* detrusus in FOVEAM; quem ejus statum ipsi illi fratres per *statum mortis* interpretati sunt, *Gen.* XXXVII. 20.	Christus D. à Fratribus suis Judæis *ad* MORTEM *datus*, illi inferendam per Romanos, & per *fratres* suos *sepultus*. *Christi mors* vocatur ejus *descendere in* FOVEAM, Psl. XL. 3. *Eduxisti me* מבור *ex* FOVEA *tumultuantis* sive *ebullientis aquæ*, *ex* LUTO COENI. Psl. LXIX. 3. *Immersus sum in* COENUM PROFUNDI, *& non est ubi consistam.* Pariter Psl. LXXXVIII. 5.
Ex *odio* & *invidia*. *Gen.* XXXVII. 11.	Ut & Christus; *Marc.* XV. 10.
Cujus tres potissimum caussæ,	Christo pariter summam apud Judæos conflavit invidiam;
(a) Quod supra ipsos à Patre *dilectus* fuerit; & symbolo singularis Amoris Parentis erga ipsum, *Polymitâ veste*, donatus. *Gen.* XXXVII. 3.	Quod præ se tulerit, esse se *Filium* sui Patris *dilectissimum*, idemque *Pater* de ipso prædicaverit. *Matt.* III. 17. Joh. V. 18. quodque *donis Sp. S. variis*, *insigni textura* quasi secum permixtis, se supra Pharisæos & Scribas commendaverit; *Jes.* XI. 1. *Joh.* III. 34
(b) Quod *famam* Fratrum vulgaverit apud Parentem. *Gen.* XXXVII. 2.	Quod Christus D. habitus sit ipsos *κατηγορεῖν αὐτοὺς τὸν πατέρα*, *accusare apud Patrem*. *Joh.* V. 45.
(c) Quod *somnia* interpretaretur *de se*, quæ *summam* illi portendebant *dignitatem* & *gloriam*. Gen. XXXVII. 27.	Quod Christus Dominus sive Parabolas, sive alias quasdam insigniores Verbi Dei partes, quæ summam ipsi *dignitatem* & *gloriam* pollicebantur, de se interpretatus sit, *Matth.* XXVI. 37, 38, 39, 41, 42. XXII. 43, 44. *Joh.* X. 36.
Post præcedaneam *Fratrum deliberationem*, ad ELUDEN-	Christi mortem præcessit solenne CONSILIUM & DELIBERATIO. *Matth.* XXVI. 3.

DENDA ejus SOMNIA. *Gen.* XXXVII. 20.

3. *Tunc* CONGREGATI *sunt primarii Sacerdotes*, & *Scribæ*, & SENIORES *Populi* ---- & *simul* CONSULTARUNT, ut JESUM INTERIMERENT. Et quidem ad Christi *de se* magnifica dicta eludenda. *Matth.* XXVII. 41, 42, 43. PRIMARII SACERDOTES *illudentes cum* SCRIBIS & SENIORIBUS, *dicebant*; *Si Rex Israëlis est, descendat nunc è cruce, & credemus ei. Fisus est Deo, eruat ipsum nunc, si placet ei: Dixit enim*; FILIUS DEI SUM.

Et *post præcedaneum condemnationis judicium*, quo jussus est exuere *tunicam* illam *variegatam*, symbolum singularis amoris Paterni, *Gen.* XXXVII. 23.

Christo pariter ante mortem per sententiam Synedrii abjudicatus summus honor *Filii Dei dilecti*, ex qua Christi prærogativa quicquid in ipso eximium est deduci debet. *Matth.* XXVI. 64, 65. XXVII. 28.

Josephus, è fovea eductus, traditus est *Mercatoribus Midianitis*, & *Ismaëlitis*, sive *Arabibus*, *Gen.* XXXVII. 28.

Christus D. per Resurrectionem de morte liberatus in insigniore aliquo membro Corporis sui mystici, IN QUO IPSE VIXIT, (Gal. II. 20.) traditus est *Arabibus*; dum PAULUS propter insidias sibi à Judæis structas coactus est fugere in *Arabiam*, & CHRISTUM JESUM *secum* in *Arabiam* adduxit, h.e. Verbum Evangelii *Arabibus* nunciavit, exposuit, *Christumque* iis *in* & *per se* præsentem stitit. *Act.* IX. 24, 25. coll. cum *Gal.* I. 17. *Joh.* XIII. 20. *Quando quem misero: qui* EUM *recipit*, ME RECIPIT. *Gal.* IV. 14. ME *ut angelum Dei*, *ut* CHRISTUM JESUM *excepistis*.

Viginti venditus *siclis*. *Ibid.*

Arabes, Syri, Græci, qui per Pauli Ministerium ad fidem in Christum adducti sunt, Christi ab iis recepti caussâ *sumptus fecerunt*, *Act.* XI. 29. XII. 25. sive, *Christum* receperunt cum *abnegatione sui* & *facultatum* suarum terrestrium; eas cum Christo *commutantes*: quod est *Christum emere*, *Matth.* XIII. 36.

Ab *Ismaëlitis*, sive *Arabibus*, venditus est *Ægyptiis*; *Gen.* XXXVII. 36.

Postquam CHRISTUS se in *Paulo* & per eum aliquandiu Arabibus & Syris ostentavit: idem ille Christus quasi per *Paulum* & ejus Comites ad Græcos & *Romanos* (Romanum enim *Imperium* per *Ægyptum* figuratum esse, jam monuimus:) transiit, ut liquet ex historia ejus in *Actis Apostolorum*; qui ipsi quoque Christum receperunt cum *abnegatione sui*; parati commoda & *facultates suas* caussâ Christi *abnegare*, & *nummos expendere*; quod egerunt. *Rom.* XV. 24, 25, 26. *Pauli* autem nomine hic intelligendi sunt omnes ejus *Socii* & *Coöperarii* in Opere Domini; simul omnes alii *veri Doctores Evangelii*, per quos Christus innotuit *Romanis*; sive per quos *Christianismus* in Imperio Romano Pagano fundatus, & ipsam quoque Romam translatus est. *Rom.* I. 15. *Itaque quicquid in me situm est, promptum est ad vobis etiam, qui* ROMÆ *estis, Evangelizandum.*

Et quidem *Potiphari*, *Aulico*, Satellitum Præfecto. *Ibid.*

Christus D. *Romæ* se in & per Paulum & Credentes, membra sua, manifestavit in *ipsa Domo Cæsaris*. *Phil.* IV. 22. Exemplum sub Domitiano in *Flavio Clemente*, Consule, *ejusque Nepte*, *Flavia Domitilla*, apud Dionem & Eusebium.

Josepho, versanti in ædibus Potipharis, res egregiè successerunt, adeo ut *à Potiphare domui* ejus *præfectus fit*. *Gen.* XXXIX. 4, 5, 6.

Christianis tractu temporis in *Romano Imperio* res eatenus successerunt, ut non tantum Christiana Religio disseminata fuerit per totum Imperium Romanum, sed etiam ut in *Palatiis Imperatorum* & *Principum*, imo in ipsius *Palatio Diocletiani*, ipsorum curæ & fidei omnia commissa sint. Lactant. *de Mort Pers.* Cap. XI. *Satis esse si* PALATINOS (loquitur de Persecutione Diocletiani) *tantum ac milites ab ea Religione cobiberet.* Cap. XIV. *Omnes deni-*

denique, QUI ERANT IN PALATIO MAGISTRI, *datâ potestate*, *torquebant*. Cap. XVII. *Luctus repentè* IN PALATIO, *mœstitia, lacrimæ, judicum trepidatio, & silentium*. Sed certè Divina manus Eusebium duxit, hæc scribentem de statu Ecclesiæ florente ante Diocletianeam Persequutionem, Hist. Eccl. *Lib.* VIII. *Cap.* I. *Argumento esse possit Imperatorum benignitas erga nostros*, οἷς καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἐνεχείριζον ἡγεμονίας QUIBUS REGENDAS ETIAM PROVINCIAS COMMITTEBANT. *Quid opus est dicere de iis, qui in Imperatorum Palatiis versabantur? quid de Imperatoribus ipsis? Qui domesticis suis, eorumque Uxoribus, liberis, & servis, ea, quæ religionis suæ erant, tam verbis quam factis, liberè exsequendi coram semet ipsis potestatem dederunt; ipsis ob hanc fidei suæ libertatem gloriari ac se ostentare quodammodo permittentibus*; οὓς ἐξόχως καὶ μᾶλλον τῶν συνθεραπόντων ἀποδεκτοὺς ἡγοῦντο· EOSQUE PRÆ CÆTERIS OMNIBUS MINISTRIS PRÆCIPUO QUODAM AMORE COMPLECTEBANTUR. *Cujusmodi fuit Dorotheus ille*, *&c.* Imo jam ante Persequutionem *Decianam* & *Valerianam* Christiani in omnibus Ordinibus hominum, etiam spectatissimis, reperiebantur. Vide Cyp. *Epist.* LXXXII.

Eo cum esset in statu Josephus tentata est ejus pudicitia ab hera ejus, Potipharis Conjuge, *Gen.* XXXIX. 8.

Christiani sub *Diocletiano* (nam ad illa tempora cæterarum partium historiæ ἀναλογία nos ducit:) à *Sacerdotibus*, aliisque Religionis Romani Imperii Antistitibus, *Magis*, *Haruspicibus*, & *Philosophis*, quibus Imperatores patrocinabantur, ad *idololatriam*, quæ in Scriptura *adulterium* dicitur, committendam, sæpè & multis invitati sunt, sed frustra & absque successu; quin potius *nudi*, *vestibus* suis apud Heram *derelictis*, aufugerunt, hoc est, dignitatibus se spoliari passi sunt, quam ut in id

consentirent. De priore en locum Lactantii de *Mort. Pers.* Cap. XXXVI. *Quibus annuens*, (Maximinus) *novo more Sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex Primoribus fecit, qui & sacrificia per omnes Deos suos quotidiè facerent, & Veterum Sacerdotum Ministerio subnixi darent operam, ut Christiani neque fabricarent, neque publicè aut privatim colerent*, (coirent) *sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel Judicibus offerrent.* Posterius habes in primo Edicto Diocletiani, apud Lact. Cap. XIII. *Postridie propositum est Edictum, quo cavebatur, ut Religionis illius homines* CARERENT OMNI HONORE AC DIGNITATE, &c.

Post frustra sollicitatam Josephi pudicitiam hera ii *adulterii* tentati calumniam impegit, eumque hoc nomine apud maritum suum accusavit. quam accusationem ejus sequuta est *incarceratio. Gen.* XXXIX. 14, 15, 16.

Sacerdotes & Religionis Paganæ Patroni post frustraneos conatus ad fidem Christianorum blandis mediis labefactandam adhibitos illos accusarunt apud Præsides & Imperatores *violatæ Religionis avitæ*, & tentati circa illam *adulterii spiritualis*, dum non ipsi tantum illam derelinquebant; quod tantundem censebatur ac si *fidem* illis Sacris debitam *violarent*; sed & aliis ad illam deserendam auctores erant; ob quod magno numero non interempti modò sed & *incarcerati sunt.* Lact. Cap. XV. *Pleni carceres erant.* Confer. Euseb. H. E. Lib. VIII. Cap. VI.

Ex qua tamen liberatus & eductus est Josephus per *Pharaonem*, & evectus ad summam in Ægypto dignitatem, Pharaone omnia Josepho subjiciente, & per eum curante. *Gen.* XLI. 16, 40, 41.

Christiani (in quibus Christus vivit) ex Diocletianea illa Afflictione tandem liberati vindicatique sunt per *Constantinum*, Imperatorem Romanum, & evecti ab ipso in summam dignitatem per *universum Imperium Romanum*, omnia illorum curis & præfecturis subjiciente. Lact. Cap. XXXV. *Tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum cæteris confessoribus è custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit.* Euseb. de Vitâ Const. Lib.

II.

II. Cap. XLIV. Καὶ πρῶτα μὲν τοῖς κατ' ἐπαρχίας διηρημένοις ἔθνεσιν ἡγεμόνας κατέπεμπε, τῇ σωτηρίῳ πίστει καθωσιωμένους τοὺς πλείους· *Et primum quidem in singulas Provincias eos Præsides ut plurimum misit*, (Constantinus) *qui salutari fidei dicati essent*. Quo autem honore tam Christianos quam Episcopos eorum exceperit passim, omnia illis subjiciens & suos quasi honores cum illis partiens: id ex his ipsis *Eusebii* Libris aliisque hujus temporis monumentis abundè liquet.

Eductus autem est ex carcere Josephus & ad dignitatem evectus summam, occasione *Somnii Pharaonis*, cujus *interpretatio* à solo præstari potuit *Josepho*, *Gen.* XL. 1, 2, 3.

Constantinus Magnus ad Christianam Religionem conversus & Christianos evehendos adductus est per *Somnium* θεόπεμπτον, quo tempore cum Maxentio de summa rei ante mœnia Romæ decertaret. Lact. Cap. XLIV. *Commonitus est* IN QUIETE *Constantinus, ut Cœleste signum Dei* (Crucis) *notaret in scutis, atque ita prælium committeret.* Crucis autem, sive *Doctrinæ de Cruce*, neque adeo hujus *Signi* ulli à Constantino adhiberi potuerunt Interpretes, quàm *Christiani*; per hoc medium liberari evectique.

Josephus antequam è carcere eductus fuit, *indicatus* fuit Pharaoni per *Pincernam* ejus, hoc est, per unum ex Officialibus & Aulicis ejus, Ægyptiæ Superstitionis hominem. *Gen.* XLI. 9.

Audiendus est Constantinus, quomodo & à quo Christiani ipsi primò commendati fuerint: *Te nunc testem appello, Deus altissime. Scis qualiter ego tunc temporis adhucdum adolescens illum qui inter Romanos potiorem locum tunc obtinebat ex Protectoribus suis curiosè sciscitantem audiverim*; QUINAM ILLI ESSENT JUSTI, *in terris degentes*? (qui Apollinem oracula edere cohibebant;) *Et quendam ex Sacrificulis, qui circa illum erant, respondisse*; EOS ESSE CHRISTIANOS. Euseb. de *Vita Const.* Lib. II. Cap. L. & LI.

Josephi elevationem ad summam dignitatem in Regno Ægypti sequuti sunt Se-

Quis neget, floruisse rem Christianam post orbem ad Christum conversum sub Constantino aliquandiu in Romano

ptem anni Abundantiæ, & *totidem Caritatis annonæ. Gen.* XLI. 47, 54. nec in Ægypto tantum, sed & in Finitimis Regionibus, & toto Oriente. vers. 57.

no Imperio, & magis in *Occidente*, quam *Oriente*, antequam Christianismus laborare cœpit *summâ penuriâ* rerum spiritualium; Asiâ, Africâ & Græciâ cum tempore occupatis à Muhammedanis, & in Occidente dominium obtinentibus ignorantiâ & superstitione.

Frumenti tamen copia superfuit in *Ægypto*, collecta annis abundantiæ, quâ Ægyptus annis penuriæ sustentata est.

Sustentata tamen adhuc est Ecclesia *illis* sæculis *Ignorantiæ* & *Superstitionis* in Romano Imperio Scriptis Doctorum, qui floruerunt *tempore abundantiæ*, primis nimirum Christianismi sæculis; imprimis uno & altero sæculo post Constantinum, ut *Hieronymi* & *Augustini*, quorum doctrinam in systemata redegerunt. Sic instituere Lanfrancus, Abaillardus, Lombardus, aliique, post Damascenum in Oriente.

Frumentum illud eum in modum distributum est à Josepho, ut omnes Ægypti incolas Pharaoni *servos* fecerit. *Gen.* XLVII. 19, 20.

Pabulum spirituale eum ad modum distributum est in *Romano Imperio*, ut Ecclesia tota per Occidentem, hoc est, Romanum Imperium diffusa, *serva facta* fit *Romanis Pontificibus*, qui sibi jus Imperatorum arrogarunt, & per illos subdita Imperatoribus Francis & Germanis, in quos *Imperatoris* Dignitas per Pontifices Romanos collata est.

Illo tempore grassantis ubique famis fratres quoque Josephi in Ægyptum venerunt, ad se ipsos in vita conservandos; durius ibi habiti acceptique, Josephum tamen hactenus non agnoscentes: *Gen.* XLII. 5. &c.

Cum omnia in Oriente, & ipsorum quoque Judæorum res collaberentur: receperunt se magnâ copiâ Judæi circa *undecimum* à Christo nato Sæculum (medio tempore famis Ecclesiæ) ex Oriente in Occidentem, & quidem in *Hispanias*, *Gallias*, imo ipsam *Italiam*; ubi sæpè durissimè habiti, afflicti & vexati sunt, & varia ad illos convertendos adhibita est opera, quibusdam quoque ex iis conversis; etsi hactenus in incredulitate sua perstiterint. Res clara ex R. Gedalia, aliisque Chronol. Hebr.

Sic

Tandem Josephus se fratribus suis, hactenus fatali quodam stupore occæcatis, *manifestavit*, suumque affectum & res suas iis declaravit, cum varia benevolentiæ testatione. *Gen.* XLV. 2.

Sic omninò expectamus juxta promissa & vaticinia, divinis comprehensa Oraculis, *Christum Dominum* se Judæis in his ipsis partibus Occidentis per Spiritum suum aliquando esse *revelaturum*, & κάλυμμα, quo nunc Divino Judicio tenentur, ab iis remoturum. 2 *Cor.* III. 16.

CAPUT XXII.

Mysterium Simsonis, *primum virtutis suæ specimen edentis in discerpendo* LEONE JUVENE, *in cujus* cadavere *deinceps congregatum est* EXAMEN APUM, ibidem MEL parantium; *investigatur. Quo fine* res gesta *illustratur ex historia; probatur esse* typica; mysticæ *interpretationis* hypothesis *monstratur, & secundum eam* τὰ ἀντίςοιχα *inter se comparantur.*

IN declarando *Josephi Typo* favit mihi communis Christianæ Gentis πρόληψις. Omnes enim sinceri Religionis nostræ Cultores in *Josepho*, ejusque fatis, tam accuratè descriptis, aliquid majus vident & illustrius quàm quod litera externa exhibet. Sed minus mihi hic polliceri possum dum versor in *Historia* SIMSONIS; cujus, licet NAZIRÆI & ante natales à Deo *electi*, gesta ejusmodi vix esse videntur, ut nos magnoperè invitent ad *Christum in Simsone* quærendum. Si quid igitur veri insit in mystica historiæ ejus interpretatione: oportet, ipsa veri vis id extorqueat. Meæ nunc meditationis objectum tantum erit *Casus* notabilis *Leonis Juvenis*, ab ipso discerpti, cujus cadaver ipsi postmodum *mel degustandum* præbuit.

II. Casus ille notabilis in Libro, qui historiam Reipublicæ Judææ quo tempore à *Judicibus* administrata est, complectitur, ferè in hunc modum narratur. Simson, Danita, Deo secundum legem Naziræorum sub OEconomia Vetere consecratus, captus formâ virginis cujusdam Palæstinæ, Timnathâ (quæ Cap. XIV. 5. 9.

Philisthæorum urbs erat:) ortæ, Parentes suos rogavit, ut eam sibi asciscerent, & conciliarent in matrimonium. At Parentes primò quidem hoc consilium improbare, & Filium ab eo abducere; deinde tamen cum viderent illum pertinaciter in proposito suo hærere, ipsius desideriis satisfecerunt. Quod dum agerent & hac de caussa cum Filio Timnatham irent: accidit, ut Simsoni, qui in vinetis Timnæ diverterat, Leo Juvenis, rugiens, ex adverso occurrerit; quem ille, viribus fidens, absque mora manibus suis discerpsit, insciis Parentibus. Ad quod Leonis cadaver cum aliquanto post, idem iter ad sponsam suam ducendam relegens, deflexisset, observavit in eo nidulari examen apum cum melle ab iis parato: quod volâ suâ exceptum inter eundum comedit, & Parentibus quoque suis comedendum præbuit, casu tamen Leonis à se discerpti hactenus cum illis non communicato. Quando jam deinde nuptiale epulum pro illius loci & temporis consuetudine celebraretur: Simson triginta illis adolescentibus, qui honoris caussâ illi hoc tempore aderant, ænigma proposuit, argumento ab hoc Leone desumpto, septem nuptialis festivitatis diebus ab *ipsis explicandum*, ni mulctari vellent triginta byssinis & totidem elegantioris speciei vestibus: EX EDACE CIBUS; EX FEROCE (valido;) EXIIT DULCE. quo resolvendo cum se se per triduum frustra fatigassent & nihil profecissent: *septimo die* à nova nupta minis suis extorserunt interpretationem ænigmatis, quam precibus supplicibus & lacrimis ipsa à marito impetraverat. quod Simson ægerrimè tulit, & strage in Ascelonitas editâ vindicavit. Quæ historia nobis quod ad *Literam*, quæ dicitur, prius paucis illustranda esset, quàm *mysticam* & *spiritualem* ejus expositionem pervestigare institueremus, nisi passim per se satis esset intellectu clara & facilis. Suffecerit itaque, ut inutili parcamus operæ; illa modò historiæ verba expendisse, quæ ipsum illum *Casum* Leonis à Simsone discerpti continent, quem huic nostræ dissertationi tanquam Fundamentum substernimus: cæteris industriæ nostri Lectoris relictis.

Vers. 5, 6. III. De CASU itaque jam commemorato hæc habet historia: *Et descendit Simson cum Patre & Matre suâ Thimnatham: & venerunt ad vineas Thimnathæ. Et ecce! leunculus Leonum rugiens in*

occur-

occursum ejus; & invasit eum Spiritus Domini & laceravit eum, ut laceratur hædus, & nihil erat in manu ejus, & non indicavit Patri aut matri suæ, quod patraverat. Ad quæ hæc pauca, lucis caussâ, observamus.

IV. *Et descendit Simson cum Patre & Matre sua* THIMNATHAM.

Thimnatha oppidum fuit in tribu Dan, non procul dissitum à mari Mediterraneo, cujus mentio in Libro *Josuæ, diversum à †*Thimna* in Tribu Judæ: quarum urbium hæc in monte, illa in valle videtur sita fuisse. De ¶ Juda enim dicitur, quod Thimnam *ascenderit*; de Simsone, quod ad eam *descenderit*. Sic sciscit ‡ Cl. Bochartus, cujus observationem hic lubentes amplectimur.

* Cap. xix. 43. † 2 Par. xxviii. 18. ¶ Gen. xxxviii. 12, 13. ‡ Hieroz. Part. ii. Lib. iv. Cap. iv.

Et venerunt ad VINEAS THIMNATHÆ.

Nempe circa hæc loca fuit vallis * *Sorek*, vitibus generosioribus celeberrima, & hoc nomine in † Sacris Scripturis laudata. sic rursus rectè ¶ Bochartus.

* Jud. xvi. 4. † Jes. v. 2. Jer. ii. 21. ¶ L. c.

Et ecce! LEUNCULUS LEONUM *rugiens in occursum ejus.*

כפיר est *Leo juvenis*, major *catulo*, quem Hebræi גור vocant. כפיר אריות *Leunculus Leonum*, aut *Leænarum*, eadem phrasis est, ut ‡ Bochartus rursus commodè observavit, quæ גדי עזים *hædus caprarum*, supponitque, vocem כפיר ratione etymi sui esse nomen *generis*, quod ad certam speciem in phrasi hac restringatur. quod ita se omninò habebit, si כפיר descendat ab Arabum כבר *adolescere*, literis ב & פ inter se mutatis. quæ Bocharti probabilis est conjectura. Fuisse autem hæc loca non inaccessa leonibus, idem Vir Doctus scitè in rem nostram colligit ex nominibus vicinarum urbium, * *Lebaoth* & † *Bethlebaoth*, à leænis denominatarum.

‡ L. c. * Jos. xv. 32. † Jos. xix. 6.

Et INVASIT EUM (תצלח עליו) SPIRITUS DOMINI.

Phrasis de iis usurpatur ¶ in Sacra Veteris Testamenti historia, qui extra ordinem insolenti modo à Spiritu Sancto afficiebantur, & ad res majoris momenti peragendas arcanâ quadam & insuperabili virtute impellebantur atque incitabantur, & ad eas feliciter gerendas singulari quadam aptitudine & agilitate instruebantur: quæ operationes Spiritus Sancti sub OEconomia Vetere verè fuerunt notabiles & animadversione atque admiratione dignæ, & longè sanè distant ab operationibus Spiritus S. sub OEconomia Nova. Nempe Spiritus Sanctus suis operationibus istoc tempore subserviebat OEconomiæ Fœderis Sinaitici, quod aliquo & quidem præcipuo suo respectu erat *externum* & *carnale*. *Carnem* enim vocat Scriptura quicquid externum est, & per modum typi quid aliud melius & præstantius, quod sit instar *spiritus*, tegit atque involvit. Ut igitur Deus illa sub OEconomia externa & carnalia in cultu suo toleravit: sic ipsi illo tempore convenire potuit per Spiritum suum heroicos quosdam & generosiores motus, verè *carnales*, (non quod vitiosi essent,

¶ 1 Sam. x. 6. 1 Sam. xvi. 30.

ſent, ſed quod hominem ſecundum eam partem quâ *caro* eſt ornarent; *mentem* verò, meliorem hominis partem, intereà temporis non ſanctificarent aut perficerent:) in quibuſdam hominibus ſuſcitare, ut ad facinora quædam patranda habiles redderentur & idonei. quæ tamen verè erant typica, & meliorem reſpiciebant OEconomiam, ſub qua Deus per *gratiam Spiritus S. internam* eadem & longè præſtantiora opera ederet. Sub OEconomia Nova dat Deus* *Spiritum* GRATIÆ & PRECUM: qui *Spiritus eſt Chriſti.*

* Zach. XII. 10.

Et LACERAVIT *eum* (וישסעהו) UT LACERATUR HOEDUS, & NIHIL ERAT *in manu ejus.*

שסע eſt *diffindere, diſtrahere:* Græcis διασπᾶν. Simplicitas itaque hujus contextus nos jubet credere, Simſonem, † magnâ uſum agilitate & arte, leonem poſterioribus pedibus prehendiſſe, & in duas *diſcerpſiſſe partes*; nullo telo aut ſagittâ inſtructum: non quod Joſephus contra hiſtoriæ veritatem fingit, illum *ſuffocaſſe*, (ad Herculis ſcilicet exemplum!)

† Antiq. Lib. V. Cap. X.

Et non indicavit Patri aut matri ſuæ quod patraverat facinus.

Res clara & facilis intellectu, cujus cauſſæ nos latent. Haud dubiè idem Spiritus, qui Simſoni ad hoc facinus patrandum animum & vires addiderat, ipſi eo jam tempore ſuggeſſit, poſſe illum ex hoc facinore, ſi id celaret, *ænigma* deſumere *nuptiale* pro more illorum temporum. Sed id nobis nunc perinde eſt, ſive hoc ſive etiam aliud hic ſubfuerit, quod nos fugit.

V. Hæc ad literam hiſtoriæ obſervaſſe ſuffecerit. Videamus de *myſtica* illius *ſignificatione*, ſive *Re ipſa*, quam hujus *Literæ Cortici* involutam eſſe arbitramur. Ubi nobis duo agenda ſunt. α. Demonſtrandum eſt, hanc hiſtoriam eſſe *typicam.* β. In typicam & *myſticam* illam hujus hiſtoriæ *ſignificationem* nobis erit inquirendum.

VI. Quod *ad prius* † *Hiſtoriam hanc Simſonis eſſe typicam*, & ipſum Simſonem alterius cujuſdam Perſonæ Figuram geſſiſſe, nullo quod ſciam indicio ex Libris Novi Teſtamenti liquet: ac proinde, ſi nos hic componere vellemus ſecundum canonem judicii illorum Scripturæ Interpretum, qui nullos in Vetere Hiſtoria typos agnoſcunt, niſi qui ab ipſo Spiritu Sancto ut tales notati & indicati ſint, non liceret nobis hic quicquam audere. Sed etiamſi nimiam in Typicis licentiam damnemus: non patimur tamen libertatem noſtram tam arctis cancellis finiri. Sunt nobis rationes, ut opinor, non ſpernendæ, quibus hoc facinus Simſonis, & quæ illud comitata & conſequuta ſunt alia, figurata eſſe adſtruamus.

VII.

VII. *Primò* itaque hic observari velim, rem, quæ in hac historia narratur, verè esse notabilem, & non absque singulari quodam lusu divinæ providentiæ gestam, quę proinde cum debita attentione legi & expendi nequit, nisi lectorem veri amicum suspensum teneat, eumque invitet ad arcanam & mysticam illius δήλωσιν investigandam. Nobis enim verè ita persuasum est, omnem historiam OEconomiæ Veteris insolentiorem, quam patet datâ operâ à Scriptoribus Sacris diligenter & exactè cum omnibus circumstantiis suis narrari, majus aliquod involvere mysterium; sive omnem casum insigniorem, qui Personis ἐξαιρέτοις sub OEconomia Vetere accidit, circa quas constat Divinam Providentiam extra ordinem versatam esse, habendum esse pro mystico & ἀλληγορουμένῳ. Vetus enim illa OEconomia verè fuit typica & umbratilis; & de sapientia Divina nihil minus præsumendum esse arbitramur, quàm Deum prudentissimo consilio suo res in utraque OEconomia eventuras ita inter se ordinasse & composuisse, ut sibi essent conformes & analogæ, & quę in Vetere OEconomia cœptæ sunt, in Nova suum veluti complementum & ἀποτέλεσμα acciperent; tum etiam, Spiritum Sanctum olim suâ virtute & potentiâ non lusisse *in carne*, nisi cum σχέσει ad majus & excellentius opus perficiendum in gratia *secundum Spiritum*. Quid enim Spiritus S. *carnem* curat? quid potentiâ & viribus instruere hominem ad *occidendum leonem*? An *boves Deo curæ sunt?* ait alibi Apostolus. 1 Cor. IX. 9.

VIII. *Secundò* non licet hac de hypothesi nostra dubitare, cum negari nequeat, *Simsonem* fuisse typum Christi, & hoc facinus Simsonis inter ea quæ patravit per Spiritum Sanctum, quantum nos ex historia recognoscimus, fuissę primum & insigne. Erat ipse vi promissi Divini, ab Angelo Jehova Parentibus Simsonis facti, ex *uxore sterili* per Dei potentiam suscitatus; ut alii sub OEconomia Vetere plures, per quos Deus figurare voluit Filium suum κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τῆς χάριτος *ex muliere* per suam potentiam absque ope Viri secundum naturæ leges producendum. Fuit נזיר *Naziræus ab utero matris usque ad mortem.* Cap. XIII. 7.
quod inter tot alios illustres antiquæ OEconomiæ homines ipsi privum fuit, atque adeo animadversione dignissimum. Per *Naziræos* autem Deus olim adumbrare instituit, ut existimem, *per-*

fectam & omnibus numeris absolutam *sanctitatem*, quæ infert *summam* ἐλευθερίαν *libertatem* ab omni *concupiscentia* & *servitute* qualiscunque vitii & *peccati*, animumque Deo in omni habitu, actu, & statu, devotum & consecratum. qua de re pluribus disserere possemus, si id nunc ageretur. quam sanctitatem libertatemque spiritualem cum in nemine prius & potius quàm Christo Jesu agnoscamus & celebremus: omnes quidem Naziræos par est habeamus pro typis Christi, & cum maximè illos, qui non suo arbitrio sed consilio & voluntate Dei à vulgo hominum secreti & Deo consecrati sunt, quos inter eminuit Simson. Certè Simson ab eo usque tempore, quo Spiritus Dei ipsum invadere, & ad illustria facinora patranda impellere cœpit, fuit אות Signum & מופת portentum in Israële. Talia egit & patravit, quæ omnium provocabant attentionem atque admirationem. Videbant, non esse illum hominem vulgarem, sed extra ordinem à Deo suscitatum ad illustria quædam facinora edenda, ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί. Cujusmodi אותות & מופתים *Christum* & *Discipulos ipsius futuros esse*, prodidit Jesaias. Cap. VIII. 18.

IX. *Tertiò* denique hanc sententiam facilè nobis persuaserit exacta illa convenientia, quam inter Simsonem sub OEconomia Vetere & aliam quandam Personam illustrem, Christum nempe Jesum, & aliqua ipsius facinora, intercedere demonstrari potest. Quæ rerum utriusque OEconomiæ convenientia cum dependeat à consilio & placito Dei, quo una res ad aliam prudentissimè ordinata est: quid dubitabimus prædicare, alteram alterius typum & figuram gessisse? Id igitur re ipsâ nobis nunc erit comprobandum. Quod ut ritè fiat: ante omnia curandum est, quod in omni genere typicæ & parabolicæ interpretationis observari oportet: ut *hypotheses benè locentur*, & *subjecta*, inter quę comparatio instituenda erit, absque errore demonstrentur. Qua de re liceat mihi animi mei sententiam æquis & veri studiosis lectoribus modestè, attamen liberè, aperire.

X. Cum primò me componerem ad hunc typum declarandum: has mihi fingebam *hypotheses*, minimè, ut videtur absurdas; α. Per Simsonem intelligendum esse Christum Jesum, Simsonis verum ἀντίτυπον. β. Virginem Philisthæam, à Sim-

Simsone ducendam & ductam Conjugem, respondere *Ecclesiæ* illi Credentium, quam Christus Jesus, Dominus, ex Gentibus colligeret, & spirituali vinculo fidei & amoris sibi uniret. *γ.* LEONEM verò RUGIENTEM, à *Simsone* profligatum & occisum, figurasse DIABOLUM, *Leonem Rugientem*, stylo Davidis & Petri, Ps. XXII. 14. à Christo Jesu vincendum atque enervandum, ut Ecclesia *spiritualium bonorum gratiâ*, quæ cum *melle* comparari possunt, compos evaderet. Has, inquam, mihi fingebam hypotheses, quę nihil continebant paradoxi. quod hic sufficit. quare etiam hic parco verbis. Solummodò dicam, me, ubi propius veni in rem ipsam, & ad ipsam comparationem typicam elaborandam me accinxi, in *hypothesi tertia* incepisse hærere, cum omnia ex voto non responderent.

1 Pet. V. 8.

XI. Percipiebam equidem, per *Leonem* illum *Juvenem* intelligendum esse ferocem quendam *Adversarium* Christi Jesu ab ipso victum & debellatum, sed *α.* Non perspiciebam rationem, quare *Diabolus* hic occurreret sub schemate *Leonis Juvenis* & *Catuli*, & non potius sub symbolo *Leonis adulti* & *annosi?* Certè nemo neget, posterius esse emblema Diaboli, si cætera respondeant, aptius & convenientius. *β.* Ad animum revocabam, Simsonem hunc profligasse *Leonem*, & de eo triumphasse, suâ virtute & viribus: Christum verò Jesum *Diabolum in cruce* non tam *potentiâ* quàm *obedientiâ* suâ superasse. *γ.* Præcipuè tamen in eo hærebam, quod Simson in *Cadavere illius Leonis occisi* deinceps repererit *examen apum*, cum *melle* ab iis parato. Etiamsi enim vel maximè verum sit, *cædem Diaboli*, quæ facta est per mortem Christi, saluti fuisse electis Credentibus: videbam tamen, non adeo commodè *Credentes*, vel *Credentium Doctores*, (illi enim hic per *apes* intelligendi erunt:) dici *congregari* & *mel parare in cadavere* hujus *Leonis interempti*. Credentes enim se non uniunt Diabolo licet viribus privato; nec habet propriè Diabolus *mel*, quo Christum vel *Credentes* pascat. Et videtur sanè hæc difficultas in caussa fuisse, quod Viri Docti, qui hunc typum commentati sunt, quandoque ad eum *ἀσύστατα* protulerint. Sic utique, qui omnium manibus versatur, Taylorius, non contemnendus quorundam typorum Sacrorum Interpres, in *Typo Simsonis* exponendo modò per *Leonem* videtur

Christ. Rev. Cap. ix. §. 11 tur intelligere *Diabolum*, modò *Christum*. Ita nimirum in priore „loco ſcribit: Simſon *in vorante reperiebat edulium*, *in acri dulce.* Chriſtus è MORTE SUA, à qua totus videbatur abſorptus, „NOBIS PROMIT EDULIUM, panem vitæ, ipſo melle dulciorem. „Ex HUJUS QUOQUE LEONIS CADAVERE, (CHRISTI MORTE:) „prodiit dulce. Viden' ipſum per *Leonem* hic Chriſtum Jeſum §. iv. ipſum intelligere? Lege tamen mecum ejuſdem Viri verba in „ſequentibus: Ita primùm roboris ſui ſpecimen Noſter edidit „Simſon, (Chriſtus:) quando rugientem illum leonem infer- „nalem in deſerto terrificis adorientem inſultibus profligabat. Hæc mihi difficulter inter ſe videntur poſſe componi. *Leo* enim in hoc typo non poteſt duas ſuſtinere perſonas ſibi tam oppoſitas & contrarias ut quæ maximè: nec Chriſtus commode dici poteſt ſecum ipſo decertaſſe, & ſe ipſe interemiſſe. Si verum volumus: Leo in hoc typo ſignificare debet quendam Chriſti Jeſu adverſarium, qui cum inſtar hoſtis in ipſum irruerit, ab ipſo glorioſè & cum ſingulari virtutis ſuæ demonſtratione victus eſt. Quem oportet vel ipſum eſſe Diabolum, vel quendam Diaboli miniſtrum ſive ſatellitem, à Diabolo actum & ejus inſtinctu adverſus Chriſtum Jeſum ferocientem. Circumſpexi itaque, an hiſtoriæ Evangelicæ mihi non darent JUVENEM aliquem, ſe FEROCITER Chriſto Jeſu opponentem, & in ipſum SÆVIENTEM, à Chriſto Jeſu cum inſigni potentiæ ſuæ demonſtratione victum & triumphatum, ad quem deinde *ſibi ipſi* & *legi mortuum* Credentes, & *Credentium Doctores*, inſtar *apum* confluxerint, & in quo quaſi nidulati Chriſto & toti Eccleſiæ gratum paraverint paſtum? Inveni PAULUM Apoſtolum: & prorſus mihi perſuadeo, poſteriora hæc verba attentè legi non potuiſſe à ſtudioſo Divinæ veritatis, quin illi mox in mentem venerit de *Paulo Apoſtolo* cogitare. Certè poſtquam hanc hypotheſim amplexus ſim: omnia mihi in hoc typo clara fuerunt & facilia; nec ullibi temerè hæſitavi. Quare liceat mihi nunc abſque longioribus ambagibus his ſtratis fundamentis παραλληλισμὸν inter *typum* & illius ἀντίστοιχον, jam indicatum, ſuperſtruere, non modò *ipſum* CASUM *Leonis victi*, ſed illius quoque ANTECEDENTIA & CONSEQUENTIA illuſtraturo.

XII. An-

XII. ANTECEDENTIA.

Simson, à Deo ex fœmina sterili secundum *præcedaneam promissionem* excitatus, & *ab utero Naziræus*, captus est amore Virginis ἀλλογενοῦς, *Philisthææ*.

Christus Jesus, *Filius promissionis*, ex Virgine per Dei potentiam suscitatus, qui Naziræorum ἀντίτυπος omnes *suos affectus* verè obnoxios habuit Deo, & *Spiritu Dei* plenus, magno ductus est affectu erga *Gentes*, per obsequium fidei & amoris ei uniendas, quæ olim agebant extra communionem Ecclesiæ, & *impuræ* consebantur. *Ephes.* v. 25. *Christus* ἠγάπησε DILEXIT *Ecclesiam* ex Gentibus *colligendam*.

Qui affectus Simsonis FUIT A DOMINO.

Amor, quo Christus Dominus prosequutus est Ecclesiam ex Gentibus colligendam, ortum traxit ex *Divino placito* & *consilio*, quo Gentibus, cum Christo uniendis, destinata fuit salus, & hostibus Christi exitium. *Rom.* x. 20.

Sed displicuit PATRI & MATRI SIMSONIS, qui Filium suum ab hoc proposito instituerunt dehortari: Divini consilii per Simsonem exequendi *ignaris*.

Ecclesiæ Judaicæ, in qua & ex qua Christus natus est tanquam *Matre*, ejusque *Præfectis*, quibus subesse debuit tanquam *Patri*, qui non intelligebant arcanum Divini consilii de *vocandis Gentibus*, vehementer displicuit institutum Christi, quod jam per Ecclesias *innotescere* incipiebat, de *Gentibus* ad communionem bonorum gratiæ perducendis. Fuit id inter argumenta *disputationis Stephanicæ*. *Act.* VI. 13. & liquet abundè ex Actis. *Act.* XI. 2. ALTERCATI SUNT hac de re οἱ ἐκ περιτομῆς *qui* EX CIRCUMCISIONE *erant*, patroni prærogativarum Judææ Gentis.

Qui tamen Simsonis Parentes, videntes, Filium in proposito suo pertinaciter persistere, *persuaderi* sibi passi sunt tandem, ut amatam Virginem Filio *Conjugem peterent*, & hac fine cum Filio iter Thimnatham susciperent.

Ecclesia tamen *Judæa*, videns seriam Christi Jesu voluntatem de Gentibus in Communionem ejus adsciscendis, tandem eò venit, ut *Gentibus declaraverit* voluntatem Christi Jesu de gratia sua cum illis communicanda. quod factum, ubi *Petrus*, Ipse *Judæus* & Ecclesiæ Judaicæ *pars*, qui in consilio de Gentibus non invitandis ad communionem Christi Proceribus Ecclesiæ Judai-

Judaicæ & Judæis omnibus, qui ex Circumcisione erant, consensit, & eatenus in hoc casu *repræsentavit*, sibi tandem à *Domino* persuaderi passus est, ut *Joppen* iret, & Domui Cornelii Gratiam Christi exponeret. *Act.* x. 28.

Idque eo Reipublicæ Judææ statu, quo *Philisthæi* משלים בישראל *imperium habebant in Israëlitas.*

Et quidem illo tempore, quo hæc acciderunt, Judæi suberant *Romanis*, ex quorum Imperio Christus Servator maximè sibi propositum habebat Ecclesiam colligere.

XIII. CASUS IPSE.

Dum itaque Simsonis Parentes cum Filio Thimnatham proficiscuntur, ut Virginis Philisthææ nuptias Filio conciliarent, *occurrit* Simsoni LEO.

Intervallo illo, quod intercessit inter *cædem Stephani*, qui de abolenda OEconomia Judaica & vocandis Gentibus Christi Jesu caussam egerat apud *Præsides Judææ Gentis*, & inter *invitationem Gentium ad Conjugium Christi spirituale per Petrum*, (quo tempore Christus quasi *in via* erat ad consilium de Gentibus exequendum:) hoc ipso, inquam, temporis intervallo, *paulò ante Gentium vocationem*, Christus Jesus obviam sibi habuit HOMINEM valdè INFESTUM, *ferocem*, & nocendi facultate à Synedrio instructum, ad Christum *in Ecclesia* ejus dilaniandum & vorandum, paratum; SAULUM. Ipse ait, *se prius fuisse blasphemum*, καὶ διώκτην, καὶ ὑβριστὴν, & PERSECUTOREM, & *alios injuriâ afficientem.* 1 *Tim.* 1. 13. Et Lucas de ipso: *Paulus verò* ἐλυμαίνετο τὴν Ἐκκλησίαν VASTABAT *Ecclesiam*, instar *Ursi*, aut *Leonis. Act.* VIII. 3.

Et quidem כפיר אריות LEO JUVENIS, sive CATULUS LEONUM, ex *Leonibus* & inter Leones Juvenes *nominatus.*

Et quidem *Saulum* νεανίαν JUVENEM, inter Persequutores Christianorum & studiosos Judaicæ disciplinæ Viros valdè *celebrem. Act.* VII. 58.

RUGIENS *in ipsius occursum* שאג לקראתו

Ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου SPIRANTEM *minas ac cædem adversus discipulos Domini. Act.* IX. 1.

In Qui

via, quæ THIMNATHAM
endit. Urbem Philisthæorum, in *valle* sitam.

Qui obviam fuit Domino *fremens* & *sæviens* in *via*, quæ tendebat ad nobilem quandam Urbem, sitam *in valle*, quæ illo tempore erat in ditione Romanorum, & Terræ Cananææ proximè adjacebat, DAMASCUM puta, in *Convalle* sitam, inter Antilibanum & Libanum montes celeberrima, quæ Straboni πεδίον κοῖλον, Geogr. Lib. XVI. p. 510. & Polybio πεδίον αὐλῶνος, h. e בקעא *Planicies, inter duos colles.* Vide, sis, Bochartum *Geogr. Sac.* Lib. II. Cap. IX. Strabo: *Post Marsyam succedit ea quæ* REGIA CONVALLIS *dicitur, & Damascenus ager apprimè nobilitatus.* Ἔτι δὲ καὶ ἡ Δαμασκηνὴ πόλις ἀξιόλογος σχεδόν τι καὶ ἐπιφανεστάτη τῶν ταύτῃ κατὰ τὰ Περσικά. Ὑπέρκεινται δὲ αὐτῆς δύο λεγόμενοι Τράχωνες

Nec procul ab ea Urbe, IN VINEIS nimirum THIMNATHÆ.

Nec *procul Damasco.* Lucas: *Cum autem iter faceret,* ἐγένετο αὐτὸν ἐγγίζειν τῇ Δαμασκῷ *factum est ut* APPROPINQUARET DAMASCO. *Act.* IX. 3.

Qui *Juvenis Leo* cum Simsonem invaserit eo ferè temporis articulo, quo ipse in eo erat ut sibi in conjugium adsciceret Virginem Philisthæam, visus est *quasi velle intercedere quo minus Simson voti sui compos evaderet.*

Qui SAULUS cum se Christo & Christianis circa ipsum illud tempus ferè opposuerit, quo Deo statutum erat Consilium suum de vocandis Gentibus exequi: *visus est hoc consilium & vota Christi Jesu de vocandis Gentibus velle turbare.*

Hunc *Juvenem Leonem* Simson manibus suis, absque telo aut qualicunque alio instrumento, *instar hoedi discerpsit, & profligavit.*

Hunc SAULUM, quem Christus sibi obviam habuit Juvenem ferocem, ipse Dominus suâ potentiâ ἀμέσως (absque *ullo medio interveniente*) PROFLIGAVIT, & *in terram dejecit*, fecitque adeo ut *sibi & Legi mortuus fuerit.* Historia omnibus nota est. Lucas: καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς. *Cap.* IX. 4. Ipse de *se*: νόμῳ ἀπέθανον. *Gal.* II. 19.

Patre & Matre ejus præsentibus quidem, utique non longè ab ipso remotis, sed tamen

Synedrio & Ecclesiâ Judaicâ, quæ in *Delegatis suis* præsentes aderant huic Casui *Sauli* à Christo victi, *ipsam tamen* hanc

tamen hoc facinus Filii sui Simsonis non *videntibus*, aut *observantibus*.

hanc rem non observantibus. Lucas: *Viri autem illi, qui cum Saulo iter faciebant, constiterunt muti, audientes quidem vocem* (hoc est, sonum aliquem vocis *confusè* audientes; ut liquet ex *Act*.XXII.9.) μηδένα δὲ θεωροῦντες NEMINEM *autem* VIDENTES.

Qua in re *Simson* roboris & virium suarum in hostibus suis suâ potentiâ debellandis, primum dedit & maximè notabile specimen.

Qua in re *Christus* Dominus Ecclesiæ demonstravit summâ se præditum esse potentiâ & viribus ad ferocissimos etiam hostes suos debellandos & sibi subjiciendos.

XIV. CONSEQUENTIA.

Dum intereà Virginem Philisthæam in vota sua pertrahit Simson, eamque sibi *conjugio jungit*, *examen apum colligitur in cadavere Leonis occisi*, ibidem *mel parantium*; casu enimverò raro & insolenti.

Dum intereà Christus D. *Gentes* per Petrum ad Communionem suam invitat in *domo* & *amicis Cornelii*: apud *Paulum*, Legi & Peccato nunc *mortuum*, DISCIPULI CHRISTI mox CONGREGANTUR Damasci, se exercentes gnaviter in lectione, meditatione, & expositione Divini Verbi, & ex hisce suis laboribus atque exercitationibus percipientes & proferentes *fructum dulcem & salutarem*, tam confirmatæ & illustratæ *Doctrinæ Gratiæ*, quàm *Consolationis*, quæ ex Doctrina Gratiæ confirmata & illustrata ad miserum peccatorem redundat. *Mel* enim est symbolum *veritatum salutarium*, quæ per studia & meditationes industriorum Virorum colliguntur ex *Verbo Dei* ad alios *pascendum* h. e. erudiendum & consolandum facientes: estque hoc emblema in Scriptura notum. *Prov*.XXIV.19. XXV.16. *Cant*. V.1. *Ps*.XIX.11. *Apes* itaque sunt Viri industrii, qui illas veritates seriis meditationibus & labore colligunt. Lucas: *Fuit autem Saulus cum* DISCIPULIS, *qui erant* DAMASCI, *per dies aliquot*. *Cap*.IX.19. Deinceps se illi adjunxerunt per modum *Examinis* Apum, *Timotheus*, *Titus*, *Si-*

las,

las, *Epaphroditus*, *Tychicus*, *Onesimus*, *Aristarchus*, *Marcus*, *Jesus*, qui dicitur, *Justus*, aliique plures, in *ejus* quasi *cadavere mel parantes*. Paulus enim, Legi & Peccato *mortuus*, argumentum illis & occasionem præbebat *Doctrinam Gratiæ* in Christo Jesu ad aliorum & sui profectum atque consolationem rectè explicandi.

Hoc *mel degustavit & eo se refecit Simson.*

Quæ studia, labores, & exercitationes Pauli ejusque συνεργῶν, gratæ fuerunt Christo, qui illud *mel*, in Ecclesia paratum, stylo Scripturæ, hoc sensu dici potest *comedisse*: *Cant*. v. 1. ut Dominus illud verè *comedit* in *membris suis*, quæ habet in terris.

De quo melle etiam *comederunt Simsonis Parentes*, licet *nescirent*, unde id Filius haberet, aut quomodo *paratum esset*.

Doctrina illa *Gratiæ*, quæ ὑπὸ τῶν περὶ Παῦλον in ejus veluti cadavere parata fuit, mox post *Paulum conversum & peccato ac legi mortuum* proposita est in *Synagogis Damascenis*, *Act*. IX. 11. mirantibus & *obstupescentibus Judæis*, *Gal*. 1. 23. & nescientibus, *unde novum hoc mel*, quod *ex Paulo* producebatur, & quâ occasione, paratum.

Ex quo Casu in Nuptiali Epulo Simson Comitibus suis, qui ipsi honoris caussâ aderant, & reliquis amicis, qui hanc festivitatem celebrabant, ÆNIGMA aliquod proposuit solvendum, his verbis conceptum: EX CONSUMENTE PRODIIT CIBUS, ET EX FORTI (עז: immiti, inexorabili, feroce;) DULCE.

Conversio Pauli Apostoli Ecclesiis Christi visa est res tam paradoxa & mirabilis, ut inde compositum sit symbolicum quoddam Ænigma, per Ecclesias vulgatum, quod ipse Paulus in Epistola ad Galatas reliquit: *Solum audiverant*, *qui dicerent*; QUI PERSEQUEBATUR NOS ALIQUANDO, NUNC EVANGELIZAT FIDEM, QUAM OLIM VASTABAT. *Gal*. 1. 23.

Quod ænigma solvi non potuit *tribus prioribus* hebdomadæ Nuptialis *diebus*.

Paulus Apostolus, ad Christum Jesum conversus Damasci, inde se contulit in vicinam Syriæ Arabiam, per *triennium* latens Apostolos, & Ecclesiam Hierosolymitanam, adeò ut verè Christiani Hierosolymis *non crediderint*, Paulum Apostolum Fidem Christia-

 nam

nam sincerè suscepisse. *Gal.* I. 17. Lucas: *Cum Saulus advenisset Hierosolymam* (*post triennium in* Arabia a-ctum:) *tentabat se propius adjungere discipulis, sed omnes eum metuebant,* NON CREDENTES, EUM ESSE DISCIPULUM. *Act.* IX. 26. Hactenus igitur Ænigma illud non erat solutum.

Tandem tamen *Simson*, uxoris precibus & lacrimis victus, *ipse illud declaravit*, atque exposuit.

Cum Christianos Hierosolymis molestè id haberet, quod Ænigma de Paulo ad Christum converso non intelligerent, modum nempe & rationem totam illius mirabilis casus plenè nondum assequutos: *Barnabas*, Christi Jesu amicus, Gentibus deditus, qui adeo Gentium hic sustinere potuit personam, ipsis *modum* & rationem totam Pauli ad Christum adducti explicitè *declaravit*, quomodo Dominus Jesus ipse eam Ananiæ Damasci exposuerat. Lucas: *Barnabas autem acceptum eum duxit ad Apostolos,* & IPSE NARRAVIT *iis, quomodo in via vidisset Dominum,* & *quod locutus ei. Act.* IX. 27. Sic solutum est Ænigma, in quo nos etiam pro præsenti instituto nostro subsistimus.

CAPUT XXIII.

Quæritur disputaturque, an Sagan, *Vicarius* Pontificis Hebræorum, *sano & commodo sensu dici queat* summus Sacrorum Templi Præfectus; *quâ occasione de* Officio & Dignitate SAGANIS *plura ex Statutis disciplinæ Hebræorum adferuntur, non indigna aliquâ animadversione. Sub finem discutiuntur duo loca* Historiæ Lucæ, *Evang. Cap.* III. 2. *Act.* XXIII. 2. & *disquiritur, an secundum Eruditorum quorundam Virorum sententiam* Saganatus *Munus in iis demonstrari possit?*

Accidit

ACcidit aliquot abhinc annis de *Hebræorum* rebus scribenti, *Saganem*, *Vicarium Pontificis Hebræorum*, appellare *summum Sacrorum Templi Præfectum*. Quæsitum, quo jure, quâve Hebræorum auctoritate? Videbatur enim περιγραφὴ esse augustior quàm pro dignitate & officio Saganis; atque adeò meritò incurrere in reprehensionem. *Sagan* enim si sit *summus Sacrorum Templi Præfectus*: quid relinquitur *Pontifici*? Quis neget *hujus* præ *Sagane* dignitatem, auctoritatem, potestatem circa cærimonias antiquæ Religionis, & ordinanda Templi Sacra? Sanè non negabam; & quis neget nisi planè absurdus? Nolebam igitur id dictum rigidè, sed humaniter & *restrictè* accipi. Et tamen id *verius* & *rectius* scripseram, quàm aliquibus videbatur. Quod ut demonstrarem: etsi quæsitum non sit è gravissimis: operam dabam componendæ de hoc argumento dissertationi; quam cum hoc tempore inter schedas meas reperirem, & tam *Officio Saganis* declarando, quàm *Locis quibusdam Scripturæ Sanctæ* discutiendis facere deprehenderem: visum est, hic exhibere ut tum exiit è manibus, & laciniam reliquis dissertationibus attexere, ne hujus laboris mihi periret fructus. Posset tamen, fateor, de *Sagane* doctior & copiosior institui disputatio, si quis ex professo de eo commentari, & quæ huc pertinent omnia excutere vellet. Sed id mihi planè non est propositum. Aliud mihi à Domino nunc mandatum est negotium; & alterius studii voluptas aliò me trahit. Sufficit veteris diligentiæ in hoc studii genere fructum citra cujusquam mortalis invidiam relegere; novam alibi collocaturo.

II. Primò certum est, Doctissimos & in Hebræa Literatura versatissimos Viros, qui res Hebræorum diligenter tractarunt, *Saganem* passim vocasse *Principem Sacerdotum*, & *Præfectum Templi*. Dum enim in Codicibus Joma & Tamid, & alibi, ubi de Officiis Religionis in Templo administrandis mentio est, inter *Sacerdotes* offendebant hominem, qui absolutè dicebatur סגן / h. e. *Præfectus*, *Antistes*, & ממונה *Memunne*, (quæ hic ejusdem significationis notio est, ut mox evincam:) non dubitarunt tum ex notatione illarum vocum, tum ex pluribus aliis, statim in medium proferendis, colligere, *Saganem* fuisse *Præfectum*, &

Principem Sacerdotum, & hoc nomine appellari & salutari posse.

Cap. III. §. IX. Joma: *Ibat* (Pontifex:) *ad Orientem Atrii*, *& Septentrionem altaris*; הסגן מימינו ראש בית אב לשמאלו / Seringhamius: PRINCEPS SACERDOTUM *à dextris*, *& Praefectus Patrum ei stabat à sinistris.* SAGAN Seringhamio est *Princeps Sacerdotum.* In Annotationibus hæc addidit: *Inter Sacerdotes* SAGAN *dicebatur*, *qui* PRINCEPS *erat* GREGARIORUM SACERDOTUM. Pariter instituit ad Cap. VII. §. I. & alibi.

Cap. I. §. II. Tamid: מי שהוא רוצה לתרום את המזבח משכים וטובל עד שלא יבא הממונה Peringerus: *Si quis vellet ab altari removere cineres*, *is summo mane surgebat*, *atque corpus abluebat*, *antequam adveniret* PRÆFECTUS SACERDOTUM. Saganem hic intellexit Vir Doctissimus cum Jarchio & Bartenora, etiamsi id non adscripserit. Jarchii & Bartenoræ sententias vide ad *Joma*, Cap. III. §. I.

Cap. VII. §. VIII. Sota: חזן הכנסת נוטל ספר תורה ונותנו לראש הכנסת וראש הכנסת נותנו לסגן Wagenseilius: *Æditumus sumpto Libro Legis tradidit illum Primario Cœtus*; *hic porrigebat illum* ANTISTITI. Sagani, ut in textu.

Cap. XI. §. LXXIII. Gem. Sanhed. in Excerpt. Cocceji: *Uxor Corachi ipsi inquit*; *quid fecit Moses? Ipse factus est Rex. Fratrem suum fecit Sacerdotem summum*; לבני אחוה שוינהו סגני דכהני *Filios fratris* PRÆFECTOS SACERDOTUM. Sic Cl. Coccejus. In contextu est vox *Sagan.*

In Middoth Cap. V. §. III. L'Empereurius ubi disserens de Conclavi פרהדרין / juxta ipsum, προέδρων, in Templo, proximè verba fecerat de *Vicario Pontificis.* p. 180. *Quid si hic sit ille*, *quem auctor* 2 Reg. 25. 18. *vocat* כהן משנה *Sacerdotem Secundum*, *qui etiam* סגן הכהנים ANTISTES, vel PRINCEPS SACERDOTUM *vocatur.*

Hor. Hebr. in Evang. Luca, Cap. III. 2. Ligtfootus: SAGAN *non erat tam vice-Pontifex*, *quam*, *ut ita dicam*, SUPER-SACERDOS, *idem cum* ממונה PRÆFECTO TEMPLI,

PLI, *de quo tam frequens mentio apud Magistros.* Alia testimonia, suo loco mox producenda, nunc prætereo.

III. Nemo arbitrabitur, opinor, tot Doctos & rei Hebraicæ peritos Viros conspirasse in crassum & rudem errorem. Et tamen est hic quod expediri mereatur. Cum enim pueris notum sit, *Pontificem* esse *Principem Sacerdotum* & *Præfectum Templi*: quid in mentem iis venit dignitatem *Pontificis* transferre in illius *Vicarium*? Tum denique, si fortè concedatur, *Saganem* dici posse *Principem Sacerdotum*, & *Præfectum Templi*: quo jure, quâ specie, *Vicarius Pontificis* vocari potest SUMMUS *Templi Præfectus*? Ergo videamus, an & quomodo hæc consistere, & inter se conciliari queant.

IV. Quod Doctissimi & in Hebræa Literatura versatissimi Viri *Saganem*, quem nemo negat fuisse *Vicarium* & *Suffectum Pontificis*, passim vocaverint PRÆFECTUM, & quidem PRÆFECTUM SACERDOTUM, ea in re sequuti sunt Doctores Talmudicos, qui *Vicarium* hunc *Pontificis* in traditionibus, quas nobis reliquerunt, passim duobus insignire solent nominibus, quorum utrumque PRÆFECTUM notat, סגן & ממונה. Quem igitur illi potius *Præfectum* appellarunt quàm *Suffectum*: alii putarunt absque errore sic salutari posse. Adstruamus de significatione utriusque nominis nostram sententiam.

V. Notio סגן SAGAN, quo *Vicarius Pontificis* privè insignitur & passim appellatur, propriè notat ANTISTITEM, PRINCIPEM, PRÆFECTUM. Demonstrarunt illud, qui illius genuinam significationem diligenter eruerunt; præter Lexicographos Doctissimi Viri, Helvicus, & Seringhamius: ille quidem in *Dissertatione ad locum Gen.* XLIX. 10. hic *ad Joma*, *Cap.* III. §. IX. Vox nimirum est originis, ut planè videtur, Chaldæę, sive Babylonicæ, & inde ad Hebræos translata, estque illius imprimis frequens usus in Libro Nehemiæ: notat autem, ut ex locis inter se collatis, patet, *Magnates*, *Principes*, *Antistites*, tum Civiles, tum Ecclesiasticos, prout orationis circumstantiæ ferunt jubentque. Cl. Coccejus: סגן ANTISTES, & per נשיא *Principem* interpretatur. Buxtorfius: *In genere explicatur Antistes*, PRÆFECTUS, *Dominus Primarius*. Primò omnium occurrit apud

Notis ad Gem. Sanh. loco modo notato.

apud Jesaiam, *Cap.* XLI. 25. *Et conculcabit* סגנים Antistites *ut lutum*. Targum: שלטניא Dominatores. LXX. Ἄρχοντας Principes. Apud Ezram, *Cap.* IX. 3. jungitur voci שרים Principum, & apud Jeremiam, *Cap.* LI. 23. פחות Ducum, sive Præfectorum: unde facilè liquet, esse significationis affinis. Res nimis est clara, quam ut utile sit ei illustrandæ diutius inhærere.

VI. Hoc autem nomine cum Disciplinæ Talmudicæ Auctores insigniant *Vicarium Pontificis Hebræorum*: primò quidem nos voluerunt docere, *Vicarium* illum non tantum esse *Suffectum*, sed & *Præfectum*. Deinde cum *Præfecti* notio sit σχετικὴ *relativa*: *correlata* autem hic concipi alia nequeant quàm *Sacra Templi* aut *Sacerdotes*, quorum respectu *Præfectus* appelletur: necesse est vel *Templi* vel *Sacerdotum Præfectum* illum & *Principem* fuisse dicamus. Convenit autem maximè indoli & usui vocis סגן ut referatur ad *Sacerdotes*. Recepta enim tam in Talmudico Codice quam in Targum est dictio: סגן כהנים vel סגן כהניא / *Segan*, h. e. Præfectus Sacerdotum. Sic nimirum est *Menachoth* *Cap.* X. §. I. רבי חנינא סגן הכהנים אומר *Rabbi Ananias* Præfectus Sacerdotum, *dicit*. In Targum ad *Jer.* XXI. I. ממנא סגן כהניא *Præpositus*, Præfectus Sacerdotum. Intelligendus ibi ex sententia Paraphrastæ hic ipse *Sagan*, de quo nos disquirimus, המשנה לכהן גדול *Secundus à Pontifice*; ut Elias Levita, Buxtorfius, & alii post ipsum dudum observarunt, qui stylo Hebræorum in contextu Jeremiæ dicitur, נגיד פקיד בבית יהוה *Antecessor*, Præpositus in Templo.

VII. Alterum nomen Vicarii Pontificis est illud ממנא Memunne, ut jam in superioribus intelleximus: quo ex sententia Jarchii & Bartenoræ in Codicibus *Joma* & *Tamid* Vicarius Pontificis insignitur. Id verò ipsum quoque Præfectum notat, & prius illud illustrat. Est illud à מנה / cujus *Pihel* מנה in Libro Danielis est *constituere*, *præficere* cum על / *Cap.* I. II. *Et dixit Daniel Melzari*, אשר מנה שר הסריסים על דניאל / *quem* præfecerat *Princeps Aulicorum* Danieli. Unde I *Chron.* IX. 29. ממנים על הכלים Præfecti *Vasis*. Apud Chaldæos tamen longè frequentior usus hujus vocis hâc significatione quam Hebræos. מני *eadem formâ Pahel* iis est *Præficere*, *præponere*, *constituere*,

tuere, & plurimùm conſtruitur cum על. Exempla magno numero proſtant in Lexicis. Unde jam ממונה *Memunne* paſſim Doctiſſimis Viris, quorum teſtimonia modò inſpeximus, vertitur per *Præfectum*, indole & genuinâ ſignificatione vocis id poſtulante. Buxtorfius: ממונה PRÆFECTUS, *Antiſtes* SACERDOTUM. Cum autem *Præfecturæ* varia ſint genera, aliæque aliis digniores & nobiliores: non nego, poſſe hanc vocem pro varia orationis circumſtantia, & prouti in oratione ad has vel illas *præfecturæ ſpecies* variè reſtringitur, modò majores & digniores, modò minoris auctoritatis & dignitatis *Præfectos* notare: ſic tamen, ut qui *abſolutè* מכונים *Memunnim* dicuntur, haberi debeant *Præfecti*, in ſuo genere *Maximi*. quod nomen cum *abſolutè* tribuatur *Sagani* cum reſpectu ad *Sacra Templi*, aut *Sacerdotes*: ratio ſuadet, illum nomine *Præfecti*, & quidem in ſuo genere *ſummi*, (de quo mox videbimus:) honorandum eſſe. Apertiſſima hæc eſt notatio vocis apud Maimonidem in *Hilchoth Kele Hammikdaſch*: כשימת המלך או כהן גדול או אחר משאר הממונים מעמידין תחתיו בנו או הראוי ליורשו וכל הקודם לנחלה קודם לשררות המת *Mortuo Rege*, *Pontifice*, *aut alio aliquo ex reliquis* MEMUNNIM, h. e. PRÆFECTIS MAJORIBUS, *in conſpicua poſitis dignitate*, *Filius ejus illi ſubſtituitur*, *aut is qui jure hæreditario illum proximè contingit*. *Etenim qui hæreditate antefertur*, *idem antefertur in ſucceſſione* DIGNITATIS, *ſive* PRÆFECTURÆ. De Majoribus & honoratioribus dignitatibus hic loquitur Maimonides: quas ſæpius שררות *Præfecturas* vocat, in quibus qui poſiti erant, ab ipſo dicuntur ממונים PRÆFECTI. Quin imo obſervavi, vocem ממנה / conſtructam cum ל / quando propriè CONSTITUTUM notat, ad hanc vel illam rem curandam, tum etiam manifeſtè ſumi ſignificatione PRÆFECTI. Locus eſt de eo clariſſimus apud Maimonidem in *Hilchoth Sanhedrin*: כל סנהדרין או מלך או ראש גולה שהעמידו להם לישראל דיין שאינו הגון ואינו חכם בחכמת התורה וראוי להיות דיין אף על פי שהוא כולו מחמדים ויש בו טובות אחרות הרי זה שהעמידו עובר בלא תעשה שנאמר לא תכירו פנים במשפט מפי השמועה למדו שזה מדבר כנגד הממונה להושיב דיינין *Synedrium*, *Rex*, *aut Aichmalotarcha*, *qui Iſraëlitis conſtituunt Judicem*, *muneri huic ritè adminiſtrando imparem*, & *Sapientia Divina imperitum*, *neque adeo dignum*, *qui hoc munere fungatur*, *etiamſi cætera Vir ſit totus amabilis*, & *multis aliis ſe commendet*

Cap. IV. §. ult. his verbis:

Cap. III. §. V.

 laude

laude dignis Virtutibus: quisquis tamen qui hanc inepto homini personam imposuerit, transgreditur Interdictum Divinum, quod probibet, Agnoscere Personam in Judicio. (Deut. I. 17.) *Ex orali enim traditione recepimus, interdictum hoc referendum esse ad* τ8ς Memunnim *Constitutos* (tu verte, Præfectos:) *ordinandis Judicibus.*

VIII. Demonstravimus hactenus ex nominibus, quibus *Vicarius Pontificis Hebræorum* à Disciplinæ Judaicæ Auctoribus & Magistris insignitur; illum rectè, & optimo jure suo, dici Præfectum. Id ipsum verò est quod Maimonides, ubi de *Sagane* agit, tam clarè & apertè affirmat, ut si illius auctoritas alicujus in hoc negotio ponderis sit, (est autem haud dubiè maximi:) hanc disputationem liceat compendifacere. Sic ipse Personam *Saganis* describit in *Hilchoth Kele Hammikdasch*: ומסנין כהן אחד שיהיה לכהן גדול כמו המשנה למלך והוא הנקרא סגן והוא הנקרא ממונה ויהיה עומד לימין כהן גדול תמיד וזה כבוד הוא לו וכל הכהנים מתחת יד הסגן *Constituunt verò* Sacerdotem *aliquem ut apud Pontificem eodem loco & ordine sit quo Vicarius Regis apud Regem. Is verò est qui dicitur* Sagan, *&* Memunne: *& consistit ad dextram Pontificis in omni actu sacro, estque ille honor illi privus: &* omnes Sacerdotes sunt sub manu (potestate) Saganis: *h. e.* omnes illi subjecti, ipse omnibus præfectus. Phrasis משנה למלך Vicarius *Regis*, cum quo Maimonides hunc *Vicarium Pontificis* comparat, desumpta est ex 2 *Chron.* XXVIII. 7. ubi *Elkana* aliquis dicitur משנה המלך *Vicarius Regis.* & I *Sam.* XXIII. 17. ubi Jonathan sibi pollicetur in Regno Davidis secundum ab eo gradum: ואנכי אהיה לך למשנה *Et ego tibi ero* secundus. LXX Intt. ad loc. Chron. Τὸν διάδοχον τ8 βασιλέως. Rectè. Aliàs διάδοχος sumitur pro *successore*, quomodo Antipater apud Josephum non semel τῆς ἀρχῆς διάδοχος ab Herode scriptus fuisse dicitur, estque locutio Græcis Scriptoribus recepta. Potest tamen omninò & *Vicarium* significare, qui à Rege secundus curam Regni administrandi, Rege negotiis non vacante, suscipit: prorsus ut *Sagan*, Pontifice passim absente & sacrorum curam negligente, vicariam illi præstitit in Religionis negotiis operam: quo sensu Maimonis Filius ait, *omnes Sacerdotes*, & cum Sacerdotibus *Sacra Templi*, fuisse *sub potestate Saganis.* Id ipsum est, quod Nepos *in Conone* de *Tithrauste*, in Arta-

Cap. IV. §. VI. paulò post med.

De B. J. Lib. I. Cap. XX.

Artaxerxis Aula primæ dignitatis Viro, dixit, illum *secundum Imperii gradum tenere.* Cap. III. §. II.

IX. Imo nequaquam ais, sic res confecta est. Neque enim tantum quæritur, an *Sagan* sit *Præfectus Sacerdotum* aut *Templi*, sed an idem sit SUMMUS *Templi* PRÆFECTUS? Hæc enim dignitas priva est *Pontificis*, quem Maimonides vocat ראש לכל הכהנים OMNIUM SACERDOTUM PRINCIPEM. Hoc caput rei. Hic nodus vindice dignus.

X. Nemo inter mortales tam ignavi ingenii fuit unquam, credo, ut negare sustinuerit, *Pontificem*, ἁπλῶς sive ἀδιορίστως loquendo, fuisse *summum Templi & Sacerdotum Præfectum.* Hoc ipso enim, quo intelligimus, *Saganem* fuisse *Vicarium Pontificis*, & *à primo secundum*, satis constat, Pontificem Sagane fuisse ordine & dignitate superiorem. Proinde per se patet, si qui sint qui *Saganem* hoc titulo ornant, illos *sano sensu* id accipi velle, non *absolutè*, sed *restrictè*. Restringendum verò id esse ad *Sacerdotes*, quotquot sunt omnes, P*ontifice excepto.* prorsus ut Maimonides *omnes Sacerdotes illi subjectos fuisse* asserit. Exemplo sit: *Præfectus Palatii*, sive *Prætorio*, apud Hebræos insignis est titulo על הבית. Hunc jam hominem si quis appellaret *summum Aulæ* sive *Prætorii Præfectum*, non loqueretur, ut ego quidem arbitror, insolenter aut ineptè: nec tamen censeretur peccare in dignitatem Regis, illo absque omni dubitatione superioris, & summi Palatii sui Domini & Magistri. Ex mera enim appellatione *Præfecti Palatii* omnibus liquet, restringendum illud esse ad Præfectos, Officiales, & Ministros Aulæ inferiores, Rege tanquam summo omnium Domino & Præfecto excepto. Maimonides in *Hilchoth Beth Habbechira*, PRÆFECTUM SORTITIONI SACERDOTUM, de quo mentio est in *Tamid*, qui matutino tempore cum proximè instaret aurora, in templum ex excubiis in Domo Focaria recipiebatur, vocat הממנה של מקדש PRÆFECTUM TEMPLI. nec tamen putavit, se injurium esse hac appellatione in *Saganem*, haud dubiè hoc Præfecto superiorem. Restrictè igitur intelligi voluit, quod ipse absolutè dixisse videbatur. Maimonidem autem per illum PRÆFECTUM, de quo ibi loquitur, intelligere *Præfectum sortitionis*, (הממנה שעל הפייסות) liquet ex *Hilchoth Tamid*, *Cap.* IV. §. I. & *Cap.* VI. §. I. cum alii ipsum intelligant *Saganem.* Profanis verò Scriptoribus an idem loquendi modus insolens?

Cap. VIII. sub finem. Cap. I. §. II.

lens? Multa huic rei intento exempla occurrent: ego unicum nunc dabo ex Diodoro Siculo, de *Mentore Rhodio* differente, ab Biblioth. Hist. Lib. XVI. ad Ol. CVII. §. III. Artaxerxe Ocho Præfecto Asiæ: Ὁ μὲν γὰρ Μέντωρ, ἐν τοῖς παραθαλαττίοις μέρεσι τῆς Ἀσίας ἡγεμὼν μέγιστος ἀποδειχθεὶς, τῷ βασιλεῖ μεγάλας παρείχετο χρείας. καὶ τὰ ἑξῆς· *Mentor enim per maritimos Asiæ tractus* SUMMUS PRÆSES *declaratus, magno Regi commodo fuit.* Nimirum *summus* eodem sensu, quo Sagan fuit *summus Sacerdotum & Templi Præfectus.* Nihil igitur in hac appellatione vitii, si *dextri*, & *sano sensu*, accipiatur.

XI. Sed nolo hic subsistere, etiamsi honestè liceret. Plus rationis est in hac appellatione. Observari igitur velim, ultimis temporibus Reipublicæ Hebræorum, de quibus nos nunc agimus, Pontifices *Judææ Gentis passim neglexisse curam Sanctuarii, & sacrorum, statorum ac solennium*, in eo omni die peragendorum; sive quod existimarent, se dignitatem suam satis tueri, si *Festis diebus* cum pompa Populo se magnificè ostentantes sacris operarentur: sive quod, cum Pontificiam stolam, dignitatis suæ ornamentum, in potestate sua non haberent, à Romanis in muneris sui functione præpedirentur: sive etiam quod nonnulli eorum Literarum Divinarum, quemadmodum illâ ætate tractabantur, & Rituum Religionis, secundum Mosaicæ Legis apices peragendorum, non satis essent gnari & periti. Ne dicam, Pontificatum subinde collatum esse in adolescentes tenerioris ætatis. Hæc autem vera & propria caussa est, quod Pontifices sibi substituerint *Vicarios*, quibus totam ferè Sacrorum Templi curam reliquerunt; tum quoque quod horum *Vicariorum* dignitas eo usque creverit, ut sæpè honore & auctoritate Pontificibus non cesserint, etsi cæteroquin ratione officii iis subjecti essent. Cum igitur *Saganes* passim in sacris præsentes adessent, & auctoritate summâ totam rem Religionis ordinarent: Pontifices verò ut plurimum abessent, & sacra negligerent: existimabamus illos non absurdè, hoc sano sensu, dici posse *summos Templi Præfectos.* Videamus de singulis, quæ supposui.

XII. Pontifices Hebræorum vix unquam sacris in Templo Ant. Lib. XVIII. Cap. VI. operatos esse quam solennibus Festis, liquare potest ex Josepho. Narrat is, Vitellium, cum Præfectura Syriæ illi à Tiberio mandata esset, Hierosolymis splendidè exceptum, Judææ Genti

hanc

hanc conceſſiſſe prærogativam, ut Sacerdotes in ſua poteſtate deinceps haberent *ſtolam Pontificiam cum omni ejus ornatu*, quam Romani à temporibus Archelai in exilium relegati, ſoliti erant cuſtodire in conclavi quodam Arcis Antoniæ: quod ipſum quoque ante Romanos fecerant Herodes ejuſque Filius Archelaus. Solitos autem eſſe Romanos & Herodem *ſeptem diebus ante Feſta* uſum ſtolæ illius Pontifici indulgere, mox poſt Feſtum ritè celebratum in conclavi illo deponendæ, & obſignandæ. Verba Joſephi: Ἑπτὰ δὲ ἡμέραις πρὸ τῆς ἑορτῆς ἀπεδίδοτο αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ φρουράρχου, καὶ ἁγνισθεῖσαν χρησάμενος ὁ Ἀρχιερεὺς κατὰ μίαν τῆς ἑορτῆς ἡμέραν ἀπετίθετο αὖθις εἰς τὸν οἶκον, ἧπερ ἔκειτο καὶ πρότερον. τοῦτο ἐπράττετο τρισὶν ἑορταῖς ἑκάστου ἔτους κατὰ τὴν νηστείαν. *Septem verò diebus ante Feſtum tradebatur iis* (Stola Pontificia:) *à Præfecto Arcis, quâ purificatâ poſtquam uſus eſſet* Pontifex, *poſt primum Feſti diem rurſus reponebatur in conclavi, ubi ante reſervata erat.* ID FIEBAT TRIBUS FESTIS CUJUSQUE ANNI, TEMPORE JEJUNII. Hæreo in verbis ultimis. Quid enim illud eſt, *ſtolam Pontificiam* traditam eſſe Sacerdotibus *tribus Feſtis*, κατὰ τὴν νηστείαν *tempore jejunii?* Judæi enim in Feſtis & Sabbathis non *jejunabant*, ſed indulgebant genio: quicquid etiam fortè ex quorundam ſententia Gentiles aliquando per errorem jejunia Judæorum cum illorum Sabbathis confuderint. Prorſus igitur mihi videtur excidiſſe hoc loco vocula καὶ, & locum ſic legendum eſſe integrum: τρισὶν ἑορταῖς ἑκάστου ἔτους, καὶ κατὰ τὴν νηστείαν· *Tribus cujuſque anni Feſtis* celebrioribus, ET *tempore Jejunii*, h.e. *decimo die Tiſri*, ſolenni illo & ſtato Jejunio ſacro, quo Iſraëlitæ per Pontificem luſtrabantur. Sic ſanus & integer eſt hujus loci ſenſus. Vides itaque, Pontifices in Templo rarò ſacris vacaſſe. Non licuit enim id ipſis agere abſque ſtola, dignitatis ſuæ ornamento: cujus copiam cum *ter* vel *quater* per annum ſolummodò habuerint, neceſſe eſt curam ſacrorum Vicario interea commiſerint, cui abſque illo ornamento ſacra facere licuit. Fateor, Joſephum alibi magis eſſe liberalem, ubi ſcribit, Pontificem *Sabbathis* quoque & *Noviluniis* ſacris in Templo functum, his verbis, quæ leguntur in hiſtoria *Belli Judaici.* Ἀνῄει δὲ σὺν αὐτοῖς, ἀλλ' οὐκ ἀεί, ταῖς δὲ ἑβδομάσι καὶ νεομηνίαις, καὶ εἴ τις ἑορτὴ πάτριος ἢ πανήγυρις πάνδημος ἀγομένη δι' ἔτους· *Non tamen* SEMPER *cum iis* (Gregariis Sacerdotibus:) *aſcendebat* (Pontifex:) *ſed* SABBATHIS: De Bel. Jud. Lib. VI. Cap. VI.

 &

& Noviluniis, *& si qua* Festivitas *solennior à toto Populo celebraretur*. Sed si hunc locum cum priore comparemus: facilè patet, Josephum hic magis id agere, ut officium Pontificis honesti describat; quàm sui temporis consuetudinem: deinde etiam, si vel maximè verum sit, Pontificem, ubi Vir bonus erat, & in potestate sua habuit stolam, Sabbathis quoque & Noviluniis sacra fecisse in Templo: facilè intelligimus, reliquis diebus curam Sanctuarii tradere debuisse *Vicario*, qui summâ potestate & auctoritate Sacerdotibus & Sacris præesset.

XIII. Pontifices Hebræorum postremis Reipublicæ temporibus sæpè fuisse rudes, & literarum Divinarum æquè ac cærimoniarum Religionis imperitos; certa est Talmudistarum & Josephi traditio. Illorum quidem verba hac de re clarissima sunt
Cap. I. §. III. in Codice *Joma*. Narrant ibi Misnici, quem in modum Pontifex per *septem dies*, qui præcesserunt *solenne Jejunium Annuum Mensis Tisri*, ad sacra illius diei ritè peragenda se paraverit: & quidem primò ductum illum esse in *Conclave Parhedrorum*. ibi illum convenisse *Legatos Synedrii*, prudentes & cærimoniarum Religionis peritos Viros, hunc in finem, ut cum Pontifice de sacris illius diei accuratè differerent, & indoctum atque imperitum exercerent. Verba Misnæ: *Tradebant ei Presbyteros ex Senatu Synedrii Magni, & legebant coram eo* בסדר היום *textum Sacrum, qui Ritus illius diei describit*, (Seringhamius: *juxta Ritum diei*: minus clarè:) *& dicebant illi; Domine Sacerdos Magne, tute legas ipse ore tuo*, שכחת או שמא לא למדת Forte oblitus es, aut forte non didicisti. Seringhamius ad rem: *Verba hac certè nonnullis portentosa videantur. Quid enim? Sacerdotem magnum ne legere quidem potuisse? siccine ei aut torpuisse ingenium, aut defecisse memoriam? Sanè, ita erat. Sub temporibus Templi Secundi bonis ad Sacerdotium clausus obstructusque aditus erat: qui autem Regi sanguine conjuncti erant, aut apud eum gratiosi, tametsi ex face Populi essent, ad dignitatem illam anhelabant, quibus aliquando tam enorme ingenium erat, ut literas nescirent. sic Maimonides ad præsentem Misnam.* Nihil certius eo quod hic monet Seringhamius. Mox rursus §. vi. de Pontifice commisso Senioribus Sacerdotibus in Conclavi Domus Abtines: אם היה חכם דורש ואם לאו תלמידי חכמים דורשי׳ לפניו אם רגיל לקרות קורא ואם לאו קורין לפניו: *Si*

ipse LITERIS CULTUS ESSET, *commentabatur textum* Sacrum; *sin verò*, *Viri Docti*, *qui præsentes ipsi aderant*, *commentabantur*: *si expeditè legeret*, *legebat ipse*: *si secus*; *alii coram illo legebant*. Commentarios Magistrorum, cum clarissima sint verba, describere negligo. Josephus pariter de hac re luculenter testatur, Seringhamio quoque non neglectus. Postquam enim narrasset, quo modo Pontificatus dignitas ultimis illis temporibus, & quidem quod alibi ait post excussos Assamonæos, prostitueretur: Zelotas tandem ait obtentu Veteris consuetudinis *Pontificem* per sortem eligere instituisse: forte verò demonstratum esse P*hanum quendam Filium Samuelis*, ὐ μόνον ἀνάξιον ἀρχιερεία, ἀλλ' ὐδ' ἐπιστάμενον σαφῶς, τί ποτε ἡ ἀρχιερωσύνη δι' ἀγροικίαν· *non tantum* Pontificatu *indignum*, *sed apertè quid esset* Pontificatus, PROPTER RUSTICITATEM *nescientem*. quem tamen hominem *rure protractum hâc personâ ornaverunt*, *&* *sacrâ veste induerunt*, τὶ δεῖ ποιεῖν ἐπὶ καιρῶ διδάσκοντες, *quid officii ipsi gerendum esset*, SUBITO DOCENTES. Ne jam addam, quod modò inceperam monere, *Adolescentes* subinde *sedecim* aut *septendecim annorum*, cujus ætatis fuit *Aristobulus*, *frater Mariamnes*, Herodis Regis Conjugis, ad summam hanc dignitatem esse promotos; in qua ætate quis non desideret peritiam eorum, quæ ad gravissimum hoc munus ritè atque ordine gerendum requiri poterant?

Lib. IX. de J. B. Cap. XI. ex dist. Gr.

Ant. Lib. XIV. Cap. VIII.

Josephus *Antiq.* Lib. XV. Cap. III.

XIV. Ex his nunc principiis, quæ idoneis argumentis adstruximus, duo elicimus consectaria, α. Dignitatem *Saganatus* ultimis Reipublicæ Hebrææ temporibus, non tantum utilitatis, sed & necessitatis fuisse maximæ. β. Officii illius dignitatem & auctoritatem *Saganum* in Templo admodum fuisse spectabilem, cum ob absentiam & sæpè imperitiam Pontificum universum ferè Sanctuarii onus ipsorum incubuerit humeris; ut adeò *Vicarius minimo minus alter* Pontifex *esset*: quod alibi non male de *Sagane* scripsit Scaliger. Longe igitur absumus à sententia Eruditi Viri, Basnagii, Flottemanvillæi, qui nuper in *Exercitationibus Historico-Criticis*, totam hanc *Saganis* dignitatem, cujus Talmudici mentionem faciunt, conatus est proscribere & explodere. Equidem non sum tam credulus, ut quæ in *Talmudicis Traditionibus* legimus de Ritibus antiqui temporis cæcâ fide absque discrimine recipiam: hic tamen, ubi ratio manifesta

In *Prolegomenis* ad Thesaurum temporum.

Ad A. XXXV. Num. II.

pro

pro iis pugnat, eas negligendas non putem. Expendat enim ſecum Vir Doctus faciem rerum Judæarum, ut ſe habuit ſub Principibus Aſſamonæis. Illi enim cum poſt Joannem Hyrcanum, prudentem Virum, dignitate Pontificis & Ethnarchæ contenti non eſſent, ſed ſceptra majeſtatemque Regiam ſtulto conſilio affectarent; quis eoſdem credat ſacra Templi diligenter curaſſe, & aliis temporibus quam Feſtis ſolennioribus, pompæ & oſtentationis gratiâ, officii Pontificatus habuiſſe rationem? Sacerdotes tamen & ſacra non potuerunt eſſe abſque *Præfecto*, qui ſummâ auctoritate iis præeſſet, & paſſim præſens in ſacris adeſſet. Illo igitur tempore Sacerdotes & Sacra maximè indiguerunt *Sagane*. Ne jam dicam, in ipſo Veteris Teſtamenti Codice inter Sacerdotes occurrere hominem, quem Hiſtoria Sacra appellat כהן המשנה Alterum a Pontifice, ſive כהן הראש
Jer. LII. 24. *Sacerdote primario*, ratione habitâ dignitatis, τὸν μετ' ἀυτὸν ἱερέα,
Ant. Lib. X. Cap. XI. ut Joſephus. quem non dubitamus ipſum eſſe *Saganem*. Fateor tamen, de aliis quibuſdam dubitari poſſe, quæ Vir Eruditus ibi diſputat: ſed nolo nunc ullam aliam de *Sagane* quæſitionem movere, quàm quæ ad rem, quam cum maximè ago, pertinet.

XV. Addam igitur, doctiſſimos & magni in re literaria nominis Viros, cum ſummam hanc *Saganis* dignitatem ad animum referrent, illum ferè æquiparaſſe *Pontifici Hebræorum*, & magna cum ſpecie rationis eviciſſe, *Saganem* in ipſo Novi-Fœderis Codice appellari Ἀρχιερέα Pontificem, ſive Summum Sacerdotem: non illo ſenſu vocis, quo Principes Familiarum Sacerdotalium aliquando dicuntur Ἀρχιερεῖς *Summi Sacerdotes*, ſed quo ὁ μέγας Ἀρχιερεὺς Magnus Sacerdotum
Heb. IV. 14. Princeps, ſive Pontifex, (phraſis eſt Apoſtoli:) ſummâ emphaſi hujus appellationis Ἀρχιερεὺς dicitur. Loca utique hac de re duo ſunt animadverſione digniſſima apud Lucam, in
Cap. III. 2. Evangelio, & Actis. Priore ſcribit Hiſtoricus Sacer, Joannem Baptiſtam muneris ſui auſpicia feciſſe, ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, *ſub* Pontificibus Anna & Cajapha. Crucem fixit hic locus exercitatiſſimis ingeniis. Cum enim ſatis conſtet, Hebræos *unum* tantum quoque tempore *Pontificem* veneratos eſſe, qui inſtar *Principis* omnibus Sacerdotibus præeſſet: quid illud

eſt

est quod Lucas *duorum* hic meminerit *Pontificum*, & ab iis desumat παράπηγμα temporis? Deinde cum ex Josepho liqueat, *Cajapham* hoc ipso tempore functum esse Pontificatu: quæ caussa, quod Lucas *Cajaphæ* jungat *Annam*, eumque etiam *Cajaphæ* præponat? Multa autem & varia ad hanc difficultatem expediendam jam attulerant Docti Interpretes, antequam iis in mentem venit cogitare de *Pontifice*, ejusque *Vicario* sive *Adjutore* SAGANE. Scaliger itaque in *Prolegomenis ad Thesaurum temporum*, eumque sequuti Casaubonus, L' Empereurius, (quos notavit Seldenus in erudita de hoc loco dissertatione, quâ sententias Doctorum Virorum de hoc argumento omnes expendit:) & Ligtfootus quoque, censent, intelligendum hic loci *Pontificem* cum *Sagane*, & hâc ipsâ occasione de officio Saganatus amplè & magnificè disserunt. Arguit enim inter alia Ligtfootus, *Saganis* tanquam *Præfecti Templi dignitatem fuisse* INDEPENDENTEM, (quod ego nunquam dicere aut scribere sustinui:) ac proinde illum ritè hoc loco dici Ἀρχιερέα, & cum ipso *Pontifice* comparari. Fateor tamen, me in has partes non potuisse transire, ubi hanc sententiam, magnâ cum specie propositam, quæ meæ cæteroquin caussæ faveret, diligentius examinavi. Si enim *Annas* hic à Luca designaretur ut *Sagan*, sive *Vicarius Pontificis*, haud dubiè illum *Cajaphæ* postposuisset, non præposuisset. Deinde observari meretur, *Annum*, sive *Annam*, ex Historia Evangelica notissimum, *Cajaphæ fuisse Socerum*, Pontificio hoc munere jam ante magno cum splendore & auctoritate defunctum: quem parum probabile est genero suo, ætate & ordine inferiori, tanquam *Saganem* substitui voluisse. Prorsus itaque sic animum induxi existimare, *Annam* hic componi cum *Cajapha*, & eidem anteferri, quia ex historia Josephi apertissimum est, illum inter omnes hujus ætatis Sacerdotes dignitate & auctoritate excelluisse: qui etiamsi Pontificiæ dignitatis munus hoc ipso tempore non gesserit, Provinciâ hâc Cajaphæ genero demandatâ: per generum tamen suum facilè omnia administravit, & deinceps *quinque* ex se Filios *Pontifices* vidit; jam ante Cajapham ipse quoque hoc honore defunctus. qua de re pluribus agere liceret, si alia nunc tangere propositum esset, quàm quæ scopum, cui intentus sum, feriunt.

De Success. in Pontif. Lib. I. Cap. XII.

XVI. Alter locus Lucæ, in quo Viri Docti *Saganem* viderunt sub persona & titulo Ἀρχιερέως Pontificis, est in *Act.* Cap. xxiii. 2. Memoratur ibi quidam Ananias Ἀρχιερεὺς Pontifex, magnâ Vir auctoritate in Senatu Synedrii summi, coram quo fidei & professionis suæ rationem explicuit Paulus, ab illo quoque cædi jussus. Hunc hominem suspicatur Ligtfootus, *Saganem* fuisse, sive *Vicarium Pontificis*; non verò *Pontificem*, ut passim habent ad hunc locum Commentarii. Observat enim ex Josepho, Antiq. Lib. xx. Cap. v. Ananiam Pontificem ab Herode Chalcidis Principe, imperante Claudio, electum, à Quadrato Præside Syriæ vinctum Romam missum esse, ut gestorum suorum rationem Claudio Cæsari redderet ante tempora Præfecturæ Felicis; *incertum verò esse, an unquam redierit Hierosolymam; incertius, an ad Pontificatum; incertissimum, an ille in Pontificatu jam ageret cum causa Pauli ageretur, post multos regiminis Felicis annos.* Offendit interea Ligtfootus in Talmudicis Traditionibus non semel quendam חנניא סגן הכהנים Ananiam, *Saganem*, Præfectum Sacerdotum, quem proinde per conjecturam statuit hunc ipsum esse Ἀρχιερέα Ἀνανίαν, de quo Lucas. Esto, ait Vir Doctus, *hic Ananias Sagan, Ananias Lucæ,* qui æque vocari potuit Ἀρχιερεὺς, ac Pontifex summus. Difficulter tamen & hic loci assentior Ligtfooto. Probabilius apud me est, Ananiam omninò salvum Româ rediisse, & Pontificatum etiam post illud tempus per annos aliquot gessisse. Non potest enim demonstrari, hâc tempestate alium fuisse Pontificem quàm Ananiam. Et vocatur quoque in historiâ Lucæ κατ' ἔμφασιν, ὁ ἀρχιερεὺς τοῦ Θεοῦ Pontifex Dei, ℣. 4. Quare meritò miror, Ligtfootum in *Tabula Successionis Pontificum*, quam adornavit in Tractatu *de Ministerio Templi Hierosolymitani*, Cap. iv. hunc *Ananiam*, medium cæteroquin inter *Josephum*, *Filium Canei*, & *Ismaëlum Phabei F.* penitus omisisse: cum tamen Josephus illius expressè meminerit. Alium igitur putem esse Ananiam illum, de quo Talmudici: nisi fortè Ananias hic antequam ad Pontificatus dignitatem evectus fuerit, Saganatum administraverit. Sed quicquid etiam hac de re sit: patet utique, præclari ingenii & doctrinæ Viros *Saganem* non tantum appellari voluisse *Præfectum*, sed & sano sensu, *summum* cum *Pontifice Templi Præfectum*.

XVII.

XVII. Huic verò ſententiæ non obſtat, quod *Sagan*, Templi & Sacrorum *Præfectus*, habitâ ratione *ordinis*, verè Pontifice fuerit inferior, eidemque *ſuffectus*, & quibuſdam quoque in caſibus, ubi nimirum Pontifex publicè, in Feſtis præſertim ſolennioribus, ſacra cum pompa & dignitatis ſuæ oſtentatione faciebat, *officia* quædam *honoris cauſsâ* ipſi exhibuerit, quæ recenſentur in *Talmude*, loco jam à Buxtorfio notato & excerpto. Aliud enim ſanè eſt titulum, aliud vim imperii obtinere. Hieroſ. Fol. 41. col. 1. Sic ſanè *Satraparum Præfecti* in Aula Regis Perſarum, & *Majores Domus*, qui dicebantur, ſive *Præfecti Palatii* in Francia apud poſtremos ſtirpis Merovingicæ Reges, omnia ferè pro arbitrio ſumma cum auctoritate in Imperio Perſarum, & Franciæ Regno, adminiſtrabant, ac proinde, ſi rem ſpectes, ſummo jure dici potuerunt *ſummi Imperii* & *Regni* illius *Præfecti*: etſi quod ad *nomen* & *ordinem*, verè Regibus illis *ſuffecti* fuerint, & haud dubiè *officia* illis aliqua cum cæteris Aulæ Satrapis & officialibus honoris cauſsâ præſtiterint. De auctoritate *Majorum Domus* in Gallia, *Pipino*, *Carolo Martello*, & hujus rurſus Filio *Pipino*, Gallicarum rerum Hiſtorici omnes teſtantur. De *Bagoa* verò Eunucho, Satraparum Præfecto ſub Ocho, eoque etiam non adeò ignavo Principe, exertè Diodorus: Ὁ δὲ Βαγώας τοσοῦτον ἴσχυσε, ὥστε τῆς βασιλείας κύριον εἶναι, καὶ μηδὲν πράττειν τὸν Ἀρταξέρξην ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· καὶ μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν τοὺς διαδόχους ἀεὶ τῆς βασιλείας αὐτὸς ἀπεδείκνυε, καὶ πάντα βασιλέως εἶχε πλὴν τῆς προσηγορίας· Bibliothec. Lib. XVI. p. 534. *Bagoas autem eo potentiæ pervenit, ut Regnum in poteſtate ſua haberet, nec Artaxerxes quicquam abſque voluntate ejus ageret: eoque defuncto Imperii Succeſſores perpetuò ipſe diceret, & crearet, & OMNIA MUNIA REGIS, PRÆTER SOLUM NOMEN, USURPARET.* Hic itaque, ſi rem ipſam ſpectes, *ſummus* fuit Imperii *Præſes*: ſi *nomen*, Regi *ſuffectus*, eoque inferior & poſterior. Præſtat autem de *rebus*, potius ex ipſis *rebus* inter ſe collatis, quam ex *nudo verborum ſono* judicare. Ταῦτα μὲν νυν τοιαῦτα.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

INDEX LOCORUM

SCRIPTURÆ SACRÆ,

QUÆ

In hisce LIBRIS illustrantur, aut explicantur.

NE-

INDEX.

INDEX.

HEB.

INDEX.




INDEX

VOCUM & PHRASIUM Hebræarum & Græcarum, quarum ſignificatio in his Libris oſtenditur.

כנן

INDEX.





INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Hiſce Libris contentarum.

De

Hil-

K.

L.


Para-

R.

Reve-

S.

FINIS.



Emendanda.

Pag. 147. l. 20. *πανὶ*. p. 161. l. 3. lege ὀγδοάδος. p. 184. l. 36. *verò*. p. 189. l. 10. *montoſa*. Eâd. p. l. 27. poſt *conſilium* l. *ſcribit*. p. 192. l. 5. *ſuperpoſitum*. p. 209. l. 35. *Chriſti*. p. 215. l. 32. *quod*. p. 282. l. 31. *illis*. p. 464. l. 31. *ſtipulatur*. p. 483. l. 22. *naſo*. p. 534. l. penult. *liquere*. In margin. p. 48. pro *Jeſ*. l. *Jer*. & p. 411. pro 1 *Chron*. XIX. 11. leg. 1 *Reg*. XIX. 11.

